NAZIONALE
12
5 G
20
VITT. EMANUELE

M

14-24-a2

Digitized by Google

LOCI COMMVNES

SIMILIVM ET DISSIMILIVM, EX OMNI PROPEMODVM ANTIQVITATE, tam sacra qvàm prophana collectorum, quibus docendi ratio perfacilis, dicendi verò copia lõgè vberrima, Theologiæ, cæterarúmque artium studiosis omnibus, accessura est.

Per Ioannem Dadræum, Doctorem Theologum ... Academia Parisiensi.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PARISIIS.

Apud Michaëlem Iulianum ad montem Diui Hilarij, sub insigni stellæ coronatæ.

1578.

Cum priuilegio regis.

PRIVILEGII SVMMA.

HENRICI III. Francorum & Poloniæ Regis Christianissimi autoritate cautum est, ne quisquam alius præter Michaëlem Iulianum, iuratum in alma Parisiensi Academia bibliopolam, hosce locos communes similium & dissimilium, per M. Ioannem Dadræum Parisiensem Theologum digestos, in hoc Francorum regno ante septenniũ excudat, neque alibi excusos diuendat. Secus qui faxit, libere pœna in diplomate æstimata multabitur. Datum Parisiis pridie idus Maij anno Domini. 1577.

Grugetio referente. *Ex consilio.*

De NEVFVILLE.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC, AMPLISsimo D., Domino Petro de villars, viennensi Archiepiscopo, Hẽrici Francorum & Poloniæ regis, ab interioribus cõsilijs, mecœnati suo munificentissimo, Ioannes Dadræus, perpetuam fœlicitatem.

NAuigantium ea est prudentia, (præsul amplissime) vt si forte præsentem viderint, vel futuram præsenserint tempestatem, partito cuique munere, alius in puppi sedẽs flectat gubernacula, alij remos trahant, alij malos scandant, rudentes expediant, vela suspendant, alij per foros cursitent, alij anconam firment, alij alios voce cohortentur & verbis excitẽt, alij denique concordibus animis & conspirantibus votis, Neptunum inuocent, qui sedata tempestate, depulsoq; periculo, ad securum portum nauem deducat. Simile quiddam vt præstemus omnes, qui de Petri nauicula censemur, monet & plusquàm Stentorea voce personat, infœlicissimi huius seculi deploranda calamitas. Nunquam enim antèa tot persecutionum procellis iactata, tot hæreseon pestilentissimis flatibus agitata, tot errorum fluctibus inuoluta, tot bellorum scopulis allisa, tot vitiorum anfractibus intercepta,

tot piratarum incursionibus obuia, tot denique tam variis tamque incertis casibus obiecta visa est, quàm ea ipsa in qua versamur turbulentissima tempestate. Quantas enim ab impuro illo, & omnis immanitatis architecto Nerone, adhuc infans Ecclesia plagas acceperit, quantas à Domitiano, Traiano, Seuero, Maximiano, Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano, Iuliano, Gothis, Vandalis, Mahumeto, cæterisque innumeris eiusdem impietatis assecl is, plenæ sunt historiæ, plena exemplorum vetustas. Certè ita graues & horridas, vt extrema mundi periodus instare, & totius Christianæ religionis status corruere, & pene conuelli videretur. Sed tamen contra omnes incursus atque impetus oblatrãtium fluctuum fidei robur stabat immobile, & virtus inconcussa fidelium animis defixa radicitus, velut saxum durissimum irruentibus vndis obsistebat. Nondum ambitionis aura pestilens, non auaritiæ tenacissima labes, non luxus, non fastus rectorum animos inuaserat. Nulla priuatorum aut inter se discordia, aut aduersus vtriusque politiæ magistratus rebellio, sed tanquam in pulcherrima quadam structura, prima vltimis, infima superis, media extremis sic colligabantur, vt quicquid persecutionis offerret, inhumana illa barbaries, non tantum non deficeret ecclesia, sed oppressa magis cresceret, afflicta clarescerct, contempta proficeret, læsa vinceret, atque, vt ait Hilarius, tunc maximè staret, cum superari videretur. Iam verò quia vitæ ratio mutata est, pene collapsus est religionis honos, atque ita collapsus, vt ne minima quidem spes, qua sola in miseriis consolari nos poterat, superesse videatur. Nullas enim vnquam Ecclesia, quod maximè dolendum est, nec plures, nec acerbiores, quàm a suis atque domesticis hoc tempore perpessa est iniurias. Hoc ipsum nostris oculis quotidiana experimenta subiiciunt, quod & olim D. Bernardus non sine magnis lacrymarum riuulis præ omnit,

dicens. Serpit hodie putida labes per omne corpus Ecclesiæ, & quo latius, eò desperatius, eoque periculosius, quo interius. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras, & arescceret. Si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo. Nunc verò quem eiiciet, aut à quo abscõdet se? Omnes amici, & oẽs inimici. Omnes necessarij, & omnes aduersarij. Omnes domestici, & nulli pacifici. Omnes proximi, & oẽs quæ sua sunt quærũt. Ministri Christi sunt, & seruiũt Antichristo. Honorati incedũt de bonis Domini, qui honorem Domino non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor, histriomicus habit°, regius apparat°. Inde aurũ in frænis, in sellis & calcarib°, & plus calcaria quã altaria fulgent. Olim prædictũ est, & nũc tẽpus impletionis aduenit, Ecce in pace mea amaritudo amarissima. Amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Hæc quondam apud se meditabatur sanctissimus ille vir, morum sui temporis censor & castigator acerrimus, cui si rursus liberum ad nos reditum fata concederent, tanto certè acerbius & vehementius, in corruptissimos huius ferrei seculi mores inueheretur, quantò & deteriores sumus, & ad deteriora quotidie flagitia citatissimo cursu properamus. Nam, vt ait Horatius,

Ætas parentum peior auis,
Tulit nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Omnium scelerum, omnium vitiorũ maturitas in nostra tempora erupit, quorum causam dum quærimus, neque tamen occurimus, vereor maximè ne Gallia nostra idem nobis obiiciat quod quidam iam olim, qui cum fortè in prælatũ puteũ incidisset, alteri causam lapsus scisciranti, respondisse fertur, Obsecro ne quomodo huc ceciderim, sed quomodo hinc meipsum liberare possis, inquiras. D. Basilius qui pro

pter ampliſſimam eruditionis ſupellectilem, & ſingularem quandam vitæ ſanctitatem, magni cognomentum adeptus eſt, in ea epiſtola quã ad Gallicanæ prouinciæ epiſcopos ſcripſit, noſtræ cladis originem, noſtri fundi calamitatem ſatis aperuit. Ille enim inter præcipuas inclinantis iam & prope cadentis orientis Eccleſiæ cauſas, querula ſic voce denunciat. Euerſæ ſunt pietatis doctrinæ, confuſa ſolutáque pietatis vincula. Dominandi libido eorum qui non timent Dominum, præfecturas inuaſit, & ex propatulo præmiũ impietatis præfectura propoſita eſt. Qui in grauiorẽ blaſphemiam relapſus eſt, præ alijs eligitur. Periit grauitas pontificum, paſtores cum ſcientia gregem Domini reliquerunt, dum præfecti diſtributiones pauperum in proprios vſus donaque ſemper inſumunt. Canonum exacta obſeruatio peſſum iuit, multa peccandi libertas patet. Nam qui fauore humano ad imperium deuenerunt, eodem ipſo fauoris gratiam implent. Iuſtum iudicium periit, quiſque cordis ſui deſiderio ambulat, malitia immodica, populi immorigeri, præfecti nõ liberè loquuntur. Nam qui per homines ſibi ipſis poteſtatem acquiſiuerunt, ſerui ſunt eorum quorum fauore adiuti ſunt. Arma belli (vltio videlicet ſanæ doctrinæ) & priuatas inimicitias occultantes, pro pietate bellum gerere aſſimulant. Ante annos mille ducentos inuitat Baſilius Galliæ epiſcopos, vt orientis eccleſiæ titubantem ſtatum ſecum ipſi lugerent, ſimulque cauerent alieno periculo facti prudentiores, ne ſimilis eoſdem flamma corriperet. Et iam totius Græciæ ſplendorem penitus extinctum legimus, vniuerſam Galliam incendio cõflagrare cernimus, neque tamen cõmouemur. Quid igitur ſupereſt aliud, niſi vt eiſdem peccatorum tenebris circumfuſi, eandem cum Græcis pœnam ſubeamus? Iam verò ſupra recitatis malis adde, quod frigeſcente charitate, nutante fide, Dei timore ſublato, ſpretis canonibus, ſolis terrenis opibus inhiamus.

Nulla prorsus in subeunda animarũ cura, de cultu diuino, de subditorum salute, mentio habetur, sed de prouentuum copia & vbertate quæritur. Quis vero sacerdotium postulans (neque enim nisi cum summa atque importuna petitione extorquetur) de sanctorum dotibus, reliquis, populi moribus & vitiis interrogat? Quod si quem præficere oporteat, facilius episcopis in promptu est, quibus animarum quàm suarum facultatum cura demandetur, adeò neglectæ & contemptæ iacent oues, pro quibus asserendis, Christus Dominus nasci non tantum, sed acerbissimam quoque mortem subire non detrectauit. Taceo quod impune venalia sint vbique beneficia. Quid enim non venale esse potest, quibus & anima (Salomone testante) venalis est? Nec enim frequentiorem apud eos vocem audies, quam olim apud rapacissimum illum Neronem ænobarbum, qui nemini vnquam delegauit officium, nisi hæc adiiceret, Scis quibus mihi opus est? Atque ita vitio nostro factum est, vt sacerdotis nomen, etiam regibus quondam venerabile, nunc contemptum, exosum, & omni probro maius habeatur. Capite itaque tam malè affecto, nemini mirum videri debet, si in subiacentes corporis partes, morbi colluuies effluxerit, si defecerit agricola in agris, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina, in senibus pietas, in pueris pudor, obedientia in populo, in pactis fides. Si denique pro lege Dei, regnet & imperet peruersum cuiusque iudicium, pro ratione, depraua ta cuiusque cupiditas, si non quid ex virtute agendum, sed quid quantũcunque pessime agatur, ab omnibus obseruetur. Interim cũ multis verberibus ad meliorẽ mẽtem nos quotidie vocet Dominus Deus, callũ tamen obducimus, vsque adeò verum est illud Maryi Victoris poëtæ Christiani,

Nil hostis, nil dira fames, nil denique morbi
Egerunt, fuimus qui nunc sumus, iisque periclis

Tentati, nihilo meliores reddimur vnquam,
Sub vitiis nullo culparum fine manentes.

Clamat Saluianus Maßilienſis Epiſcopus, Quid hoc mali eſt? Iumenta & pecudes ſectione curantur, & putrefacta mulorum, aſinorum, porcorum viſcera cum aduſta cauteriis fuerint, munus medicæ aduſtionis agnoſcunt, ſtamque vbi deſecta aut cremata fuerit vitiatorum corporũ labes, in locum demortuæ carnis, viua ſuccedit. Nos & vrimur & ſecamur: ſed nec ferri deſectione, nec cauteriorum aduſtione ſanamur, imò quod eſt grauius, ipſa cura deteriores ſumus. Et ideo nõ fruſtra euenit, quod euenire pecudibus ſolet, quæ immedicabiles morbos ferunt. Vnum duntaxat in tantis malorum turbinibus nobis ſupereſſe video remedium, vt (quod grauißimè affectis ſolet euenire) continuis gemitibus, atque imo de pectore ductis ſuſpiriis, dolorem quomodo leniamus.

Mihi igitur (vt vnde initio deflexit, noſtra recurrat oratio) tam alienis Reipubl. temporibus, ſicut in publica commoda peccare videntur, qui vel phreneticorum more rident, vel nimis otioſe deſident: Ita non parum de ſe ſuiſque ciuibus mereri arbitror, qui omnes corporis & animi neruos intendunt, vt afflictæ Reipbu. condolentes patrocinentur, ad componendos & farciendos mores aliquid excogitent, lectitent, ſcriptitent, vel aliud quidpiam pro viribus agant. Quod quidem, ſi quiſquam alius, ſedulo facis (Antiſtes prudentißime) qui nullum diem neque horam intermittis, neque remittis vnquam, quin aliquid pro patriæ communi ſalute, pro eccleſiæ libertate & pace, pro retinendis maiorum inſtitutis, pro bene collocandis Eccleſiæ bonis, omni defixa cogitatione perpetuò moliaris. Tuæ certè pietatis, prudentiæ, rerumque agendarum peritiæ fama, commotus Henricus Francorum & Poloniæ rex Chriſtianiſſimus, te ſecretioris ſui conſilij non

tantũ fecit participem, verumetiã in maximis totius regni negotiis, difficillimis belli tẽporibus, legati munus vt obires, è multis vnum selegit. Quo nomine & sibi & bonis omnibus maximè charus es. Quæ singula dum facis, tuæ virtutis imitatorẽ habes amplissimũ Mirapicẽsem episcopũ nepotẽ tuũ. D. PETRVM DE VILLÆRS, in quo præter singularẽ quandam ac reconditam Theologiæ cognitionem (cuius duobus ab hinc annis in hoc Theologico parisiensi certamine, magna cum sui nominis fama, euidentissimam dedit significationẽ) tanta est pietas, prudentia, humanitas, atque vt vno verbo dicam, morũ integritas, vt si multos ei persimiles haberemus antistites, nihil esset quod infœlicissima nostra hæc ætas antiquitati inuideret. Faxit Deus vt quod iampridem indefessus illius parturit animus, parere possit aliquando. Ego igitur vt rursus redeam, ne nihil hoc tẽpore viderer agere, similia & dissimilia ex probatissimis & selectissimis quibusque autoribus summo labore, summisque vigiliis conquisita, redegi in cõmunes locos. Ex quibus si quid fructus, si quid vtilitatis literarum studiosi cõsequantur, totũ istud quidquid est, tibi acceptum ferre non dubitent, cuius impulsu, veluti secundo aliquo ventorum flatu, studia nostra hactenus prouecta sunt. Hos ergò labores tanquam perpetuæ meæ in te voluntatis obsidem, tibi deuoueo consecroque, vt quemadmodũ tuo fauore ac liberalitate domi coaluerunt, ita & nunc in publicum prodituri tui nominis autoritate sese tueantur. Quos si tibi placuisse sensero, satis mihi magnum ex illis fructum videbor percepisse. Vale præsul amplissime, meque qua soles beneuolentia complectere. Lutetiæ, Ex nostro Sagiensi gymnasio, ad 4. nonas Maias. 1577.

CVm superioribus annis in celeberrimo Nauarræ collegio Sacrarum literarum studiis incumberem, duo nostri ordinis, omni certè & ingenij & virtutis laude excellentes Theologi, mei autem studiosissimi Reuerendus Mirapicensis Antistes, D.Petrus de Villars, & G. Rose Henrici Francorum regis ecclesiastes egregius, à me contenderunt vt quæ tum à me mihi, tum à multis viris doctissimis, Alardo Amstelredamo, Claudio Espencæo, Erasmo Roterodamo, sparsim & cõfuse ex probatissimis quibusque scriptoribus selecta fuerant similia, in cõmunes quosdam locos digererem: gratissimã quidem & apprimè vtilé rem, non tantum diuini verbi preconibus, sed omnibus omnino cultioris & politioris literaturæ viris factur⁹. Ego vero, ne eorum consiliis in re tam vtili mea opera deesset, accingor ad opus. Sperabam autem id mihi eo facilius futurum, quod res ipsa solo ordine & dispositione indigere videbatur. Verùm cũ quæ Alardi nomine circunferebãtur similia, ad autorum vnde desumpserat originem cõferre cœpissem, animaduerti parum bona fide notatos ab eodem autorum codices, malè citata librorum capita, multa quoq; typographorum (vt fieri assolet) neglectu omissa inuersa atque præpostera. Eam obrem ne in re hoc præsertim curioso seculo maximè religiosa falleretur lectoris animus, nouus mihi labor fuit subeundus, dũ quod ex riuulis sperabam in profundissimis fontibus expiscari oportuit. Cum verò huic operi extrema manus esset addita iamque illud bibliopolæ prælo committẽdum tradissem, audio illud idem opus Lycostenis nomine veluti posthumum partum in Germania prodiisse. Quæ res effecit, vt de excudendo hoc opere pene consilium mutauerim, mihi tantum & musis (vt dicitur) cecinisse contentus, nisi amici mei multo plures aliter monuissent. Ego verò vbi inspectis Lycostenis similibus animaduerti, ipsum Alardi Amstelredami collectanea secutum, in eundem scopulum incidisse, in quem primo incideram, meque longè plura & ex pluribus sacræ præsertim rei scriptoribus decerpsisse similia & dissimilia, nullam moram interponendam duxi, quin tuæ publicæque vtilitati consulens hæc vt prodirent

in ſolem, facile paterer. Quorum quanta fuerit neceſſitas, quãta vtilitas, vel ex vno Clemẽte alexandrino facile colliges qui libro. 6. ſtromatũ omnis erroris cauſã & originẽ ad ignorationẽ ſimulitudinis & diſſimilitudinis referre videtur. Vndenõ immeritò Ariſtoteles, ſũmus(teſte plinio) in omni ſcientia vir lib. 1. Topic. futurum Philoſophum diligenter monet vt in paranda vndecunque ſimilium & diſſimilium copia, ſuam non oſcitanter nauet operam. Solet autem ſimilitudo exprimi vel per res ipſas rerumque notas & ſymbola, aliquando per orationẽ. Prioris generis ſunt illa omnia ſymbola quibus apud Ægyptios atque adeo Scythas nihil vnquã fuit frequẽtius. De quib' copioſe diſſerit idẽ Clemens Alexandrinus lib. quinto ſtromatum. Quale eſt illud quod ſuo tempore extitiſſe aſſerit in Dioſpoli vrbe Ægypti, in templo Pylon. Vt enim hanc ſententiam ſymbolis repreſentarent, O qui naſcimini & interitis, Deus odio habet impudentiam, ordine pingebant, puerum, ſenem, accipitrem, piſcem, crocodylum. Nam apud illos púer eſt generationis ſymbolum, ſenex, interitum ſignificat, accipiter Deum, piſcis odium, crocodylus impudentiam. At verò huiuſmodi ſimilia rerum notis expreſſa non ſunt huius inſtituti. Nos enim ea hoc loco tantum quærimus, quæ oratione aliquid concludunt & quibus ex vno ſimili infertur aliud. Cuius quidem rei exempla tibi proponere nõ eſt opus, cum eorum poſt hæc ampliſſimam de omni pene materia ſupellectilẽ habeas. Atque huius quidem generis ſimilium tantus tamque frequens, apud omnes ſcriptores ſeu ſacros ſeu prophanos vſus eſt, quàm quod frequentiſſimum eſſe poteſt. Hæc & ad docendum adhibetur ſæpiſſime ſiue cum doctis agas ſiue cum populo. Zeno, ait Tullius lib. 2. de natura, ſæpe ſimilitudine rationem concludebat, vt enim probaret mundum eſſe animatum hac vtebatur ſimilitudine. Si ex oliua modulatè canentes tibiæ naſcerentur, num dubitares quin eſſet in oliua tibicinis ſcientia? Cur igitur mundus non ex ſe eſt ſapiens & animans, cum ipſe procreet animantes? D. Thomas ſummus & philoſophus & Theologus, nullam pene quæſtionem explicat, niſi adducta quadam' ſimilitudine. Quod ſi cum populo res ſit, nihil eſt quod ſeu in docendo, ſeu delectando, ſiue extollendo,

siue eleuando siue, consolando potentius influat in animos auditorum, Hoc ipsum nos docuit christus dominus, faciendi non tantum magister, sed & dicendi summus artifex, qui ad populum non aliter loquebatur quam per parabolas. Hoc & antè ipsum commonuit omnium quos sol vidit, mortalium sapientissimus Salomon, qui in describendis parabolis copiosè stylum exercuit. Cæterum in similium vsu quædam sunt adhibendæ cautiones. prima quæ quidem vulgatissima est & in philosophorum scholis tritissima, non oportere per omnia conuenire similitudines, iis ad quæ conferuntur, alioqui in magna absurda incides. Hãc nobis regulã prescribũt in parabolis christi Origenes in cap. 13. Math. Basilius in regulis breuioribus interrogatione 254. & Chrysostomus multis in locis. Secunda, ne similitudo petatur ex rebus ignotis illis quibuscum agimus, sed ex rebus ad vulgi sensum accõmodatis, alioqui præposterè docebitur. Huius rei exemplum dedit Christus, dederũt & prophetæ qui metaphoras & similitudines suas ex rebus vulgatissimis vt ex herbis, fruticibus arboribus &c. petere solent. Tertia regula est, ne talis assumatur similitudo quæ in diuersum sensum torqueri possit. Atque hæc de similium vsu dicta sufficiant, quæ omnia, (lector beneuole) æqui bonique consulas. Vale.

ERRATA NONNVLLA.

Folio primo pag. 2. versu. 19. pro noxia vt ignis, lege innoxia vt igni.
Fol. 20. pag. 1. versu. 15. pro idem, lege Chrysostomus.
Fol. 23. pag. 1. versu. 37. pro idem, lege Chrysostomus.
Fol. 44. pag. 2 versu. 3. pro repere, lege reperire.
Fol. 136. pag. 2. versu. 30. pro Mercurius, lege Macarius.
Fol. 219. pag. 1. versu. 19. pro idem, pone Cyprianus.
Fol. 233. pag. 2. ver. 31. pro subsumant, lege subsannant.
Fol. 265. pag. 2. ver. 23. pro mendacitatem, lege mendicitatem.
Fol. 304. pag. 2. versu. 31. pro Theodoricus lege Theodoritus.
Fol. eodem pag. 2. ver. 33. pro ascensionibus, lege abusionibus.
Fol. 348. pag. 1. ver. 16. pro idem, lege Chrysostomus.
Fol. 378. pag. 2. ver. 2. pro pectoris lege pictoris, pro magnus lege malo.
Fol. 395. pag. 2. ver. 5. pro idem, lege Nazianzenus oratione. 2. & versu. 12. pro oratione. 2. de pace, lege in apologetico.
Fol. 444. pag. 1. ver. 19. pro idem, lege Chrysostomus.
Fol. 447. pag. 1. ver. 13. pro hom. 99. lege hom. 65.
Fol. 477 pag. 1. ver. 24. pro idem, lege Chrysost.

AVTORES TVM SACRI, TVM PROPHANI, EX QVIBVS SIMILIA ET DISSIMILIA DEPROMPTA SVNT.

A

Absalon abbas
Adalardus.
Aelianus.
Aeneas Syluius
Agapetus diaconus.
Agnellus.
Alcuinus.
Albertus magnus.
Alexander papa 12.
Ambrosius.
Anastasius.
Angelus Politianus.
Anselmus.
Antoninus.
Antonius abbas.
Antonius monachus.
Apolinaris
Apolonius.
Aponius
Aristoteles.
Arnobius
Athanasius.
Athenagoras.
Augustinus.

B

Biblia Sacra
Bibliotheca Sanctorum patrum.
Baptista folengius.
Basilius.
Beda.
Bernardus clarevallensis
Bernardus Iustinianus.
Bernardus Scardeonius
Bertramus
Boëtius
Brusonius.

C

Cassianus.
Caelius Rhodiginus
Caesarius Arelatensis
Cassiodorus.
Chrysostomus
Chromatius
Cicero
Claudianus mamertus.
Clemens Alexandrinus.
Clmens Romanus
Climacus.
Cyprianus.
Cyrillus Alexandrinus.
Cyrillus Hierosolymitanus.

D

Damascenus.
Damasus papa.
Decretum Gratiani.
Demostenes.
Diadochus.
Dydimus Alexandrinus.
Diogenes Laertius.
Dion Chrysostomus.
Dion Nyceus.
Dionysius Areopagita.
Dorotheus archimandrita.

Drogon hostiensis.
Dugo philonius.

E

Efrem diaconus.
Elisius calentius.
Epictetus
Epyphanius.
Erasmus.
Esayas abbas.
Euagrius.
Euaristus papa.
Eucherius Lugdunensis.
Eugubinus.
Eusebius Cæsariensis.
Eusebius Emyssenus.
Eustathius.

F

Faustus Regiensis episcopus.
Fœlicianus.
Franciscus patritius.
Franciscus petrarcha.
Franciscus philelphus.
Fulgentius.

G

Gaudentius.
Gregorius Nazianzenus
Gregorius Nyssenus.
Gregorius Papa.
Gregorius Neocæsariensis.
Guerricus abbas.
Gulielmus peraldus.

H

Hermas seu pastor, nuntius pœnitentiæ.
Herodotus.
Hesychius.
Hieronymus.
Hilarius.
Hippocrates.
Hippolytus.
Honorius
Hugo Eutherianus
Hugo victorinus.

I

Iacobus Latomus.
Iacobus de valentia.
Iamblicus.
Idiotæ contemplationes.
Ignatius.
Innocentius tertius pontifex.
Ioannes campanus.
Ioannes Driedo.
Ioannes Gerson.
Ioannes Maria verratus.
Ioannes picus mirandula.
Ioannes Stobæus.
Ionas Aurelianensis.
Iouianus pontanus.
Irenæus.
Isaac presbiter.
Isidorus Clarius.
Isidorus hispalensis.
Iunilius Africanus.
Iulianus Toletanus.
Iustinus philosophus martyr.
Iustus orgelitanus.

L

Lactantius.
Laurentius Iustinianus.
Leo papa.
Libanius Sophista.
Lucianus
Lucilius veronius.
Ludouicus viues.

M

Macarius.
Mapheus.
Marcus heremita.
Marsilius ficinus.
Maxentius Ioannes seruus Dei.
Maximus monachus.

Mercurius Trismegistus.
Methodius Cyrænensis.

N

Nicephorus.
Nicolaus Clemangis
Nilus monachus.
Nilus abbas.
Novatus catholicus.

O

Olympiodorus.
Optatus milevitanus.
Origenes.
Ouidius.

P

Palladius.
Pamphylus martyr.
Paschasius diaconus.
Patianus.
Paulinus Aquileiensis.
Paulinus Nolanus episcopus.
Petrus Alexandrinus martyr.
Petrus Alliacensis.
Petrus Chrysologus.
Petrus Damianus.
Petrus Galatinus.
Philippus presbyter.
Philo Iudæus.
Pius papa.
Pomponius Mela.
Plato.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Polycarpus martyr.
Primasius.
Prochorus. D. Ioannis discipulus.
Procopius Gazæus.
Prosper Aquitanicus.

Q

Quintilianus.

R

Rabanus maurus.
Remigius.
Reuclinus.
Richardus victorinus.
Ruffinus Aquileiensis.
Rupertus.

S

Sadoletus.
Salonius.
Saluianus.
Seneca.
Severus sulpitius.
Sextus empyricus
Sidonius Apolinaris.
Sozomenus.
Symmachus.
Synæsius.

T

Tertulianus.
Thalassius.
Theodoretus Cyrænensis.
Theodoricus.
Theodorus Studithus.
Theodulus presbiter.
Theophilus Alexandrinus.
Theophilus Anthiochenus.
Theophrastus martyr.
Theophrastus philosophus.
Theophilactus.
Thomas Aquinas.
Tyrius platonicus.

V

Venantius.
Victor Vticensis.
Vincentius lyrinensis.
Volcuinus abbas.

X

Xenophon.
Xiphilinus.
Xistus pythagoricus.

Y

Yuo belnacensis.

Abstinentia fol. 1.
Abstinentia nimia 7
Abusus rerum, vide Vsus rerum.
Admonitio 9
Adolescentia, vide pueritia.
Aduersitas, vide tribulatio.
Adulatio. 15
Adulterium, vide luxuria.
Affectus. 19
Afflictio, vide tribulatio.
Ambitio 22
Amicitia. 24
Amicitia paucorum & multorum. Ibidem.
Amicitia retinenda & direpta resarcienda. 25
Amicitia principum. Ibidem.
Amicus probandus & eligendus. 26
Amicus fictus vitandus. Ibid.
Amor. 27
Amoris casti & impudici discrimen. 28
Angelus Ibidem.
Anima. 30
Animæ dignitas 33
Animæ tranquillitas, Ibidem.
Animæ cultus & cura. 34
Animæ cura præpostera. 41
Animæ puritas & bonitas. 43
Animæ impuritas. 44
Animæ morbus & perturbatio. 46
Antichristus. 47
Apostolus. 48
Artes liberales 50
Auaritia 51
Auditor. 59
Aulicus. 60

B

Baptismus. 60
Beatitudo. 65
ellum. 67
Bellum spiritale. 68
Beneficentia. 72
Beneficium. Ibidem.

C

Cæremoniæ. 73.
Calumnia. 74
Cãtus ecclesiasticus. ibidẽ.
Cantus impudicus. 75
Caro. Ibidem.
Carnalis. Ibidem.
Castigatio, vide admonitio.
Castitas. 77.
Christianus. 79.
Christianorum nomen & character. 80.
Christianorum simplicitas. ibidem.

Christus. 81
Christi attributa varia. ibidem.
Christi amor in suos 84.
Christi aduẽtus in mundũ. 88
Christi incarnatio & humanitas. Ibidem
Christi diuinitas & potestas. 94
Christi duæ naturæ 96
Christi mors & passio. 98
Christi resurrectio. 103
Christi ascensio. Ibidem
Christi aduẽtus secũdus. ibidẽ
Circuncisio. 105
Clementia, humanitas. Ibidẽ.
Cogitatio. 106
Concio. 109
Concionator. 110
Concordia, vide pax.
Cõcupiscentia, vide voluptas.
Confessio peccatorum. 118
Conscientia 119
Conscientia bona. Ibidem
Conscientia mala. 120
Consilium. 121
Coniugium, vide Matrimonium.
Cõstãtia, vide perseuerãtia.
Consuetudo. Ibidem.
Contemptus mundi, vide mũdi contemptus
Continentia, vide castitas.
Cõtumelia, vide detractio.
Conuersatio, vide societas.
Conuitium, vide detractio.
Conuiuium. 123
Corpus Ibidem.
Correctio fraterna, vide Admonitio.
Crapula, vide Gula.
Crudelitas. 124
Crux. Ibidem.
Crucis signum.
Cupiditas. 125
Cura, vide solicitudo.
Curiositas. 126

D

Damnatus. 127
Damnum, vide iniuria.
Dauid. 128
Deceptio. ibidem.
Delitiæ. 129
Desperatio. 132
Detractio 133
Deus. 135
Dei vnitas simplicitas, perfectio. ibidem.
Deus inuisibilis & incomprehensibilis. 137
Deus non autor mali. 138
Dei existẽtia in rebus. 139
Dei patientia & longanimitas. 140

Dei charitas & liberalitas. 141
Dei Clementia & misericordia. 144
Dei ira & vindicta. 148
Dei prouidentia. 150
Dei potentia, opificium. 153
Dei opera inscrutabilia. 156
Diabolus 157
Dialectica, vide philosophia.
Dignitas, vide honor.
Dilectio. 165
Dilectio Dei. *ibidem.*
Dilectio & cura proximi. 166
Dilectio inimicorum. 171
Disciplina. *ibidem,*
Discipulus 173
Discordia. *ibidem*
Disputatio. 175
Dissimulatio, vide hypocrisis
Diuinatio. 176
Diuitiæ. *ibidem*
Doctor. 184

E

Ebrietas. 187
Ecclesia. 189
Educatio & institutio puerorum. 193
Eleemosina. 197
Eloquentia. 204
Episcopus. 205
Euangelium. *ibidem*
Euangelistæ. *ibidem*
Eucharistia *ibidem*
Excommunicatio. 212
Exemplũ, similitudo. 214
Exemplum vitæ. 215
Exercitatio. 216
Exorcismus. *ibidem*

F

Fama. 217
Festus dies. *ibidem*
Fidelitas. 218
Fides, Fidelis. *ibidem*
Fidei perseuerantia. 226
Filius 227
Filius adulterinus. *ibidem.*
Filij Dei. *ibidem.*
Forma, vide pulchritudo.
Fortitudo. *ibidem*
Fortuna. 228
Furtum. 229

G

Gaudium. *ibidem*
Gentiles 230
Gloria. 231
Gloria inanis. 233
Gratia Dei. 236
Gratitudo. 240
Gula. *ibidem.*

H

Hæresis. 245
Hæreticus. *ibidem.*
Homicidium. 258
Homo. *ibidem*

Hominis creatio & dignitas. *ibidem*
Hominis fragilitas 260
Hominis lapsus 262
Hominis imprudentia 263
Honor, laus. *ibidem*
Hospitalitas 265
Humilitas *ibidem*
Hypocrisis 267

I

Iactantia, vide ostentatio.
Idololatria. 269.
Ieiunium, vide Abstinetia.
Ignorantia. 270.
Inconstantia. *ibidem.*
Induratio. 271.
Infernus. 273.
Infidelis. 275.
Ingenium. 276.
Ingratitudo. 277.
Inimicitia, vide discordia
Inobedietia, vide obedientia.
Iniuria. 278.
Iniuria à nobis ipsis. 279.
Intellectus. *ibidem.*
Inuidia. 281.
Ioannes baptista. 285.
Iob. 286.
Ira. 287.
Iudæus. 292.
Iudex. 295.
Iudicium extremum. *ibidem.*
Iudicium peruersum. 298.
Iuramentũ, periuriũ. 302
Iustitia, Iustus. *ibidem*

L

Labor. 304
Latrociniũ, vide furtum
Lectio 304
Lectionis vsus & delectus. *ibidem*
Lex politica. 306
Lex diuina. 307
Liberalitas. 311
Liberum arbitrium. 312
Lingua. 313
Loquacitas. *ibidem*
Luctus pro peccatis. 315
Luctus pro mortuis. 316.
Luxuria. 317

M

Magistratus. 318
Malitia vide peccatũ
Mansuetudo. 320.
Maria. 321.
Maritus, vide vxor.
Martyrium. 323
Matrimonium. 324
Mediocritas. 326
Memoria. 327
Mendacium. *ibidem*
Mercatura. *ibidem*
Meritum. 328.
Metus, vide Timor.
Minister. *ibidem.*
Miraculum. 329.

Misericordia. ibidem.
Monachus. 331.
Morbus corporis. 335.
Mores. 336.
Morum inconstantia & varietas. ibid.
Morum emendatio. 337.
Morum degeneratio. ibidem.
Mors. 338
Mortis meditatio. 340
Mors iucunda bonis. 341
Mors metuenda malis. 342
Pro mortuis orandum & sacrificandum. 343
Mulier. ibidem.
Mulierum ornatus. 344.
Mundus. 347.
Mũdi amor & vanitas. ibid.
Mundi contemptus. 349.
Mundi consummatio. 350.
Mysteria indignis non communicanda. 351.

N

Natura. 352.
Nobilitas. 353.
Nox. 354.

O

Obedientia. Ibidem.
Obiurgatio. 356.
Obliuio. 357.
Ocium honestum. ibidem.
Ocium ignauum. ibidem.
Opera. 357.
Operum merces. 363
Operũ ostentatio. ibidem.
Oportunitas. 364.
Oratio, preces. 365.
Orator. 370.

P

Parentes. 371.
Pastor. ibidem.
Patientia. 379.
Paulus. 383.
Paupertas. 385.
Pax. 389.
Peccatum. 392.
Peccato statim occurrendum. 394.
Peccatũ inueteratũ. 396.
Peccati illecebra 397.
Peccati fœditas. 398.
Peccati cæcitas. 399.
Peccati granitas & pœna. 401.
Peccati incommoda. ibidẽ.
Peccatũ originale. 404.
Peccatũ veniale. ibidem.
Peregrinatio. ibidem.
Perfectio. 405.
Persecutio. 406.
Perseuerantia. 408.
Pertinacia. 409.
Perturbatio, vide affectº.
philosophia. 410.
Pœna 415.

Pœnitentia. 417
Populus. 423
Præceptum, vide lex.
Princeps. 424
Propheta. 426
Prouidentia Dei, vide Dei prouidentia.
Proximi cura, vide dilectio proximi.
Prosperitas. 427
Prudentia. 428
Psalmus. 429
Pueritia. 430
Pulchritudo. Ibidem
Pusillanimitas. 431

R

Rapina, vide furtum.
Ratio. ibidem.
Recidiuatio. 432
Regnum, Rex. 433
Reprehensio, vide Admonitio.
Resipiscentia, vide pœnitentia.
Resurrectio. 438

S

Sacerdos. 443
Sacramentum. 448
Sacrificium. 449
Sanctus. 450
Sanctorum vita. 450
Sanctorum gloria. 451
Sanctorum memoria & invocatio. 452
Sanctorum reliquiæ. 453
Sapiens. ibid.
Sapientia ibidem
Scandalum. 456
Scriptura sacra. ibidem
Scripturæ sacræ autoritas. 456.
Scripturæ dignitas. 457.
Scripturæ vbertas. 458.
Scripturæ vtilitas. 461.
Scripturæ difficultas. 464.
Senectus. 466.
Sermo. 467.
Sermonis Vsus. ibidem.
Simonia. 420.
Societas. ibidē.
Solicitudo vana. 472.
Solicitudo vtilis. 473.
Solicitudo, vide Monachus.
Sophista. 474.
Spectacula. ibidē.
Spes. 475
Spiritalis. 476.
Spiritus sanctus. 477.
Stultitia. 479.
Superbia. 480.
Symbolum apostolorum. 482

T

Taciturnitas. 405.
Templum. ibidem
In templo quomodo se gerendū.
Tentatio. 485.
Testamentum vetus & nouum. 486.
Theologia. 487.
Thesaurus spiritualis. 488.
Timor Dei. ibidem
Tribulatio. 490.
Trinitas. 498.
Tristitia. 502
Tyrannus. 503

V

Verbum Dei.
Verbi Dei vis & natura. 505.
Verbi Dei audiendi ratio. 510
Veritas. 515.
Vestitus. ibidem.
Vinum, vide ebrietas.
Virtus. 516.
Visus. 522
Vita præsens.
Vitæ præsentis peregrinatio. 523.
Vitæ præsentis breuitas. 524.
Vitæ præsentis difficultas. 527.
Vitæ præsentis incōstātia. 529.
Vitæ præsentis fragilitas. 530.
Vitæ præsentis vanitas. 532.
Vitæ præsentis miseria. 533
Vita æterna. ibidem.
Voluntas. 536.
Voluptas. 539.
Vsura. 541.
Vsus & abusus rerū. 543.
Vxor bona. 544.
Vxor mala. 545.
Vxoris & viri societas. ibidem.

Titulorum finis.

IACOBI ESTOVRNEAV SANCTONIS, IN Io. DADRAEI THEOLOGI SIMILIA. pentastichon.

TEmpore qui multo littus peragrauit Eôum,
Parteſque Arctoas vidit, & occiduas:
Vilibus omiſſis, aurum gemmaſque micantes,
Thus, & ebur nitidum raráque cuncta refert.
Omnia ſic veterum vidit monumenta Dadræus:
Lectáque per claſſes ordine diſpoſuit.
Splendida quæque hauſit, pretioſum quodque notauit,
Sicque tibi immenſas accumulauit opes.
Quodque magis mirum eſt, tot opes, tot rara metalla,
Tot gemmas, modico vendit hic ære liber.

DE SIMILIVM ET DISSIMILIVM. *Vſu Nicolai Moreleti carmen.*

NOn paſſim ſparſos collegit vbique lapillos,
Dadræi nobis irrequieta manus.
Verùm exquiſitas ſacro de littore gemmas,
Picta in ſe rerum quæ ſimulacra gerant.
Quid gemmas? Imo gemma pretioſius omni,
Victurum hoc, laudis nec pereuntis, opus.
Quo non ſit coram populo dicentibus vllum,
Suggeſtu è ſacro, iudice me, vtilius.
Delectare iuuat? feſtiuas promito gemmas,
Scrinia Dadræi quas reſerata dabunt.
Vis auditorem facili ratione docere?
In promptu quibus id conficiatur habes.
Vis ſedare animos, rurſumque accendere? flectes
Huc, illuc iſta, mobile pectus, ope.
Denique vis adſit facundis gratia dictis?
Hinc pete: ab hoc omnis gratia fonte fluet.
Ergo age, ſume tibi has gemmas: ſi ſciueris vti,
Nulli dicendi laude ſecundus eris.

HÆc tua (Dadræi) quisquis monumenta reuoluet,
Suspiciat raras mentis & oris opes.
Priscorum nec scripta licet percurrat auorum,
Attica quos tellus, quosque Latina tulit.
Qui sibi doctrina, qui mentis acumine, qui ve
Eloquio certet, secula nulla dabunt.
Sic tu dum confers inter se singula, solus,
Nullum conferri qui tibi possit, habes.

PETRVS ARTVIS
Cenomanensis.

VT cum vere nouo eandenti lumine, Titan
Perlustrat terras, æthereasque domos.
Vt fragrant centum discreta coloribus arua,
Floribus ac multis parturit hibla fauos;
Tunc celsos rediens defessa reducit aceruos
Florum, queis tandem mella reponit apis.
Maxima sic voluens semper monumenta virorum
His Dadræe facis nobile mentis opus:
Cuius nec quisquam reprendere possit acumen,
Nosti etenim doctos quæ latuere prius:
Idcirco fœlix Dadræi tempore in omni
Nomen semper erit, docta per ora virûm.

I. DEVIEVPONT,
Sagiensis.

ABSTINENTIA, IEIVNIVM, SOBRIETAS.

QVi baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? Sic homo qui ieiunat in peccatis suis: & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet? Eccls. 34.

Quemadmodum non aduenit iustitia, per auaritiam & plura habendi cupiditatem, neque temperantia per intemperantiam: ita nec victus christiani ratio, lautitijs paratur & delitijs. *Clemens Alexand.* lib. 2. pæd. c. 1.

Veneris cataplasma famem dicebat Crates. *Idem* libro 2. stromatum.

Nonne sapientes patresfamiliæ de industria quædam seruis suis offerunt atque permittunt, vt experiantur an æqualiter permissis vtantur, si probè, si modestè? Quanto autem laudabilior, qui abstinuerit in totũ, qui timuerit etiam indulgentiam domini. Sic igitur Apostolus. Omnia, inquit, licent, sed non omnia ædificant, quantò facilius illicita timebit, qui licita verebitur? *Tertulian. de cultu fœminarum.*

Quemadmodum vermes qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus, & amaris excutiuntur: ita peccatum in intimis secessibus habitans, extinguit enecatque simul atque in animam superuenerit ieiunium, ob hoc ipsum suo dignum nomine quod media purget animæ viscera. *Basil. homi.* 1. *de ieiunio.*

Vtrum ventri facilius est tenui victu transmittere noctem, an copia ciborum grauatum iacere? imò ne iacere quidem, sed crebro huc & huc verti distentum ac gementem? Nisi forte simul dicturus es illud, quod naucleri facilius seruant nauim sarcinis onustam quàm eam quæ ad cursum expedita est ac leuis. Nam oneris magnitudine grauatam quamuis exiguus flu-

ctus adoriens demergit. Contrà quæ modicis farcinis temperata est facile suffert vndarũ impetum, eo quod nulla res impediat eam quominus fluctum in altũ surgentem superet. Eundem ad modum & hominum corpora, assidua expletione degrauata, facile à morbis demerguntur. Cæterùm quæ facili leuique victu ali monia nõ modo malum quod à morbo imminente expectabatur, velut tempestatis assultum effugiunt, verum etiam præsentem iam ægritudinem, veluti turbinem quendam exorientem discutiunt. *Basil. Ibidem.*

Est lapis quidam eius naturæ, quem hic Amianton Græci vocant, vt inquinari non possit. Hic ab igni non vincitur, sed impositus igni videtur ignescere, & in prunã verti, rursum exemptus igni perinde quasi fuisset aqua candidatus, apparet purior. Huiusmodi erant trium illorum puerorũ corpora apud Babilonios, illud ieiunio consecuta, vt nulla vi possent inquinari. Siquidem in vehementi fornacis flamma quasi natura fuissent aurei, ita apparuerunt in noxia vt ignis superiores. Qui & auro potentiores declarati sunt. Neque enim illos liquefecit ignis, sed integros illibatosque seruauit. *Ibidem.*

Quemadmodum sitis efficit, vt iucundus sit potus, & sicut fames præcedens, epulas facit suaues: ita & edulionum sumptionem ieiunium condit atque edulcat. *Ibidem.*

An non vides solem esse lætiorem post noctem? ac vigiliam esse iucundiorem post somnum? & ita sanitatem esse desiderabiliorem diuersa expertis: Itidem & cibus gratior est post ieiunium. *Ibidem.*

An ignoras quod perinde atque in acie hinc atque hinc instructa ad conflictum, qui alteri parti fert suppetias, facit vt altera vincatur, ita qui carni se adiungit, expugnat spiritum, & qui stat à spiritu, carnem in seruitutem redigit? Proinde si cupis mentem reddere validam, fac carnem domes ieiunio. *Ibidem.*

Qui bellicis in rebus exercentur, quique in palæstris luctando desudant, conuenit vt copia ciborum reddant seipsos corpulentos & obesos, videlicet quo validioribus neruis labores queant capessere: Contrà

verò quibus non est colluctatio aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi dominos tenebrarum harum, aduersus spiritales malitias, hos oportet per sobrietatem & ieiuniũ ad certamen exercere. Etenim quemadmodũ oleum oblinit athletam, ita ieiunium robur addit ei qui ad pietatem exercet sese. *Idem hómil. 3. de ieiunio.*

Leuius periculum est si quis Zhipsaspis appelletur, quod in acie clypeum abiecerit, quàm si magnam illam armaturam ieiunium videatur proiecisse. *Ibidem.*

Pueri veluti plantæ lætiores aqua ieiunij irrigantur. *Ibidem.*

Iam viatoribus expeditus itineris comes est ieiunium. Quemadmodum enim luxus cogit illos onustos incedere, nimirum ea quibus se ingurgitarunt circunferentes: sic ieiunium eos reddit leues & expeditos. *Ibedem.*

An non vides quod qui in domandis equis qui ad certamina aluntur, peritissimi sunt, cum instat certaminis dies, eos inædia præparant: tu contra studio temetipsum saturitate reddis obesum. Adeò ventris studio bruta animalia præcurris. *Ibidem.*

Quemadmodum qui longinquam profectionem adornant, componunt sarcinas, & commeatum parant: Ita nonnulli vecordes hodie aduersus quinque dierum ieiunium vino indulgent. *Ibidem.*

Ne verò mirum vobis videatur, si cum ieiunium illud post decem & eo amplius dies venturum sit, nos ab hoc statim tempore munimus & armamus animas nostras. Quandoquidem & inter agricolas qui vigilantes & industrij sunt, cùm habent vicinum torrentem, qui vexat lædítque segetem, non cum suo tempore torrens inundat, videlicet hyeme, sed tempus illud præuertentes, & ripas obsepiunt, & aggeres erigunt, & fossas agũt, denique modis omnibus sese præparãt aduersus torrentis futuram violentiam, dum enim trãquillus est & stagnans, atque angustus, facile est illi admoliri manus, verùm posteaquam increuit, multóque aquarum impetu fertur violente, non perinde facile est exundantibus obsistere. Eóque multo antè tem

pore præueniunt illius irruptionem, vndequaque præparantes, quicquid agros possit tutos reddere. Eundem ad modum & milites, & nautæ, & agricolæ, & messores facere consueuerunt. Equidem & milites priusquam veniat pugnandi tempus, & thoracem abstergunt, & scutum si quid desit circumspiciunt, & frænos apparant, & equos omni diligentia nutriunt, cæteraque omnia recte diligenterque curant. Similiter & nautæ priusquàm nauem in portum detrahant, & clauum apparant, & instaurant latera, & remos dolant, & vela consarcinant, denique quicquid præterea ad totius nauis armaturam pertinet, diligenter accurant. Quin & messores consimili modo multis ante diebus & falces acuunt, & aream præparant, boues item & currum, breuiter quicquid ipsis ad messem ac tritiram conducibile iudicant. Imo videas omnes homines, si quid rerum agendum est, prius ad eas apparatum facere, vt cum aduenerit rei gerendæ tempus, facile conficiant quod est opus. Hos igitur & nos imitantes, multis ante diebus præmunimus animas vestras exhortantes vos, vt ipsum hoc iudæorum & sceleratum ieiunium effugiatis. *Chrysostomus Oratione 1. aduersus Iudæos.*

Sicut miles si gestarit arma sese grauantia, non est terrori hostibus, qui sciunt armaturæ grauitatem, pedum velocitati, & bellandi vsui obesse: Sin leuia acceperit, & tractabilia, sicut auis aliqua obuiũ se feret hostibus: Sic & qui carnem suam non ebrietate, neque indulgentia, neque delitijs incrassarit, sed ieunijs & precibus diuturnaque afflictionum sustinentia leuiorem & tenuiorem effecerit. Sicut volucris aliqua supernè deuolans, ita valido impetu in phalanges demonum irruit, & occurrentes virtutes facilè inuadit, sibiquè subijcit. *Chrysostomus homi. de resurrectione.*

Quemadmodum naucleri atheletæ & cursores, vbi ad finem veniunt, magis enituntur ac vigilant. Eodem modo & nos facere oportet, quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus dei gratia, nunc maximè & ieiunij cursus intendendus ac maximè continuandæ sunt preces, faciendaque est diligen-

tius pura peccatorum confessio. *Idem Homi.* 30. *in Genes.*

Iucundum quidem nautis ver, iucundum quoque & agricolis. Sed neque nautis neque agricolis ita iucundum est veris tempus, vt his qui philosophari volunt iucundi sunt ieiuniorum dies, spiritale animarum ver, & fidissima tranquillitas animorum. Nam agricolis ver idcirco iucundum est, quia delectat aspicere tunc depictam floribus terram, & varijs frondibus virgulta comantia: nautis verò acceptum est ver, quod dorsum maris deductis nauibus tuto licebit ascendere, nec vndarum pericula formidare. Nobis autem iucundum est ieiuniorum ver, quod tunc non vndarum sed cogitationum, & cõcupiscentiarum carnis fluctus ac turbines mitigantur, & coronæ nobis non florum, sed spiritualium gratiarum parantur. *Idem sermone de ieiunijs & lectione Geneseos.*

Sicut hi qui medicinali remedio potare disponunt, si non fuerint diligenti abstinentia præparati, fructum remedij sentire non possunt: Ita & hi qui post crapulam ad ieiunium veniunt, remedium non agnoscunt. *Idem Homil. de præparatione aduentus domini.*

Si crapulam ebrietatemque timeri oportuit, non ieiunium timeri debet. Illa si quidem nostras post terga manus, vitiorum tyrãnidi veluti prauæ cuidam dominæ seruos nos captiuosque reddit. Ieiunium verò seruos existentes nos atque ligatos inueniens, vincula remittit, ac tyranide liberat, pristinamque in libertatem reducit. *Idem Homil. 1. de pœnitentia.*

Quemadmodum pudicam quandam ornatamque & liberam ducturi, maritalem vndique thorum exornantes, domumque purgantes, crimine à quacũque pellice se abstinent, hancque sic in cubiculum introducunt: Pari vos volo modo purgantes vestram cogitationem, delicatis cibis atque omni ingluuiei valefacientes, sic matrem bonorum omnium, pudicitiæ atque totius virtutis magistrum, ieiunium dico, apertis sinibus suscipite, quo & vos maiori reficiamini voluptate atque id propriam atque præcipuam vobis conferat medecinam. *Ibidem.*

Si medici, pharmaca dare volentes, vt putridum

& corruptum humorem expurgent, à corporali hac voluptate abstinere præcipiunt, ita vt pharmaci efficaciæ desit obstaculum, & operari, suamque vim illa declarare possint: Multomagis nobis spirituale hoc remedium, hoc est vtilitatem quæ ex ieiunio est susceptura, tenuitate victus nostram mentem expurgare, & leuiorem reddere conuenit, vt ne ebrietate demersa, infrugiferam & inutilem vtilitatem quæ ex illo est efficiat. *Ibidem, & hom. de Iona. propheta.*

Sicut crapula humano generi innumerorum malorum causa est & adductrix: ita etiam ieiunium ventrisque neglectus omnium nobis bonorum semper causa fuit. *Ibidem.*

Veluti leuiores naues maria velocius transeunt, & multis oneribus grauatæ submerguntur: ita ieiunium quidem leuiorem reddens mentem, efficit vt facilius huius vitæ pelagus transmitat & in cœlum ac ea quę in cœlis sunt respiciat, & nihil faciat præsentia, sed vt vmbras & si quid minus diffugere sentiat. *Ibidem.*

Moneo nequis futuram à ieiunio vtilitatem perimat, gula ingluieque præueniens. Nam qui male se cibis ingurgitant, cum asperas sunt medicinas acceptur i, si nimia sese esca sepeliunt, atque sic medicinam accipiunt, asperitatem quidem illam pertulerunt, vtilitate verò exciderunt ægram facientes medicinæ dimicationem ad corrupti humoris malitiam. Quamobrem medici eos inœnatos dormire mandant quo virtus totius medicinæ quamprimum atque illico morbosis occurrat humoribus: Sic & ieiunio contingit, si teipsum hodie multa obrueris ebrietate, crastina verò cam acceperis quæ ab illo est medicinam, hanc tibi profectò vanam inutilémque effeceris. *Idem homil. 2. de pœnitentia.*

Veluti qui cum feris dimicaturi, armis multis munientibus, munimentisque mortalia quęque membrorũ loca circundant, atque ita bellum susciptũt: sic & nunc homines milites, quasi cum fera quadam pugnaturi, ventris se muniunt crapula, disrumpentesque sese & obtenebrantes, multa cum impudentia susciptunt mitem ac quietum ieiunij oculum. *Ibidem.*

Quemadmodum in viis publicis sunt stationes & diuerticula, in quibus fessi viatores & respirãt & quiescunt, vt alacrius postea iter suum cõficiant: & sicut in mari littora sunt & portus, vt in eos se recipiant nauigãtes, & expectẽt donec ventorũ impetus cõ quiescãt: & sic iterum nauigare incipiant: Ita & nunc his qui in hac quadragesima ieiunij cursum susceperẽt, quasi stationes & diuerticula, & littora & portus, per duos hebdomadę dies dominus quietẽ largitus est, vt & corpori aliquãtulum ieiunij labores remittantur, & animam refocillẽt ieiunantes, & exactis duobus illis diebus, in pulchrẽ cœpto itinere alacriter pergãt. *Idem Hom. 11. in Genesim.*

Qui propter peccatũ ieiunat & in peccato volutatur, quid amplius facit, quã si in luto lotus sit, iterúmque luto volutetur? *Idem sermone 1. de ieiunio.*

Vt si quis ægrotũ, quẽ ad sanitatẽ reduxit, iubeat illa nõ facere, ex quib⁹ morbus ille cõtigerat: Ita etiã post baptismũ ieiuniũ cõtra vitiũ edacitatis induxit Domin⁹. Nã Adã de paradiso intẽperãtia vẽtris eiecit. H. 10. *in M.*

Qui piscaturus ad mare vadit, nõ habet in manibus capturam dum vadit. qui ieiunat, mox fructum habet. Cogita teipsum, quis ante ieiunium, quis ieiunãs. Opera enim fructus sequuntur, imò nec operi suus deest fructus. An non mox arridet serenitas, fluctus à tumulentia venientes cessant, à maris æstu liberatus es? *Idem sermone primo de ieiunio.*

Quẽadmodum præterita hyeme, & æstate apparẽte, nauta quidem nauigium deducit, miles verò arma deterget, equumque ad bellum parat, & agricola acuit falcem, & viator fiduciæ plenus longum iter aggreditur, & ad certamina pugil expoliatur, sẽque denudat: Sic & nos ieiunio tanquã æstate quadam spirituali apparente, & arma tanquam milites abstergamus, & falcem acuamus tanquam agricolæ, & tãquam nautæ cõtra vndas, cõtra absurdarum cupiditatũ cogitationes opponamur, & tãquam viatores rectum in cœlum iter apprehendamus, & tãquam pugiles ad certamina spoliamur. *Idem Hom. tertia ad pop. Antioch.*

Medicina est ieiunium: sed medicina licet millies

vtilis sit, per vtentis imperitiam inutilis sæpe fit: Etenim nosse oportet & tempus quo ipsam imponere opus sit, & ipsius medicamenti quantitatem & corporis temperiem susciptentem, & regionis naturam, & anni tempus, & congruum victum, & multa alia, quorum si quodlibet prætermissum fuerit, reliquis omnibus nocebit. Si autem in corpore curando tanta nobis opus est diligentia: multo magis cum animam curemus, & cogitationibus medeamur, omnia scrutari necesse est. Videamus quomodo Niniuitæ ieiunauerunt: & quomodo à Dei ira liberati sunt. Homines & iumēta, & pecudes, & oues ne pascantur, inquit. Quid dicis? Et iumenta ieiunāt & equi & muli sacco vestiūtur. Etiam inquit, Sicut enim diuite aliquo mortuo, nō seruos solos & ancillas, sed & equos necessarij sacco amicientes, & agasonibus tradentes ad sepulchrum sequi iubent, calamitatis magnitudinē ostentantes, & omnes ad misericordiam allicientes. *Ibidem.*

Tria vobis præcepta commendare volo quæ in ieiunio mihi præstetis, vt nemini detrahatis, inimicum habeatis neminem, & omnem prorsus malam ex ore iurandi consuetudinem expellatis. Et sicut cum tributū imperatum audimus, abiens quisque domum, & vxorem vocās, & filios & seruos, cōsiderat cum illis vnde tributum illud eroget: Sic & in mandatis faciamus spiritalibus, domum quisque regressus, vxorem & filios vocet, & dicat quod tributum spiritale hodie impositum est. tributum per quod erit horum malorum solutio, tributum conferentes non pauperes, sed ditiores faciens. *Ibidem.*

Ne lætemur quod ieiunij prolixitatem expediuimus. nihil enim magnum hoc est: sed lætemur quando cum profectibus ipsum exegerimus, vt etiam ipso transacto fructus eius effulgeat: Etenim hyemis lucrum tūc maximè demonstratur, cùm illa præterierit. Namque vernantes segetes, & foliis ac fructu affluentes arbores, per ipsum aspectum clamant vtilitatem sibi ex hyeme factam. Hoc & in nobis pariter fiat: etenim pluuiis continuis & crebris in hyeme per ieiunij tempus potiti sumus, continuam haurientes doctrinam,

& semina suscepimus spiritualia, & delitiarum spinas abiecimus. *Ibidem Hom. 18.*

Quid confert ieiunium corporis, nisi mens pura mundáque sit? Nihil enim prosit currũ validũ ac strenuis quadrigis instructum esse, si auriga insaniat. Nulla erit bene fabricatæ nauis vtilitas, si ebrius sit ipse gubernator. Ieiunium virtutis fundamentum. Quẽadmodum autem nauium carinæ, & fundamenta domus licet ingentia subiicias, inutilia vanáque sint, nisi reliquas item partes peritè & scienter exædificaueris: Sic istius abstinentiæ nullum erit emolumentũ, nisi aliæ iusticiæ partes accesserint. Timor Dei erudiat linguam ea quæ decet loqui, tacere cõtraria: temporis occasionem animaduertere, modum obseruare, fari necessaria, aptè respondere, modestè dicere: ne verborum vi veluti grandine colloquentes obruat. *Gregorij Nyssæ Episcopi.* In oratione, De pauperibus amãdis & benignitate complectendis.

Sicut cum in intimis puerorum visceribus vermes ex cibi indigestione nascũtur, extingui non queũt, nisi cum amarior cibus infunditur, aut medicamẽtorum vis inolescit asperior, quorũ odore moriũtur: ita profundum animæ virtus ingressa ieiunij culpam latentẽ inficit. *Ambrosius, de Elia & ieiunio. cap. 2.*

Hoc me docuisti, Deus, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est, & non est alius quà transeatur, quàm quo transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibẽdi, adiungit tãquam pedissequa periculosa iucunditas, & plerúmque præire conatur, vt eius causa fiat, quòd salutis causa me facere vel dico vel volo, nec idem modus vtriusque est. *Augustinus lib. decimo confessionum cap. 31.*

Sicut equis fræna sunt imponenda: Ita corpora nostra ieiuniis, vigiliis & orationibus sunt infrenãda. Nã quẽadmodũ aurigæ si fræna laxauerint, per precipitia ducũtur: Ita anima nostra cum ipso corpore, si ei fre-

num non impofueris, ad inferni præcipitia delabitur. *Idem cap. 10. de falutaribus documentis.*

Sicut impoſſibile eſt vt ſerpens vetuſtatem exuat, niſi anguſtam rimã prius ingrediatur: ita nos quoque anticipationes veteres & vetuſtatem animæ, veteriſque hominis niſi per anguſtam & arctam ieiunij & ignominiæ trãſeamus viã. *Climacus de diſcretione gradu. 26.*

Exſiccatum lutum iam non porcis vſui eſſe vt ibi ſe volutent, poteſt: ita & caro per abſtinentiam marcida effecta dæmonibus vltra non præbebit in ſe quieſcẽdi locum. *Ibidem.*

Vt oleum mare inuitum etiam trãquillum facit: ita ieiunium nolentia quoque & recluctantia incentiua corporis extinguit. *Ibidem.*

Sicut terra ſi moderate ſit irrigata, ſemen ſparſum quòd excipit, cum multa fertilitate effundit: multis verò imbribus madefacta, ſpinas, tantùm & tribulos, fert: Sic terra cordis ſi moderato vtamur victu, ſemina ſibi innata atq; inſita pura edit: & illa quæ ſunt à ſpiritu ſancto ſeminata, cum multa viriditate & vbertate fructũ profert, ſin verò, potu madeat, ex omnibus cogitationibus ſuis ſpinas & tribulos procreat. *Ibidem. Cap. 48.*

Gubernator prudẽs à littore cũ nauim ſoluit, cũ mare tranſiturus intrat fluctus, domus, patriæ coniugis pignorũ curas deponit: & ita totus mente, corpore, ſenſu nauticis laboribus occupatur, vt & fluctuum poſſit ſuperare diſcrimina, & ſtationem lucroſi portus periculi victor intrare? Sic nos fratres ingreſſi iter abſtinentiæ, ieiunij pelagus, quadrageſimæ viam, nauim corporis noſtri ſoluamus à littore mundano, ſecularis patriæ renunciemus curis, in crucis arbore tota mentis vela tendamus, virtutum finibus, ſapientiæ remis, gubernaculis diſciplinæ, nauigij noſtri muniamus inceſſum, & ſubducti terris ſpeculemur cœlum: vt ducatu ſignorum cœleſtium inter liquidos calles latentis viæ inoffenſum tramitem tenere poſſimus: ac ſic gubernante Chriſto, flante ſpiritu ſancto, euictis voluptatum ſpinis, ſuperatis vitiorum fluctibus decurſis criminum proceſſis, tranſuectis ſcopulis peccatorum, atque omnium delictorum nauſragiis euitatis, paſchæ

portum, lucrum vitæ, gaudia resurrectionis intremus. Verùm quia per campos nudos, per falsos vertices, per incertas solitudines acturi sumus viam, nobis tota est escæ & potus portanda substantia, imponamus abundantem misericordiam nostræ sitarchiæ profuturam. fratres quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse in ieiunio. Sicut verni flatus tota facit germina florere camporum, ita misericordia tota ieiunij semina producit in florem, in cœlestem messem totam ieiunij facit fructificare virtutem. Quòd oleum lucernæ est, hoc ieiunio pietas. Sicut lucernæ lumen olei pinguedo succédit & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere, sic pietas facit splendere ieiunium, & ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei sol est, hoc eleemosyna noscitur esse ieiunio. Sicut iubar solis clariorem perficit diem, & totã nubiũ dispergit obscuritaté, sic elleemosyna ieiunij sanctificat sanctitatem, totámque cupiditatis mortem lumine pietatis excludit. Ac ne multis immorer, quòd est anima corpori, ieiunio largitas hoc habetur. Sicut enim mortificatur corpus à corpore, anima cum recedit, ita mors est ieiunij, largitatis abcessus, est quidé ieiuniũ vitiorum mors, vita virtutũ. Est ieiunium pax corpori mẽbrorum decus, ornamẽtum vitæ. Est ieiunium robur mentium, vigor animarum, est ieiuniũ castitatis murus, pudicitiæ, propugnaculum, ciuitas sanctitatis. Est ieiuniũ schola meritorũ, magisterij magisteriũ, disciplinarum disciplina. Est ieiuniũ ecclesiasticæ viæ viaticũ salutare. Misericordia & pietas ieiunij sunt alæ, per quas tollitur & portatur ad cœlum, sine quibus iacet & volutatur in terra. Ieiunium sine misericordia simulacrum famis est, imago nulla est sanctitatis, sine pietate ieiunium occasio est auaritiæ. Ieiunium sine misericordia nõ est veritas, sed figura, vbi autem misericordia ibi & veritas probante scriptura cum dicit, misericordia & veritas bouiauerunt sibi. *Petrus Chrisologus de ieiunio & eleemosyna sermone octauo.*

Omnes qui arduas operum subleuant & solantur angustias, probant ad solatium laboris datum nobis

naturaliter canlitenam. Hinc nautæ cantu ſuperant marina diſcrimina, hinc immenſa pondera adducunt leuamine canticorum, hinc viantes colles arduos facit tranſcendere vox ſonora, hinc præliatores ipſos præcedens cantus ſubire concitat amara bellorum: Sic nos quadrageſimæ ieiunio diuina cantica iungamus, vt abſtinentiæ pondus cœleſtis temperet & ſubleuet ſymphonia. *Idem in pſalmum 28. ſermone decimo.*

Abſtinentia extinguit febrem, ſed arefacta membra longæ febris incendio, niſi largo infundantur vnguẽto, niſi blandiſſimis rigentur fomentis, niſi iuuentur medicinæ ſumptu, ad integram ſanitatem redire non poſſunt: Sic ieiunium quamuis excludat vitiorum morbos, carnis amputet paſſiones, criminum cauſas propellat, tamen ſine miſericordiæ vnguento, ſine pietatis riuo, ſine eleemoſinæ ſumptu, perfectam ſalutem mentibus non reponit. *Idem ſermone quadrageſimo primo.*

Talia ſunt ſine charitate ieiunia, qualis ſine oleo lucerna: fumigare poteſt, fœtorem vel putorem reddere poteſt, lucem verò habere non poteſt. *Cæſarius Arelatenſis hom. 32.*

Sicut quies ventris initium omniũ malorũ eſt & laxatio ſomni quæ accẽdit luxuriæ cõcupiſcentiã, ita via Dei ſancta & omnis virtutis fundamentum ieiuniũ eſt ac vigilantia in ſeruitio Dei, in crucifixione corporis per totam noctem cõtra dulcedinem ſomni. *Iſaac preſbyter de mundi contemptu.*

Sicut Stomachus immoderato vſu dulcium corruptus, potione purgatur amara: ſic eorum qui ſuauiter vixerunt inamaricata conſcientia, nunquam melius quàm contrario, id eſt, vita & conſuetudine curantur auſtera, maximè verò ſi ſæpius detur eis bibere vinum myrrhatum dominicæ paſſionis. *Guerricus abbas ſermone primo de Epiphania.*

Agricola ſi non impreſſerit cultrum, ſi ſulcum non defoderit, ſi non exciderit ſentes, ſi graminã nõ euulſerit, ſi in tuto ſemina non locarit, ſibi mentitur, non terræ, nec terræ facit damnum, ſed ſibi non facit fructum, & ita ſe vacuat, ita decipit, impugnat, ita qui ter-

æ manu falaci mentitur. Quid faciet, quid habebit, quid inueniet, qui Deo esurięte carne hypocrisi luxuriante, mentitur? sciat se sustinere labotem incassum, e nihil habiturum, qui premens ieiunij aratrum, & ab cindens gulæ gramina, atque eradicans luxuriæ sentes, miseri cordiæ semina nulla iactauerit. *Petrus Chrysologus serm. 7.*

Qui à cibis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adest & cibus deest. *Isidorus super Amos prophetam.*

Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres. Vtres veteres Iudæos vocat, nouos nuncupat Christianos: quia sicut vtres pellium ab omni squallore purgãtur, & pigmentis liniuntur odoratis, vt saporem vini possint inuiolabiliter custodire: ita ieiuniis corpora humana ab omni squallore carnaliũ delictorum purgantur, & fiunt vtres diuinis torcularibus apti, vt deprælo crucis accipiant vinũ nouum. *Chrysologus serm. 32.*

Vt Athenienses nunquam de pace consultabant, nisi pullati, quemadmodum dicebat Demades: Ita nobis non venit in mentem moderatior victus, nisi iam febri æstuantibus, & admotis pharmacis. *Plutarchus in Morat.*

Vt in tranquillitate corpus expeditum redditur aduersus imminentem tempestatem: Ita tenui victu, parcáque, vt medici loquuntur, dieta vtendum, vt si incidat opiparum conuiuium, possis enatare. *In Moral.*

Homines tantũ pingues ac robusti, durique, similes sunt gymnasiorum columnis, vt dixit Aristo. *In Moral.*

Vt nauibus sentinæ plenis onus detrahendum: Ita corporibus aggrauatis, subducendus cibus ac potus. *In Moral.*

Vide caro, conuiuium, delitiæ, gula.

ABSTINENTIA NIMIA.

Sicut gustui ad omnes passim cibos libere frena laxare, noxium re vera ac pernicioſum: ita necessaria illi alimenta negando, corpus infirmum atque inualidum reddere, irrationabile prorsus ac stultum est. Extrema enim quæque, vt ait sapiens quidã, ac perinæ-

qualia periculosa sunt. Nam sicut per ciborum abundantiam, lasciuiens equus noster, aurigam quacunque vult, pessimè precipitem fert: ita & per nimiam abstinentiam propositum impedit virtutis iter. Et quemadmodum aurigæ non expedit equum ita affluenti saginare præsepio, vt illius lasciuis motibus, inordinatisque lædatur, & quò ille voluerit, circunferatur, dum feruidis eius ac nimiis viribus nequit obsistere: ita neque virtutis viam cum eo pergere instituēti, conuenit ex nimia necessarij victus indigentia, vires eius omnino deiicere, ne perpetuis infirmitatis incōmodis pressō, alligatus inextricabiles ipsius causa labores subire cogatur: fit enim ferè vt dum prorsus lapsum erigere iam ad cursum nequit, per inseparabile consortium semper ei condolere compellatur. *Basilius, libr. de vera virginitate.*

Sicut venter pinguis nō quia ita naturaliter affectus est, sed in quem pinguedo per gulæ intemperantiam affatim fluxit, perturbans & impinguans animum, non gignit sensum tenuem: ita & qui per imbecillitatem nimium fuerit exilis & gracilis, in emortuo corpore tenuem quoque iam genitum prorsus extinguit. Quantitas ciborum vbique metienda est, quæ si excedat frugalitatis modum, idem solet quod noxia quæque operari, & qualitas quoque discernenda, quæ nisi sollicitè discutiatur, non minus habet virium quam quæ apertè sunt noxia. Quod si proximum tanquam nos diligere iubemur, mandatum profectò non implet, qui cum alteri curet assistere, atque opem ferre, seipsum infirmantem immaniter necat. *Ibidem.*

Quocirca his qui adipiscēdi viri boni studio corpus macerare pergunt, iteratò dictabimus. Ne *declines ad dextram neque ad sinistram.* Sicut enim in gulæ intemperantiam declinare graue ac periculosum est: ita per nimiam abstinentiam corpus atterere, ac per infirmitatem inutile reddere omni profecto ratione caret. *Ibidem.*

Parcus cibus & venter esuriens triduanis ieiuniis præfertur. Et multò melius est quotidie parum, quàm

rato satis sumere. Pluuia illa optima est, quæ sensim descendit in terram. Subitus & nimius imber in præceps arua subuertit. *Hieron. epist. ad Furiam.*

Vt corpus multo cibo onustum languidum & segnè efficit mentè: Sic nimia continentia victus, debilitatem facit, vt ea pars animæ quæ in contemplatione ver satur, in mœstitia sit, & in fastidio sermonis. Nec eum infirmo corpore esse debet qui certat, sed ita firmo, vt sustinendo certamini par esse possit. *Diadochus de perfectione spiritali, cap. 45.*

ADAMVS ET EVA.

QVemadmodũ augusta illa sidera alibi formata in cœlum posita sunt: Sic homo extra paradisum cõpositus & formatus, in paradisum collatus est. Non enim abs re dicitur: Et eiecit eum Dominus Deus de horto Edem, ad colendum terram de qua sumptus fuerat. Paradisum quidem putant tertio demum die effloruisse, quando & terræ imperatum est, vt germinaret. *Procopius in Gene. ca. 2.*

Quemadmodum lex Iudæis posita, mortis nomen interdum habet, non suopte ingenio mortem complectens, sed quòd eam trãsgressoribus importet: Sic nec lignum mortem continuit in sese, nec Deus ipse mortem creauit. Deus enim hominem cõdidit, vt esset immortalis, & ad suæ æternitatis imaginem. Deus mortẽ nõ creauit, nec oblectatur viuẽtium interitu: sed inuidia diaboli mors in mundũ introiuit, sicuti Solomonis docet sapiẽtia. Imò Deus hortatur hominẽ ante prænaricationem, vt manducaret de ligno vitæ. Nã etiam arborem vitæ complexus est sub dictione, Omni: cum diceret, De omni ligno quod est in paradiso, comedendo comedes, præsertim cum illa arbor ei, vtpote in medio paradisi cõuersanti, cæteris proximior foret. *Ib.*

Extra paradisum Deus hominem ex luto formauit. Vt igitur Deus aliquãtulum pœnam leniret, iussit hominẽ habitare e regione paradisi. In hoc imitatus est regẽ bonũ & clementẽ Deus, qui non lõginquum delinquenti inducit exilium, sed propinquum, iubens illũ morari in conspectu regiæ vrbis, qua re significat fore vt mox reuocetur, & in integrũ restituatur. Præ

terea voluit, vt paradisus subinde eius oculis obuersaretur, qui recordaretur peccati, ipsumque oderit vt causam, quæ illum deturbauerit possessione paradisi: & ex animo desideraret eum locum, ex quo prævaricatus cecidisset. *In Genes. cap. 3.*

Adamus non est deceptus. Quare ergo condemnatus est? Quia mulier ei persuasit vt in ventrem demitteret prohibitam escam, ne videlicet ipsa sola periret. Sicuti etiam hodie quidam conspicientes quæ sit vera religio certaque fides, attamen obtemperantes muliebri sexui, vere fidei nõ sunt studiosi: non quod nesciãt veritatem, sed simpliciter inducti & persuasi.

Ibidem.

Videns mulier quod bona esset arbor. Quemadmodum interdum quidam nimiis veneris stimulis exagitati, tem habent cum muliere turpissima omnibus rediculum præbentes, quamuis ipsi putent eam esse formosissimam. Ita accidit & mulieri. Voluptas & nimia licentia dabant, vt prohibita arbor ipsi allubesceret. proinde non temere dicit in prouerbiis Salomon: viro scortatori panis omnis iucundus & gratus est. *Ibidem*

Quod autem nuditas tunc demum apparuit, nõ intelligendum est quasi antea non fuerit ab ipsis visa: alia ratio est. Nihil mali cogitabant antea, quamuis oculis subiectam cernerent nuditatem. Nam nuditas per se considerata turpis nullo modo est. Infantes nõ erubescunt, licet nudi sint. Qui medica opus habent manu, coram medico citra pudorem nudantur. Etiã mulieres in balneis conspiciuntur nudę. Discimus itaque in ratione animi situm esse, vt aliquando turpis, aliquando secus deprehendatur nuditas. Adeum modũ Adamus & Eua, antequam peccato se fœdassent, nequaquam indigebant pudore, quem nacti sunt peccato demum commisso auxiliarem & coadiutorem ad propulsandum peccati impetum. *Ibidem.*

Adam transgressus mandatum, duobus modis periit: priore quidam modo quia perdidit puram & speciosam illam possessionem naturæ suæ, quæ creata erat ad imaginem Dei. Altero modo quoniam imaginẽ

illam

amisit, per quam promissionem acceperat totius
ditatis cœlestis. Perinde ac si moneta regis ima-
n habens adulteretur, non tantum perit aurũ, sed
iago nullius est momenti. Tale quidpiam Adæ
git, cui opes ingentes & locupletissima hæredi-
æparata erat velut prædium aliquod amplissimũ
lti redditus, in quo sunt fructuosæ vites, alibi fer
agri, illic greges, alibi aurum & argentum. Ita
dæ ante inobedientiam erat velut locus quidam
ɔsus, ac vbi cœpit habere prauas cogitationes
nmenta, periit à conspectu Dei. *Macarius Homi-*

lis est consuetudo peccantium, vt tametsi occul-
on possint, occultari tamen velint, & studeant.
sicut flagriones & ingrati quidem famuli cum
ɔssint à Domino suo occultari huc & illuc in
los domus currere solent, metu illorum conscié-
ɔncutiente: ita & hi (*Adam & Eua*) nullum in-
ntes effugium, in ipsa domo paradiso in qua
ntur. *Chrysost. Hom. 17. in Genesin.*

DMONITIO, CORREPTIO fraterna, Reprehensio.

reprehensio veluti quædam chirurgia animæ:
edicamentorum autem potioni, aut applicatio-
similis, probri insimulatio, quæ resoluit affectio-
uæ iã occaluerũt, impudicæque, & libidinosæ vi-
des, expurgat, fastúsque ac superbiæ carnes, quæ
uerunt, exæquat, iam vero admonitio est veluti,
am diæta ægrotantis animæ, quæ sunt sumenda
lit, & quæ non sunt, prohibet. *Clemens Alex. 1. pe-*
p. 5.

emadmodum speculum non est malum defor-
quod ipsum ostendat qualis sit, & quemadmo-
medicus non ægrotanti malus, quod ei febrem
neret, non enim medicus febris caussa est, sed
ebrem arguit. Ita nec is qui reprehendit ei male
ui laborat animo. *Ibidem, cap. 9.*

terum corrigendus est ille, facias igitur hoc mo-
ac humaniter, & nequaquã vt inimicus, nec me-

dicus vt incidens, ac non solũ cognoscito quemadmodum ille inuri aut incidi debeat, sed & teipsum ac propriam cognosce infirmitatem. Cur enim si oculorum teneris morbo, sol tibi videatur obscurus? Quid autem si cuncta tibi circumuerti videantur, cum tu nauseã patiaris, aut etiam sis ebrius? Ignorantiámque propriam aliorum esse censes, proinde multum iactari & tolerare oportet, priusquam alterius cognoscatur impietas. Nequaquam simile est plantam excindere, aut florem etiam odoriferum ac hominem, imago Dei es, & imaginem Dei contemnes? Iudicaberis, & tu qui iudicas alienum seruum, & quem alius gubernat, ita fratrem tuum probato, tanquam & tu eadem mensura sis iudicandus, ac ideo haud quaquam in abscindẽdo festiuè, aut confestim membrũ alienes. Incertum enim est, ne ideo quod sanum est corrumpatur. Verũ admone, hortare, increpa: medicamẽta habes, regulas habes, Christi es discipulus humilis & mansueti, qui iniquitates nostras portauit, quod si primum tibi resistit, longanimis esto. Si vero secundo, desperare noli, adhuc sanandi tẽpus est. At si tertio fias agricola humanus, Dominum roga ne excindatur, aut odio habeatur sterilis, & inutilis illa ficulnea, sed ad illam te conuerte, eiusque curam gere & eam stercorato per confessionẽ quæ occulta prodit, & manifestis pudorem iniicit, ac turpiora rectius instituit, quis scit vtrum immutetur, ac fructum ferat? Iesumque à Bethania redeuntem pascas: affer remedium aliud contra fratris pudorem, siue sit vel esse putetur. Tu qui spiritali vnguẽto inunctus es quod pigmentarij arte sit confectum, & hoc bono tuo tribuas odori. Nõ est Echidnę venenum malitia illius, vt percussus confestim dolore corripiaris & corrũparis, ac ideo venia tibi danda, si bestiam illam fugeris ac occideris. Igitur si potes fratrem curato, sin minus, in hoc saltem eris securus, quod nequaquam illius particeps fueris prauitatis, odor est insanis animi eius morbus, quem tua forsitam abiget fragrantia, cum superauerit. *Greg. Nazianz. de modestia in disputationib.*

Sed quo pacto reformaretur, & rursus aliquid fieret id quod vehementer medelam reiicere, tanquã inobe

diens,& quod minime propter longi temporis ſuperbiã corrigi poſſet? Nempe vt manſueto & humano curationis modo,ad correctionem induceretur,cum neque ramus incuruus ſubitã inflexionẽ, & producentis manus violentiam ferret, citiuſque frangeretur quam dirigeretur. Neque equus ferox & adultus abſque aſſentatione & deuulſione,freni ſuſciperet tyrannidem. *Idem orat. In ſanctum Paſcha.*

Quemadmodum in medicorum præceptis, quando appoſite & ex artis ratione fiunt, poſt experientiã vtilitas eorum potiſſimũ oſtendi ſolet: ſic & ſpiritualibus monitionibus,poſtquam præcepta exitum teſtimoniis comprobatum oſtenderunt,tunc eorum vtilitas ad vitæ illorum qui admonentur correctionem & vtilitatẽ manifeſtatur. Audimus enim in prouerbiis ſcriptũ eſſe,ira ſapientes perdet. Igitur ſi quando nos hoc vitiũ tentauerit, tum potiſſimum veritatem diuinorũ præceptorum agnoſcemus,diſcentes tamen tacite turpem eorũ tumultuationem, qui hoc malo tenentur, agnoſcamus re ipſa verbi ſacri dexteritatem: nempe quod vir iratus fœdus aſpectu ſit. *Baſilius Hom. de Ira.*

Quemadmodum in corpora mollia cedentiáque nõ poſſis egregiam plagam impingere,eo quod obſiſtere contráque niti non queunt: ita eos qui palã inſaniunt, non poſſis forti iuuenilíque redargutione percellere. *Idem lib. de ſpirituſſancto.*

Quoties diutina quædam ac dura inflatio corporis inhęſit,tum & longo tempore multóque labore,& multa ſapientia in admouendis remediis eſt opus, vt collectus tumor,abſque vitæ periculo diſſoluatur. Idẽ dicere eſt in anima. Quoties enim aliquis morbum in iam radices egit in anima,multóque tempore conſtitus ſit,radicitus euellere voluerit, non ſatis eſt ad correctionem vnius diei duorúmue admonitio. Verũ oportet frequenter ac diebus compluribus in hac cuerſari,ſi modo nõ ad ambitionem ac voluptatem ad fructum munus hoc geſturi ſumus. *Chryſoſtom. in. de Dauid & Saul.*

Vnaria omnium pretioſiſſima ſi animas pereuntiũ

reduxerimus etiam si contumelia fuerit ferenda, si toleranda verbera, breuiter si quid aliud his etiam molestius sufferendum, omnia faciamus, vt illos recuperemus. Quandoquidem & ægrotos ferimus, calcibus ferientes, contumeliis & conuitiis incessantes, nec offendimus contumeliis, verum nihil aliud videre cupimus, quàm sanitatem hominis, præter modum indecora facientis. Quim & medici vestem sæpe lacerauit ægrotans, vt non ideò à cura desistit ille. Qui fit igitur vt qui corporibus consulunt, tanta vtantur diligentia: nos animabus istorum pereuntibus cessemus, perinde quasi existimemus nihil accidere graue, cùm membra nostra putrescunt? At non ita Paulus, sed quomodo? Quis, inquit, infirmatur & ego non infirmor. *Idem Hom. 1. aduersus Iudæos.*

Si te non audierit, adhibe tecũ vnũ aut duos, &c. Nã quanto ille impudentior ac pertinacior fuerit, tantomagis ad emendationem eius absque ira & molestia nobis studendum est. Nam & medicus cum grauiorem viderit morbum, non desistit, nec molestia oppressus deficit, sed ad ferenda remedia diligentius se accingit, quod nos quoque facere iubet. Quoniam enim solus imbecillior visus es, adiectione duorũ fortior factus, argue delinquentem *Idem Hom. 60. In Matthæum.*

Mea sententia, opus est, vt quisquis alios vult reprehendere animã suam ab omni temeritate & arrogãtia quàm maxime liberã faciat, vt viã suam soli, verbis & operibus declaret. Nã & medici ossa putrida & accẽsa secturi, non ita se replent quando curatũ eunt, sed tũc maxime tranquilitatẽ animi seruare student, ne forte arti obsit turbatio. Quod si curaturis corpus, tãta opus est animi sedatione, medicum animarum dic quid decet? quanta à Deo prudentia expectenda, plane multo maior, atque adeo tanta, quantam videlicet declarauit beatus ille Martyr. *Idem in Babylam Martyrem.*

Nã si semper argueremus, impudentiores illi fierent, si semper obsecraremus, ignauiores redderẽtur. Quapropter & medici non solũ secant, sed & vulnera oblig ant, neque semper amara, sed nonnunquam & lenia pharmaca infundunt, vt per priora purificetur sanies

& putredo, per posteriora autem mitigetur dolor. *Idē serm. de habenda cura proximorum.*

An non vides parentes, quomodo filiis suis licet frequenter desperatis assident lachrymantes, lamentātes exosculantes, omnia quæ possunt admouentes, ad supremū vsque halitū. Hoc tu facito pro fratribus, & tamen illi non possunt lachrimis ac lamētis morbū depellere, neque mortē imminentē abigere. Tu vero frequenter poteris animā deploratā, assiduitate instantiaque per laméta reuocare ac suscitare: dedisti consiliū, nec persuasisti, illachrima, punge frequēter, ac suspira paululū, vt tua solicitudo incutiat illi verecundiā, cōuertes illum ad salutem. *Idem concione. 1. de Lazaro.*

An non scitis quid seni Hely acciderit cum nō debite emēdaret filiorū delicta? Quemadmodū enim me dicus, si morbū sectione indigentē curare cessat ac moratur, statim incurabilis erit morbus & inutile alioqui vtile, remedium faciet: ita & senex ille cum deberet filios suos pro peccatorum qualitate emendare nimia vsus lenitate illos arguit. *Idem Hom. 59. in Genesim.*

Magnū bonū est ferre reprehēsiones. Iam nos si quē videmus veste breuiori & ex lateribus aperta, vel alioqui indecēter vestitū, admonemus, & emēdamus: verū vidētes eius vitā dissolutā, ne verbū quidē proferim⁹, vidētes mores eius nefarios prēterim⁹ tametsi ridicula sint ea quæ ad corpus pertinēt, periculosa autē aut dānosa quæ ad animā pertinēt. *Idē Hom. de ferēd. reprehens.*

Vt medici ægrotos frigidā petētes cōsolātur & se daturos dicūt, sed fontē causantur & vas, & tēpus & multa eiusmodi. Nā si repēte negarēt, eos in insaniam verterent: sic & nos erga pecuniarū amatores faciamus: & cū dicūt diuites esse volumus, nolumus quāprimū dicere malū esse diuitias, sed assentiamur, dicamúsque quod & nos quoque id volumus, sed in debito tēpore, sed diuitias veras quæ immortalē habēt voluptatem, quę tibi & nō aliis cōferūt, sæpenumero autē & inimicis. *Id. Ho. 11. in 1. Co.*

Qui iram monendō sequitur solum, nihil aliud quam cupiditatem suam explet, qui vero postquam correxit peccantem, etiam charitatem ostendit, amo-

ris fuisse, quæ percellēdo dixit, declarat. Ergo eodem nos pacto inuicē nos erudiamus. Qui arguit, ne irascatur: non est enim correctionis hoc, sed affectus: neque qui arguitur ægrè ferat: medicina enim non inimicitia est. Si enim medicos cum vrunt, nemō in ius vocat, licet sepænumero aberrent, quin vsti sectíque, in tantis etiam doloribus beneficos illos in se esse putant, qui tantam perturbationem suscitarunt: quantomagis æquo animo perferre castigationem, castigāti sic veluti medico intentū esse decet. *Idē Ho. 44. in 1. Co.*

Ob hoc maiora supplicia subierunt, quod minoribus debita correctio non adhibetur. Et quemadmodum in corporibus qui vulnera neglexerunt, febres gignunt, & putrefactiones ac mortem denique: itidem & in animis, qui pusilla dissimulāt, maiora inuitāt. Ille, inquiūt, labitur in ieiunio, neque quicquā est mali. Alter vero valet recta fide, cæterum temporis gratia simulans, profitendi libertatem prodidit, ne quidem est aliquid magni mali. Hanc ob causam ridiculi facti sumus gētibus & iudæis dum ecclesia in mille partes discinditur. *Idem in cap. 1. ad Galat.*

Filioli mei quos iterum parturio, &c. Parcit illis Paulus, nec vult vulnera vulneribus addere: quemadmodum eruditi medici eos qui in longū incidunt morbum, nō protinus ac semel, sed ex interuallo curant: ne despōdentes animum pereant. *Sic beatus Paulus. Ibidem.*

Si habenti pecunias & non largienti comminatur Dominus supplicium, & qui valet proximum commonere vel quolibet modo, & minimè facit, quomodo nō maioribus suppliciis punietur? Illic enim corpus punitur: hic autem anima. Illic à morte seruas tēporali, hic vero ab æterna. *Idem Hom. 30. ad Heb.*

Multa lenitate opus habet qui corripit, vt qui corripitur, æquanimiter toleret sectionem. Non videtis medicos quando vrunt, vel secant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent? multo amplius corripientes hoc oportet agere. Etenim correptio & igne & ferro vehementius operatur, & resilire facit eos quibus offertur. Hæc circa ægrum etiam medici plurimum stu dent, quatenus possunt ægrū facere

æquanimiter tollerare sectionẽ,& quantum possint leniter agunt,& aliquantulũ requiescentes, ægrũ faciũt recreari. Sic enim oportet correptiones efficere, vt & qui corripiuntur non resiliant: Itaque etiam si sint ferẽda probra aut plagę, non recusabimus. Enimuero illi qui secãtur, aduersus eos à quibus secãtur multa reclamãt sed illi nihil impediuntur sed tantũ ægrotantium cõsulunt sospitati, sic etiã hic cũcta gerenda sunt. Omnia namque qui corripit, ad illius qui corripitur vtilitatem & tolerare debet & facere respiciens ad mercedem, quæ tali voluntati reposita seruatur. *Ibidem.*

Sicut multotiẽs vestimentũ adepti, vel seruũ vel vas pretiosum tẽporis reminiscimus,& inter nos dicimus seruũ illũ tali solẽnitate emi, vestimentũ hoc tali comparaui tẽpore: ita quoque si legẽ hãc impleuerimus dicemus: iuramentum hac correxi quadragesima, hac tenus enim iurabã,& sola admonitione audita, peccato abstinui. *Idem homi. 6. ad populum Antioch.*

Nunquid si quis aureũ vnũ pro singulis hominibus correptis, pmisisset nonne omne studiũ adhibuisses, & assiduus astitisses persuadẽs,& exhortãs? nũc vero non aureũ vnũ, neq; decẽ neq; vinginti,& centũ mille, neque totã deus terrã tibi pollicetur, in horum laborum retributionem, sed quod orbe toto maius est, hoc tibi præbet cælorum regnum. *Ibidem hom. 16.*

Seruorum hos censemus beneuolentiores, qui nullam suppellectilem confuse iacentem despiciant. Die enim si domi vas argenteum videris foris proiectum: licet ipse non sis deputatus, tamen hoc non suscipies, & in domum feres? Si vestimentum temere proiectum, licet hanc curam non habeas,& præpositi sis inimicus, propter domini tamen beneuolentiam nõ hoc bene collocabis? Ita nunc quoque hæc vasa sunt, si videris inordinatè iacentia, compone, ad me veni non recuso. *Ibidem hom. 40.*

Corripiat me iustus in misericordia. Clementiæ est vt vulneribus mederi, ita vitia reprehendere. Miserentes sæpe exilium, corripientes salutem afferunt, cum illorum misericordia coniuncta morti sunt, cum horum correptione vita. Meliora illorum vulnera quã

horum oscula. Argue, iuquit, increpa, exhortare. Ita faciunt medici: non solum secant sed etiam colligant. Magna sapientia opus, vt correptionis medicamentū adhibeas: & maiore opus ei qui animam reprehendit, quam ei qui corpus secat. Quomodo? Quoniam ille quidem aliud est quod scindit, aliud quod dolorem suscipit. hîc eadem res quæ corripit, & quæ dolore afficitur. *Idem in psalmum* 140.

Quod si tibi tanta cogitatio scrupulum mouerit: cur monitor ipse non talis sim, qualem te esse desidero, & nonnullos videris in medio itinere corruisse, illud breuiter respondebo, non mea esse quæ dico, sed domini saluatoris. non mouere quod ipse possim, sed quid debeat velle, qui seruus futurus est Christi. Et athletæ suis incitatoribus fortiores sunt, & tamen monet debilior, vt pugnet ille qui fortior est. *Hieronimus epist. ad Iulianum.*

Verba sapientum stimuli. Simul & hoc notandum est quod dicantur verba sapientum pungere, non palpare, nec molli manu attrahere lasciuiam, sed errantibus, & vt supra diximus tardis, pœnitentiæ dolores & vulnus infligere. Si cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis. Verba quippe sapiētum vt stimuli. Quæ quoniam ad conuersationem prouocant delinquentem, & firma sunt, & a concilio sanctorum data, atque ab vno pastore concessa & solida radice fundata sunt. Hoc stimulo nec dum Paulum, sed adhuc Saulum, puto in via confossum erroris audisse, Durum est tibi calcitrare contra stimulum Dei. *Idem in cap.* 12. *Eccles.*

Virgam vigilantem ego video. Pro virga vigilante lxx. baculum transtulerūt. ista est virga de qua Dauid, virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Quomodo enim nux siue amygdalū amarissimum habet corticē, & testa durissima cingitur, vt detractis austeritatibus & duris, fructus dulcissimus reperiatur. Sic omnis correptio & labor continentiæ, amara quidem videtur ad præsens, sed fructus parit dulcissimos. vnde & vetus illa sententia est, literarum radices amaræ, fructus dulces. *Idem in comm. in.* 1 *caput. Hieremiæ.*

Ipſos atroces quondam inimicos noſtros pacem & quietem noſtram varijs violentiarum & inſidiarũ generibus grauiter infeſtantes ſi ſic contemneremus & toleraremus, vt nihil omnino quod ad eos terrendos & corrigẽdos vallere poſſet, excogitaretur & agitaretur à nobis, malũ pro malo redderemus. Si enim quiſquam inimicum ſuum periculoſis febribus phreneticũ factum currere videret in præcipitium, nonne tunc potius malum pro malo redderet, ſi eũ perire ſic permitteret, quam ſi eum corripiendum ligandumque curaret? & tamen tunc ei aduerſiſſimus moleſtiſſimuſque videretur, quando vtiliſſimus & miſericordiſſimus extitiſſet. Sed plane ſalute reparata tanto liberius ei gratias ageret, quanto ſibi eum minus peperciſſe ſenſiſſet. Non omnis qui parcit amicus eſt, nec omnis qui verberat inimicus eſt. Meliora ſunt vulnera amici, quam fraudulata oſcula inimici. Vtilius decipiẽti panis tollitur, qui de cibo ſecurus iuſtitiam negligebat, quam eſuriẽti frangitur, vt iniuſtitiæ ſeductus acquieſcebat. *Auguſtinus epiſt. 48 ad Vincentium.*

Moleſtus eſt medicus furenti phrenetico, & pater indiſciplinato filio, ille ligando, iſte cædendo, ſed ambo, diligendo. Si autem iſtos negligant, & perire permittant, iſta potius manſuetudo, falſa crudelitas eſt. Si enim equus & mulus quibus non eſt intellectus, morſibus, calcibus, reſiſtunt hominibus, à quibus eorũ curãda vulnera cõtrectantur, & cum inter dentes eorũ & calces ſæpe homines periclitentur, aliquãdo verentur, non tamẽ eos deſerunt, donec per dolores & moleſtias medicinales reuocent ad ſalutem, quãto magis homo ab homine frater à fratre ne in æternum pereat, nõ eſt deſerẽdus, qui correctus intelligere poteſt, quãtum ſibi præſtatur beneficium, quãdo perſecutionem perpeti querebatur. *Idem epiſt. 1. ad Bonifacium.*

Curemus fratres. Si nec amicum agnoſcimus, non in eũ tanquam phrenetici ſæuiamus, non ab eo tanquam lethargici auertamur, multi ſæuiendo, multi dormiendo perierũt. phrenetici ſunt, qui non dormiendo inſaniunt, lethargici ſunt, qui multum dormiendo premũtur. Prorſus tales ſunt homines lethargicis ſimiles,

qui nõ sæuiunt in Christũ, nec malitioſi ſunt aduerſus Chriſtianos ſedtantũ differẽdo lãgueſcunt verbis ſom nolentis, in lucé oculos intendere pigreſcũt, & qui eos excitare volũt, moleſti ſunt: recedite a me, ait lethargi eus. Quare? dormire volo. Sed ille, Morieris. inde ille amore ſomni, mori volo reſpõdet. Et charitas de ſuper nolo. Plerũque iſtũ charitatis affectũ exhibet etiam filius ſeni patri morituro, poſt dies paucos, iam vtique ætate finita, ſi lethargicum videt, & lethargico morbo premi ſuũ patrẽ agnoſcit, medico dicẽte ſibi, excita patrem tuũ, noli enim permitere dormire, ſi vis vt viuat Adeſt puer ſeni, pulſat, vellicat, pũgit, pietate moleſtus eſt, nec mori cito permittit cito moriturum, & ſi viderit vt aliquando plures dies viuat cum diſceſſerit ſucceſſurus. Quanto maiore charitate nos amicis noſtris moleſti eſſe debemus, cum quibus non paucos dies, in hoc mũdo, ſed apud deũ in æternum viuamus? Quidam veteranapeccati conſuetudine tanquam lethargico ſomno obdurati. At enim quibuſdam iſta non proſunt. Nunquid ideo negligenda eſt medicina, quia nonnulorum eſt inſanabilis peſtilẽtia. Sed attende quam multi ſunt, de quorum ſalute gaudemus. Nõ omnis qui parcit amicus eſt, nec oĩs qui verberat inimicus. Meliora ſunt vulnera amici quam blanda oſcula inimici. Melius eſt cum ſeueritate diligere, quam cum lenitate decipere. Vtilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus iuſtitiam negligebat, quam eſurienti panis frangitur, vt iniuſtitiæ ſeductus acquieſcat. Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus moleſtus ambos amat. Quis nos poteſt plus amare quam deus? Et tamẽ nos non ſolum docere ſuauiter ſed etiam terrere ſalubriter nõ ceſſat, fomentis lenibus quibus conſolatur, ſæpe etiam mordaciſſimum medicamentum tribulationis adiungens. Exercet fame patriarchus pios, populum contumacem pœnis grauioribus agitat. Non auffert ab Apoſtolo ſtimulũ carnis tertio rogatus. *Idem ſermo. 59. de verbis domini ſecũdũ Ioan.*

Nullum medicamentũ ſanat niſi quod oportune ad hibueris: multi poſtea cogitantes quæ audierũt, ipſi ſe grauius & ſeuerius arguerũt, & quãuis perturbatiores

à medico viderentur abscedere, paulatim verbi vigore in medulas penetrãte, sanati sunt. Quod nõ fieret si sem per expectaremus periclitantem putrescentibus membris Quod nec ipse corporis medici attendũt qui terrenæ mercedis intuitu curant. Quoties enim quisque reperitur qui ferrũ eorũ aut ignem non ligatus expertus sit, cum & illi rariores sint, qui volentes ligati fuetint: plures enim resistentes, & mori se male clamãtes, quam illo curari modo, vix lingua ipsa eorũ relicta libera, omnibus membris cõstrixerũt, neq; ad suum neque ad alterius, sed ad ipsius artis se cõponentes arbitrium, quorum vocibus conuitijsque dolentiũ, nec cõmouetur curantis animus, neque secantis manus. Medicinæ autem cælestis ministri, aut per odiorum trabẽ, cernere stipulã in oculo fratris solent, aut tollerabilius mortem videre peccantis, quam verbum indignãtis audire. Quod non ita accidisset si tam sanũ animum curando alterius animo adhiberemus, quam sanis manibus illi medici aliena membra pertractant. *Idem in Epistolam ad Galatas cap. 6.*

Quemadmodum qui mare nauigant solis æstum libenter perferunt. Sic illi quibus odio sunt vitia, reprehensionem diligunt, ille enim ventis aduersatur, hæc vero affectibus. Marcus heremita de his qui putant ex operibus iustificari.

Etiam si quæ vobis predicantur, amara videantur, & aspera, libenter excipite. Et vos enim bene noscitis, quod non semper medici dulces potiones porrigunt ægrotantibus sed frequenter amaras & asperas. Nonnunquam etiam ferramentis aliqua membra secare, & cauterijs exurere solent. Et totum illi qui infirmi sunt patienter excipiunt, dum post breuem tribulationem longuam sanitatem recipere cupiunt. Et nos ergo qui licet minus digni tamen qualescunque medici spiritales esse videmur, necesse nobis est, non semper blanda & mollia, sed aliquotiens aspera & dura illis qui anima ægrotare videntur irigere. Quomodo enim per amaram potionem digeruntur humores mali, sic per asperam castigationem mores pessimi minuuntur. Nam illud quale est, fratres, quod medici

corporum quando ad ægrotos venire dissimulant, cum grandi humilitate rogantur, pecunia & munera promittuntur, & tamen dubium est vtrum aliquid illorum medicamenta proficiant. Nos verò qui de medicamento spiritali in nullo penitus desperamus, & nec terrenum præmium, nec aliqua temporalia lucra requirimus, ideo fastidire debemus, quia nos vltro ingerimus, & nihil aliud nisi patientiam & correctionem inuenire desideramus. Carnalis enim medicus vtrum releuare possit ægrotum, incertum est. Spiritalis vero medicina, si libenter accipiatur, absque dubitatio ne etiam si mortua sit anima suscitatur. Quare ægro tam graui expensa & cum multis doloribus requiritur sanitas corporum, & cum sine vlla expensa tribuatur, ab aliquibus non libenter accipitur sanitas animarum. *Cæsarius Arelatensis* Hom. 8.

De nullo desperandum. Etenim piscatores sæpius retia mittentes aliquandiu voto frustrati tandem cõpotes illius fiunt: Sic & nos speremus, quoniam repẽte ostendet nobis fructum maturum. Etenim agricola cum seminat, primum diem & secundum sustinet, & multum tempus expectat, & repente vndique videt fructus germinantes, hoc etiam in nobis futurum expectemus. *Chrysostomus hom. decima ad Hebræos.*

Sanato vulneri & in cicatricem superinductæ cuti, si medicina colorem reddere voluerit, dum pulchritudinem corporis quærit, plagam doloris instaurat: Ita & serus consolator, qui longo tempore tacuit, verendum est, ne importunius loquatur & attrectans vulnus pectoris ægroti, quod tempore & ratione curatum est, commemoratione exulceret. *Hieronimus epist. ad Pammachium.*

Vt cœnum tum solet maximè fœtere cum moueas, & incendium tum magis ardere si vertas, & rabies tum vehementius sæuire si prouoces: Ita impij obiurgationis necessariæ stimulos contrario calce fregerunt, non sine suo quidem malo, & vulnere repugnantes. Vos tamen dilectissimi a Domino mementote positum, *Argue sapientem & amabit te, argue stultum & odio habebit te.* Patianus in Paraenesi ad pœnitentiam.

Conandum est vt etiam certò perdendos à suis vitiis seruemus quantum possumus, imitando bonos medicos, qui quamuis videant haud posse ægrum à se seruari, tamen libenter omnem curationem admouent, ne per ipsorum negligentiam videatur res non successisse, ex sententia. Quod si vel minima sanitatis scintilla sé ostenderit ea diligentissimè sicut in foco accendenda est. *Philo Iudæus lib. de sacrificijs Abel & Cayn.*

Vt mendum quod induruit ac diutius inhęsit, difficilè tollitur: Ita vitia inueterata non facilè corrigũtur. *Plutarchus. In Moral.*

Vt difficillimè sanantur, qui sui sensu carent in morbo, velut lethargici, ac phrenetici: Ita difficillimè reuocantur ad bonam mentem, qui non agnoscunt sua vitia. *In Moral.*

Vt est initium sanitatis, sensus morbi: Ita correctionis initium, agnoscere culpam. *Ibidem.*

Nutrices pueros lapsos non obiurgant ac puniunt, sed accurrentes erigunt, deinde obiurgant: Sic amicus cùm affligitur, adiuuãdus est, & erigendus: postea monendus & obiurgãdus, quòd suo vitio in eam calamitatem inciderit. *Ibidem.*

Qui dentibus laborant, protinus medicum adeunt, malum exponunt: qui febre tenentur, accersunt: at phreneticus nec accersit, nec admittit, ob morbi vehementiam: Ita qui vitia sua celãt, nec admonentem patiuntur, de his nulla salutis spes est. *Ibidem.*

Oculo lippienti non est admouendum lumen: Nec animus affectu laborans admittit grauem admonitionem: sed admiscenda laus est, ac sic medẽdum. *Ibidẽ.*

Quemadmodum Telephus, quoniam carebat amico, coactus est ab hoste petere remedium, ad medelam vulneris: Ita qui non habent liberos amicos, à quibus admoneantur, sæpenumerò ab inimicis audiunt sua vitia. *Ibidem.*

Remedia statim mordent vel offendunt, postea cõferunt salutem & voluptatem: Ita salubria monita initiò sunt nonnihil amara, postea correctio iucundissima. *Ibidem.*

Vt pituita paulatim collecta, tum maximè apparet ac vincit, cum natura vincitur: Sic quidam amici volentes admonere non audent, nisi labantur: sed simulatque commutata fortunæ aura sunt humiles facti, tum obiurgant *Ibidem.*

Sanus fert, si exprobrēs intemperantiam, libidinē, luxum: eadem non ferret ęgrotans: Sic admonendus amicus, cum desierit irasci, aut amare.

Vt medici vetant admoueri remedia, cum morbus in accessu est, ac seuit, sed cum se remittit: Ita ad primos illos iræ aut doloris motus non est adhibēda cōsolatio, vel admonitio, sed vbi tempore ceperint esse leuiores. *Seneca.*

Vt ictum quem præuideris, commodius excipis: Sic præcogitatum malum minus offendit. *Ibidem.*

In Narniensi agro terra imbre fit siccior, æstu humescit, vnde Cicero iocatur illic ex imbre puluerem, ex siccitate fieri lutum: Ita quosdam admonitio reddit deteriores. *Plinius. Lib.31. Cap.4.*

Vti elleborum tametsi efficax, tamen medici vetant dari senibus, aut pueris, aut exhilibus: Ita admonitio sic est temperanda, vt ferre possit, quem velis emendare: nec solum spectandū est vitium, sed natura quoq; eius, cui vitio studeas mederi. *Idē lib. 25. cap. 5. in fine.*

Vide dilectio & cura proximi.

ADVLATIO.

Quemadmodum corui cadauerum oculos effodiūt: Sic adulatores suis laudib⁹ hominū animos corrūpūt. *Antonius monachus in Melissa parte 1. sermone 52.*

Quemadmodum splendet luna sine feruore, modo plena modo exigua, modo nulla videtur: mutuatum si quidem lumen nunquam in eodem statu permanet, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus comparet: Sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parui sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare vel laudare placuerit. At verò iustus permanet vt soli: Solis splendor igneus est, & cum feruet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur: Sic sapientis ardor internus foris lucet, & si non datur ei vtrūque, curat semper magis ardere, vt pater qui videt in abs-

condito reddat. *Bernardus sermone de natiuitate Ioan. Bap.*

Accepta eos qui bonorum te cõsiliorum admonitũ volunt, non eos qui adulari sæpenumerò studeant. Illi enim quod re vera est, perspiciunt: Si verò ad ea quæ placent potentibus, respiciunt, corporumque vmbras imitãtes singulis eorum dictis applaudunt. *Agapetus diaconus in expositione capitum admonitoriorum.*

Quemadmodum Actæõ ab alumnis suis canibus interiit. Sic parasiti eos à quibus aluntur, pessundant. *Phauorinus apud Stobæum sermone 12*

Veluti lupus animal est cani simile: Ita & adulator & adulter & parasitus amico similis est. Animũ igitur aduorte, ne canum custodum vice pernicioſos lupos nescius admittas. *Apud Stobæũ serm. 3. & 12. Epictetus.*

Vt timidus miles videns hostes appropinquantes cogitat de adornanda fuga: Sic adulator videns imminere periculum iis quorum opibus viuebat, statim retrocedit. *Socrates. Apud Stobæum sermone 12.*

Similis est adulatio panopliæ pictæ, quæ delectationem quidem, sed vsum nullum præstat. *Apud Stobæum sermon. 12. Maximum serm. 11.*

Quẽadmodũ meretrices bona omnia præter mẽtem & prudentiam suis amatoribus imprecantur: Eodem modo adulatores iis cum quibus agunt. *Antisthenes. Apud Stobæum Sermone duodecimo.*

Sicut qui amicos ad peregrinationem euntes dum via plana est, deducunt, dum asperior esse incipit, recedunt: Sic adulatores comitantur eos qui diuitias & opes paratas in promptu habent vt exponant liberaliter, verùm sumptus cum deficit, statim retrocedunt. *Apud Stobæum serm. 12.*

Quemadmodũ delphini quousque vnda subest, comitantur natantes, in littus verò nunquam egrediũtur: Sic adulatores in sereno rerum statu semper manent. *Apud Stobæum sermone duodecimo, & Maximum serm. 11. ex Sotionis libro de Ira.*

Quemadmodum ligna dum augent ignem, ab ipso consumuntur: Ita opes dum alunt adulatores, ab eis ipsis pereunt. *Apud Stobæum serm. 12. Antonium in Melissa par. 1. serm. 52. Maximum serm. 11.*

Quemadmodum lepori canē: Sic amico adulatorē natura infestum esse cogitandum est. *Ibidem.*

Quemadmodum corui cadauerum oculos effodiūt: Sic adulatores suis laudibꝰ hominū animos corrūpūt. *Antonius in Melissa, par. 1. Sermon. 52. Maximus Serm. 11.*

Pictores illustrant lucida oppositis vmbris & obscuris: Sic adulator laudans diuersa vitia in aliis, in amico nutrit ac fouet, quæ adsunt. *Plutarchus. In Moralibus.*

Vt oratores aliquoties aliam personam loquentem faciunt vel fidei causa, vel vt inuidiam fugiant: Sic adulator narrat, quæ ab aliis de amico audierit, etiam si non audiit. *Ibidem.*

Vt medico carnem secante, manus concinnitatem quandam & elegantiam seruat, abest autem saltatoria gesticulatio: Ita libertas admittit vrbanitatem, seruata grauitate. Adulator risibꝰ, scurrilibúsque iocis libertatem, veluti malis cōdimentis edulcat. *Ibidem.*

Vt si quis merum, alioqui conferens aduersus cicutam, admisceat illi, venenum reddit immedicabile, quòd calore vim venenī protinus deuehat ad cor: Ita adulator, intelligēs libertatem esse remedium aduersus adulationem, eam ipsam adulationi admiscet, quo magis sit noxia. *Ibidem.*

Vt imperiti pictores, cùm pulchra non queant assequi, rugis & verrucis exprimunt similitudines: Sic adulator refert intemperantiam, iracundiam amici. *Ibidem.*

Vt puluinaria mulierum, quanquam videntur reniti, ac resistere capitibus, cedunt magis & accomodāt sese: Sic libertas, adulatoris tumet quidē, sed in se recipit inclinantem. *Ibidem.*

Vt præterfluens aqua refert colorem subiecti soli: Ita adulator sui dissimilis est, pro re nata sese adaptās. *Ibidem.*

Vt difficilè deprehenduntur bestiæ, quæ ad loci similitudinem mutant colorem: Sic eos assentatores haud facile deprehendas, qui ad omnem vitam se accommodant. *Ibidem.*

Quēadmodum iuxta mathematicos superficies & lineę nec inflectuntur, nec producuntur, neque mouentur

uentur per se, cum res sint, intelligibiles, sed inflectuntur, producuntur & migrant pariter cum ipsis corporibus: Ita adulator suopte quidē affectu non mouetur, sed cum irato amico irascitur, cum gaudente ridet.

Sunt cibaria, quæ neque sanguini conferunt, neque spiritibus, neque neruis, neque medullis: sed pudenda tūm mouent, ventrem inflant, corpus turgidum reddunt: Talis est adulatoris oratio, vitiosa tantūm auget, & irritat, alioquin infrugifera. *Ibidem.*

Vt speculum, quicquid obiicitur, imitatur: Sic adulator. *Ibidem.*

Insania alendi equos, non consequitur lenticulam, sed arua frumentifera: Sic adulatio non infestat pauperes, atque humiles, sed magnarum familiarum ac fortunarum ruina morbusque est. *Ibidem.*

Quidā tauris œstrum, canibus crotonem in aures immittunt: Sic adulator in aurem admissus, transuersum agit quò lubet. *Ibidem*

Simia cum nec domum possit seruare more canis, nec onera gerere quemadmodum equus, nec arare sicuti boues, parasitatur, ac risum mouet: Sic adulator cum in seriis ac grauibus rebus nesciat esse vsui, voluptatum minister est. *Ibidem.*

Medicus si res postulet, & croçum & nardum iniicit, & lauat suauiter, & pascit humaniter: Sic amicus aliquando blandus est. *Ibidem.*

Simia dum hominem imitari conatur, sæpe capitur: Ast adulator idem faciens, alios capit & allicit. *Ibidem.*

Quidam malè pinxerat gallos gallinaceos, iussitque puero, vt veros gallinaceos procul abigeret a tabula, ne collatione deprehenderetur: Sic adulator veros amicos pro viribus abigit, ne ex illorum comparatione deprehēdatur fictus amicus. *Ibidem.*

Vt adulterina splendorem ac nitorem tantūm auri imitantur: Sic adulator gratiam, obsequium & hilaritatem amici. *Ibidem.*

Non vt polypus se quibusuis locis: Ita nos debemus nos quorumlibet moribus accommodare. *Ibidem.*

Vt tragœdiarum histrionibus choro opus & ami-

cis concinentibus, theatróque applaudente: Sic qui gaudent adulatoribus, nihil agunt, nisi sint qui applaudat *Ibidem.*

Vt mala pictura, fractis vestibus, rugis & angulis rem repræsentat: Sic adulator sudoribus, clamoribus amicum imitatur, nihil exhibens sincerum. *Ibidem.*

Vt syluestria semina, quæ spacio ac magnitudine accedunt ad triticum, haud facilè repurgantur, nam per angusta foramina non excidunt, per ampla simul excidũt: Sic adulatio, quæ amicitiam imitatur, non facilè ab amicitia reiicitur ac separatur. *Ibidem*

Vt pictura est tacita poesis: Ita silentio quoque laudat adulator, nempe vultuque & obsequiis. *Ibidem.*

Obsoniorum egregij artifices condimentis nonnihil austeri admiscent, quò dulcedinis tollant satietatem: Sic adulatores fictam quandam libertatem ac seueritatem admiscent, vt nunquam magis adulentur, quàm cum videtur obiurgare ac liberè loqui. *Ibidem.*

Aqua delabitur vbicunque cauum ac decliuem locum reperit: Sic adulator vehemẽter vrget, si quid lapsus est amicus. *Ibidem.*

Vt vmbra quicquid agas, respondet & adest: Sic adulator quoquò te vertas, sequitur. *Ibidem.*

Vt qui venantur, facilius fallunt feras, si aliud agentes, hoc est iter facientes, aut agricolantes, id faciant: Ita maximè laudat adulator cùm non apparet eum laudare. *Ibidem.*

Qui aluntbelluam, primùm accõmodant se illius ingenio, & animaduertunt, quibus rebus offendatur aut placetur, donec assuefacta fiat tractabilis: Sic adulator omnibus amici studiis & affectibus sese accommodat *Ibidem.*

Vt rupturæ & spasmata tum demum mouentur, cum corpus aliquo malo corripitur: Sic amici non ingenui fœlicib⁹ adulãtur, lapsos obiurgãt, & illorũ infortunio fruũtur.

In Menandri comœdia inducitur falsus Hercules, clauam gestans, non robustam, sed inanem ac leuem: Sic adulatoris libertas mollis est & blanda. *Ibidem.*

Vt monere, & moneri, est veræ amicitiæ, & alterũ liberè facere, non asperè: sic habendũ, nullã in amicitiis pestem esse maiorẽ, quàm adulationẽ, blãditias & assentationem.

Cicero de amicitia.

Quemadmodum qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem, illa ad dulcedinem cantumque cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: Sic adulatorum & praua laudantium sermo diutius hæret quàm auditur, nec facile est animo dulcem sonum excutere, prosequitur & durat, & ex interuallo recurrit. *Seneca Lib. 2. epist. 119.*

Chamæleon omnem imitatur colorem, præterquam album: Sic adulator in turpibus nihil non imitatur: solum quod honestum est, imitari non potest *Plinius lib. 8. cap. 33.*

Vt nihil insidiosius melle venenato (nam sunt quædam huiusmodi:) Ita nihil magis cauendum, quàm blandus hostis. *Ibidem Lib. 21. cap. 13.*

Chamæleon qui subinde mutat colorem, omnem imitatur præter rubrum & candidum: Ita adulator nihil non imitatur in amico, præter ea quæ honesta sunt. *Ibidem.*

Hyæna sicut & ichneumon, nunc mas est nunc fœmina: Ita quidam sui dissimiles, nunc fortia loquuntur, nunc mollia: nunc philosophi sunt, nunc nepotes: nunc amici, nunc inimici *lib. 7 c. 2. Idem.*

Hyæna vocem humanam imitatur, & nomen alicuius ediscit, quem euocatum lacerat: Ita quidam obsequio blandiuntur, donec in perniciem trahant *Ibidem. Lib. 7. cap. 2.*

Quod oleum est muscis, formicis, feréque reliquis insectis: Id est adulatio stultis principibus. Siquidem oleo peruncta moriuntur illa: hi assentatione, & obsequio palponum in exitium trahuntur ipsi, trahunt répub. *Idem. cap. 30. & lib. 11. cap. 19.*

Cupresso non innascuntur ceraste propter amaritudinẽ, nec buxo propter duritiem: Ita pestis adulationis fugit seuera ac tristia ingenia, mollia captat & facilia *Idẽ. lib. 7. c. 24.*

Quemodmodum heliotropium herba semper in eam spectat partem, qua sol est & eo condito florem cõtrahit: Sic nõnulli ad regis omnes nutus obsecũdant, & in quodcunque viderint illũ esse propensum, in id feruntur & ipsi. *Idem. Lib. 18. cap. 27.*

Vitrum mirè crystallum imitatur, res vilissima rem lõgè pretiosissimam: Ita assentatio amicitiam imitatur, res pessima longè optimam. *Idem. Lib. 9. cap. 29. & lib. 37. cap. 2.*

Pardus odoris gratia allectas feras, inuadit atq; occidit: Ita quidam blandi loquentia irretitos fallunt, ac perdunt. Sic principum aulæ habent nescio quid blandum, quod inuitet in perniciem. *Idem. Lib. 8. cap. 17.*

ADVLATORIS ET AMICI DIFFERENTIA.

Pediculi corpora exanima deserũt, vtpote defecta sanguine, quo alebantur: Sic adulatores rebus prosperis ac feracibus adsunt, aridas & steriles non attingunt *Plutarchus. In Moral.*

Pharmacum non adhibitum in loco, dolet absque fructu: Sic obiurgatio, non vt debet admota. Atque idem facit amicus cum molestia, quod adulator cum voluptate. Lædit enim vterque. *Ibidem.*

Vbi corpus vitiosis inflatum humoribus, ibi adsunt bubones: Sic vbi irascitur, amat, odit amicus: id premit adulator. *Ibidem.*

Item quasi malus orator nihil ad argumẽta respondes: vocem aut codicillos indiligenter scriptos calumniẽtur. *Ibidem.*

Vt Patroclus in bellum proditurus reliqua quidem Achillis arma sibi sumpsit, solam hastam, vt grauem ac prænalidam non attigit: Ita adulator omnia veri amici symbola imitatur, præter solam admonẽdi libertatem. *Ibidem.*

Vt medicus dat operam, quo sanitatem tueatur & augeat: Ita facit amicus: at adulator laceros titillat partes. *Ibidẽ.*

Item quasi præceptor puerum de stylo ac tabula obiurget: barbarismum aut solœcismum committentem dissimulet. *Ibidem.*

Perinde ac si quis hominis tuberibus ac fistulis laboranti, medici similio pilos & vngues secet: Ita adulator libertate vtitur in iis, in quibus non est opus. *Ibidem.*

Bene olẽt vnguentum, bene olet & pharmacum: verum illud ad nihil vtile, nisi vt delectet: hoc præter odo-

rem, maiorem habet vtilitatem: Sic adulator tantùm iucundus, amicus etiam vtilis & necessarius. *Idem.*

Pictura colores habet iucundos; sunt & pharmaca grati coloris: Sic amicus ideo delectat, vt iuuet: adulator tãtùm delectat. *Ibidem.*

AFFECTVS. PERTVRBATIO.

Sicuti ciuitates dominantur paucorum, & tyrannidem ferentes seruiunt, oppresso molesto imperio, contra verò quæ legibus parent, degunt liberæ. Non aliter etiam homines quot quot in concupiscentiæ aut cuiuscũq; vitij perturbationisue infidiosæ potestatem deuenjunt, omnes seruiutem seruiunt: Sicut è diuerso liberi sunt quotquot viuunt sub legibus ac ratione. *Philo. lib. quod omnis probus sit liber.*

Quemadmodum in arcam Noe omnes animalium species admisit, paradisus autem nequaquam: Ita corpus humanum omnes affectionum motus pestesque immanes & indomitas admittit, virtutes autẽ laude dignas non admittit. *Idem lib de plantatione Noe.*

Quemadmodum passerculus pede alligatus, volare incipiens in terram funiculo detrahitur: Sic quoque mens nondum affectibus liberata, & ad rerum cælestium cognitionem volare contendens, ab affectibus ducitur, & ad terram detrahitur. *Maximus hb. primo de charitate.*

Istæ concitationes animorum iuncto currui similes sunt, in quo recte moderando summum rectoris officium est, vt viam nouerit, quam si tenebit, licet concitatè ierit, non offendet. Si autem errauerit, licet placidè ac leniter eat, aut per confragosa verabitur aut per precipitia labetur, aut certè quò non est opus deferetur: Sic cursus illc vitæ qui affectibus velut equis pernicibus ducitur, si rectam viam teneat, fungetur officio. *Lactantius. libro 6. cap. 17.*

Quemadmodum sunt serpentes occurentes in nemoribus, sunt item & alij excubantes latenter in ædibus: Sic affectus sunt rationaliter formati, sunt item alij latentes

in operibus. tametsi ex aliis in alios subinde transmutentur. *Marcus heremita de lege spirituali.*

Quemadmodum fuga in hyeme & sabbato dolor est corpori & profanatio animæ: Sic affectuum impugnatio senescenti corpori & animæ sanctificatæ.... *Ibidem.*

Quemadmodum qui caput serpentis contudit, reliquũ longum corporis syrma necauit: Sic qui primos vitiorum surculos eradicat, etiam cætera quæ inde proueniũt sustulit. Hoc autem nunquam eueniet nisi postibus nostris affusus fuerit cruor eius, qui interfectorem vel occisorem interfecit. Bifariam necantur affectus, scilicet primogenitis peremptis, & nostris ianuis in tutum collocatis ob aspersionem sanguinis. *Procopius in Exodum.*

Turbatus à furore oculi mei: Quemadmodũ oculis turbidis visibilia exactè deprehendere non valemus. Sic corde turbato, nemini conceditur incumbere veritatis cognitioni. *Basil. in psal. 31. & epistola 1.*

Vt feræ bestiæ blanda manu permulsæ, leni certamine superantur: ita, libidines, iræ pauores, mœrores, animæ venefica mala, consuetudine consopita, nec perpetuo irritamento efferata, eluctabiliore deinde vi rationis fiunt. *Idem epist. 1.*

Neque speculum si pollutũ sit, imaginum poterit impressiones recipere: neque anima secularib' occupata curis, & carnalis sensus affectionibus obtenebrata illuminationis spiritussancti capax esse valebit. *Idem epist. 64.*

Quemadmodum vinum si infusum sit corpori plusculũ, quam necessitas exigat aut ferat bibentis virtus, sua natura consueuit offundere rationi tenebricosam obscuritatem: ita & affectus concupiscentiæ aut tristitiæ, aut iracũdiæ expugnata semel ratione, efficiunt amentes quos occuparunt. *Idem in cap. 5. Esaiæ.*

Inquietudo & perturbationum molestia non tam à rerum euentu est quam à nobis ipsis & mente nostra: quæ si se bene haberet & composita foret, semper nobis tranquille liceret agere, dormiremusque seu in portu aliquo, etiamsi vndequauis innumeræ tempestates insurgerent: sicut e diuerso, cum illa male se gerit, nihilomelius habemus naufragiis, etiamsi venti secundi nos comi-

tentur. Potes tale quiddam in corporibus videre. Nã is cui corpus natura firmum est, & bene exercitatũ, nõ solũ ex intemperie cœli nullo incommodo afficitur, sed propter exercitationem, etiam ex intemperie cui assuescit, firmitatis incrementum assequitur: cum interim, alius cui tenerum & imbecille corpus, licet temperato cœlo fruatur, nihil melius habet, quando quidem ob internam infirmitatẽ etiam in optimis temporibus offenditur. Contingere item videmus, & in alimentis. Stomachus enim benè valens, nullum reiicit alimentum, sed prœualente ac cibi vitia vincente naturali vi, cruda etiam & incocta in puros transformat succos: contra, stomachus æger, cuiúsque deprauata & corrupta est complexio, etiã saluberrimi succi cibos, infirmitate virtutem illorum tollente in pessimos vertit ac corrumpit. *Idem sermone 1. de fato.*

Quemadmodum qui febre laborant, nauseant omnia: sic perturbatæ mentes vndique percellantur. Laudat quis statim intumuisti: reprehendit, statim deiiceris: quemadmodum corporibus infirmis quælibet res facile nocet: sic deiecti animi, nec aduersus paupertatem, nec aduersus opes consistunt. *Idem Hom. 35. in 1. Co.*

Sicut oculorum acies pura, & lucida acutè omnia intuetur, neque etiam in tenuissimis deprehendendis corporibus laborat: verùm si quis malus à capite humor, vel caligo aliqua ad oculum ascendit, densa quidem ante pupillã nebula obiicitur, quæ ne crassiora quidem corpora videre sinit: Ita animæ vsu venit, cum omnis perturbatio quæ eãm offenderat, purgata est, intentè opportuna omnia prospicit: verum cum plurimis turbatur affectibus, vim omnem illam amittit, vt nihil altum valeat intueri: sed quamprimum nebula obiecta, & somno atque segnitie, quæ ad virtutem & vitam vtilia sunt, nulla in his capescendis, alacritate contemnit. *Idem Hom. 1 in Ioan.*

Sicut planta quidem nuper humi confita, facilè reuelletur, per multum verò temporis radicibus firmata, non itidem. Et vt ædificium recenter fundatum à vexantibus facilè subuertitur, benè verò firmatum, multa, diruere conantibus, præbet negocia. Et vt fera, quibus locis multum temporis est conuersata, difficulter expellitur. Et sicut fe-

bris ab initio aggressa, non magna siti laborantes exurit: postquam autem inualuerit, & flammam extulerit, iam sitim inducit immedicabilem: etiam si quis eis concesserit, vt potibus impleantur, non extinguit, sed accendit fornacem. Sic & in vitioso accidit affectu, si se circa primordium in animam nostram inferentem non prohibuerimus, neque fores occluserimus, ingressus iam insanabilem morbum susceptoribus infert. *Idem Homilia 80. de pœnitentia.*

Quemadmodum oculus turbatus aliud pro alio cernit: ita mens prauarum cogitationum confusione perturbata, idem pati consueuit. Itidem & qui laborant insania alias pro aliis rerum species se videre credunt. Verum hæc insania quam illa periculosior est, quæ noxam affert, non in rebus sensilibus, sed in intelligibilibus, non in pupilla corporalium oculorum, sed in oculis animi distortionem gignens. *Idem in cap. 1. ad Galat.*

Sicut vires corporis moriuntur & omnem sensum amittunt: ita & anima cum multis detinetur affectibus, virtuti moritur, & si quid attuleris, non sentit, sed sine supplicium siue quodcunque aliud minaberis, nullo sane sensu mouetur. *Idem Hom. 54. in Ioannem.*

Sicut sol est quidem clarus, & in medio cunctis propositus, & non opus habemus cum quærere: si vero nosmetipsos in terram defoderimus, & vndique adumbrauerimus, multo labore opus habebimus vt solem videre possimus: sic si in profundo cupiditatum malarum, si in tenebris passionum, & secularibus rebus defoderimus nosmetipsos, vix poterimus oculos aperire, vix respiciemus, vix intuebimur. *Idem Hom. 22. ad Hebræos.*

Quemadmodum accidit, vt subitis procellis crescentes amnes legitimum excedat alueum, superque vel segetes, vel plantarum culturam præcipites lati, rusticorum operum salute atque ornamentum euertant. Sic & animus affectionum nimia vi a rectis ratiocinationib⁹ depulsus, falsis nimirum, atque improbis opinionibus, præter naturam probam surgentibus corrumpitur, quę eius menti pro ebriorum more, quibus nimia crapula interiores concire ęgritudines solet, velut ex latibulis repentia quædam animalia, confundunt

mentem, ab iisque cogitur proprias eorum voces personare. Si verò manifestioribus exemplis opus sit, improbitatem animi inconditæ plebis assimulabimus imperio: quod quidem fit, quotiensecunque in ciuitate probitas victa multitudinis penitus licentiæ atque audaciæ seruiat. Necesse est enim eiusmodi ciuitatem dissonantem ac multarum partium esse, cádémque innumeris affectionibus ac variis cupiditatibus refertam, in voluptatibus qui dem intemperantissimam, in iracundia præcipitem, in tribuendis honoribus immodicam, in felicitatibus elatam, in calamitatibus abiectissimam esse. *Tyrius Platon serm.* 17.

Quemadmodum qui compediti sunt, vt quò illis libuerit, gradiendi habeant potestatem, necesse est quatenus à vinculis absoluantur: Ita ab immoderato sunt retrahendi affectu, quicunque ad Dominum rectis gressibus adpropinquare peroptant. *Theod. De spiritali anima resurrectione.*

Sicut non potest currere qui ligatus est, sic mens quæ perturbationibus seruit, locum spiritualis orationis videre non potest, trahitur enim huc atque illuc à perturbatis cogitationibus, & statum fixum non habet. *Nilus, cap. 65. de oratione.*

Sicut ei qui est lippis oculis, non est commodum solem in meridie in maximo eius splendore, ac lumine intentis oculis intueri: Sic neque menti perturbatæ, & impuræ, vtilis erit representatio orationis in spiritu & veritate, quæ naturam antecessit & deterret. *Idem. cap.* 140.

Quemadmodum qui secatur aut vritur præ doloris magnitudine, non potest ab eo quod fit, cogitationem auertere: ita qui perturbatione aliqua torquetur, non potest inde cogitationem auocare, perturbatio enim rationem ad se totam rapit, & in naturam propriam conuertit. Voluptas dolorem non admittit, nec lætitiam mœror, neque tristitia hilaritatem. *Idem in lib. ascetico*

Quod sunt quatuor humores in corpore, hoc sunt quatuor affectiones in corde. Amor itaque odium gaudium & dolor quatuor principales affectiones sunt ex quib⁹ cętera omnia desiderorum, voluntatum, votorum, affectionúmque originem trahunt. Quemadmodum autem humores in corpore, sic & affectiones in corde secundum quod or-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dinem modúmque congruum perturbant, varias infirmitates procreant. *Richardus Victorinus de statu interioris hominis, cap.* 34.

Inter deambulandum, quemadmodum caues, ne clauum calces, aut pedem distorqueas: Ita caue, ne quod in teipso dominatur, offendas, & hoc si in quauis re seruemus, tutius illam aggrediemur. *Epictetus. In Enchiridio, cap.* 51.

Veluti gubernatores se ventorum mutationibus accommodant: Ita viri sapientes animi affectibus. *Aristonymus. Apud Stobæum serm.* 1. *de prudentia.*

Vt Circes poculis homines subitò transformabantur in feras: Sic affectus repentè alium reddunt hominem. *Plutarchus. In Moral.*

Vt multa agrestia subnascétia in agro, mala quidem ipsa sunt, sed tamen signa fœlicis atque vberis soli, si quis excolat: Sic animi affectus per se mali, arguunt ingenium nó malum, si accedat recta institutio. *Ibidem.*

Vt corpus non est capax voluptatum, nisi bene temperatum: Ita animus non capit veram voluptatem, nisi liber metu, ac cæteris affectibus. *Ibidem.*

Vt grauiora corporis vitia, quæ in vulnus & in tumoré erumpũt: Ita animi affectus, qui grauibus curis vitam reddunt molestam, vt vitium est ex atomis omnia nata credere, at non angit animum quemadmodum auaritia. *Ibidem.*

Vt calceus ad pedis formam torquetur, non contrà: Sic vitæ genus cuíque est eiusmodi, cuiusmodi sunt animi affectus.

Vt frustra puro haurias vase è fonte turbido: Ita non potes aliis iucundus esse, aut rebus obeundis accommodus, nisi purgaueris animum malis affectibus. *Ibidem.*

Qui vinum habet acre, & vapidum, nec vt vinum potest reddere, nec vt acetum. Ita Zenoni τὰ προηγμένα nec bona sunt, nec mala.

Vt qui lucernam non ferunt, multo minus ferrent solem: Sic qui mediocribus rebus perturbantur, multo magis obstupescunt in magnis. *Ibidem.*

Vt locus supinus ac mollis nihil expellit, quod inciderit, nec potest auertere: Sic animus vitiosa præditus verecundia nulli pernius est, nisi turpibus affectibus. *Ibidem.*

Quemadmodum rationi nullum animal obtemperat, nō ferum & domesticum & mite, natura enim illorum est surda suadenti: Sic non sequuntur, non audiunt affectus, quātulicunque sint. *Seneca. lib. 2. epistol. 86.*

Vt initia morborum quamuis leuia serpunt: ita si vitia & affectus vel leuissimos semel admittas, crescunt & augescunt.

Affectus sunt motus animi, improbabiles, subiti & concitati, qui frequentes neglectique fecēre morbum: Sicut distillatio, nec adhuc in morem adducta, tussim facit, assidua & vetus phthisim. *Idem. lib. 1. epistol. 76.*

Quemadmodum tempestatis ac pluuiæ ante ipsas notæ veniunt: ita iræ, amoris, omniúmque istarum procellarum animos vexantium sunt quædam prænuncia. Qui comitiali vitio solent corripi, iam aduentare valetudinem intelligunt, si calor summa deseruit, & incertum lumen neruorúmque trepidatio est, si memoria sublabitur, capútque versatur. Sollicitis itáque remediis incipientem casum occupāt, & odore gustúque quicquid est, quod alienat animos, repellitur, aut fomentis contra frigus rigorémque pugnatur: aut si parum medicina profecit, vitauerunt turbam, & sine teste reciderunt. *Idem. lib. 3. De ira.*

Vt nullum animal nec mite, nec ferum paret rationi, qua careat: sic nullus affectus.

Quemadmodum Tarquinius papauerum summa capita, virga dum ambularet in horto, baculo decussit: sic semper in animo validioribus affectibus, atque potentioribus potissimum resistendum. *Angelus Politianus de ira.*

AMBITIO.

QVemadmodum in portum tranquillum irruētes feroces, venti, quouis illum turbine ac freto periculosius redduut, ita & subingressa gloriæ cupido, omnia subuertit & confundit. Adestis sæpenumero magnarum ædium incendio: videtis quomodo ad cœlum vsque fumus ascendat, & dum nemo malum extincturus prodit, sed quisque quæ sua sint spectat, ignis ille magna vi cuncta depascatur? Et circunstetit plerúmque ciuitas tota, circunsteterūt vero spectatores tantum non opitulatores aut adiutores. Et vi-

dere est isthic quàm nihil faciunt omnes quotquot circa incendium astant, sed quisque illorum ex tenta manu recenter aduentanti vel locum ostendat, vel flammam è foribus indesinenter exilientem, vel trabes deiectas, vel vniuersum culminũ ambitum deuulsum, ad terramque ruentem. Sunt autem plurimi audacium, inque pericula seipsos proiicientium, qui quam proximè ad ædificia illa ardentia ausi sint accedere, non vt manus illis porrigerẽt malumque extingueret, sed vt iucundius haberent spectaculum, & vt è vicino cuncta diligenter spectare possent, quæ foris positos antea plerumque latuerãt. Si verò splendidis istud & magnis cõtigerit ædibus, miserabile videtur esse spectaculũ, & multis lachrymis dignũ. Et est re vera miserandũ spectaculũ videre colũnarũ capita in puluerem redacta, plures etiã exillis in frusta cõminutas: has quidẽ igne vastatas illas vero etiã eorũ manib' sepenumerò, quo ædificauerant, impulsas ac demolitas, ne latius reliqua depasceretur incendiũ. Videre est hic & monumẽta, quæ multo ornatu impositò tecta stabant, iam sublato culmine in lucẽ detecta, multoque dedecore in patulo pstantia. O pes vero quæ intus erant reconditæ, quis ennarrabit? vestes videlicet deauratas, vasaque argentea, & locum illum quo non facile herus ipse cum coniuge sua congrediebatur, vbi multorum erat vestimentorum, aromatum, lapidumque precioforum repositorium. Hic omnia in vnam pyram conflantur & balnearii, & stercoratij, & serui fugitiui, & quotquot intus sunt. Omnia in his ædibus iam nihil aliud sunt, quam aqua infusa, ignis, lutum & fimus, cinis & semiusta ligna. Nolo simpliciter domus alicuius incendium describere. Sed ecclesiæ mala oculis vestris subiicere volo. Non enim aliter illa, re vera quam velut incendium aut fulmen quoddam cælitus delapsum, ita in ipsum ecclesiæ culmen deuenerunt, sed paternis ædibus incensis pro fundo quodam & insensibili pressi somno, altum dormimus omnes. Quem enim hic ignis, qualsque columnas in ecclesia stantes non corripuit? Nam nihil aliud est ecclesia quam ex nostris animabus, constructa domus. Non est autem ipsa domus eiusdem honoris in omnibus, sed lapidũ ex quibus est perfecta, quidam splẽdidi sunt & illustres, quidam vero minoris gloriæ & obscuriores. Est

autem hic melius multo videre, quam multi sint qui auri locum ac dignitatem obtinentes, tectū exornent, quomodo alij enim representent ornatum, qui est à monumentis. videre est etiam hic, multos columnarum instar stare. Nouit enim ecclesia & homines vocare columnas, non virtute ac robore dumtaxat, sed & vetustate quadam, quam ex deauratis capitibus habent, plurimum ornatus exhibentes. videre est huic & multitudinē, vt plerunque est in testiū & capax septorū ac ambituum latitudo. Plurima enim illa ecclesiæ multitudo in ordine est eorū lapidū è quibus parietes construuntur imò ad illustriorem aliquanto imaginem transeundum est. Ipsa ecclesia non ex his lapidibus ædificata est, sed ex auro & argento lapidibusque pretiosis, & plurimum vbique aurum in illa dispersum conspicitur. Sed ô rem amaris lachrymis dignam: Nam omnia ista incendit vanæ gloriæ tyrannis, flamma illa nihil non vorans, & nemo est qui malo isto superior factus sit, sed spectamus flammam quidem admirantes, malum vero nondum extinguere valentes. Et si extinxerimus aliquando, modico & exiguo tempore: mox tamen duobus aut tribus elapsis diebus, velut cum ex cinere quodam rediuiua scintilla omnia subuertit, & non minus quàm antea fecerat, demolitur: ita & hic contigit. Ad eum enim modū cū incendiis vsuenire solet. In causa verò est quod columnarum, quæ in ecclesia sunt sustentacula destituerunt nos, qui ipsum culmē recipimus, & qui omne ædificium continemus, igne nos primum circumplexa sunt. Propterea & in reliquos parietes facile peruenit incendium. Nam & in ædificijs quidem quando ligna corripuerit ignis, eo fortius aduersum lapides animatur: quando verò columnas demolitas ad terram proiecerit, nihil iam amplius opus est flamma, quo reliqua deuastet. Cadentibus enim sustentaculis, quorum est superiora suffulcire, sponte iam & magna promptitudine sequuntur & ipsa suprema. Ita sanè & in ecclesia factum est. Omnia corripuit ignis honores ab hominibus quærimus, & gloriæ desiderio accendimur. *Idem hom. decima ad Ephesios.*

Quemadmodum fœui quidem venti in tranquillū mare delati, totum ab imo subruunt; vt & arena cū vadis misceatur: sic & ambitio & turpis quæstus animam subēūtes,

omnia subuertunt. Excæcat mentis intuitum præsertim gloriæ furor: nam pecunias quidem contemnere volenti satis est facile: honorem autem a multis collatum despicere, multi laboris indiget, magnæ sapientiæ, angelicæ cuiusdam animæ ipsam cœlestis testudinis vertiginem tangentis. *Idem hom. 43. ad pop. Antioch.*

Sic agunt illi qui mundi huius honores appetunt, quomodo pueri qui sequuntur papilionẽ. Papiliones enim cũ volant, tramitem rectum nunquam tenent, sed huc illucque se agitant. cumque alicubi residere videantur, nec ibi diu morantur. Hos autem sequentes cum pueri capere volũt, cito post eos currere sataguut, & quia nõ ad suos pedes sed ad papiliones intendũt, aliquãdo in soueã cadũt, séque immaniter lædunt, Plerunque cũ cautè accedũt & eos apprehẽderint, exultant de nihilo, quasi magnum quid fuerint adepti. Similiter faciunt qui huius mundi honores appetunt. Honores enim huius mundi nũquam certam tenent viã, sed incertis diuerticulis de vno ad alium transuolant. *Anselmus lib. de similitudinibus cap. 72.*

Non patitur auiditas quemquã esse gratum. Nunquam enim improbæ spei quod datur satis est. Et maiora cupim⁹ quo maiora venerunt, vt flammæ infinitè acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit. Aequè ambitio non patitur quemquam in ea honorum mensura conquiescere, qua quondã eius fuit impudẽs votum. *Seneca. lib. 2. de benefi.*

Vt qui vehementi laborant fame, nec est quod edatur suis ipsorum artubus vesci coguntur: Ita quidam præ fame gloriæ, seipsos laudare coguntur, si desit à quo laudentur. *Plutarchus in moralibus.*

Qui obseruant ne molesti sint lipientibus, vmbram aliquam admiscent lumini: Sic quidam laudibus suis aliquid erratorum aut vituperationis aspergunt, vt inuidiam effugiant. *Ibidem.*

Vt conuenit amantibus diuersas amicas, in eandem decreuntibus malè conuenit: Sic dissident, qui eadem ex re gloriam affectant. *Ibidem*

Qui esuriunt magis irritantur, si conspexerint alios edẽtes: Sic magis inflammantur ad gloriam qui gloriæ sunt auidi, cum alios audiunt laudari.

SI in ipsis flagitiosis & sordidis amoribus videmus, nihil aliud eos agere qui amari vicissim volunt, nisi vt documentis, quibus valent, aperiant & ostendant, quantum amant: eâque imaginem iusticiæ prætendere affectant, vt inuicem sibi reddi quodammodo flagitent ab eis animis, quos illecebrare moliuntur: ipsique ardentius æstuant, cũ iam moueri eodem igne illas mentes, quas appetunt, sentiunt. Si ergo & animus qui torpebat, cum se amari sensit, excitatur, & qui iam feruebat, cum se redamari didicerit, magis accenditur: manifestum est, nullam esse maiorem causam, qua vel inchoetur, vel augeatur amor, quàm cum se amari agnoscit, qui nondum amat: aut redamari se vel posse sperat, vel iam probat, qui iam prior amat. Et si hoc in turpibus amoribus, quantò plus in amicitia? Quid enim aliud cauemus in offensione amicitiæ, nisi ne amicus arbitretur, quòd eum vel non diligimus, vel minus diligimus, quàm ipse nos diligat? *Augustinus Lib. de catechisandis rudibus, capite quarto.*

Vtilia medicamenta, ęgrotantibus quidem sunt vtilia, sanis autem superuacua: amicitia autẽ nõ modò sanis opus est, sed & ægrotantibus: & custodit quidem diuitias, supeditat aũt necessaria paupertati, clariorem reddit gloriam, atque obscurat ignominiam: vnum autem hoc difficilia quidem omnia minuit, bona iomnia auget. Quæ enim calamitas extra amicitiam non intollerabilis? Et quæ fœlicitas absque amicis non ingrata? *Dion de regno orat. 3*

Ego illũ miserrimũ esse meritò iudico, qui in calamitatib. quidẽ plurimos habet insultãtes, in felicitatib. aũt neminẽ qui simul voluptate fruatur. Cui aũt plurimi sũt & opti. amici, inimic. aũt nemo, & multi quidẽ qui diligant, plures qui laudãt, vituperare aũt eũ possit nemo: quomodo non talis perfectè sit felix? Talis enim vir multos habet voluptatis participes, neminem aũt insultantem, ęo quòd fortunatus sit in omnibus: & quòd multos quidem habeat amicos, & hostem neminem. Si autem oculi & linguæ & manus hominum, maximi faciunda sunt, non solùm vt lætentur viuentes, verùm vt possint viuere: his non minus, sed magis etiam amici vtiles sunt. Oculis enim vix ea videre licet, quæ sunt ante pedes: per ami-

cos autem, ea etiam quæ in terræ finibus sunt, spectare. Et auribus haud quis audiat nisi valde propinqua: per benevolos autem nullius non necessariæ rei vbique gentium auditum habet. Et lingua quidem præsentibus tantum significat, & manibus quis licet vehementer sit robustus, non maius perficiat opus quàm duorū virorū: per amicos autē potest cū omnibus colloqui, & omnia opera assequi. Benevoli enim, omnia quę illi sunt conducibilia, & dicunt & faciunt. Quin quod omnium est incredibilissimum, quum sit vnus multis ille preditus amicis, multa simul potest in vno tempore facere, deque multis simul consilium capere. *Ibidem.*

Quemadmodum qui stomacho valent, & animantia sæuissima, saxa, ferrum, serpentes & scorpios concoquunt, eáque in nutrimentum vertunt: contrà, valetudinarij etiā pane & vino offenduntur: Sic stulti & amicitias perdunt, sapientes etiam inimicitijs rectè norunt vti. *Plutarchus in Moral.*

Vt bruta si vi commisceantur diuerso generi, discedunt indignantia, & grauiter ferentia: Sic inter similes placidè coit, & cohæret amicitia. *Ibidem.*

Musica symphonia constat è diuersis, puta grauibus, & acutis inter se ratione compositis: At amicitia constat similibus. *Ibidem.*

Quemadmodum lac coagulo concrescit: Sic homines cōpinguntur, & vnum fiunt amicitia. *Ibidem.*

Vt ignis omnium condimentorum est suauissimum, velut inquit Euenus: Ita amicitia omnem vitam condulcat, si admisceatur. *Ibidem.*

AMICITIA PAVCORVM ET multorum.

VT Briareus centum manibus quinquaginta pascens ventres, nihilo fœlicior erat nobis, qui duabus vnum administramus: Sic tantumdem commoditatis capies è paucorum amicitia, quantum ex multorum: pensatur enim incommodum: si pauci inseruiunt, paucis est inseruiendum. *Plutarchus in moralibus.*

Vt puella in pratis alium post alium osculum decerpens,

pens, semper nouis arridentibus capitur, priores negligit: Sic qui multas instituit amicitias, ac mox saturatus alias quærit. *Ibidem.*

Vt mulier impudica cum multis se commiscens, nullum certum habet amatorem: Ita qui multorum appetit amicitiam, *Ibidem.*

Vt prius a materia quibuslibet formis variatur: Ita animus multorum amicitiæ subiectus. *Ibidem.*

AMICITIA RETINENDA, ET DIREMpta resarcienda.

Vt vasa noua præstantiora sunt veteribus: Non sic amicitia vetustior, eo melior. *Philo apud Maximum sermo. sexto.*

Amici noui non sunt veteribus anteponendi vt equis vetulis teneros anteponere solemus. Non enim amicitiarum esse debēt sicut aliarum rerum satietates. Veterrima quæque esse suauissima debent: Sunt aliarum rerum satietates, nouitates tamen non repudiandæ. vetustas autem suo loco conseruetur. *Cicero amicitia.*

Ciconia tametsi demgrat, tamen reuersa semper eosdē repetit nidos: Ita nō oportet amicorū ob intermissam vitæ consuetudinem obliuisci, sed memoriam eorum semper nobiscum circumferre. *Plinius lib. 10. cap. 23.*

Vt adamas si frangi contingat malleis, in minutissimas dissilit crustas, adeò vt vix oculis cerni queant: Ita arctissima necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatē, & ex arctissimis fœderibus, si semel runpantur maxima nascuntur dissidia, aut supramodum, incā descit semel victa necessitas. *Ibidem lib. 37. cap. 4.*

Abies adeo cohæret glutino, vt prius scindatur, quà solida est, quàm qua glutino ferruminata: Ita post reditum in gratiam, firmior debet esse amicitia, & arctius cohærent quos copulauit mutuæ beneuolētiæ glutinum, quàm quos natura coniunxit. *Idem lib. 19. cap. 2.*

Vt crystalli fragmenta sarciri nullo modo possunt: Ita difficillimum eos reconciliare, qui ex arctissima familiaritate in mutuum odium venerint. *Ibidem lib. 17. cap. 31.*

Cassiteris id est, stannum aut plumbum album, æs ruptum ferruminat, vtrumque contingens propter affinita-

tem, quam habet cum vtroque: Ita amicus amicitiam disruptam reconciliare debet. *Plutarchus in moralibus.*

Pictores seponunt ad tempus opera sua, tum ex interuallo rectius iudicaturi: nam assiduitas in causa est quominus bene iudicent: Sic nos rectius iudicamus amicos quos ex interuallo reuisimus, ac de nobis ipsis quoniam adsumus assiduè, minus recte iudicamus. *Ibidem.*

Vt quæ glutino commissa sunt, si soluantur, facilè reglutinantur: at si corpus rumpatur, haud facilè coit: Sic inter alios amicitia dirupta facile coit: in fratribus semel dirupta aut non coit, aut cicatricosa coit. *Ibidem.*

AMICITIA PRINCIPVM.

VT arithmeticorum digiti aliquando valent multis milibus, aliquando nihil: Sic regum amici aliquoties quiduis possunt, rursum mutata in fastidium gratia nihil possunt. *Plutarchus In Moralibus.*

Vt oculus parua festuca turbatur: Sic principum gratia, offenciuncula vel minima cadit. Interdum etiam nullo crimine perditur tantum apud Principes subdola lingua poteſt. *Pius pontifex Libro Epistolarum, epist. 166.*

Quemadmodum Luna quo propior est Soli, hoc, minus habet luminis: Ita plus fructus ac dignitatis est ijs qui procul absunt à magnis principibus. *Plinius. Libro. 2. ca. 9.*

Vt periculosum est, dæmones euocare, propterea quòd si quid erratum fuerit, magno conantis discrimine fiat: nam aiunt Tullum Hostiliũ ictũ fulmine, quòd ex Numæ libris Iouem deuocare conatus, quædam parum ritè feciſſet: Ita periculosum est, cum principibus habere cõmercium, aut cum morosis potentibus, quòd offensi re qualibet leui, funditùs subuertant hominem. *Ibidem Lib. 2. ca. 55. & lib. 28 cap. 2.*

Sicut oculus verti non potest quò & alius non vertatur: Ita & quicquid vnus voluerit, eò & aliorum voluntas vertetur. *Cyprianus de singularitate clericorum.*

Quemadmodum res splendidæ lucem quandam in circum fusa & vicina loca diffundũt: Sic amici vbicũque versati fuerint gratiam & suauitatem sperant & emittunt, vt sitius sit in tenebris versari, quam carere amicis. *Maximus sermone 6. ex Chrisostomo.*

Quot amicos pararis tot oculos habes quibus quæ velis videas, tot aures quibus quæ decet audias, tot consilia quibus de his quæ conducunt, consultare & prospicere possis. Non enim aliter se habet plurium amicitia, quam si cui deus vnum corpus habenti multas daret animas, quæ omnes illi prouiderent atque consulerent. *Ibidem ex Dion. cronicis.*

Polypus superficiem & colorem duntaxat mutat. At amicus verè similis esse debet amicis, & moribus & affectibus & studijs. *Plutarchus in moralibus.*

Qui reiectis cognatis peregrinos ascisçit amicos, perinde facit ac siquis amputato pede carneo, ligneũ addat *Ib.*

Quemadmodum ægrotãtes in magno dolore vbi viderint medicum, non amplius dolent: Ita cum quis tristitia laborat, minus habet mœroris præsentem intuitus amicum. *Philemo. apud Stobæum sermo.* III.

AMICVS PROBANDVS ET eligendus.

VEluti qui nummum adulterinum: Ita qui amicum habet exploratum, vbi senserit improbum esse, cum priuatur eo gaudet: cũ habet, optat effugere. *Plutar. in mora.*

Vt diligenter compingitur nauis, quæ sit in tempestatibus præsidio futura, & ager varijs casibus oppositus: Ita diligenter probandus amicus, quo sis vsurus ad omnia. *Ibidem.*

Vt vas experiamur, aquam non vinum infundimus: Ita friuolum quiddam aliquando committendum amicis, quo silentij fidem experiamur, vt si effutiant nihil sit periculi. *Ibidem.*

Vt rubo spinisque complectentibus nos dicussis ad vitẽ aut oleam tendimus: Ita non quemuis obuium oportet in amicitiam admittere, sed ad idoneos reiectis aliis eundum est. *Ibidem.*

Vt zeuxis lente pingebat quod diu durabat. Ita diu explorandus amicus qui sit perpetuus futurus.
Plinius li. 35. cap. 9.

Quemadmodum stultus est, qui equum empturus non ipsum inspicit, sed stratũ eius ac frænos: Sic stultissimus qui

amicum asciturus, cum è vestitu aut opibus estimat. *Seneca.*

AMICVS FICTVS VITANDVS.

SI nostra plerunque membra rescindimus cum incurabili morbo, & ipsa tabescunt, & reliquis officiunt: multòmagis in amicis simulatis id faciendum. *Chrisost. hom. 60. in Mathæum.*

Qui ab amico per fido consilium accipit, similis est ei qui ex poculo aureo venenum bibit. *Philo. apud Maximum sermone 6.*

Orobanche ciceri infesta est, & eruo vt æra tritico, hordeo festuca quæ vocatur ægilopis, lenti securidaca: atque hæ quidem omnes complexu necant: Ita quorumdam amicitia pestilens est magis quam inimicitia, *Plinius lib. 18. cap. 45.*

Hirundo æstate aduolat, instante hyeme auolat: Ita infidus amicus rebus lætis præsto est, commutata fortuna deserit amicum. *Idem lib. 10. cap. 24.*

Seleucides aues nunquam conspiciuntur a Casij montis incolis nisi cum illarum præsidio est opus aduersus locustas vastantes fruges, nec vnde veniant quoúe abeant cognitum: Ita quidam nunquam apparent, nisi cum nostro egent auxilio, nec visunt amicos nisi cum vrget necessitas aliqua. *Ibidem.*

Quemdmodum muscæ in popinis non manent, si desit nidor: Ita vulgares diuitum amici non perseuerant si desit vtilitas. *Plutarchus in moralibus.*

Vt rupturæ & spasmata tum demum mouetur, cum corpus aliquo malo corripitur: Sic amici non ingenui felicibus adulantur, lapsos obiurgant, & illorum infortunio fruuntur. *Ibidem.*

Vt nandi imperiti, dum volunt succurrere ijs qui præfocantur ac merguntur, vnà cum illis merguntur, & nocent magis quàm prosunt: Sic amici qui in [illegible]bus aduersis tantum collachrymant amico. *Ibidem.*

Vt Creon filiam nihil adiuuit, sed eam complexus vnà cum illa perijt incendio: Sic quidam felicibus amicis non fruuntur, cum infelicibus pereunt. *Ibidem.*

Vt malum cibum nec retinere possis citra noxam, nec

reijcere sine molestia: Ita malum amicum, si teneas, lædit, nec tamen absque inimicitia ac tumultu veluti bilem potes abijcere. *Ibidem.*

Vt hirundines æstiuo tempore præstò sunt, frigore pulsæ recedunt: Ita falsi amici sereno vitæ tempore præsto sunt simul atque fortunæ hyemem viderint, deuolant omnes. *Cice. lib. quarto ad Herennium.*

AMOR.

Quod in herbis aut arboribus humor, hoc est in hominibus amor. Sicut herbæ ex humore nascuntur & crescunt, sic homines per amorem incipiunt & augentur. Humor quidem de radicibus ascēdit in herbā, herba aūt nō reuertitur ad radices, sed rursum transmittit in semē. Sic & charitas de parentibus ascēdit ad filios, de filiis autem non reuertitur ad parentes. Ideo parentes quidem diligūt filios, sed non diliguntur a filijs. Quia sicut herba non deorsū sed sursum transmittit humorem ad semen: Sic homo nō ad parentes sed ad procreandos filios transmittit affectum *Chrisostomus hom. prima ex varijs in Mathæū locus & hom. 32. operis imperf.*

Quod est nauigio gubernator, quod in ciuitate magistratus, quod in mundo sol: hoc inter mortales est amor. nauigium sine gubernatore labascit, ciuitas sine magistratu periclitatur, mundus sine sole tenebricosus efficitur, & mortalium vita sine amore vitalis non est. Tolle ex hominibus amorem, solē è mundo sustuliſſe videberis. Huc adde quod hic deus a nobis omnem rusticitatem amolitur, omnis elegantiæ, omniumque munditiarū pater est. Vnde venustè plautinus senex amorem Deum appellat mundiciantem, eumque nitidis nitoribus ait antecellere. Da mihi hominem efferum atque truculentum: hunc amor euestigiò mollem reddet & mansuetum. Da rudem & rustica num: statim ab amore fiet ingeniosus & vrbanus. Da incultum: ab amore cultissimus efficietur. Denique segnities omnis, somnus lethargicus, marcor, squalor, incuria, ex amoris conturbernio eliminantur: in quo industria, nauitas, vigilantia, solertia, cultus, nitor, commorantur. Atqui (amoris accusator) quid tantopere (inquit) hunc

Deum laudas & extollis? Qui multos mortalium demen tes fecit, qui multos à semitavirtutum in viam vitiorum decliuem præcipitauit, qui multis exitium concinnauit. Huic tam seuero obiurgatori, tamque aspero amoris criminatori, ita breuissimè respondeo: Non est ista amoris culpa, sed hominum, qui amare nescieuerunt. Sicut enim est quidam modus in rebus, sunt quidam præscripti fines, quos vltra progredi nephas est: ita in amore est quædam mediocritas adhibenda. *Philippus Beroaldus oratio. habita in enarratione Propertij.*

Quemadmodum naturalis fulgor ardet splendetque in facie hominum intuentium: Sic amor verus ardet in mente per desiderium, ac splendet in facie per exemplum *Idiota De contemplatione amoris diuini*, §. 1.

Fons veri amoris velut lachrymæ quæ ab oculis cadunt in pectus: quia ab intellectu amor oritur, ac cadit in cor per fidem *Ibidem*, §. 2.

Sicut cum ignem tangimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus: impossibileq; est eũ qui ignẽ tetigerit manu, illæsam illam ab eius incentiua operatione seruare· cæterũ aut bullæ repente tactum consecutę turgescunt, ac dolorosa per feruorem & inflammationũ vlcera mox rumpenda minantur, aut iam quoque facta in manu acria visuntur vlcera: Ita possibile non est, eum quem ignis amor attigerit eiusmodi tactũ innocuum inuiolatũque præferre, sed aut simili ratione bullæ per tactum manus cordi clam subrepunt, atque intumescunt: diraque amoris perturbationes feruentibus & æstuantibus, incontinentissimisque agitationibus pariunt: ac peccati vlcera cõtinuo rumpenda minuantur, aut animum totum in intimis iam grauiter exulceratum indicant. *Basil. de vera virginitate.* Quiddã enim simillimũ & qui amat & qui inuidet patitur. Nam sicuti amans cum sua concupiscentia frustratur, & animam & corpus consumit amor: ita inuidentis quoque & animã & corpus consumit inuidia. Eadem etiam ratione & qui amant cum suo fraudantur desiderio præ amore: & inuidi quoque dum sua concupiscentia inanes remanent, præ inuidia & animo & corpore simul tabescunt.

Quemadmodum cæci licet in ipso meridie, sub dio versentur, nullam tamen lucem accipiunt, cum clausos habeã

oculos: Ita & amatores quamuis innumera vndiq; dogmata eorum insonent auribus, animo hoc affectu præoccupato his omnibus rationibus obstruunt auditum. Quãobrem vos hortor vt hunc primum abscundatis morbum. Quemamodum enim febris in ipsis principiis non nimia siti ægrotos torquet, aucta autem eius flamma intolerabili siti iam conficit, & quamuis ad satietatem vinum quis præbeat, non extinguitur tamen, sed accenditur vehemẽtius: sic in hoc affectu vsuuenit. Nam si à principio nostrã aggressum animam non propulsabimus non clauserimus ostia, iam aditu patefacto, insanabili morbo, qui eum admiserint conficiuntur. *Chrysostomus Hom. vndecima in 1. Cor.*

Quemadmodum ignis admotus ceræ, facilè mollit eam: Sic & amoris calor rerum fastum & arrogãtiam, vehementius quam ignis soluit. *Idem Cap. 5. ad Galat.*

Quemadmodum venenum mulso comixtum, ob dulcedinem bibentibus primùm gratum est, paulo pòst autem inde mortis agonem sentiunt: Sic quoque formosis scortis operam dantes, initio voluptatem sentiunt, quam tamen perpetuus dolor consequitur. *Diogenes apud Laertium lib. 6.*

Sicut in nummulariis contingit, vt discuiri scilicet oporteat, vter eorum sagacius à probabili nummo, adulterinum dignoscat, eumq́ue qui probabilis speciem tantùm gerentem admittit, longè arceamus ab arte, qui autem veram notam cognoscit, nunc & artem callere fateamur: Eodem pariter modo amatoriam artem, pulchri naturæ, veluti nummo cuidam admouere oportet. *Sermon. 8. Tyrius Sermon. 18.*

Vt ignis tangentes quidem propéque astantes vrit, Pulchri & formosi non item: procul enim astantes inflammãt *Xenophon apud Stobæum sermo. 64.*

Quemadmodum in contemplatione physica impedimentum est vita sophistica, procliuitásque ad illam trahens infirmiorem ab ipsa entium contemplatione, ad imaginationem caducis familiarem: Sic in amatoria eleuatione turba popularium amatorum impedimentum est, simulans amatorem verum, & animam innioris à bonis cœlestibus in terrena & tenebrosa detorquens. Similiter in sanctissimis quibusque excurrunt

dæmonum quidam impetus terrenorum, aſpectus noui quoque eos qui expiantur, perficiunturque, deturbantes, & à ſinceris bonis ad materiam deflectentes. *Proclus De anima & dæmone. fol.383.*

Vt hedera vndeuis ex ſe inuenit, quo ſe alliget: Ita amor etiam iis capitur, quæ non amantem offendunt. *Plutarchus. In Moralibus.*

AMORIS CASTI ET IMPVDICI.

AMore quidem externo ſuccumbẽtes fateri palam diſpudet tãquam deterritos tum ſui pudore, tum audiẽtium periculo. Sancti ſuum amorem nunquam tacent vt honeſta cuius profeſſione ſibi & auditoribꝰ profint. Amor enim ille vitio datur, hic laudi. Ille animi morbus eſt & opprobrium: hic animæ lætitia & exultatio. Ille bellum in amantium inuehit cogitationem: hic bello pacem ſubſtituit. Ex illo vulgari non modo nihil emolumenti, ſed ingẽs quoque rei familiaris ſumptus inanis, vitæ pernicies, ædium denique à fundo ſubuerſio. Ex honeſto hoc qui expectat animorum decorum, multę opes bonorum operum, magna virtutum ſupellex. Bonam corporis formam adamantes, & ad facici ſplendorem inhiantes, turpes ſunt & ine legantis formæ, nec ad mutandam deformitatem quicquam ex concupiſcentia lucrantur, quin ſemper in peiorem abiectioremque oris habitum abeunt: In hoc contra fit amore. Quiſquis amat animam ſanctam vere pulchram, turpis licet ingratique aſpectus, adeoque vel omnium fœdiſſimus in hoc modò amore ſancto perduret, continuo talis erit qualis eſt quem amat, verè ſcilicet pulcher ac formoſus. *Chryſoſtomus. Hom. in illud Pauli, Vtinam tolleraſſetis paululum.*

ANGELVS.

ACcedit aliquis medicus ad languentem quantum ars patitur & induſtria medicamina non ceſſãt, ſed ſi aut ægritudo tanta ſit, vt repugnet curationi, aut ipſe inualidus per impatiẽtiam doloris, contrà faciat quàm iubetur, reliquit medicus, deſperat huiuſmodi hominem, & recedit, ne inter manus ſuas expirans, cauſam interitus eius

ad se retorqueat. Sic ergò & nos, ne in sanctorum angelorum manibus, qui ad nos curandos à Domino destinati sunt, moriamur. Relinquunt nos desperantes animam nostram & dicunt, non est malagma imponere neque oleum neque ligaturas, quia appropinquauit in cœlum iudicium eius. *Origenes Hom. 2. in Hieremiam.*

Quemadmodum in terra videmus principatus non cõtrarios regi, sed subditos in administratione totius regni & ad bonam ordinationẽ terræ. vbi cædes & pugnæ, ignorantiæque, ac doctrinæ, bonæ item leges ac iniquitates & hac de causa sunt potestates vt ad bonum ordinem gubernationis vniuersi mundi, omnia ex Deo bene desponantur, ac administrentur. Sic etiam in cœlo maxime etiam præcise illic vbi non inuidia, non æmulatio, non iniquitas, non cõtrarietas, non seditio, non iusiurandum, non rapina, neque aliud quid tale, potestates ob aliud negotium ordinatæ sunt, quam propter modulationem laudis, propter immortalem glorificationem. *Epypha. Hæres. 4.*

Quemadmodũ in infirmis si corpus vltrà cibum sumere nequeat, desperant de ipsis ac deflent omnes amici veri, cognati atque dilecti: Ita luget Deus & angeli sancti animas illas quæ non vescuntur cœlesti spiritalique cibo, nec viuunt in incorruptione. *Macarius hom. prima.*

Velut fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit: Sic angelum vitæ nostræ custodem, abigit multa lacrymarum aspergine dignum ac graue olens peccatum. *Basilius in psal. 33.*

Oculi domini super iustos. Quemadmodum sancti corpus sunt Christi, & membra ex membro: & posuit Deus in ecclesia quosdam vt oculos, quosdam vt linguas, nonnullos vt aures, alios item manuum, alios pedum qui rationem obtinerent: Sic & sanctæ spiritales virtutes, circa cœlestem versantes locum, aliquæ oculi dicuntur, quod curam susceperint nos interuisendi, curaque nostri omnium illis concredita sit: nonnullæ aures, vt quæ nostras suscipiunt preces. *Basilius in psal. 33.*

Quemadmodũ eum qui prius in cauea multa vulnera accepit ac sanguine cõsperfus est, post anademate capiti addito. Hi qui ante cauceam stant susceptum, multa cũ laude

domum deducunt, applaudentes, bene ominantes admirantes. Sic & Angeli Lazarum tum deducebant, illius verò animam repetebant metuendæ quædam virtutes, fortassis ad hoc missæ neque enim sua sponte anima ad illam secedit vitam propterea quod hoc ne fieri quidem possit. Nam si ciuitatem ciuitate vertentes egemus deductorib⁹, multo magis anima à carne diuulsa, & ad futuram transiens vitam, opus habebit viæ ducibus. Quapropter frequenter nunc emicat, nunc in profundum demergitur, metuitque & horret cum est à corpore discessura. Nam cũ semper nos stimulat peccatorum conscientia, tum verò maximè illa hora, cum hinc sumus abducendi ad illa tribunalia, metuendumque iudicium tum enim siue quis rapuit, siue fraudauit, siue contumelia affecit, siue cuiquam præter caussam inimicus factus est, siue aliud quodcunque facinus perpetrauit, vniuersus illic peccatorum cumulus renouatur, & oculis exhibetur, mentemque stimulat. *Chrysostomus Hom. 2. de Lazaro.*

Assistit aliquis terreno regi, omnibusque modis mollitur vt quam plurimam erga illum reuerentiam exhibeat, quo per hoc maiorem illius erga se conciliet beneuolentiam. Cuius gratia non solum specie capitis, verũetiam ipsa voce, manuum compositione, ipsa pedum coniũctione, totiusque corporis contractione, talem reuerentiam conatur ostendere. Hoc & ab illis incorporalibus virtutibus fit. Cum enim plurimam habeant erga conditorem reuerentiam, & hanc vndique conentur præstare, deinde quoniam non assequuntur quod appetunt, quod deest affectui, hoc velo obtegunt. *Idem. Hom. 1. in Isaiæ verba. Vidi Dominum.*

Quemadmodum principes quando cum honore quidem quosdam ad se vocari iubent, cursores Romana lingua vocatos mittunt: quando verò cum dedecore aliquid trahi, alios emittunt crudeles ac duros milites: Sic & Deus, sanctis quidem ad salutem angelos mittit: cum verò punire vult, id dæmoniis permittit. *Idem. Serm. 3. in Iaco.*

Sicut in hominum potestatibus manifesti quidam sunt milites qui honoribus ministrando insistunt, atque coetissimi sunt milites qui ad exigendas pœnas segregantur: Sic ad ministeria quidẽ bona atq; ad hominũ dispensatio-

nes ſancti angeli: ad malorum vero pœnas poſtulandas dæmones tranſmittuntur. *Idem Hom. 3. de patientia Iob.*

Quod hominibus eſt mors, hoc eſt angelis lapſus. poſt lapſum non eſt illius pœnitẽtiæ locus, vt neque poſt mortem hominibus. *Damaſcenus lib. ſecundo de fide cap. 4.*

ANIMA.

COrpore ſic vtitur anima, vt faber malleo, incude, in qua format omnium turpitudinũ idola, & fabricatur quęlibet quarumcumque voluptatum ſymulacra. Non eſt caro dictatrix peccati, nec inuentrix malitiæ, nec cogitatus format, nec diſponit agenda, ſed officina eſt ſpiritus, qui in ea & per eam quæcunque affectauerit peragit & conſũmat. *Cyprianus de cardinalibus operibus Chriſti.*

Non eſt certè anima in corpore vt turba in foro, neque adiacet corpori vt calculo adhæret calculus, neque miſcetur corpori vt aqua temeto, quippe in iſtis tum actu tum intellectu præter corruptionem fieri poteſt ſeparatio, ſed illa nequeunt ab inuicem ſeparari ſine alterius corruptione. *Hugo Etherianus de regreſſu animarum ab inferis cap. 4.*

Quemadmodum iubar ſolis aera ipſa permutat in lumen, totumque ſui præſentia facit pellucidum, lucemque ſuam eidem inconfuſe ſimul atque diffuſè perunit: Sic rationalis anima corpori vnita omnifariam ſine confuſione perſeuerat. verumtamen non abeſt differentia. Si quidem ſol quia corpus eſt, loco circumſcribitur, nec loca per omnia comes radiorum ſuorum efficitur, ſed in cœlo exiſtens abſentibus porrigit ſplendorem luminis. Anima verò incorporea extat, loco non circumſcribitur, lumine ipſius præſentis corpus vniuerſum illuſtratur, nec vſquam corporis pars quæpiam in qua non eſt ipſa illuminatur, non enim tenetur ſub corpore, ſed corpus ipſa dirigit ſuſtinet atque gubernat, quia non eſt in eo ſeu in vtre aut aliquo vaſe, ſed tanquam lux ſolis in aere. *Ibidẽ.*

Quemadmodum diues peregrè profectus, ſi in hoſpitio applicuerit pauperis alicuius, quãuis non poteſt in domo iubere quod vult, quia hoſpes eſt, tamen magnam ſibi agendi fiduciam vindicat quia potens, ſic anima

peregrina, in hoc regno carnis ingressa, quamuis non omnia spiritualiter agere potest secundum se, quia extranea est in hoc mundo, tamen aliquid spirituale vendicat, & in carne, quia nimium potens est. *Chrisostomus Hom. 42. operis imperfecti.*

Quemadmodum caduco parieti aut nimium fragili corpori quælibet quisque apposuerit, in sua imbecillitate perdurat: ita & hic nullum emolumentum anima ab his quæ sunt extrinsecus sumit, sed eadem permanet, quantalibet ei quisque forinsecus ornamenta circundet. *Idem Hom. vndecima in 1. Timoth.*

Sicut aer iste nobis circumfusus, flante aquilone, propter naturam eius tenuem & serenantem purus permanet, contra verò flante Austro, totus veluti densatur à natura eius venti nebulosa, quæ ex suis regionibus ac locis ratione cuiusdam cognationis nubes per totum orbem inducit: Sic anima cum afflatu sancti Spiritus creetur, tota extra nebulas dœmonis posita est, rursus cum à spiritu erroris vehementer inflauit tota nubibus peccati obtegitur. *Diadochus de perfectione spiritali. cap. 75.*

Quemadmodum nulla ex eadem Trinitate persona minor est quàm in tribus, maior est quàm in singulis: Sic & animæ humanæ substantia ad eius imitationem cuius imago est, nec in multis secundum aliquam molem maior est, nec in singulis secundum aliquam molem minor est. *Claudius Mamertus. lib. 1. De statu animæ, cap. 15.*

Sicut de corporibus ibi vel ibi esse, propter localitatis necessitatem congruè dicitur: Ita & de animabus, propter illocalitatem vel qualitatem, taliter iure pronũciatur. Quia sicut viuenti corpori iucundum est luculentus locus, vel temperatus aer: Ita viuificanti animo tranquillitas in cogitatione & securitas à timore. *Idem. De statu animæ. lib. 1. cap. 23.*

Sicut Deus nequaquam minore sui parte minorem, mũdi partem replet, maiore maiorem, sed totus in toto est: Ita & anima non pro parte sui est in parte corporis, nec alia pars animæ sentificat oculum, & alia viuificat digitum: sed sicut in oculo tota viuit, ita per oculum tota videt, & in digito tota sentit, &c. *Idem. lib. 3. De statu animæ cap. 2.*

Aiunt Peripateticos animæ quoq; immortalitatem suis scriptis aufferre. Doctissimi autem medici bonam corporis temperaturam, animam appellarunt. Ex affectionibus autem quæ corpori eueniũt, ex morbo comitiali, in quem, apoplexia, & phrenesi hanc opinionem acceperunt. Quia enim vnaquæque harum affectionũ affert rationi exitiũ & vt ea euanescat & intereat, efficit: existimarunt bonã corporis tẽperaturam esse animam. Oportet autem ipsos considerare, quod etiã qui lyra scit, si nõ recte aptata & instructa lyra fuerit, suam non ostendit scientiam. Nam si vel nimis intensæ vel remissæ chordæ fuerint, harmoniam & concentum corrumpunt. Quod si etiam exectæ fuerint, omnino ocioſum musicum efficiunt. Hoc itidem videri potest in tibiis, & aliis instrumẽtis. Ita etiam cymba male facta, vel præter artis rationem constructa, artem gubernatoris deperdit. Et equi claudicantes, vel natura tardi, atque etiam quæ curribus eueniunt effectiones, aurigis perniciem afferunt: Ita etiam animam nonnullæ corporũ affectiones, non sinunt ostendere operationem rationis. Sed si in lingua fuerit quidem affectio, sermo sistitur. Sin autem in oculis, videndi operationis facultas non amplius procedit per particulam. Quod si in membranam quæ Meninx dicitur, morbus incubuerit: vaporum & succorum malignitas cerebrum offendit: ab ijs autem inundatum & obrutum, non reciput operationem animæ, sed est simile alicui aqua obruto, qui pedes & manus & reliqua membra corporis mouet temere. Bona ergo corporis tẽperatura, non est substantia animæ: sed in bona corporis tẽperatura, animæ substantia suam sapientiam ostendit. *Theodoret. In Epitome Diuinorum decretorum.*

Quemadmodum organa quæ neruis tracta impelluntur ea mouentur etiam, cessante eo à quo initium motus machinæ suppeditatur, non tamen in infinitum mouentur (neque enim à se & intestinum fontem habent motus sui, sed tantisperdum impulsionis illius efficatia valet, neque in processu illo suo ab eo vnde oritur, longius abducta dissoluitur:) Eodem modo existima fieri hoc posse optimè, vt numen simul & sit, & non sit in his locis, sed demittatur aliunde. Qua de causa bonæ animæ haud facilè quidem illæ, sed tandem tamen hic apparuerint. Dij cum inspectio

nem hanc præstant, tum quidem quod ipsis proprium est, faciunt: non tamen secũdum primam vitam ipsorum, nam aliud est quo beati sunt: decoris enim à primo illo perceptione primùm frui, id beatius est, quàm hoc inferioribus conferre. *Synesius. de providentia. lib. 1.*

Sicut cera omnes formas vel pulchras vel turpes recipit: Ita quoque vna anima innumeras formationes rerum, quæ in natura sunt, capit omnium: quæ quoties characterem perfectæ virtutis recipit, vertitur in vitæ arborem: quoties vitij, fit arbor scientiæ boni ac mali. *Philo. lib. 1. Allegoriarum legis.*

Sicut in cera per potentiam insunt sigilla omnia, actu verò solum id quod impressum est: Ita & in anima quæ est ceræ similis, omnes formæ continentur potentia: re vera autẽ vnicus character præsens eam occupat, donec aboleatur ab alio efficacius impresso, atque manifestius. *Idem. lib. 1. Allegoriarum legis.*

Quemadmodum vis ignis tantisper dum materia caret, quiescit: qua accedente, incenditur: Sic quæ sunt in anima potentiæ: spectantes virtutem & vitium, extinguuntur destitutæ opportunitatibus, fortunis autem excandescunt occasionibus. *Idem, lib. de resipiscentia Noe.*

Quemadmodum corporis oculi modò obscurè, modò clarè vident: Similiter etiam animæ oculus aliquando cõfusiores & certas, aliquando claras manifestásque rerum proprietates concipit. *Idem, lib. de cogn. quær. erud. gratia.*

Sicut oculus euulsus à corpore, ac separatus, nihil potest videre: Ita & anima separata nihil sentire, quia & ipsa pars est corporis. Falsum hoc & dissimile est, anima enim non pars corporis, sed in corpore est. Sicut id quod vase cõtinetur, vasis pars non est, nec ea quæ in domo sunt, partes domus esse dicuntur: Ita nec anima pars est corporis, quia corpus vel vas animæ est, vel receptaculum. *Lactantius, lib. 7. cap. 12. de præmio diuino.*

Manus animæ cur irascentiam non dixerimus, quæ appetentiæ propugnatrix pro ea decertat, & sub puluere ac sole pedatrix rapit? Quæ illa sub vmbra dormitãs helluet? Has manus, hos pedes, id est, totam sensualem partem, in qua sedet corporis illecebra, quę animam obtorto (vt aiũt) detinet collo: ne à scalis tanquam prophani pollutíque

reiiciamur, morali philosophia quasi viuo flumine abluamus. *Picus mirandula. In orat. concor. Comitis.*

Quemadmodum homines interdum perfusi dulcedine, saporem nesciunt vnde proficiscatur, & suaues odores ol faciendo, quinam sint aut vnde veniant ignorant: Sic quoque anima sæpè gaudens non potest indicare gaudium lætitiæ cuius tamen auctor est deus, qui spiritum gaudij in piorum corda demittit. *Philo. lib. 2. allegoriarum.*

Sicut sensibus deus omnia tristia cumulatè appossuit. Ita probæ animæ vberrimam rerum bonarum copiam elargitus est. *Ibidem.*

Porro inter ea quæ videmus si pater quidam possessiones habeat ac diademata, ac lapides pretiosos, hæc recondit in armaria, & deponit apud filium suum delictum, & hæc donat illi: ita etiam deus possessionem sui cum rebus omnibus pretiosis quas habebat credidit animæ. *Macarius Hom. 15.*

Quemadmodum si rex quidam præclarus & valde locuples gratam sibi reperiat mulierem pauperem, quæ nihil excepto corpore suo possideat: cuius amore captus velit etiam eam habere vxorem & coniugem: illa vero summa beneuolentia virum complectatur, illæso seruato, quo amplectitur eum amore: ecce pauper illa & egena quæ nihil possidebat, omnium bonorum fit domina, quæ sunt apud virum suum. Quod si quidpiam gesserit præter decorum aut aliter quàm debuit, neque decenter versata sit in domo viri sui, tum turpiter & contumeliosè expellitur: ambabus manibus super caput positis: quemadmodũ & in lege Mosis traditum est de muliere lubrica, & quæ se viro suo mutilem præbuit. Illáque tum ingenti mœrore & luctu afficitur, secum reputatis quantis facultatibus lapsa sit, quantáque gloria & honore priuata propter suam intemperantiã. Ad eundem modum anima quam Christus sponsus cœlestis sibi desponsauerit in societatem suam mysticam, ac diuinam, quę vel gustauerit opes cælestes, diligenter & ingenuè placere debet sponso suo Christo ac ministerium spiritussancti sibi creditum, decenter & conuenienter implere, nempe deo placens per omnia, & spiritum in nullo contristans: præclaram erga illum temperantiam ac dilectionem sicut oportet conseruans: in domo regis cælestis rectè con-

uersans: quacunque potest beneuolentia, sibi datam gratiã amplexa. Eiusmodi anima omnium bonorum Christi domina constituitur fitque corpus eius præclarum diuinitatis illius habitaculũ. Si verò quid abhorret, aut in ministerio quidpiam agat præter decorum, nec ægerit quæ domino grata sunt, & voluntati eius nõ fuerit obsecuta, neque cum gratia spiritus secum habitante cooperata fuerit, tum contumelia, atque ignominia afficitur, ac velut inutilis miniméque conueniens societati regis cælestis, vita priuatur. tãdem illa tristitia, mœrore ac luctu, cum omnibus sanctis ac spiritibus intellectualibus conficitur: angeli potestates, apostoli, prophetæ atque Martyres, lugent eius causa. *Macarius Hom. 15.*

Perinde ac si fuerit rex qui nactus puellam quandam pauperem, pannosis indutam, non erubescat, sed ablatis sordidis illius indumentis, & nigredinem eius abluat, & splendidis eam induat vestimentis, quam etiam regis sociam constituat, mensæque ipsius & conuiuij participem efficiat. Ad hunc quoque modum dominus animam vulneratam ac cæsam offendit, prebuit illi medicinam, exuit eam atris vestimentis ac turpitudine vitiorum, induítque illam regiis cœlestibus, fulgidis ac glorioſis vestimentis diuinitatis, imposuit ei coronam, & mensæ regiæ sociam fecit, in gaudium & exultationem. Ac veluti si fuerit hortus, in quo sint arbores fructiferæ per omnia benè olentes, sint etiam loca variis modis amœna, planè pulchra, boníque odoris ac quietis plena: in quem quicunque fuerit ingressus, lætetur & quiescat. Sic in regno se habent animæ, cuncti perfunduntur gaudio, lætitia & pace, reges ac domini sunt ac dij. *Idem. Hom. 27.*

Sicut pupilla oculi cum sit exigua, tamen est vas ingens quoniam intuetur vna cœlum, astra, solem, lunam, vrbes & alias creaturas: & eodem modo quæ conspiciuntur in illa parua pupilla oculi simul & eodem modo formantur & effinguntur: Hoc pacto se mens habet in corde, ipsumque cor est vas quoddam exiguum: ibi nihilominus dracones, ibi leones, ibi bestiæ venenosæ, ibi vitiorum cuncti thesauri, ibi asperæ & salebrosæ viæ, ibi præcipitia: itidem è contra, ibi deus, ibi etiam Angeli, ibi vita & regnum: ibi tamẽ & Apostoli, ibi cœlestes vrbes, ibi thesauri gratiæ, ibi sunt

omnia.

omnia. *Idem Homilia 43.*

ANIMÆ DIGNITAS.

QVemadmodũ si quis vnũ ex eorũ numero, qui cutim habent extrema scabie opertam desumpserit curãdũ: adde peste vitiatum aut morbo incurabili senióque confectum, præterea paupertate atque inedia: hunc talem cõfestim reddat ex deformi, bonitate formæ conspicuum, ex vetulo iuuenculum, vt qui cunctos anteeat præstantia decoris eximij, qui ex ipsis malis splendorem euibret qui oculorum nictibus iubar quoddam roseũ occultet. Deinde nostrum hunc seniculum in ipso constituat flore ætatis, Adhæc purpureo circundet amiculo, caput cingat diademate, omníque cultu condecoret. Adhunc sane modum animam nostram adornauit deus, elegantem reddidit ac desiderabilem & mirè amabilem. Angeli enim ipsi desiderant contemplari ipsam animam, archangeli, omnes denique sancti. *Chryss. Hom. 1. in 1. ad Ephesios.*

Num habes aliam animam quam possis pro tua dare? Pecuniam qui amisit aliam pro amissa reddere potest: similiter qui ædes, qui seruos qui cætera huiusmodi. Animam si perdas, aliam pro ea dare nõ poteris, vel si rex orbis & dominus sis, quæque in orbe sunt omnia, ipsum denique orbẽ offeras, non poteris vel vnã animam eruere, multominus quàm debile corpus confirmare, si mille alia corpora, mille vrbes, mille regna infinitam pecuniam impenderes, à debilitate vindicare potueris. *Idem Hom. 56. in Matthæum.*

Apud te pro amicitia nostra ausim & aliquid arcanorum indicare: non idem esse, in crasso corpore, vmbratilíque & imaginario, supplicium pendere: Deus enim fortior homine: totius autẽ diuini ordinis vmbræ sunt res humanæ. Veruntamen quemadmodum in ciuitatibus, legum manus existimantur: ita quoque eundem de se vsum mundi naturæ exhibent pœnæ. Etenim illæ Genij purgatorij sunt, quibus eadem ars in animabus, quæ fullonibus in vestibus sordidis. Iam si vestibus sensus esset, quid eas passuras credis ex illa conculcatione, nitri attritione, & per omnes modos exercitato fullonico vexatu, per quot dolores elui sentirent veteres maculas, & labes suas inolitas? Omitto enim dicere, in multis sordes tam altè insidere, vt emoueri nequeãt, adeò vt prius atterantur & pereant vestimẽta, quàm in suã

naturam redeant: quia affectio quam induerunt, iam in naturam sit versa, aut temporis longitudine, aut sua vi. Anima quæ ita affecta est, melius esset si corruptibilis existeret. Iam peccata naturam referunt ineluibilium macularũ. Anima contrà non eiusmodi est, vt amictus ille sordidus, & non ferendo: sed immortalis existens, immortalem pœnam luit, cum peccarit tantopere, vt planè sit imbuta, nec elui possit. Cæterùm quum quis in hac vita, in qua deliquit, pœnam dederit, non omnino inolitum infixúmque vitium habet: quia, vt sic dicam, nuper tincta anima facillimè lauatur. Qua de causa quàm celerrimè pœna subeunda sub vltoribus hominibus, & nõ dæmonibus. Iam fama est, quam veram puto, eos qui iniuriam passi sunt, in sua potestate habere, pœnas vel extendere, vel contrahere. *Synesius. In epistola ad Ioannem.*

Rota licet in terra voluatur, tamen dum steterit, magna pars est aliena à terra, & parua pars eius in terra consistit: Sic licet corporis pars sit in terra ambulans, tamen animæ, quæ maior pars est hominis, conuersatio est in cœlis. *Arnolius In Psal. 76.*

Quemadmodum spirituali vita mediante, perpetuam anima trãsit in vitam: Sic in spirituali, perdurante in morte, sempiterna morte afficitur illa. Quamobrem spiritualem animæ tuæ vitam, quousque peregrinaris in hoc mundo, custodire ne desinas, vt ad æternam perseuerando pertingas. *Laurent. Iustin. De spirituali interitu, in ipso libri proœmio.*

Quemadmodum corporum nostrorum habitus erigitur, & spectat in cœlum: Ita animus, cui in quantum vult, licet porrigi, in hoc à natura rerum formatus est, vt paria diis velit, & sic vtatur suis viribus, ac se in spacium suum extẽdat. *Seneca epistola 93.*

Quemadmodum radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt, vnde mittuntur: Sic animus magnus & sacer, & in hoc demissus vt propius diuina noscamus, conuersatur quidem nõbiscum, sed hæret origini suæ. *Idem. Epistola 41.*

ANIMÆ TRANQVILITAS.

DEcet animã quæ apud deũ viuere statuit, in quiete & lumine perpetuo accedere ad Christũ verum pontificem, & mactari atque mori mundo prioríque vitæ tenebrarum atque nequitiæ, & traduci in aliam vitam & edu-

cationem diuinam. Veluti si quis in ciuitate decesserit, non iam audit vocem aut sermonem eorum qui in ea habitant neque eorum quæ illic gerũtur rumorem: sed prorsus mortuus est & in alium locum trãslatus, in quo nullæ tales sunt, voces aut clamores quales erant in illa ciuitate: Sic & anima vbi mactata fuerit & mortua conuersationi illi, & ciuitati nequitiæ affectionum, in qua prius viuebat, non audit vltra apud se vocem disputationum obscurarum, non amplius auditur sermo neque clamor altercationis vanæ & tumultus spirituum tenebrarum, sed translata est in ciuitatem probitate ac pace plenam, in ciuitatẽ, inquam, crucis diuinæ. *Macharius Hom.* 1.

Sicut oculus quanto mundior fuerit tanto longius videt, sic anima quanto mundior fuerit à solicitudine mundi, tanto amplius Deo proximior est. *Chrisostomus Hom.* 10. *operis imperfecti.*

Non fit mare tranquillum nisi cessauerint venti: non extinguitur ignis nisi materiam ignis subtraxeris: Sic nec animus erit mitis & quietus, nisi ea quæ exuscitant & inflammant fuerint abdicata. *Chromatius lib. de octo beatitudinibus.*

Oportet eos qui certant, animum semper extra perturbationum fluctus conseruare, vt mens cogitationes incurrentes discernens, bonas quidem & à Deo missas in penu memoriæ recondat, malas verò & dæmoniacas ex apothecis naturæ eiiciat. Mare enim cum tranquillum est, vsque ad fundum est piscatoribus perspicuum, ita vt tunc nihil ferè piscium eos lateat: cum verò ventis agitatur, tegit tempestate turbida, quæ in placida tranquillitate largiter facit perspici. Ex quo fit vt ars eorum qui piscatorios dolos machinantur, otiosa sit, quod quidem mentí quæ in contemplatione versatur seuenire solet, tunc maximè cum fundum eius ira iniusta turbatum est. *Diadochus de perfectione spiritali, cap.* 26.

Sicut mare cum turbatur, oleo infuso cedit natura sua tempestas lenitate olei procellam extinguente: Sic anima nostra cum lenitur gratia spiritus sancti iucundè tranquillatur. *Idem, cap.* 35.

ANIMÆ CVLTVS, ET CVLTVRA.

SImile est cor diuersorio. Sicut enim illud perforatur, & effoditur, & stercore sæpe repletur, cum homi-

nes se petulanter gerant, & locum nihil omnino curant, vt qui sit alienus. Eodem modo, cor cum quandiu nulla eius cura geritur, dæmonum fit habitaculum. Postquam autem id inuiserit qui solus est bonus pater, sanctificatum est, & luce splēdet. Et sic qui tali corde preditus est, beatus quoniam ipse deum videbit. *Clemens Alexand. lib. 2. stromat.*

Vt lanæ quæ indita mãsit tinctura, in reliquas quoque lanas proprietatem transmittit & mutationem: ita in anima transit labor, manet autem quod est bonum & honestum, & quod iucundum est relinquitur, quod turpe, abstergitur. *Idem lib. 6.*

Sicut excisis stirpibus si radices maneant, nouæ plantæ pullulantes leuant veterum desiderium: sic in anima relicto exili virtutis semine, quamuis desint bona cætera, nihilominus inde nascentur res omnium humanarum pretiosissimæ. *Idem Philo. lib. de execrationibus.*

Quemadmodum expugnata ciuitate, mox vt diuitiæ quæ in ea reconditæ erant vndiquáque fuerint dispersæ, non iam obserantur eius portæ, non etiam custodes designantur qui ad mœnia excubent: Sic anima cum exhausta fuerit thesauris, dei munere obtentis, deinceps quasi indigna quæ perfruatur custodia dei, despectim præteritur. Ob hoc dictum illud est: omni custodia serua cor tuum. *Basil. in cap. 1. Esayæ.*

Sicut vnus iste puteus, qui est sermo dei, efficitur putei & fontes & flumina innumerabilia: Ita & anima hominis: quia ad imaginem est dei, potest in se habere & producere ex se & puteos & fontes & flumina. Sed & re vera putei qui sunt in anima nostra, indigent fodiente: debent enim mundari, & omne quod terrenum est, ab eis debet auferri. Vt venæ illæ rationabilium sensuum, quas ei inseruit deus pura ac syncera fluenta producant. Donec enim terra contegit aquarum venas & obturat occultum fluenti, non potest puri laticis vnda profluere. *Origenes Hom. 12. in numeros.*

Quod si pulchritudinem quis nactus est, pulchritudini pulchritudinem addat, animæ nempè corpus: quòd si flos pertransiit inoffensè, vergit ad seipsum, neque nouit an sit visus turpis espectu, pulcher verò recessu: non secus ac ro-

sa odora in calice suo recondita, redolet, etiamsi non amplius floreat. Si quidem vera pulchritudo apud filios hominum, nullo vnquam tempore ab extra se spectandam præbet, verùm obtutum ad internum flectit hominem. *Nazianzenus in oratione posi reditum ex agro.*

Dicebat illis Dominus. *Vos estis sal terræ.* animas hominum appellans terram. Nam seminauerunt in animis hominum cœleste sal Spiritus, condientes illos ac reddentes incorruptos & immunes à fœtore multo. Nam sicut carnes, nisi sale aspergantur, corrumpuntur & grauiter olent, ita vt omnes auersentur pessimum illum odorem, verméfque subrepunt in carnes corruptas, & ibi aluntur ac pereũt vermes, qui prius illic pascebantur, & euanescit illa grauedolentia (ea enim est natura salis, vt vermes interimat, & grauem odorem deleat.) Eodẽ modo & omnis anima quæ non fuerit condita spiritu sancto, nec fuerit particeps salis cœlestis, hoc est virtutis dei, computrescit, & multo prauarum cogitationum fœtore plena est: ita vt auertatur facies dei ab illo graui odore vanarum & tenebrosarum cogitationũ affectionúmque, quæ in eius anima inhabitãt: & noxij atque improbi vermes qui sunt spiritus nequitiæ, itidem & potestates tenebrarum in illa deambulant, illic pascuntur, nidificant & repunt, illámque exedunt & corrumpunt. Hac quoque de causa in lege deus vtens exemplo, iussit victimas omnes sale condiri. Oportebat igitur primum victimam à sacerdote mactari, & mori deinde diuisam sale conspergi, tandem igni superponi. Nisi enim primùm sacerdos ouem mactasset & occidisset, non saliebatur neque Deo veniebat in odorem suauitatis. Sic & animam nostram accedentem ad Christum verum pontificem ab ipso mactari conuenit, & affectui mori, & anteactæ vitæ improbæ, hoc est peccato: ab eáque nequitiam affectionum tanquam vitam egredi oportet. Sicut enim corpus mortuum est, cum exierit anima, nec vltra viuit ea vita qua viuebat, non audit neque ambulat: Sic vbi Christus cœlestis pontifex per gratiam virtutis suæ mactauerit, & occiderit mundo vitam nostram, extincta est, quoad improbam vitam qua viuebat, nec amplius audit aut loquitur, neque conuersatur in tenebris peccati: propterea quod

nequitia affectionum, quæ erat tanquam anima eius per gratiam deceſſit. *Macarius Hom* 1.

Quemadmodum corpus ex ſeipſo non viuit, ſed aliunde, hoc eſt, à terra, ita vt viuere non poſſit ſine externis: Sic & anima niſi regeneretur à modo in terram illam viuentium, & inde ſpiritaliter nutriatur, & ſpiritali modo creſcat proficiens Domino, induatúrque a diuinitate indumentis arcanis cœleſtis pulchritudinis impoſſibile eſt illam ſine ipſa viuere in gaudio. *Ibidem*.

Quemadmodum enim corpus oculum habet pro duce, & oculus ipſe viſu ſuo totum corpus in rectam viam dirigit (veluti ſi mihi ſtatuas quendam per loca nemoroſa, ſpinis & luto plena tranſeunte, vbi reuerberet ignis, gladiíq; ſint affixi, præcipitia & aquæ non paucæ: nihilominus acris ille & diligens atque imperterritus, habens oculum pro duce, attentè piane trãſgredietur illa loca difficilia, ex omni parte continens veſtem ſuam manibus pedibúſque, ne inter nemora illa & ſpinas diſcerpatur, aut luto maculetur, aut diſcindatur à gladiis: & oculus vniuerſum corpus ducit, cum ſit lumen illius, ne per præcipitia dilabatur, aut demergatur in aquis, aliquáve alia iniuria afficiatur: alacris ille ſibi diligenter attendens, & cum ſumma ſobrietate tranſiens, conſtricta veſte ſua ab occulo rectà directus, ſeipſum etiam conſeruat illæſum, ſimiliter & veſtimentum ſuum non vſtum, neque fractum. Si verò quiſpiam piger remiſſus, ſocors, tardus, & ignauus per talia loca gradiatur, veſtis eius hinc & inde defluens, in nemora & ſpinas dilapſa diſſipatur, aut ab igne exuritur, quia non vndíque viriliter illam tenet, aut ab affixis enſibus ſcinditur, vel polluitur luto, & vt ſemel dicam, citiſſimè perdit præclarum illud & nouum veſtimentum, propter negligétiam, ignauiã & incuriã ſuum. Imò etiã niſi rectè atque diligenter oculũ adhibeat, etiam ipſe in vallé præcipitabitur, aut aquis ſubmergetur. Ad eundem fere modũ anima, quę corpus geſtat veluti quoddã præclarum veſtimentũ prædita facultate de ſcernẽdi dirigẽte totã animã cũ corpore trãſeunte, per nemora & ſpinas vitæ, per lutum, ignem & præcipitia, hoc eſt, deſideria & voluptates, & reliqua ſeculi huius abſurda ex omni parte debet cum ſobrietate, robore ſtudio &

diligentia coercere & conseruare seipsum corporeumque indumentum, necubi dissipetur ab huius mundi nemoribus & spinis sollicitudinum, negligentiarum & distractionum terrenarum, aut ab igne concupiscentiæ exuratur: ea inquam, velut induta oculum auertit, ne praua videat: similiter & aurem subducit, ne detractiones audiat: & linguam, ne vana loquatur: manus & pedes ab omnibus malis operationibus. *Idem. hom. 3.*

Vt corpus cum operatur quidpiam, totum prorsus occupatum incumbit operi, cunctaque ipsius membra se mutuo iuuant: eodem modo anima tota penitus deuoueatur domino, postulationi & charitati: quæ non vagetur neque circumferatur cogitationibus, & spem in Christo collocatam habeat. *Idem. hom. 33.*

Sicuti seruus qui ad palatium aliquod accesserit, vt tractet et supellectilem ministerio deputatam, ex his quæ ad regem pertinent sumit, cum alioqui nudus ipse venerit: ministratque regi in vasis ad regem pertinentibus: in quo nihilominus peragendo, summa prudentia ac discretione opus habet, ne quid præter decorum ministret, alia pro alijs esculenta apponens mensæ regiæ, sed vt deinceps prima ac postrema cibaria apponat. Qui si forte per ignorantiam, & sine discrimine, non ex ordine regi ministrauerit, periculo mortique fit obnoxius. Sic & anima, quæ per gratiam & spiritum deo seruit, non parua discretione ac prudentia opus habet, ne fallatur in supellectili diuina, nempe in ministerio spiritali, propriam habens voluntatē gratiæ nō consentientē. *Idem. hom. 15.*

Quemadmodum si palatium magnificum fuerit, quod deseratur, & omnis generis fœtore repleatur, & cadaueribus multis: Sic cor quod est palatium Christi omnimoda impuritate refertum est, ac turbis plurimis prauorum spirituum. Quamobrem restaurandum est illæd ac reedificandum: suntque præparanda promptuaria & cubicula. Nā rex Christus cū angelis & sanctis spiritibus venit illuc vt ibi requiescat, habitet & in ambulet, regnumque suum collocet. itaq; sicut si nauis apparatu multo fuerit munita in qua sit gubernator qui regatoēs & moderetur, quibusdā timorē incutiens alios verò dirigēs: eiusmodi est cor, habens mentem pro moderatore, conscientiam arguentem,

cogitationes accusantes ac defendentes. Ait enim, cogitationibus inter se inuicem accusantibus ac defendentibus. *Ibidem.*

Itaque in rebus secularibus, si qua in domo princeps habitare cœperit, quæ sordes aliquas contraxerit, præparatur illa, varijsque modis exornatur, ac effunduntur aromata: quanto ampliori domus animæ, in qua dominus requiescit, ornamento indiget, vt illam ingredi, atque ibi habitare possit, qui sordibus omnibus ac reprehensione caret? *Ibidem.*

Quemadmodum mater vnicum habens filium speciosissimum sapientem, bonis omnibus ornatum, in quo spé omnem collocauerit: vbi contingit hunc ab illa sepeliri, hoc habet accessionis, vt in posterum assiduo labore prematur, ac sine consolatione lugeat: Sic mens quasi quantum ad deum mortua sit anima, lugere debet & lachrimas fundere, assiduè laborare, contritum habere cor, cum metu & solicitudine viuere, ipsumque bonum perpetuò esurire ac sitire. *Ibidem. hom.* 16.

Quemadmodum equus quandiu pascitur in syluis cum agrestibus animalibus, non est subditus hominibus: si verò teneatur vt mansuefiat, circumponitur illi graue frænum, donec recte & composite gradiatur: tũ exercetur a perito sessore vt etiam idoneus sit ad bellum: deinde ornant illũ armis, thorace, inquam, & cataphractis, ac fræno priore suspenso & agitato ante oculos ipsius, assuefaciunt ne terreatur: & tandem ab insidente instructus, nisi etiam didicerit præliari non potest: at vbi didicerit, & bello fuerit assuefactus cum senserit & audierit sonum bellicum, prõte progreditur in hostes, vt sola voce terroré incutiat hostibus: Ad eumdem modũ anima a tempore transgressionis, agrestis & indomita, in deserto huius mundi incedit cum feris nequitiæ spiritibus, inseruiés peccato. Vbi verò audierit verbum dei, & crediderit, refrænata per spiritumsanctum deponit mores agrestes, & animum carnalẽ, a sessore Christo gubernata: tum accedit ad afflictionem, angustiam, ac edomandi iugum, vt probetur, & paulatin à spiritu mansuefiat, sensin deficiente in illa & exolescente peccato. *Ibidem. hom* 23.

Sicut in sentes ager qui est natura fœcundus exuberat:

sic animus incultus vitiis sua sponte inualescentibus velut spinis obducitur: Sed cum verus cultor accesserit, statim cedentibus vitijs fruges virtutis oriuntur. *Lactantius lib. 6. capite. 15.*

Corpora languentia non omnibus curare facile est: animam verò laborantem est cuique medicare facillimum. Et corporis quidem curatio, & medicaminum & argenti indiget, animæ verò facile comparabilis & impendio carens. Et carnis quidem natura multo cum labore ab infestantibus liberatur vulneribus: Etenim ferrum sæpe, & amara medicamina adhibere necessarium est. In anima verò nihil tale, sed tantum velle & deliberare sufficit, & omnia correcta sunt. *Chrysostomus hom. octaua ad pop. Antioc.*

Domum veterascentem cernere non pateremur, neque ruentem, neque procellis labantem: animæ vero ratio nulla, sed licet eius fundamenta videamus marcescentia, siue fabricam & tectum, nulla nobis habetur ratio. Rursum iumenta si habeamus, eorum quærimus vtilitatem, & equisones, & veterinarios accersimus, & eorum per nos curam gerimus, & deputatos admonemus, ne temere, nec vt accidit agant, neque sarcinas imponant, neque noctibus reducant intempestiue, nec alimenta commitant. Animæ verò nulla ratio. Quid autem de brutis loquor nobis vtilibus? sunt multi qui passeres habent nihil afferentes vtilitatis, sed tantum simpliciter delectantes: & multa de illis quoque leges, & neglectum est nihil, inordinatum nihil, & omnium maiorem quam nostri ipsorum gerimus curam, ita sumus omnibus viliores. Et siquis conuitiando quidem nobis dixerit, canis, dolemus: nobis autem ipsis ipsi contumeliam inferentes non verbo, sed opere: nec tantam impendentes animę curam, quantã canibus, nihil graue nos pati putamus. Dicam & aliud. Equos siluestres & immansuetos calcitrantes & mordentes cum ceperint periti, sic breui tẽpore docent, vt nullo iam ostẽdente gressus compositi delitijs sessor delectetur: animæ vero negligenter ambulantis curam susçipit nemo, sed saltat quidam & calcitrat, & humi trahitur tanquam puerulus, & infinita subit dedecora: & nullus ei repagula imponit, nullus tricas & fræna, nullus peritum inducit cessorẽ, Christũ dico: propter hoc omnia confusa sunt. Nemo quomodo

bona sit anima cõsiderat, licet cum hec bona sit, illorũ non sit opus, cũ verò nõ sit, multa sit illorũ vtilitas. Sicut enim in sponsa, licet thalami sint velis aureis operti, licet mulierũ adsint pulcherrimarũ & speciosarũ chori, licet rosæ, licet coronæ, licet sponsus sit formosus, illa verò sit deformis, vtilitas est nulla: sicut è contra si sit pulchra, nullũ ex his accidit nocumentum. Ita & anima, cum sit decora, non tantum indiget horum externorum, sed hæc potius eius obumbrant pulchritudinem. *Ibidem hom. 42.*

Terra semel accepto semine mox profert fructus, neque indiget altera satione. In anima nostra non ita vsuenit, sed frequenter & summa cum diligentia in ea serendum est, vt semel saltem fructum accipiat. Primum enim non facilè insident & imprimuntur animo verba dei: quoniam multa sequitur difficultas, multis obstruitur spinis anima, multi adsunt insidiatores semina dirripientes. deinde cum germinat, & radices agunt semina, iterum indigent diligentia vt ad maturitatem perueniant: & cum peruenerint, vt integra perstent, & a nemine lædantur. In seminibus enim cum è vagina spica erumpit, & rubiginem & cætera noxia facile cõtemnit. In doctrina autem perfectum opus nonnũquam aliqua incumbens tempestas & fructus perdidit: idque & rerum difficultate, & hominum qui sciunt & volunt lædere fraudibus, variisque aliis tentationibus penitus labefactatur. *Idem hom. 17, in Ioannem.*

Sicut corpus quod aeris puritate perfruitur maiore sanitatis gaudet vigore, Sic fit profecto etiã aïa sapiẽtior, quæ scripturarum meditatione nutritur. Nonne vides etiam corporis oculos, cum in fumo forte remorantur, lacrymas semper effundere: si verò potiãtur aere purgato, & florentibus pratis & hortis virentibus, & fontibus inter amœna lucentibus, & saniores esse, multoq; maiore aciei fulgore rutilare? Talis profecto est mentis oculus. Si in pratis spiritalis pascatur eloquij, erit totus sine dubio pur⁹ ac lucidus, & acutius cuncta perlustrans. *Idem hom. 2. in Matth.*

Qui odit animam suam &c. Quemadmodum quos odio habemus, ne vocẽ quidem audire ne videre, æquo animo patimur: ita & anima, si quid præter dei voluntatem nobis imperat, reijcenda est. *Idem hom. 66. in Ioannem.*

Sicut domina quædam terribilis, ſatiſq; ſeuera, volens a liquod vnguentum conferre neceſſariũ & pretioſum, pluribus indiget miniſtris, multaſq; manus requirés, ſuſcitat famulas ſuas, atq; ad ſemetipſam cõgregat, imperat vni te nere librã vtæquis põderibus vnaquæq; ſpecies miſceatur, alteri, terere iniũgit quæ duriora ſunt, aliam diſcernere cũ cribellis quod tunditur iubet, aliam miſcere, aliam cum alabaſtro aſtruere: Ita & anima quæ pretioſiſſimum compũctionis vnguentum componere ac ſeruare deſiderat, omnes ſenſus ad ſe congreget, præcipiatque tota ſollicitudine vigilare, & in hoc quod propoſuit intendere. *Idem lib. 2. de compunctione cordis.*

Diuinæ benignitatis eſt argumentum, quod corpus mutilum ac deforme nequeat emendari: anima verò turpis & manca in priſtinum decorem facile reformetur. Hinc ex vultus bonitate, boni ac emolumenti nihil, ex animæ autẽ pulchritudine tantum licet bonum lucrari, quantum poſſidet qui deum habet amatorem. Audi, ait, filia & concupiſcet rex decorem tuum. Decorem vtique ſecundum animã quãtus virtute ac pietate contingit. *Idem hom. in illud Apoſt. Vtinam tolleraſſetis paululum.*

Si corporis vulnera exhaurire non deſinunt medicorum pueri, donec deſiniſſe dolorem viderint: multo magis hoc in anima fieri conuenit. Etenim animæ vulnus triſtitia. Et ipſam continue lenibus haurire verbis oportet. Nec enim ſic carnis tumorem calidarum ſolet aquarum natura remittere, vt animæ æſtum conſolantium copia ſermonum ſedare conſueuit. *Chriſoſt. hom. 6. ad populum Antioch.*

Cur regem omittis animæ, & ad preconia corporis refugis. Cur philoſopho ſpreto interpretem nimia cupidine ardes? Si mulierem deformẽ ſpecioſo velamine adopertam, conſpiceres, nullo affectu mouereris: Sic contrà pati non poſſis, vt ſpecioſa velamine tegeretur? Idipſum igitur in anima etiam facias, cui quaſi velamen corporis pondus circõpoſitũ eſt quod quidem qualitatem ſenſitiuam omnino deponere non poteſt: animus autem citò à deformitate ad pulchritudinẽ tranſibit dũ velit. *Idem. Hom. 25 in Matt.*

Apud homines hic mos eſt, vt tunc theſauros ſuos patefaciant filiis ſuis, cum eos iam adultos viderint, & puerilis laſciuiæ vitia reſpuiſſe, donec enim illis dediti

sunt, non possunt eis secreta committi: Ita anima nisi pri⁹ terrena contemnere, cælestia mirari, non poterit, *Hinc Paulus, animalis homo non percipit quæ sunt spiritus. Idem lib. 3. de compunctione cordis.*

Si mutuò accipis, vtputa bouem, vel equum, nónne assiduè operaris opus tuum in eum? Dicis enim apud te: Hodie, aut cras tollendus est à me, quia non est meus? Etiam tu in corpore corruptibili natus, quare non ad vtilitatem animæ tuæ vteris temporali corpore tuo, sciés quia post modicum tollendum est à te, quia non est tuum? *Idem. Homil. 25. Operis imper.*

Si corporalis amor ita deuictam sibi tenet animam, vt ab omnibus etiam necessariis actibus cogat abscedere, & illi soli, quem amat, operam dare, atque in eius cagitatione fixam tenere: Quomodo non amator Christi, ab omnibu⁹ reliquis abstrahit animam, sibique consociat, atq; desiderij sui vinculis cõstringit? *Idem. Ho. 2. de cõpunctione cordis.*

In chordis quidem crassa & immunda, ad cantus suauitatem inutilis est: vndique verò rasa, intensa est, & consonantissima. Quid parietem facis crassiorem? Quid multum fumum & nebulam, cum vapores, tanquam caligo quædam, vndique reddantur? Si non alius quisquam, certè athletæ docenant te, quoniam gracilius corpus est & fortius, & anima fortior, aurigæ similis est & equo. Sed illic vides sicut in iis qui deliciis vacant, & carnosis: sic & equos carne fluentes motus esse difficilis, & multos aurigis labores præbentes: optabile est, facilem & expeditum agentem equum, brauium accipere: cum autem eum auriga trahere cogitur, & frequentissimè cadentem stimulans, nec ita quidem excitate potest, licet ipse sit valde peritus, victoria priuabitur. Ne nostram cotemnamus animam, proper corpus calumniam patiẽtes, verùm illam faciamus perspicaciorem,: alas: ei leues nectamus, molliora vincula: rationibus eam pascamus. *Idem. Homil. 54. ad pop.*

Si quis aditurus annonæ præfecturam, sibi parat quicquid ad vitæ vsum pertinet, atque vt sibi nonnihil dignitatis assequatur, & pecunias cumsumit, & tempus impendit, & innumerabiles suffert labores: quo malo nos digni fuerimus, si cum tanta socordia regnum cœlorum adierimus, neque vlla cura nosmetipsos ad hoc præparaueri-

mus, quin postquam acceperimus socorditer egerimus. *Homil. 1. in Acta Apost.*

Si de rebus ad hanc vitam corporalem pertinentibus statuere volenti, non permitterent leges ciuiles ordinare, si testari volens non admodum constet animo, præsertim cũ de suis ipsius facultatibus præscripturus sit: Quomodo qui deregno cælorum docetur, déque bonis illis, ineffabilibus poterit ad plenum viam percipere, frequenter & à morbo factus attonitus? Quando verò futurum est, vt illa verba dicas Christo, consepultus cum illo, quum iam sis mox abiturus? Nam factis & verbis oportet declarare benecuolentiam. *Homil. 1. in Acta Apost.*

Sicut domum pulchram cum quis raserit, efficit pulchriorem: Sic etiam faciem pulchram, splendor animæ superueniens amplius cõuenustat. *Homil. 29. in epist. ad Heb.*

Si quis tibi optionem proponeret, an egregium corpus & bonæ habitudinis, & aliis spẽ præstans, vili tamen indutum veste, an turpe, & morbis simplicitum, ornatum tamen auro & pulchritudine cultum males: nónne naturalem corporis pulchritudinem vestimentis præferres? In corpoe hoc sanè præfertur. In anima contrà: quam qui turpem, informem, & nigram habet, putat eam se auri splendore emendare. Quænam hæc amentia? Interiorem ornamentum cures velim, & hæc monilia animæ apponas. Nam si iis corpus ornetur, neque ad bonam valetudinem, neque ad formam quicquam conferet. Neque enim nigrum corpus album reddet, nec turpe speciosum: Si animæ id addideris, euestigiò eam pro nigra candidam, proturpi speciosam reddes. *Idem. hom. in 86. 10.*

Disce quid faciendum tibi, ab eo qui accipitrem portatin læua, vt iactet ad dextram, & sic prædam capit. Si euolare facit eum ad sinistram, nil capit, perdit operam impensam. Ita tu secularis homo cuius cor in læua, id est, bonis temporalibus requiescit, per amorem, fac accipitrẽ tuum, id est, animam euolare ad dextram, id est, vitam ęternam, vt capiat eam, vt à læua ad dextram transeat, dum bona temporalia in pias causas erogas. *Absalon sermone. De annunciatio. Mariæ.*

Nonne vides, vt etiam in hac vita quisque prouidus locum aut agrum in quo diutius se commoraturum putat

copiosis in vsum faciat impendi¹s, & vbi paruo quis erit tempore, parua prouidet: & vbi maiore, maiora procurat? Nobis quoque, quia in præsentiarum breuissimum coarctantibus angustiis tempus est, in futura secula erunt, competentibus copiis vitam exaugeamus æternam, competentibus instruamus, exiguam ne promissione peruersa impendamus, breui tempori curam maximam, & maximo tempori curam breuem. *Eucherius. In Epist. ad Valeria.*

Mulierum mos est, se in speculo cõsiderare, vt se valeãt adornare, qualiter suis viris placere possint: Ita animas nostras oportet nos solicitè considerare in speculo Euangelij, & eius perpendere dicta, quid exinde ornamenti in adimpletionem sacramentorum eius habeamus, vt viro nostro Christo Domino placere possimus. Siquid minus ornamenti animabus nostris in perfecto opere Euangelij habemus adeptum, omni cura festinare oportet, ipsum nobis ornamẽtum exhibere in operibus sanctitatis. *Beda. De verbis Iacobi Apost. Estote factores verbi*

Videmus iumenta post longos labores, post diei æstus duci ad præsepia, & cibariis illis congruentibus refocillari: vt ex hoc reparata pristina fortitudine iterum laborare cogantur. Naues quoque post diutinam nauigationem ad portum ducuntur, super littus trahuntur, resarciuntur, renouantur, vt denuo petant æquora. Humana etiam corpora post diei fatigationem cibantur, in stratis vt nocte quiescant, somnum capiant, vt virtutem recuperent, cõponuntur. Et solus rationalis spiritus temporalibus curis attritus, innumeris cogitationibus dilaceratus, onere carnis pressus: spiritali pabulo remanebit ieiunus? Egent ne ista exteriora ocio & restauratione, & non magis humanus spiritus? Nunquid iumentis & corporibus morituris tam sedulè ministrabitur, & animæ salus atque profectus negligetur?

Nonne pluris est anima, quàm corpus? Nam etsi pro corporibus arbusta, pisces, volucres, cæteráque animantia, terra marique condita sunt: tamen ipsa corpora, cœlum, & quicquid in cœlo fulget, aut in terris mouetur, principaliter præ animantibus creata sunt, vt in ipsis tanquam in visibili speculo gloriam intelligant conditoris. Quicunque igitur suæ mentis compos est, & futura

bona præsentium mercede mercari cupit: modum habeat in iis, quæ foris sunt: ne horum impedimento interioribus priuetur bonis. Præponat spiritualia temporalibus lucris, & inuisibilia visibilibus. *Laurentius Iustinianus De disciplina & perfectione Monastica, capite* 21.

Si tantum quisque pro corpore laboret, quantum pro anima, sapiens esset, *Xistus pytagoricus in Enchiridio*.

Vt aliquid auri extrahamus, terrā peruertim⁹, vt summū bonum occupemus scrutati pectus piget. *Seneca in adagus.*

Vt ex barba capillos detonsos negligimus: Ita ille diuinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat, an feræ distrahant, an terra contegat, non magis ad se iudicat pertinere, quàm secundas ad æditum infantem. *Idem in Epist.* 69.4.

Quemadmodum nullus mercator nummum accipit, in quo regis imago non sit expressa, neque eum nummularius probat, neque rex in suum thesaurum admittit, Sic anima nisi regis magni & domini nostri Iesu Christi seruet imaginem, non probatur ab Angelis, neque admittitur ab ipso rege, quim potius audit, Quomodo huc intrasti non habens imaginem meam? porro imaginis nota, charitas est. In hoc enim, inquit, cognoscent vos meos esse discipulos, si dilexeritis inter vos. At charitas eius in nobis esse non potest, cum anima ita diuisa sit, vt & Deum quærat, & diligat ea quæ mundi sunt. Etenim quēadmodum volucris vnica ala volare non potest, sic anima nequit in Deum progredi, si altera parte in mundum inclinet. Et quemadmodum nauis, si quid ei necessarium desit per mare transire non potest. Sic anima si virtus ei aliqua desit, perturbationum pelagus non potest traiicere. Et quemadmodum nautæ si pulchra vestimenta, & chirothecas & calceamenta habent muliebria, officio suo fungi & nauigare non possunt, quia necesse est vt sint expediti: Sic anima improbas spirituum aduersarioruū procellas superare non valet, nisi mundi curis & sollicitudinibus sit vacua *S. Isayas abbas oratione. 15. de tranquillitate.*

Non vides nauigationem in mari, vt vnus gubernator moderetur, tanquam corpus animus moderetur, vt nauis eius imperio pareat vt animo corpus,

vt venti nauem impellant, quemadmodum virtutes fortuna. Quod si tempestas exoriatur manente naui, incolumique gubernatore, salutis nunquam amittitur spes, siue nauis ipsa recto feratur cursu, siue arte tempestatem deuitet, dum tamen à gubernatore regatur. At si à gurbernatore incipiens, ipsum abstuleris, inutilis efficietur nauis, etiamsi firmitatem propriam seruat, inutilis afflatus ventorum etiam si fuerit secundus, propterea & in mari & in naui & in nauigatione pretiosissimus est gubernator. Post gubernatorem, secundum accipit locum nauis, postremam sedem obsequia occupant extrinseca. Sic & in curriculo vitæ, animus supremum sibi vendicat honorem, medium corpus, tertium forma. *Tyrius Platonicus sermone 24.*

Animæ nostræ cura maxime terrenæ culturæ similis est. Sicut enim in terra quæ colitur, alia extirpantur, alia radicitus euelluntur: vt quæ bona sunt seminentur: ita etiam animæ nostræ fieri debent. Eradicentur mala, & bona plãtentur. Extirpentur noxia, & inserantur innoxia. Superbia euellatur, humilitas plantetur. Nam quomodo in terra tua nisi mala proieceris, bona plantare non poteris: sic & de anima tua nisi spinas & tribulos vitiorum eradicaueris, virtutum germina sancta plantare non poteris. Attendite fratres duo genera ágrorum sunt. vnus est ager domini Dei, alter vero est hominis.

Habes tu villam tuam, habet & Deus suam. villa, tua est terra tua, villa Dei est anima tua. Nunquid iustum est vt tuam tuam colas, & villam Dei desertam dimittas? Quomodo attendis villam tuã cultam & gaudes? cur non attendis animam tuam desertam & plangis? Nemo se excuset & dicat, literas nõ scire, ideo non posse Dei præcepta complere. Non est grande quod à nobis requirit Deus, nõ durum non asperum. Clamat tibi in conscientia tua æterna iustitia, quomodo gubernas agrum tuum, guberna & cor tum. Quomodo superfluos palmites tollis de vite tua, sic malos affectus tolle de anima tua. Præcidis de vite tua quod malum est, incide de anima tua quod iniquum est. Quomodo qui vitem suam vno anno putare noluerit, ipso anno abundantius exhibet, & postea sine fructu sterilis remanebit: sic & qui malas cogitationes & mala desideria non tollit de anima sua, videtur afferre fructum de rapinis

nis & fraudibus in animo vitæ suæ quo viuit in hoc mundo, sed postea remanebit sterilis in æternum. Et quia fructus legitimè non exhibuit, quasi sarmenta luxuriosa & infructuosa, æterna illud flamma sine misericordia cruciabit. sicut ipse Dominus dicit, Paleas autem comburet igni inextinguibili. Quomodo in vite tua totos oculos superfluos amputas, & duos aut tres qui sũt legitimi derelinquis: sic & anima tua, omnia desideria aut quæ res alienas male respiciunt & pessimè concupiscunt, spiritu sancti gladio & crucis falce debes incidere. Nam terra quando colitur fratres, nescitis quæ consuetudo seruetur. Primum euellũtur spinæ, lapides proiiciuntur, postea terra ipsa proscinditur, combinatur, tertiatur: Deinde quarto aut quinto sulco, ordine legitimo seminatur. Hoc ergo fiat in anima nostra. Primum eradicentur spinæ, id est, cogitationes malæ. Postea lapides auferantur, hoc est omnis malitia vel duritia expurgetur. Deinde cor nostrum euangelico aratro & crucis vomere proscindatur & aretur, & confringatur per pœnitentiam, molliatur per eleemosynam, per charitatem sementi dominicæ præparetur. *Cæsarius Arelatensis Hom. decimatertia.*

Sicut vulnera quæ corpori accidunt, postquàm squalida & sine curatione relicta sunt, medicinam, si à medicis adhibeatur, non sentiunt, purgata verò sentiunt vim medicamenti, & celeriter sanantur: Sic anima quandiu expers curationis est, & lepra voluptatis tota operta, metum Dei non potest sentire, quamuis ei tribunal Dei horribile, & præpotens perpetuò denuncietur. Postquàm verò magna attentione purgari cœperit, tunc sentit veluti quoddam remedium vitæ, Dei metum, qui eam vrit arguendo, tanquam igne quodam sine dolore. *Diadochus de perfectione spiritali.*

ANIMÆ CVRA PRAEPOSTERA.

SIcut anima negligens & obliuiscens Deum cum repleri cœperit crapula & ebrietate, vitiorum & criminũ lece corrumpitur, captiuospost se trahit sensus pestifera

& inimica dulcedo. Et sicut quando humore & scabie cutis corporis vitiatur, inde corruptio exulcerat, hinc prurigo sollicitat: Ita per oblectationem malorum de negligentia proficit culpa, & de luxuria crescit illecebra, & pereuntem perditio plus delectat, quia voluptas transacta non satiat, sed suo vsu magis exercetur vitiorum cupiditas quàm finitur. *Eusebius Emyssenus Hom. tertia de Epyphania.*.

Dic mihi quomodo seruis nostris febricitantibus medicos accersimus & domos separamus, & illic cogimus artis legibus obedire & ignauiter se gerentibus difficiles sumus, & custodes adhibemus qui ne volentes quidem eos suas explere concupiscentias permittunt. Et si dixerint eorum curam gerentes, opus esse medicamenta cõparari pretiosissima, cedimus, quicquid præceperint, paremus, & eis horum præceptorum præmia soluimus: Cum vero nos laboramus, neque medicum accersimus, neque pecunias: sed tanquam aliquo carnifice, vel inimico & hoste iacente, ita nullam animæ curam gerimus. *Chrysostomus Hom. 58. ad populum Antiochenum.*

Si habuerimus aliquã corporis passionẽ, omnia facimꝰ cuncta mercamur, vt in reliquum ægritudine liberemur: Anima verò nostra tam male se habente dissimulamus, semper differimus, propterea ne corporis quidem languoribus liberamur, quoniam quæ maximè necessaria sunt, superflua esse dicimus: quæ verò pene dissimulanda, hæc omnino necessaria iudicamus, & fontem ipsum incuratum relinquentes, malorum riuulos purgare conamur. Nam præterquàm quod horum causa peccata sæpe sunt, animæ certè languor corpore est deterior, quo anima carne præstantior. *Idem. Hom. 14. in Matthæum. & lib. 1. de cõpunctione.*

Si corporis morbum patiamur, omnia facimus & tractamus, vt â molestia liberemur: anima verò nostra male habente tardamus & differimus, propterea nec à vitiis liberamur. *Idem. Hom. ad pop Antioch.*

Qui animæ nequaquam sollicitus terrena curat, similis est his qui cum male maceriatam ac ruinosam videant domum ipsam, qualem restituere negligunt, amplos au-

tem ei hortos in circuitu præparant: aut illis qui quamuis morbo conficiantur, cura tamen valetudinis neglecta aureas sibi vestes cõtexunt: aut mulieri, quæ cùm aduersa valetudine nimium laboret, nullum ægrotationis remediũ, sed ancillas & ornamenta, cæteráque huiusmodi persuademus sibi studeat comparare: Non aliter sanè nos, cum anima nostra modò in furore, modò cupiditatis ardore, nũc maledicẽdi studio, nũc inanis gloriæ iactatione mirabiliter vexetur, ac humi iacens, ac secum ipsa dissidẽs, ab innumeris laceretur feris, non vt ipsam curemus, sed vt magnificas ædes construamus, & gregem seruorum, cęteráque huiusmodi acquiramus, omni studio atque cura vigilamus. Et si vrsa fugam à cauea ceperit, domos præcludimus, vicos obsidemus, vt intercepta nemini noceat: Nunc verò cum non vna bestia, sed multæ atque obscœnę cogitationes, omni bestia ferociores, animam nostram lacerent, nec sentire quidem videmur: & vrbium sanè habitatione adeò prouidemus, vt vel in desertis locis, vel in vallatis atque munitis atrocem feram coerceamus: in anima verò nostra, vbi locus consilij est, vbi regia sedes ad regale solium omnia perturbantes magna licentia cõscendunt: propterea ad inferiora depelluntur, quæ superius stare debebant: omnia simul turbata conquassantur, vrbana suburbanáque, quæ intus, quæ foris sunt: ciuitatísque similes simus, quæ barbarorum incursu conturbatur, aut auiculis, quæ dracone ad nidum serpente trepidæ ac conturbatæ circumuolant. *Idem Homil 66. in Matthæum.*

Pupillam oculorum tuorum, ne minimo lædatur puluere, diligenter custodis: animam autem tuam, tanta malorum congerie pressam negligis. Quando ab his sordibus animam detergemus? Quando huiusmodi veprium radices amputabimus? Quando virtutum semina spargemus? Nescitis tempus messis iam instare? Nos verò nec nouales quidem adhuc præscindimus. Si agri dominus venerit, quid dicemus? An quia semina nobis adhuc non sunt tradita? Atqui quotidie in animis nostris disseminatur. An quia sentes incidere nullus docuit? Atqui assiduè acutas nobis falces præbemus. *Idem Homilia. 43. in Matt.*

Si quis velit domum tuam aureis depensis ornare, te verò nudum in ciliciis sedere cogeret, num æquo animo id ferre posses? nunc verò non alius, sed tu ipse domicilium animæ tuæ (corpus dico) auro & gemmis exornas, animam verò in turpitudine cilicij sedentem negligis. Ignoras forsan ciuitatis principem magnificè ornari oportere. propterea ciuitati quidem tentoria, principi autem purpura & diadema cõtempta sunt: pariter ergo etiam tuviliora corpori tribue, mentem verò atque animam stragula atque corona magnificè polito, & in sublimi solio atque splendido sedere permitte: tu autem econtrariò penitus facis. Nam vrbe magnificè compta animum, qui regnare debet, à passionibus victum trahi permittis, nec in mentem tibi venit, non ad nuptias simpliciter, sed ad Dei nuptias te vocatum fuisse. Non cogitas, quomodo hos inuitatam animam thalamos ingredi oporteat in deaurato vestitu, varietate circundatam? *Idem Homil. 70. in Matthæum.*

Quomodo hydria quæ conteritur, cessat haurire, & rota per quam de lacu & puteis leuantur aquæ, si confracta fuerit, siue (vt alij interpretes voluerunt) in suo funiculo conuoluta, aquæ vsus intercipitur: Ita & cum funiculus argenti si fuerit interruptus, & animæ ruinis recurrerit ad fontem, interibit homo. *Hieronymus in Ecclesiasten.*

Si in corpore tuo macula aliqua vel vulnus ori tur, aut ex collisione aliqua intumescat, solicitus es, & perquiris, quid curæ debeat adhiberi, quomodo corpori sanitas antiqua reddatur Si circa oculos se aliquis acerbus humor offuderit, solicitus es, & perquiris quomodo succurras, & præuenias cæcitatem. Cum anima tua ęgrotet, & peccatorum langoribus vrgeatur, securus es, contemnis gehennam, atque ignis æterni supplica despicis & irrides. Iudicium Dei paruipendis, & cõmonentem te Ecclesiam despicis. Communicare non times corpus Christi, accedens Eucharistiam, quasi mundus & purus, quasi nihil sit in te indignũ: & in his omnibus putas, quòd effugias iudicium Dei. Non recordaris illud quod scriptũ: Quia propterea in vobis infirmi & ægri, & dormiũt multi. Quare multi infirmi? Quoniam non seipsos diiudicant,

neque seipsos examinant, nec intelligunt quid est communicare Ecclesiæ, vel quid est accedere ad tanta & tam eximia sacramenta: patiuntur hoc quod febricitantes pati solent cum sanorum cibis præsumunt, sibimetipsis inferentes exitium. *Origenes Homil. 2. in Psalm. 37.*

Si medicus membra vel ex natura vel ex morbo mutilata correcturũ sese pollicereturꝫ non cum dolore ei⁹ verba acciperes: Cũ verò mag⁹ ille animarũ medic⁹ cupit te omnibus præcipuis membris absolutum facere, in quibus deficis, beneficium istud repudiabis: *Basilius contra diuites.*

VIDE CARO.

ANIMÆ PVRITAS AC BONITAS.

CErtè sicut Mosi ex iusta operatione & ex ea quæ continenter ei intercedebat cum Deo loquente consuetudine, veluti insidebat glorificata quędam coloris species: ita iustæ animæ diuina quædam vis bonitatis inhærens, per inspectionem, prophetiam & administrantem operationem quasi intelligentis illuminationis, perinde atque caloris solaris, imprimit quoddam apertum iustitiæ signaculum, lucem animæ vnitam per charitatem, quæ nullo spatio disiungitur. *Clemens Alexandrinus lib. 6. stromatum.*

Quemadmodum bonæ habitudinis corpora membris omnibus agilia, securos pædotrivas faciunt, exhibendo illis vel nihil negotij vel minimum, itidemque agricolis generosæ plantæ per se proficientes in bonas arbores: Sic anima bene nata præceptis sese obuiam offerens, à seipsa magis quam à magistris adiuuatur, arreptisque rudimentis cuiuscunque scientiæ equus (iuxta prouerbium) fertur in planitiem. *Philo. lib. de vita Mosis.*

Quemadmodum aridum lignum aqua participans flores emittit: Sic & anima peccatrix per pœnitentiam spiritusancto digna reddita, iustitiæ racemos progenerat *Cyrillus Hierosolymit. Catechesi. 16.*

Bonorum animæ, ô fœminarum sapientissima, similes sunt purissimis fontibus. Hi enim vel non sentientes, ad se suapte pertrahunt pulchritudine ipsos

transeuntes, ad potũ hauriendũ, & tua prudentia me cõpel
it hortaturque vt diuinarũ aquarum in anima tua scaturié
tium particeps fiam. *Ignatius epistola tertia ad virginem Mariam.*

Sicut homines exercitati ad bibendum vinum, istud so-
lent ebrij plus sentire, ita anima fidelis & casta, anima
sapiens & compuncta, quæ potest dicere, potasti nos vino
compunctionis, cum cœperit de spe futuri seculi cogita-
re, & ipsam bonorum cœlestium sitim bibere, impleri scit,
nescit expleri, vt quantum capacitate augetur, tantum a-
uiditate deficiat, & illam desiderium vocem possit iun-
gere cum propheta, defecit in salutari tuo anima mea.
Eusebius emyssenus Hom. 3. de Epiphania.

Quemadmodum sol sui plane similis est nullam habẽs
partem superiorem aut inferiorem, sed totus penitus lu-
mine splendet, & totus lumen est, & partium similium. aut
quemadmodum in igne lumen ipsius ignis totum sibi si-
mile est, nihil habens in se primum aut postremum, ma-
ius aut minus: Sic & anima quæ plenè illustrata est, ab in-
effabili pulchritudine gloriæ luminis vultus Chri-
sti, & spiritusancto repleta ac digna quæ fieret domici-
lium & thronus Dei, tota oculus, tota lumen, tota facies
tota gloria, & tota spiritus eius euadit: nempe sic eam a-
dornante Christo gestante, agente, baiulante & ducente
illam, & hunc in modum illam instruente, & spiritali de-
core adornante. *Macarius Hom. prima.*

Quemadmodum corpora illustria pellucidáque con-
tacta radio solis, fiunt & ipsa supra modum splendida, &
alium fulgorem ex sese profundunt: Sic animæ spiritu
afflatæ ac illustratæ, fiunt & ipsæ spirituales & in alios gra-
tiam emittunt. Hinc futurorum præscientia, arca-
norum intelligentia, occultorum comprehensio, dono-
rum distributiones, cœlestis conuersatio, cum angelis
chorea, hinc gaudium nunquam finiendum, hinc in Deo
perseuerantia, hinc similitudo cum Deo, & quo nihil me-
li⁹ expeti potest, hinc est vt Deus fias. *Basilius de spiritusancto.*

Vt speculum splendidum, sic hominis animum, purũ
esse oportet. Si rubigo inuaserit speculum, quod hoc pati-
tur, idem & tibi accidit vbi peccatum te occupauerit. *Theo-
phylus Antiochenus. ad Autolicum. lib. 1.*

Omni penna velocior est mens nostra. Cum autem à spi-

ritusancto acceperit gratiam, papè quantum efficitur velox,& pernix? quomodo cuncta circuit: quomodo non fertur deorsum neque ad solum decidit? has nobis pennas præparemus, per istas & pelagus peruolare poterimus & fluctuationes huius vitæ euadere. Auium celerimæ & mõtes & colles & maria & scopulos in paruo momento temporis sine vllo impedimento transuolant: talis est etiam mens, cum pennas acceperit, cum à sæcularibus abscesserit, nihil eam apprehendere poterit, omnibus erit eminentior iaculis ignitis diaboli. Non est ita perfectus sagittator diabolus, vt possit ad illam altitudinem pertingere, sed emittit quidem iacula, est enim impudens: nõ autẽ attingit: sed reuertitur ad eum inane iaculum. Et non solum inane verumetiam in caput eius reuertitur. Oportet quippe vt iaculum, quod ab eo emittitur omnibus percutiat modis. Sicut enim ab hominibus iaculum emissum aduersus quem emittitur, percutit: aut auem fortassis, aut vestimentum aut lignum aut aerem ipsum secat: Sic etiam diaboli iaculum oportet quidem omnibus modis percutere, & si illũ ad quẽ dirigitur nõ percusserit, oĩbus modis percutit dirigentẽ. Et licet hoc ex multis agnoscere, quia quando nos non fuerimus percussi, omnibus modis ille percutitur. Vt puta exẽpli gratia, insidiatus est Iob, non eum vulnerauit, sed vulneratus est ipse. Iaculum autem diaboli est cupiditas mala: maximè iracundia ignis est, flãma est, corripit, consumit, cõburit. *Chrysostomus Hom. 22. ad Hebræos.*

ANIMÆ IMPVRITAS.

QVemadmodũ animæ quæ Domino totæ penitẽ adhærẽt, ibi versantur per cogitationẽ, illicò rationes suas effundunt, ibi inambulant, & illic desideria sua collocant in dilectionẽ domini: Ita vicissim animæ quæ se huius mũdi dilectioni tradiderunt, & in terrà commorari desiderãt illic expatiantur, quæ illic sunt cogitant, illic eorũ animus immoratur & ob id etiam ad prouidentiã bonã sancti spiritus consequendam conuerti nequeunt, quæ est hospes naturæ nostræ. *Macarius Hom. 4.*

Anima quæ peccato inuoluta est ita se habet vt in monte sylua magna, aut in flumine arundines, aut densitas quę dam spinarum ac nemoris: quia qui transire voluerint, necesse habent manus extendere, nec sine vi & labore repel-

lere circum iacentem materiam ita ferè materia cogitationum ab aduersaria potestate est. *Idem. Hom. 6.*

Repere licet fontem aquam puram emittentem in quo lutum subiacet: cũ verò quis lutum cõmouerit, totus fons perturbatur, ita anima quando perturbatur, maculatur & permiscetur vitio, fitque Satanas vnum cum anima, & consentiunt ambo spiritus in stuprũ aut cædem. *Idem Hom. 16.*

Quemadmodum in rebus externis si quis nudus fuerit, summo pudore atque dedecore afficitur & amici nudos auersantur amicos, & germani suos: filij quoque videtes nudatum patrem facies suas auerterũt, ne nudum patris corpus aspicerent, & retrogradientes operuerunt eum, & sic vultum auerterunt: Ita deus auersatur animas, non ornatas indumento sancti spiritus, cum certitudine fidei, eos, inquam, qui non induerunt Dominum Iesum Christum in virtute & veritate. *Idem Hom. 20.*

Veluti domus nisi Dominum inhabitantem habeat, tenebrosa vilis & probrosa redditur, & impletur sordibus atque stercoribus: Ad eundem quoque modũ anima quæ nõ habet in se dominum suum cum angelis exultantem, tenebris peccati, affectionum turpitudine, & omnimoda ignominia repletur. Væ viæ in qua nemo ambulat, nec audit in ea vocem hominis, quia receptaculum est bestiarum. Væ animæ cum in ea non incedit Dominus: vt ex ea excutiat voce sua spiritales bestias nequitiæ: Væ domui in qua non habitat dominus. Væ terræ cum nõ habueris colonum, qui exerceat illã. Væ naui gubernatore carenti, quoniam à fluctibus & tempestate maris agitata perit. Væ animæ cũ verum gubernatorem Christum in se non habuerit, quoniam in acerbissimo mari tenebrarum versatur, & ex procellis affectionum fluctuans, & à spiritibus nequissimis, velut tempestate iactata, tandem consequitur interitum. Væ animæ cum non habuerit Christum, quæ accuratè excolat illam, vt bonos fructus spiritus referre valeat, quia cum sit deserta, spinis ac tribulis referta, tandem exustionem ignis pro fructu decerpit. *Idem Hom. 28.*

Veluti moneta aurea nisi insculptam habuerit imaginẽ regiam, non impenditur in mercaturam nec reconditur in thesauros regios, sed reiicitur: Ita quoque anima quæ non habuerit imaginem spiritus cœlestis in lumine arcano

Christum in se insculptum, non est idonea thesauris supernis & repellitur a mercatoribus regni, præclaris Apostolis. Et quemadmodum mortuus inutilis est, nec iuuat prorsus eos qui hic viuunt, proindè efferũt illum extra vrbem, & mandant humo: Sic anima quæ non gerit cœlestem diuinæ lucis imaginem vtpote vitam animæ, reproba fit & planè reiectitia. *Idem Homilia.* 30.

In vulneribus corporum posteaquàm curata fuerint, remanet nudum ipsius vulneris signum, quod cicatrix appellatur. Vix enim est qui ira curetur, vt nullum suscepti vulneris residere videatur indicium. Transi nunc ab ista legis vmbra ad veritatem eius, & intuere quomodo anima, quæ peccati vulnus acceperit, etiamsi curetur, tamen habet peccati cicatricem in loco vulneris residentem. Quæ cicatrix non solum à Deo videatur, sed & ab eis qui acceperunt ab eo gratiam, qua præuidere possint animæ langores, & discernere quæ sit anima ita curata, vt omni generi vestigiũ illati vulneris abiecerit, & quæ curata sit quidem, sed ferat adhuc veteris morbi in ipso vestigio cicatricis indcia. *Origenes. Hom. 8. in Leuitis.*

Sicut qui aquam permiscent oleo, vtriúsque gratiã crebra cogitatione confundunt, & olei quidem speciem lucidam limosa aquæ proprietate perturbant, aquæ verò naturam aquæ permixtione commaculant: Ita & qui animam corpori per vitia perturbationésque permiscent, vtrinque quod habet vtile & ad vitam necessarium demoliuntur, animamque lucidam ac nitidam, carnalium voluptatum limo perturbant, & corporis munditiam atque nitorem hac ratione miscentes, inutile hoc ad vitæ officia ostendunt: verum sicuti cõfusa illa adinuicem atque turbata, vim gratiæ naturalis amittunt, ea verò turbatione sedata, vt quieuerint, à se dirimuntur, & vnumquódque in suam naturã se ad ipsum colligens redit, atque oleum quidem purũ ac nitidum supernatat aquæ, aqua verò perlucidum illi vehiculum præbet: Ita & anima & cõrpus cum perturbationibus ex se nascentibus inuicem miscentur, ex ea agitatione mutua vtriusque natura confusa violatur, vbi verò in propriam naturam disiuncta remearunt, anima aurigæ in morem, illustrem speciem suam supernè micantem insinuat corpori. *Basil. de vera virginitate.*

Cũ moribundus æger fuerit, tametsi mundus defleat omnis, nequaquã eum excitabit, ita non resurrectionis, sed lachrymarum ille sit fletus. In anima non sic. Si enim mortuã fleueris, sæpenumero mortuã excitabis. *Chrys. Homil. 3. de pœnitentia.*

Si aliquis ciuitatẽ magnam nobilibus & illustribus viris splendidã, immundis vestigiis aut horridis adire præsumpserit indumentis, si eam pannis obsitus ac seminudus intraret, si dilacerata facie, si vel liuore fœdata vel vulnere, quanta illũ confusio pudoris operiret? Nonnè illũ circunstantia venerandę cõgregationis officia, de cõspectu venerãdi iudicis pręcipitè proturbarent? Et putam⁹ quod animã peccatis horridã, & cœno fœtidæ corruptionis infectã, prę ferentẽ luxuriæ fœditates, dedecorosas impudicitiæ cicatrices, putamus quod eam capere potuerit splendor cœlestium mansionũ, & nõ potius illam ex euangelio sententia dãnationis excipiat, Amice quomodo huc intrasti nõ habẽs vestẽ nuptialẽ. *Euseb. Emyssen. Hom. 1. de Ascensione Do.*

Arundini, id est, carici quæ à vento mouetur peccatrix & infidelis anima comparatur, vt pote quæ leuis, mobilis, inquieta infirma, fragilis infœcũda, velut inutiliũ numerositate foliorũ, plena superfluis, vacua necessariis, inanis gratiis, nodosa peccatis, ad oĩa blandientia obnoxia & facilè cuiuslibet iniuriæ cõmotione cassanda, incõstãs radicibus, à foris nitida vanitatibus, intus cana virtutibus. Quã nulla extrinsecus vtilitas vestit, nulla intrinsecus fidei medulla corroborat. Quã sicut carices quæ fluuios amãt, ita mundi huius prætermeãtia & celeri decursu peritura delectãt. Vnde elaboremus ne huic carici similes appareamus. *Idẽ Ho. de eo quod scriptum est. Arundinem quassatam quis confringet?*

Omnis amarulentia & tumor, & ira, &c. Tollatur à vobis. Quemadmodum in vas impurum, velut immũdum vestimentum nunquã seipsum immittit apum genus: Nam hac de causa & vaporationibus, & virgultis odoriferis bonáque fragrãtia locum apibus deputatum commodum reddunt, qui apum studio tenentur, vinóque fragranti & reliquis bene olentibus, calathiscos præparant quibus apes aluearia egressæ insessuræ sunt, ne per iniucundum odorem offẽsæ deficiant iterum: Ita habet ingenium spirituſsanẽti. Vasculum quoddam est anima nostra & quidam calathi-

scus, ad recipiendum aluearia donis spiritalibus plena ac commodus. Verum si intus fuerit bilis & amarulentia & tumor effugient ista aluearia. *Chrisostomus hom. 15. ad Ephesios.*

ANIMAE MORBVS, ET PERTVRBATIO.

QVemadmodũ incurabilia vulnera, neque austeris medicamẽtis cedũt: Ita anima semel captiua, si se peccato cuipiam fecerit obnoxiã, considerare non vult quæ sibi vtilia, etiam si innumera quis eius inculcet auribus, nihil proficiet, sed quasi mortuæ aures sunt: non quia non potest, sed quia non vult. *Chrysosto. Hom. 29. in Genesin.*

Quemadmodum cœnum si contrectatur, grauius olet: Ita & anima cum perturbata est, & multis intrinsecus fluctibus agitata. *Idem. Homil. 47. in Ioan.*

Quemadmodum nauis innumeros vehens, nisi ad portum appellat, sed in medio pelago submergatur: non modò ei longa proficit nauigatio, sed tanto maiorem facit iacturam, quanto maiores labores subijt: Ita quæ in medio certamine corruunt animæ, grauiori casu concutiuntur. *Idem. Homil. 76. in Ioan.*

Sicut vires corporis moriuntur, & omnem sensum amittunt: Ita & anima cùm multis detinetur affectibus, virtuti moritur: & si quid attuleris, non sentit: sed siue suppliciũ, siue quodcunque aliud minaberis, nullo sanè sensu mouetur. *Idem Homil. 54. in Ioan.*

Quemadmodum qui tenentur in carcere, semper quidem deiecti mœrentesque sunt, maximè tamen sub illum diem quo sunt educendi, & ad ipsas iudicis fores pertrahendi, & priusquam periclitantur, ac iudicis vocem intus audiunt, exanimantur metu, nihiloque melius afficiũtur quàm mortui: Sic & anima, maximè quidẽ in ipso peccati tẽpore cruciatur & angitur, multò magis quum hinc auulsa, abducenda est. *Idem Serm. 2. de Lazaro.*

Sicut vermes in lignis mollioribus enascuntur: Ita animi anxietates in mollioribus hominũ mẽtibus oriuntur. *Basilius de gratiis deo agendis.*

Quemadmodũ acerba vulnera ne leuem quidem manus contactum ferũt: Sic & animus perturbatus difficilis est ac morosus & ad omnia indignatur. *Chrisost. Ho. 7. de fide Annæ.*

Quemadmodum cancri facilè capiuntur insidiis, eo quòd aliàs antrorsum, alias retrorsum incedant: Sic eũ

anima nunc risui, nunc delitijs, mox luctui dedita, nihil proficere potest. *Apud Antonium part. 1. serm. 17.*

Ecce vbi iacet anima infirma, nondum hærens soliditati veritatis. Sicut auræ linguarum flauerint à pectoribus opinantium: Ita fertur & vertitur, torquetur retorquetur, & obnubilatur ei lumen, & non cernitur veritas, & ecce est ante nos. *Augustinus lib. 4. Conf. ß. cap. 14.*

In hoc mũdo anima humana quasi more nauis est contrà ictum fulminis condescendentis: vno in loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. *Gregorius Lib. 3. Pastoral. cur. cap. 35.*

Vt in vlceribus euenit, vt si illis medicamentum curandi gratia adhibeas, vlcus ipsum vi medicaminis refricatũ augescit: si verò curam eius negligas, longè magis sua ipsius natura extenditur: neque prius desinit, quàm omne sub iectum corpus corruptum labefactatumque sit: Ita animis quoq, consimiles interdum morbi ac tabes accidunt, vt nullum ex reliquis animalibus homine atrocius atque efferatius fiat cui si interdum veniam aut impunitatem aliquam concesseris, aut aliter benignitate eum fueris prosequutus, id omne dolum fraudemque existimãs, deterior fit, & erga beneficum longè magis infidus. Si verò te contrà oppoſueris, nihil est adeò durum, crudele, nefarium, quod non facilè aggrediatur, laudem sibi eam temeritatẽ existimans, donec ad extremum omnino efferatus animus humanam naturam exuit. *Polybius lib. 1. hist.*

Quemadmodum qui rigente febre perfrigescunt, aut æstuante exuruntur, acrius infestiúsque afficiuntur, quàm qui æstu rigore ve exterius hæc eadẽ patiuntur. Sic maiores tristitias sentiunt hi, qui internè male sana conscientia vruntur quam qui laborant morbo externo. *Plutarchus de tranquilitate animi.*

Quemadmodum oculus turbatus non est probe affectus ad suũ munus fungendum, & reliquæ partes, reliquumq; corpus cum à statu motum, officio suo ac muneri deest. Sic conturbatus animus nõ aptus ad exequendum munus suũ. *Cicero. 3. Tusculana.*

Oculis prosunt virentia, & quibusdam firma acies acquiescit quorumdam præstringitur: Sic mentes ægras ita permulcent. *Seneca lib. 3. cap. 9.*

Qui corporis morbo laborant, quieti se tradunt, medicum accersunt, abstinent: Sed qui ægrotant animo, quo grauius ægrotant, hoc magis abhorrent à quiete, & à medico. *Plutarchus In Moralib.*

Vt si fons ipse turbidus sit, quicquid inde fluxerit, non potest esse purum: Sic animus si sit infectus malis affectibus, omnia vitiat quæ accedunt: contra si purus & tranquillus. *Idem In Moralibus.*

Vt qui per febrim aut epialum horrent atque æstuant, grauius afficiuntur ijs, qui eadem foris patiuntur: Sic fortunæ res, quòd foris aduenient, minus discrutiant, quam ea quæ sunt animi. *Idem In Moralib.*

Quemadmodũ admonet Xenophon, vt in rebus prosperis maximè meminerimus honorare deos quò si quando inciderit necessitas, audacter eos possimus accersere, seu iam beneuolos & amicos: Sic dicta quæ mortis animi queant mederi multo antè comparanda sunt: vt cum opus est facilè succurrant, iam familiaria. *Idem In Moralibus.*

Qui laborãt aduersa valetudine ijs omnia sunt molesta, fastidiunt cibos, incusant medicos, succensent amicis: at restituta sanitas omnia reddit iucunda: Sic animo ægroto quæuis vita insuauis: animo sano nullum vitæ genus non iucundum. *Idem In Moralib.*

Vt corpus ægrotum nec æstum ferre potest; nec frigus: Ita animus ægrotus prosperis atque aduersis rebus iuxta offenditur. *Ibidem*

Vt canes feroces ad omnem vocem irritantur, ad solam notam ac familiarem mansuescunt: Sic animi morbi cum fæuiunt, compesci non possunt, nisi dicta adsint nota familiariaque, quæ commotos corripiant. *Ibidem,*

Qui nauseant inter nauigandum, existimant se melius habituros, si ex scapha in liburnicam, aut in triremem demigrarint: at nihil agunt, cum secum circunferant timiditatem ac bilem: Ita frustra vertunt genus vitæ, qui morbos animi secum adferunt. *Ibidem*

Vt ciuitas in seditione non potest esse beata, nec in discordia dominorum domus: Sic animus à seipso dissidens, secumque discordans, nullam gustare partem liquidæ voluptatis, ac libere potest. *Cicero Lib. 1 de Finibus.*

Quemadmodum plus agit tortor, quò plura instrumẽta

doloris expoſuit (ſpecie enim vincũtur, qui patientia reſtitiſſent:) Ita ex his quæ animos noſtros ſubigunt & domant plus proficiunt, quæ habent quod oſtendant. *Seneca Lib. 2. epiſtola. 14.*

Quemadmodum nihil differt, vtrum ægrum in ligneo lecto aut in aureo colloces: quocunque illum tranſtuleris, morbum ſuum ſecum transferet: Sic nihil refert, vtrum animus æger in diuitijs, aut in paupertate ponatur: malum ſuum illum ſequitur. *Idem epiſt. 14.*

Quemadmodum ſtomachus morbo vitiatus, & colligẽs bilem, quoſcunque accepit cibos, mutat, & omne alimentũ in cauſam doloris trahit: Ita animus cæcus quicquid illi cõ miſeris, ad onus ſuum & perniciem & occaſionem miſeriæ facit. *Idem lib. 5. de Beneficijs. cap. 12.*

Quemadmodum flamma ſurgit in rectum, iacère ac deprimi non poteſt, nõ magis quàm quieſcere: Ita noſter animus in motu eſt, eo mobilior ac actuoſior, quo vehementior fuit. *Idem lib. 2. epiſtola. 39.*

Quemadmodum flamma non poteſt opprimi: nam circa id diffugit, quo vrgetur: quemadmodũ aer verbere aut ictu non lęditur, nec ſcinditur quidem ſed circa id cui ceſſit, refunditur: Sic animus qui ex tenuiſſimo cõſtat, deprehendi non poteſt, nec intra corpus affligi, ſed beneficio ſubtilitatis ſuę per ipſa quibus premitur, erumpit. *Idẽ li. 2. ep. 55.*

ANTICHRISTVS.

CVM ſaluator mũdi, genus humanum ſaluare decreuiſſet, ex immaculata virgine Maria natus eſt, & in figura carnis hoſtem conculcauit ſuæ diuinitatis propria prẽſentia. Ad eumdem modum etiam diabolus ex impura muliere prodibit ſuper terram: ſed falſõ naſcetur ex virgine. Etenim Deus noſter in carne verſatus eſt nobiſcum, noſtræ non diſpari, quam ipſe fecit Adamo, poſteriſque eius omnibus abſque peccato. Sed diabolus licet carnem aſſumat, hoc opinione tantum. Propterea edetur ex virgine tanquã ſpiritus, quiquidem reliquis tunc apparebit caro. Nam virginem peperiſſe ſolam ſanctiſſimam nouimus: quæ carnigerum verè genuit ſaluatorem.

Si quidem Moſes ait, omne maſculinum adaperiens vul-

uam ſanctum domino vocabitur. Hic autem nequaquam. Sed quemadmodum hoſtis non aperiet vuluam, ita nec carnem veram aſſumet, aut circuncidetur, vt circunciſus eſt Chriſtus. Et ſicuti Chriſtus elegit Apoſtolos, Sic ille integrum populum diſcipulos ſibi aſciſcet nequitia ſui ſimiles. *Hypp. Iuius de conſummatione mundi.*

Erant ſigna in ſole, & luna & ſtellis. Sicut enim Chriſti natiuitatem pax & exultatio præceſſit, cantantibus angelis, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et ecce annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid: Ita & hunc perditionis filium, lites, contentiones, diſſenſiones, terræmotus peſtilentiæ & fames, & alia his ſimilia terroris ſigna præcedent. *Euſebius Emiſſenus hom. de dominica 1. aduentus.*

Quemadmodum cum arca fieret, apertè futurum prænunciauit diluuium: illi autem non credentes, tanquam nullo malo venturo laſciuiebant: Sic Antichriſtus apparebit, poſt quem conſummatio & intolerabiles pœnæ ſequentur. *Chriſoſtomus hom. 78. in Mattheum.*

Vt ante lucem aurora exit, ante noctem autem obſcuritas: Ita in aduentu Chriſti ante illum prophetæ, & cum illo apoſtoli in ſpiritu ſancto faciebant virtutes: in aduentu Antichriſti pſeudochriſtiani & ante illum & cum illo in ſpiritu maligno facient virtutes. *Idem hom. 29. operis imperf.*

Sicut fumus ante ignem præcedit, ante victoriam pugnæ Sic & ante gloriam Chriſti, tentatio Antichriſti. *Idem hom. 49. operis imperfecti.*

Tunc reuelabitur filius iniquitatis. Quemadmodum regna illa deſtructa ſunt, quæ ante Romanum imperium fuerunt vtpote regnum Medorum a Babylonijs, Babyloniorum a Perſis, Perſarũ a Macedonibus, Macedonũ a Romanis: ita & regnũ Romanorũ ab Antichriſto, & ille a Chriſto, & poſteanon amplius obtinebit. Quem dominus Ieſus, ait, cõſumet ſpiritu oris ſui, & abolebit claritate aduentus ſui, cum cuius aduentus eſt ſecundum operationem Satanæ Quemadmodũ enim ignis irruens paſſin minuta animalcula etiã antequã planè aduenìat procul adhuc diſſitus torpefacit & conſumit: ita & Chriſtus. Sufficiet ſolum iubere

& adesse illum, atque ista omnia peribunt. *Idem hom. 4. in 2. Thessalo.*

Quemadmodum ignis suo fragore parua quædam & minuta animantia torpere cogit, & contrahit, consumitque vel antè quàm ea pertingat: Sic & Christus vel solo iussu & eius afflatu, Spiritus sancti virtute oppleto, perditurus est illum vel sola præsentia, & solo eius conspectu sedabit errorem. *Theophilactus In 1. ad Thessal. cap. 2.*

APOSTOLVS.

SI *oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Quemadmodum enim oculi sunt lumen corporis, qui si sani fuerint totum corpus lucidum est: si verò quidpiam incidat vt obtenebrescant vniuersum corpus tenebrosum est: Sic & Apostoli constituti sunt velut oculi & lumen totius mundi. denunciabat igitur Dominus illis dicés, Si vos qui lumen estis mũdi, perseueraueritis nec deflectatis, ecce corpus vniuersum mundi lucidum erit. Quod si vos qui lux estis, obtenebrescatis, quantæ futuræ sunt tenebræ mundi? *Macarius hom. 1.*

Quemadmodum si quis frustulum lapidis in murum proiecerit, nullomodo læsit murum aut commouit: aut veluti telum proiectũ contra ferentem clibanum, nulla tenus offendit ferrum aut corpus: repulsat enim ac repercutit: ita siquid vitij insurgeret in Apostolos, non offendebat eos, cum essent perfecta Christi virtute induti: & hi cũ essent perfecti, opera iustitiæ poterãt peragere. *Idē. hom. 17.*

Quemadmodum qui artem natandi docent, principio multa diligentia discipulos gestant, post vnum autem & alterum & tertium diem, subtracta illis dextera præcipiunt vt seipsos iuuent, & nonnunquam illos parumper mergi sinunt, ita vt & multum salsuginis sorbeant: Ita & cum discipulis suis Christus faciebat. Nam initio nihil eis pati sinebat, vel paruum vel magnũ, sed vbique adérat muniens & circumualans eos, facienſque vt omnia eis vbertim affluerent: cum verò tempus esset, vt virilitatem suam ipsi declararent, subtraxit aliquandiu beneficium, precipiens eis, vt etiam perseipsos multa perficerent. *Chrysostomus homil. in Pricillam & Aquilam.*

Et

Et quemadmodum aues pullos suos fouentes tandiu in nido sedent, donec illorum plumæ increscant, quas dum increuisse viderint, eos primum circa nidum volitare docent, dein adminiculo suo totos destituunt: Ita faciebat & Christus. In Palæstina enim quasi in nido nutricabat discipulos, & exin eos volare docuit præsens & gestans, tandem permisit eos volare in totum orbem dato eis mandato, ne sibi ipsis deessent. *Ibidem.*

Sicut artifex si viderit gemmas pretiosas, & non dolatas, eligit illas, non quod sint, sed quod fieri possint, habens enim scientiam artis, bonum incompositum non contemnit: Sic & dominus videns Apostolos, non opera eorum elegit, sed corda, nec quasi Apostolos elegit eos, sed quia Apostoli poterant fieri, *Idem homil. 7. operis imperfecti.*

Sicut nubes baiulant pluuiam, & effundunt eam super terram: Ita prophetæ & apostoli accipiunt verba a Deo, & effundunt super rationabilem terram. *Idem hom. 20.*

Quemadmodum milites in multitudinem erupturos nemo patitur exire priusquàm armati fuerint, neque quisquam equos finit à carcere prosilere priusquam aurigam nacti sint: ita nec Christus discipulos suos passus est in acie conspici, priusquàm descenderet spiritussanctus, ne facile caperentur, & abducerentur a multitudine. *Idem homil. prima in acta Apostolo.*

Vos viri græci elegantes compositosque sermones audire cupitis quærentes his quammaximè permulceri. Vbi verò tales non inueniatis risu effuso eos contemnitis, ac maledictis incessitis, quinetiam obstructis auribus, quæ dicuntur audire non vultis. Contra verò animaduertere vos oportuit, ita vsuuenire vt ea quæ sunt quammaxime pretiosa, cuncta fere vili materia integantur. Videre siquidem est pretiosam vnionem, quales ampli ac magnifici viri apud se esse desiderant, aspernabili admodum testæ innasci eademque nutriri, augescere, occultari. Qui verò eum sibi coëmunt, auri plurimum persoluentes, missam faciunt testam. Præterea verò pellucentes gemmas, ornandiq; regis capitibus destinatas, aliud genus lapidis extrinsecus circumuestit, despicabilis ille quidem atque inutilis. Qui ergo eas gemmas expoliunt, ad ornatumque continuant, superfluam illam testam,

nihilique pendendam circumputantes abradentesque nitorem lucentium lapillorum detegunt & expediunt. Autũ quoque quod passim a multitudine peramatur, iam purgatum a fecibus non in oculis aureis circumfertur, sed in vili coriò: Ita erat eruditio in Apostolis. *Theodoretus sermo. 9 de legibus.*

Quomodo sal superfluos vel nocituros humores carniũ desiccat, & àputredine purificat: Sic Apostolica doctrina necessaria decalogi præcepta, cunctaque iustitiæ legalis instituta, deficcatis carnalibus ceremoniis purificare habeat, & vbique terrarum cõsilio castitatis salire credentium corpora, quatenus non putrescens, aut vsquequaque prurienti corrumperentur luxuria. O quantas salierunt turmas, vt carnes penitus de siccarentur? *Rupertus lib. 4. in Matth.*

Quemadmodum si cuipiam eorum qui iactãtur in mari & portum percontantur, alter non portum sed aliam pelagi partem turbulentiorem ostenderet, & cum gratia persuadere posset, vt eò se sequeretur, & medicus cũ saucium hominem, & qui medicinam expoſceret, non per medicinam sed per vstionem rursum sanare polliceretur, id ad habendam fidem alliceret, magnæ profecto virtutis esset. Itidem Apostoli non per signum sed per id quod signis contrarium esse videbatur, vicerunt: quod & in cæco operatus est Christus. *Chrisostomus hom. 4. in. 1. Corinth.*

Sicut apud magistros literarum fieri videmus, quorum alius puerulum de gremio matris acceptum, & ignarum omnium, atque incapacem malorum, primis tantummodo imbuit elementis: quem rursus alius magister accipiens, perfectioribus instruit disciplinis: Ita & Moyses ignaram omnium rudem hominum naturam, & (vt ita dicam) nuper à lacte euulsam, prima diuinæ cognitionis edocet elementa: Ioannes autem & Paulus, velut à Moyse iam quæ prima sunt imbutos homines, ad excelsiora & perfectiora deducunt: non vt quæque prima sunt, destruentes, sed tanquam fundamento competenter posito, superponentes totius ædificij celsa fastigia. Vidisti vtriusque testamenti structuram, vnius lineæ modulatorem directum. Vidisti totius ædificij consonam quadraturam *Idem, Serm. 30. de Ieiunijs.*

Rex quidem terrenus congregat exercitum, vt illorum laboribus ipse gloriam consequatur: Christus verò congregauit Apostolos, non vt illorum laboribus ipse gloriam consequatur, sed vt suo labore ipsis victoriam præstet.

Idem Sermone. 30. de Ieiuniis.

Sicut Christus lux mundi est: Ita & discipuli eius lux mundi sunt: sed ille per naturam, isti, per gratiam: quemadmodum & Moses deus esse dicitur Pharaonis.

Ruffinus in explanatione benedictionis Iudæ

Natura salis per aquam, per calorem solis, per flatum venti constat, & ex eo quod sint, in aliam speciem generatur: Sic & Apostoli atque omnes credentes per aquam baptismi, per fidem Christi, qui in comparatione sol iustitiæ dictus est, & per inspirationem sancti spiritus deo renati ex terrena in cœlestem natiuitatem transierunt. Vnde non immeritò sancti Apostoli, sal terræ a domino nuncupantur. Et cuius terræ? promptum est noscere, id est terræ corporis nostri, quam dudum insipientem, ac sensu vanitatis insulsam, euangelicæ prædicationis sapientia salierunt. Ipsi enim sal terræ nostræ facti sunt, quia per ipsos & verba sapientiæ accepimus, & per cœlestem natiuitatem in speritualem sumus demutari naturam. Sicut igitur sal hoc, id est sal terræ indiscretè omnibus opus est, id est, regibus ac potentibus, diuitibus & pauperibus, seruis ac dominis: Sic & cælestis sapientiæ verbum, quod per apostolos predicatum est, necessarium est cunctis ad vitam. Omnes enim secundum Apostolum egẽt gratia dei. *Chromatius in cap. 5. Matthæi.*

Sicut princeps mundi huius, qui iam missus est foràs, falsis philosophis, tanquam elatis curribus, vsus est ad perditionem: Ita ego mea sapientia repletis Apostolis, credentes instituam ad salutem. *Iustus In Cantica Cantic.*

Vbera Christi Apostolos & Euangelistas non incongruè accipimus: per ipsos enim in fide nutrimur, & spirituali alimento reficimur. Idcirco autem meliora vino probantur quia Euangelica doctrina eminentior, quàm lex olim data dinoscitur. Denique illic figura, hîc veritas: illic tãquã austeritas vini diligendum tantũmodo proximũ, & inimicum odiendũ ostẽdit: hîc dulcedo gratiæ, pro inimicis orandum & eos qui nos oderũt admonet diligendos,

Ipsa quoque Christi vbera , id est Apostolos, vnguentis optimis fragrantia declarat: quia tãtis virtutibus , tantisq; emituêre miraculis, vt odor iustitiæ eorum , longè lateque diffusus , tunc intuentes oblectaret , & vsque huc omnes reficiat audientes , sicut vnus ex ipsis pronunciat , dicens: Deo autem gratia , qui semper triumphat nos in Christo Iesu ,& odorem notitiæ suæ manifestat in omni loco per nos. *In Cantica Cantic. fol.* 189.

Sicut in oculis columbarum , iure Apostolos accipimus Spiritu sancto repletos : Ita & in genis , quæ vicinæ sunt oculis , eas Ecclesias quæ per Apostolos crediderunt , quæ velut areolæ aromatum , suauissimum odorem ex sancta conuersatione producunt , consitæ à pigmentatiis , piis scilicet prædicatoribus, ad quos Apostolus ait : Tu autem cum oleaster esses , insertus es in illis , & solius radicis & pinguedinis oliuæ factus es. *In Cantica Cantic. fol.* 206.

Crura quæ totum corpus baiulant , ipsi sunt sancti , qui domum Ecclesiæ , velut marmoreæ columnæ fundatæ super bases aureas describuntur. Hi enim iusti , qui cæteros charitate subportant,& scripturarum consolationibus fulciuntur. sicut ait Apostolus: Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum sustinere , & non nobis placere. Et paulo pòst, tanquam bases aureas , Scripturas sanctas insinuat , dicens : Quæcunque scripta sunt , ad nostram doctrinam scripta sunt , vt per patientiam , & consolationem Scripturarũ, spem habeamus. *In Cantica Cantic. fo.* 206.

ARTES LIBERALES.

QVemadmodum in gemellis natura eodem sæpe vsa charactere , penè indiscretas similitudines exprimit: Pari modo etiam perfecta ars , cum sit naturæ imagó & effigies , quando assumit diuersas materias , format & imprimit eandem cunctis ideam, vt hac maximè ratione fiant cognata germanaque ac gemella eius opera. *Philo Lib. de Temulantia.*

Sicut in domibus vestibula sunt ante ianuam , & vrbes habent sua suburbia , per quæ adeuntur: Ita & ante virtutẽ artes liberales sitæ sunt . Nam illa per hanc viam aditur. *Idem Lib. de congressu quærendæ eruditionis gratia*

Sicut initium ædium est ianua : Sic ad virtutem primus

aditus est encyclopædia. *Idem Lib. De profugis.*

Quemadmodum quidem fossores puteorum quæsitam aquam sæpe non inueniunt? Ita qui vlterius progrediuntur in scientiis, & diutius in eis inambulant, non possunt finem attingere. *Idem lib. De plantatione Noe.*

Quemadmodum visus accipit lumen suum à circumfuso aere: Ita animus suum lumen accipit ex disciplinis liberalibus, vt ad reliqua philosophiæ mysteria reddatur perspicax. *Aristoteles Apud Laertium lib. 5. cap. 1.*

Quemadmodum prima illa literatura per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, sed mox percipiendis locum parat: Sic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, sed expediunt. *Seneca epistol. 89.*

Quemadmodum est aliqua pars philosophiæ naturalis, est aliqua moralis, est aliqua rationalis: Sic & hîc quoque liberalium artium turba locum sibi in philosophia vēdicat. *Libro 2. epistola. 89.*

Rhombus, & squatina, & rhaia, & pastinaca, cum tardissima sint piscium, non sæpe reperiuntur, habentes in ventre mugilem, omnium velocissimum, solertia & ingenio capientes: Ita quidam arte superant, longè potentiores opibus aut viribus. *Plinius Libr. 9. cap. 42.*

Arbor suapte natura non nisi vnicum fœtum gignit, insitione eadem diuersi generis fructibus oneratur: Ita qui naturam suam sequitur, semper idem est: qui arte ducitur, sui dissimilis est. *Idem libr. 17. cap. 14.*

AVARITIA

QVi ædificat domum suam in pecuniis alienis, quasi qui congregat sibi lapides suos in Hyeme. *Eccle. 11.*

Sicut ignis quanto magis ligna acceperit, tantò amplius accenditur & inualescit: Ita & cupiditatis rabies, per ea quæ adipiscitur, auctior & vehemētior efficitur. *Clemens Rom. lib. 4. recognitio.*

In mari piscis minor, esca maioris est, & si vnquam euenerit, vt is qui minorem superauerat alterius præda fiat, ambo tum simul deglutiuntur, & vnum vltimi piscis immersi ventrem ingrediuntur. Quid quæso nos homines a-

liud agimus, cum vim afferimus inferioribus? Quid interest inter eum ac vltimũ piscem, qui sua improba & intemperãti cupiditate diuitias cõsequendi, in inexplebiles auaratiæ sinus imbecilles ingerit homines atque abdit? Ille pauperis patrimonium raptum habuit: tu illum oppressum partem tuarum facultatum feciſti: iniustis iniustiorem pro fecto atque auaris auariorem te ostendisti. Prouideto ne finis idem tibi qui piscibus euenire crebro solet, occurrat, hamus forsitam, aut nassa, aut etiam rete. *Basilius. homil. 7. exameron.*

Ipse ego optauerim vt cancrorum solertem industriam imitatus in parando viatico, aproximorum noxa incommodisque tibi temperes. Cancer efflictim ostrei carnes cupit, sed perdifficilis eius est ipsi venatio, testæ ratione, quæ clauditur ac munitur: perualido nanque & infracto septo carnis ostrei mollitudinẽ natura muniuit. Cũque duæ concauitates exactè inter se coniunctæ ostreum circumplicẽt & ambiant, nihil prorsus cancri denticulati forcipes illi possunt. Quid igitur agit? quid tandem molitur? Cum viderit illud trãquillis in locis tepore sese oblectare, suasque illas valuulas ad solis radios aperuisse ac explicasse, tunc clanculum iniecto calculo conclusionem prohibet, atque quod viribus suis deerat, id tali astu sibi supplet. Talium est profecto morum, qui suum cum dolo fratrem adiresolet, quique ex insidiis proximos aggreditur, alienisque insultat calamitatibus. *Ibidem.*

Nolite sperare in iniquitate. Nam qui diuitias ex iniquitate coactas ad vires atque potentiam facere putauerit, similis est ægroto qui in summo atque redundanti morbi statu, bonam esse habitudinem existimat. *Idem in Psalm. 61.*

Quemadmodum per insaniam mente moti res probè non vident, sed pro morbi sui ratione quæuis imaginantur: Sic anima tua ab auaritia possessa, cuncta aurũ, cũcta argentum respicit, libentius vides aurum, quam solem. *Idem hom. in ditescentes.*

Sæpenumerò pueris cibis iusto appetentioribus, quæ cupiunt maximè, affatim & ad saturitatem damus, ita vt ex copia fastidio capiantur: auarus autem non ita, sed quanto plus accipit tanto plura desiderat. *Ibidem.*

Mihi auaritiæ vitium, non dissimile videtur gulonum

moribus, qui potius optant ingluuie disrumpi, quam ex reliquiis aliquid ad indigos peruenire. *Ibidem.*

Tu cum aurum das vt equum cõpares, animo non angeris, cum verò corruptibilia exponis, vt cœlorũ regũ accipias, lacrymandũ tibi putas. *Idem. Hom. in diuites auaros.*

Vt ebriosis si potum augeas, causam bibendi accumulas: ita etiam qui recenter ditati sunt, quo plura possidẽt, plura cõcupiscunt, auctarij morbum semper alentes. *Ibidem.*

In sũma, mihi euenisse huic adolescẽti, vel propinquis ipsius videtur, quod illi solet aduenire qui iter facit, ciuitatis alicui⁹ spectaculi videndi studio, properatq; vsque ad mœnia: ibi reperto diuersorio requiescit, modicumque quod restat viæ, ob pigritiam atque desidiam ire detrectat, simul & toleratum itineris laborem inanem reddens, & spectaculo bonorum, quæ videre poterat in vrbe, excludens. Sic & huiusmodi sunt homines, qui cætera quidem mandata obseruant, ad bonorum vero suorum erogationem claudicant. *Ibidem.*

Vbi ditiorem aliquem adæquarunt, mox & alterum àquo superantur, adæquare studeant: & vbi istum quoque transierũt, erga alium vltrà ad æquandũ rapiũtur. Quemmodum qui gradus vel scalas ascendentes, ad vlteriora progressuri, continuò ad gradum sequentem vestigia attollunt: nec prius quiescunt quàm summam attingant: Sic & hi à rerum cupiditate non prius cessant, quàm in altum sublati, sese à ruina firmos ac securos reddant. *Ibidem.*

Mare terminos habet, nox itẽ leges ãtiquas nõ egreditur, Solus auarus nullum circumscribit tempus, non terminũ nosci, rerum successione non cedit: sed vim naturamque ignis imitando, omnia comprendit, omnia pascitur, Et veluti flumina exparuis initiis exeuntia, deinde paulatim incrementum intolerabile in processu accipientia, impetu demum violento quicquid obiicitur, secum trahunt: Sic & hi qui in magnam prouehuntur potestatem, ex eo quòd iam aliquos oppresserunt, ad maiora continuò facinora, maioréq; iniurias progrediuntur: ac reliquos quos prius præterierant, per opressos antea lædunt. *Ibidem.*

Ne nos qui rationis sũma participes brutis crudeliores videamur. Illa namque terræ nascẽtibus, vt naturalis cõmunib⁹ sine discrimine vtũtur. Nã & omniũ greges vnũ &

eundem pascuntur montem, equorum multitudo eundé campu m. Denique singula hoc modo inter se victum necessarium mutuò suppeditant. At nos contrà, quæ sunt communia propria facimus: quæ sunt multorum soli possidemus *Ibidem Hom. 8.*

Ne filios tuos auaritiæ causam facias. Relinque bonam filiis memoriam magis, quam diuitias multas. Quemadmodum scorpij filium, quicúque aspexerit, metuet, ne vbi per ætatem licuerit, patris venenum imitetur: Sic item & ex te descendentes liberos, vt paternæ iniquitatis hæredes futuros, priusquam ad ætatem veniant, omnes cauebunt & illis insidiabuntur. *Idem in aliquot scripturæ locos.*

Qui ob possidendi spem facultates suas omnes periculo subiicit, admodum fatuus existit, ac imperito pugili similis esse videtur, qui prius ictum intentat, quàm se in statione firmat, aut gubernatori naui sua corrupta, & ad naufragandum inutili, nauem submergenti hostilem, aut submergere studenti. *Gregor. Nazianz. orat. 1. in Iulianum.*

Age siquem vidisses latrocinij principem grassantem per vias prætereuntibus insidiantem, ea quæ sunt in agris rapientem, in speluncas ac foueas subterraneas aurum & argentum defodientem, ac illic multa recludentem armenta, vestes ac mancipia multa ex incursionibus illis possidentem, age dic mihi nunc illum beatũ diceres propter diuitias illas, an potius miserum predicares, propter supplicium illi venturum? Atqui nondum comprehensus est, neque in manus iudicis traditus, nec in carcerem cõiectus, neque accusatorem habuit, neque in iudiciũ venit, sed delitiis indulget, inebriatur, multaque rerum fruitur abundantia. Attamẽ non propter præsentia, quæque videtur, iudicamus illum beatum, sed propter futura quæque imminent, illum miserum prædicamus. Hoc item de diuitibus & auaris cogita. Latrones quipiam sunt viam obsidentes, res prætereuntium rapientes, velut in speluncis ac foueis subterraneis, aliorum facultates in suis cubiculis defodientes. Ne igitur beatos dicamus illos propter præsentia, sed miseros propter futura, propter formidandum illud iudicium, propter ineuitabiles pœnas. Nam isti quidem latrones frequenter ex hominum manibus elapsi sunt, nihilominus cum hoc sciamus, & nobis

ipsis deprecamur, & hostibus imprecamur istorum vitam, vna cum execrabili rerum copia. Atqui sub Deo vero iudice, nō licet istud dicere. Nullus enim illius effugiet sententiam, sed omnes omnino qui fraudibus & rapinis viuunt, Dei vindictam sibi accersunt, illam immortalem fineque carentem, quemadmodum diues ille.

Nec enim mihi dixeris illum mensa sumptuosa frui, vestibus circundari sericis, mancipiorum greges circunferre, alios submouere in foro, sed explica mihi istius conscientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, ingenij metum, tempestatem, turbationem videbis, velut incuria mentem ad thronum cōscientiæ conscendisse regalem, & tanquam iudicem quempiam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in eculeo suspendentem lateraque conscientiæ radentem vngulis, pro cōmissis vehementer inclamantem, cū nemo sciat, nisi quod solus Deus hæc videre noueris. Etenim qui committit adulterium, etiamsi millies fuerit diues, etiamsi nullum habeat accusatorem, non desinit tamen intus seipsum accusare, & voluptas quidem temporaria est, dolor verò perpetuus, timor vndique ac tremor, suspitio, & anxietas, angelos metuit, vmbras ipsas formidat, suos ipsius famulos conscios, inscios, illam ipsam quam corrupit, & virum quem affecit contumelia, obambulat amarum accusatorem circonferens conscientiam, cum sit suo iudicio dānatus, nec vel ad breue tempus possit respirare. Nam & in lecto, & in mensa & in foro, & in domo & interdiu & noctu, & in ipsis frequenter sommiis hæc iniquitatis symulacra videt, ipsiúsque Caym vitā viuit, gemens ac tremēs super terram, cùm nemo sciat, intus tamen habet ignem implicitū. Idem patiuntur & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrū faciunt. Hoc est ebrioſi, in summa quotquot in peccatis viuunt. *Chrysostomus concione prima de Lazaro.*

Auarus cæcus est, Amor namque pecuniarum pupillam mētis tuæ quasi quidā malignus humor influxit, dēsamque iā nebulā prorsus operatus est. Sed & disrumpi atque dispergi hanc nebulam facile est si scilicet radium doctrinæ christi volueris exhortantem admittere dicentem. Nolite thesaurisare vobis in terra. *Idem Hom. 21. in Matth.*

Fingite vobis videre tetrum quēdā hominē, qui ab ocu-

lis igné emittat, cui ex vtroque humero dracones pro manibus dependeãt, cuius os cauernæ instar magnitudine sit, in quo prodentibus acuti enses stent, ex lingua venenosus fons scaturiat. Venter omni fornace sit ardentior, cuncta quæ immittũtur subito cõsumens, pedes alati, vẽtis quoq; ipsis velocioresfacié, faciem canis, ac lupi simul ostẽdat, nec hoïs vocem emittat, sed insuaue quiddam atque terribile mugiat, is ad hæc omnia faces ardẽtes in manibus teneat. Imaginemur eum obuios iugulare, carnes eorũ lacerare ac deuorare. Sed quid dico? Nam & hoc descripto multo truculentior est auarus, in omnes vt mors insiliens, omnes vt infernus deglutiens, communis generis hominum hostis: quippequi vellet res omnium sibi arrogare, nec finẽ hic facit, verũm cũ vndiq; cupiditate cũcta collegerit, ipsius etiã terræ subst ãtiam, in aurum cõmutari vellet, fontes ac fluuios argento optat defluere. fingamus ipsum à nemine accusari, nullum sibi terrorem imminere, non à iudiciis, non à consuetudine hominum, non à legibus, & tũc videbis ipsum arrepto ense omnes interimere, nulli parcere, nõ amico, non cognato, non ipsis parentibus sed quid plura? Interrogate auarum si hæc secum quotidie versẽt. *Idem Hom.* 29.

Quemadmodum sine fluctibus mare nunquam conspicitur: sic animos diuitum auarorum absque solicitudine, tremore, turbatione, curis, periculis, nunquam reperies, sed ante quam prioracomponant, alia inuaserũt. *Hom.* 39.

Quẽmadmodũ fons si aquarum flumina in seipso quasi stagnum quoddam retineat, facile putrescit? eodem modo diuites, cum in seipsis opes suas detineant, marcescunt: idcirco trito prouerbio fertur: multa diuitiarum putredo, apud hominem est, nec dicitur magna copia ingens thesaurus: putredo enim profectó est nõn possidentium sed opũ ipsarum. Nam reconditæ vestes corrumpuntur, aurum ærugine decoloratur, fruméta marcescũt. Quid plura? Cor possidentis hæc atque conseruantis maioribus in dies curis, quam ærugine decoloratur, atque tabescit. Nam si animũ auari nudũ absque corpore cogitatione perspexeris, inuenies sicut vestem mille tineis corrosam, sic vtique à curis perforatũ, à peccatis putrefactum, & habẽdi cupiditine contabescentem. Non talis profectò animus inopis

est, sed fulget ille quidem vt aurum splēdet sicut gemma, floret quasi rosa: nulla tinea ibi est, nullus fur, nulla cura secularis, sed viuit euangelica vita. *Idem Hom.* 48.

Quēadmodū si quis febricitās, plenum frigidissima vas aqua rapuerit ab aliquo, & eā pestiferā bibēdi cupiditatē expleuerit, ac morti seipsū tradiderit, nō eū vnde aqua rapta est, sed eū qui rapuit accusam⁹, & sibiipsi iniuriatū cēsem⁹: Sic certò de auaris atq; rapacib⁹ cōgitare debem⁹. Peiori nāq; febri isti laborātes, alienarū rerū rapina, habendi cupiditate, inflāmātur. Si quis etiā furore cōcit⁹ gladio à latere cuiuspiā rapto, seipsum occiderit, nonne qui rapuit, sibi ipsi iniuriā intulit, cū is aquo ensis rapt⁹ sit, nulla sit vexat⁹ iniuria? Hoc ipsū quoq; in pecuniarū rapina fieri videmus. *Homil. 52. in Matt.*

Grauis morb⁹ auaritia, est fera insuperabilis. Hāc Apostolus idololatriā vocat: non tamē tā formidabilis est idololatria. Cur tamen idololatriā vocat Apostolus? habēt nonnulli pecunias, & iis vti non audēt, sed nepotibus reseruāt, & intactas ad alios transmittunt: tūc tanquā dona Deo dicata tangere minimè audent: quòd si quando cogūtur, tāquam ad nephas aliquod timidè veniunt. Præterea tāquā qui idolum lapideū, aurū, & clausſtris & vectibus cohibent, pro tēplo arcām præparantes, & argenteis vasis recōdentes. Non ita aurū adoras vt ille idolum? Ille & oculos & animam traderet potius quàm idolum. Non aliter affecti sunt auri amatores. Sed nō adoro aurū, inquies? Neq; idolū dicet, sed inhabitante dæmonium. Ita & tu, licet non aurū, tamen eius aspectu & cupiditate animæ insidentem dæmonem adoras. Dæmone enim grauior est pecuniarū cupiditas, qua multi magis persuasi sūt, quàm illi ab idolis, quib⁹ non omnia parēt, huic verò omnia, & quodcunq; faciēdū suggerit, obsequūtur. Quid dicit auaritia? Esto omnib⁹ inimicus, obliuiscere naturā, cōtemne Deum, sacrificiū mihi ipsum offer. Dicto citius parēt. Et idolis quidē boues sacrificāt: auaritia, Offer mihi animā, inquit: & persuadet. Vides quas habeat aras, que libamina accipiat. *Ho. 64. in Mat.*

Quēadmodū q acutæ bilis feruore febricitāt, nō solū extīgūt ardorē potu, verumetiā incēdūt atq; inflāmāt: Si q auaritia laborāt, cū huic cupiditati oī bile acerbiori pecuniā afferunt, maiori seipsos flāma incēdūt. Nihil quippe hanc

sitim ita extinguit, quemadmodum si ab huiusmodi desiderio teipsum liberum constituas: sicut etiam acuta bilis, non potu sed è cõtrario potius extinguitur. Sed hoc ipsum inquies, quomodo facere potero? Si perspexeris nunquam rerum copia huius te ardorem sitis extincturum, sed solo diuitiarum despectu, ab hoc te tabifico morbo eripere posse. *Idem. Hom.* 64.

Nemo dubitet facilius in paupertate quã in rerum copia posse pecuniã despici, ac multomagis à diuitib⁹ quã a pauperibus magnitudinem pecuniæ concupiſci. Veluti ebrius maiore siti vexatur, quàm qui modico vino vsus est. Et quẽ admodum ignis addita materia magis efficitur: sic pecuniarum cupiditas adiectione auri magis extollitur. *Idem. Hom.* 1.

Vultis dæmoniacos & auaros inter se comparemus? Nũquam dæmoniacus veste induitur, sed lapidibus seipsum acerbissime cædens, per asperrima & inuia loca à dæmone actus percurret. Quid igitur, si auaros peiora his aggredi atque pati, adeò vt ludus, hæc ad illa videantur, probabimus? fugietísne hanc ægritudinem? Eya igitur videamus vter minus laboret. Nihil enim alter ab altero differe videtur, cum vtérque omni nudo turpior reperiatur. Multò enim melius est nudum omnino esse, nullâque veste contegi, quam rapta pecunia magnificas vestes sibi comparare, qui mihi vestiri videntur, veluti qui treriis bacchi bacchãtur. Nam quemadmodum illi laruas & vestes insanientiũ accipiunt: eodem hic quoque pacto. Sicut itaque dæmoniaci nuditatem à furore fieri videmus, sic hos amictus ab insania non negauerim. Itaque nuditate illa hic amictus miserabilior, quod idem ostendere conabor. Quem enim ex ipsis insanis magis insanire dicemus, eúmne qui seipsum solummodo cædit, an eum qui tam seipsum quàm quoscũque obuiam habebit? Hunc videlicet vltimum. Demoniaci ergo seipsos denudant, auari autem obuios dum possunt. Sed lacerant illi vestes, inquies, O quãtomagis vnusquisque læsorum vellet laceratum sibi potius indumẽtum, quã ereptum esse vniuersam substantiam. Sed vulnera in hominis faciem non incutiunt: imò verò paupertatem eis, & inediam inferentes, corrodunt. Sed non mordent dentibus

ſicut dæmoniaci. Vtinam dentibus morderent, & non malis omni dente acutioribus. Dentes enim ipſorum ſcutum & ſagittæ. Sed non ſequuntur deſerta vt dæmoniaci: vtinã eremum & non ciuitates popularentur, vt omnes qui in vrbe habitant in otio viuerẽt. Sed non petunt lapidibus quoſcunque obuios: & quid hoc eſt? Multo certè facilius eſt, à proiectis lapidibus cauere, quam literas & ſtipulationes, chartã & attramento in miſeriam inopum confectas, & mille vulnerum plenas euitare. *Idem, Hom.* 82.

Quemadmodum ſi quis amans mulierem, amplexu vti non poſſit, extremo dolore cruciatur: ſic diuites facultate quam habent, ſi auari ſunt, nullo modo ſe ſatiare poſſunt: ſed tale ſibi accidit, quale de Eunuchis vir quidam ſapiẽs dicit: cupiditas Eunuchi virginitatis adoleſcentulæ floré nititur eripere. Sicut igitur Eunuchus virginis amplexus ingemiſcit: ſic omnes qui diuitiis inhiant. *Idem Hom.* 74.

Pecuniæ cupiditas tenebra eſt, quã efficitur, vt aliter quã ſe habeant res videantur: ſed quemadmodum ſi quis in profundiſſimis tenebris, aut vas aureum, aut lapides pretioſos aut veſtes aureas videat, dignitatem earum rerum diſcernere non poteſt, pariter certè auarus, optimarum rerũ pulchritudinem nullo modo percipit. *Ibidem.*

Mea quidem ſententia, cum mille dæmoniacis habitandum potius eſſet, quam cum vno qui hoc morbo laboraret. Nam æris quidem auidi, beneuolos niſi vtiles ſint, inimicos dicunt: & liberum hominem ſi poſſent, libenter in ſuam ſeruitutem redigerent: dæmoniaci verò nihil huiuſmodi faciunt, ſed ipſi ſoli ſuo malo laborant. Et illi quidé multas domos euertunt, noménque dei propter ipſas blaſphemãt, communis ærumna ciuitatum, atque orbs totius: dæmonibus autem exagitati, lachrimas nobis ita mouent, vt eorum facile miſereamur: & iſti nõ ſentiunt plerúnque quod agunt: illi præmeditati omnia faciunt in mediis vribibus bacchantes, ac nouam inſanientes inſaniam. Quando enim omnes ſimul dæmoniaci tantum facinoris committent, quantum Iudas ſolus commiſit? *Idem Hom.* 29. *in Matthæum.*

Dæmone grauior eſt pecuniarum cupiditas, qua multi magis perſuaſi ſunt, quam illi ab idolis, quibus non omnia parent: hinc vero omnia, & quodcúnque faciendum ſug-

gerit, obsequuntur. Quid dicit auaritia? Esto omnibus inimicus, obliuiscere naturam, contemne deum, sacrificium mihi teipsum offer. Dicto citius parent. Et idolis quidem boues sacrificant, auaritia offer mihi animam, inquit, & persuadet. *Idem. Hom. 64. in Ioan.*

Vt in morbis & fistulis, nisi quis prius fluentem humorē, & vulnus sistat: quæcunque impoſuerit medicamenta, nō amota morbi causa, omnia frustra contendet: ita & nos nisi manum ab auaritia, cohibuerimus, licet eleemosynam demus, omnia in cassum laboramus. *Idem Hom. 87. & Hom. 32. ad pop. Antioch.*

An nō cæde deterius esuriei pauperem addicere, in carcerem coniicere, atque adeo vna cum fame qua tu illum cōfeceris, & tormentis item dedere, & infinitis verberibus cædere? Quamuis enim hæc tu non facias, tamen si causa a te fuerit qua causa ea fiant, facinoris auctor potius cēseri debes, quam quibus administris facinus idem peragitur. Etenim paricida mucrone statim impacto, ad breue tempus dolorem inurens, tormentum vlterius non intendit. At tu sycophantus, vexationibus, insidiis, lumen illi tenebras reddens, eò fraudis ac calamitatis illum adigens, vt milies mortem sibi afferre precetur: cogitato quæso quot mortes pro vna afferas. *Idem Hom. 11. in epist. ad Rom.*

Qui plusquam permissum erat manus colligebant, hi nō manna sed vermium plus & putredinis tum retulerunt. Idē auaris accidit & voluptuariis: vt plus detrimenti reportēt, plus iis sit stercoris quā lucri & voluptatis, sed hi tanto deteriores quam illi, quod Hebræi quidem ad errorem semel commissum, agnitum resipuerūt. Ebrij autēm & auari vermem tanto molestiorem in suos ventres & domos inserunt, nec satiantur, nec sentiunt quidem. In vano conatu persimiles, sed pœna longè maior. Quid enim locuples a paupere differt? Nam vnum vtérque corpus vestit, vētrem nutrit? Curis puto, quibus miser consumitur, dei neglectā corporis inquinatione, animi perturbatione, diues auarus pauperem præcedit. *Idem Hom. 40. in 1. Cor.*

Auarus, qui & simulacrorum cultor est Deficit à Deo auarus sicut simulacrorum cultor. Et ne putes istud temere dici, est sententia Christi: Nō potestis Deo seruire & Mammonæ, qui Mammonæ seruiunt seipsos extra seruitutem Dei

ciecerunt. Qui vero dominium ipsius abnegant, & in animato seruiunt auro, clarum est esse idolorum cultores. Sed nullum inquis feci simulacrum neque constitui aram, neque immolaui oues, neque vinum libādo obtuli, sed ecclesiam ingressus sum, manúsque ad vnigenitum Dei filium extendi. Dic mihi obsecro, vnde probamus militem? An ex eo quod cum reliquis satellitibus comitatur regem, & ab eo nutritur, illiúsque nomini accēsetur? an inde quod quæ illius sunt curat? Si cum rege se facere & quæ illius sunt curare simulauerit, interea verò res hostium agendas susceperit, grauius delictum esse dicimus, quā si planè seipsum a seruitute regis abruptum, hostibus addixerit. At non mactas oues. Mactas verò homines & animas rationales, illas quidem fame, istas autem maledictis. Isto sacrificij genere nihil est bacchicum magis, nihil insanius. Quis vidit vnquam animas mactari? Maledicta est auaritiæ ara Nam si ad simulacrorum illam accesseris aram, videbis illam caprinum atque bouinum olentem sanguinem: ad istam verò auaritiæ aram si veneris, humanum sanguinem videbis misere & crudeliter exhalantem. *Idem Hom.* 18. *ad Ephesios.*

Quemadmodum aduersi quidam ac furentes venti, si in mare placidum irruant, ipsum funditus vertunt, adeò vt arena profundi supernis misceatur vndis, ita & pecuniæ cupidi omnia penitus miscent, neminem qui huiusmodi est, amicum nouit. Sicut enim flamma vehemens, vbi in syluam incidit, peruertit omnia & desolatur: ita & ista cupiditas orbem destruxit vniuersum. Reges, principes, priuati, pauperes, mulieres, viri, pueri, omnes æque hac lue detinentur: ac veluti caligo quædam orbem totum obsederit, nemo est qui respiscat, etsi innumeris quotidie auaritiam insectetur maledictis, nullus tamen emendare vitiū studet. *Idem Hom.* 17. *in* 1. *Timoth.*

Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes aberrauerunt. Sicut enim cum quis recto itinere gradiens, si in aliud aliquid intendat animum, pergit quidem, sed sæpe dum nescit, vrbem illam pertransit, ad quam properabat, pedésque frustra sui ministerium præbent: ita fermè & in cupiditate contingit. *Ibidem.*

Sobrie viuamus in hoc seculo. Nō modo abstinētiā fornicationis

indicat, sed reliquarum perturbationum. Igitur qui pecunias amat, sobrius non est. Nam sicut est corporum amor, ita pecuniarum: imò longè hic impotentior qui non tantâ habet vim qua possit impellere. Namque & auriga ille impotens diceretur, non qui superbum aut infrænem equum non contineret, sed qui mansuetiorem subiicere, moderarique non posset. *Idem Hom. 5. ad Titum.*

Quid turpius viro pecunias amante? Quæcunque enim meretrices mulieres faciunt, quæcunque in scena comtmittuntur, non cuitat efficere, sed tam absurda & ipse operatur. Magis autem fortassis illæ aliquid emittant, quam iste. Nam iste etiam seruilia, indecenti adulandi modo perpetitur, rursus audax, vbi non oportet. vbique varius est, malignis hominibus & senibus, fortassis etiam perditis, & multo pauperioribus & vilioribus assidens adulatur, & alios bonos ex omni parte virtutem habentes vituperat ferociter. Intueris ex vtraque parte turpitudinem & impudentiâ & humilis est præter modum & glorioſus. Sed prostant in ædibus meretrices, & hoc est earum crimen, quia corpus suum venundant pecuniæ causa. Sed paupertas & fames compellit, licet neque hoc idoneum sit ad excusationem, poterant enim opus facientes enutriri. Hic vero stat auarus, non in domo sed in media ciuitate, non corpus sed animam suam prostituens diabolo, vt & voluptuetur cum ea, & intret ad eam veluti ad meretricem, & impleta omni cupiditate egrediatur, & videat tota ciuitas, non duo viri aut tres: & hoc proprium est meretricum, quia eius sunt qui aurum dat, sit ille seruus, sit monachus, sit quilibet, proponat autem mercedem, suscipiunt: liberos vero etsi omniũ sint, nobiliſſimi, sine argento non admittunt: hoc etiam isti faciunt. Rectas quidem cogitationes, quando pecuniam nõ habent auersantur: malis verò & deo verè repugnantibus cõmiscentur, & pulchritudinem animæ perdunt. Sicut illæ quæ natura deformes ac nigræ sunt, & agrestes & crasse turpes & male formatæ, & ex omni parte fœdæ: sic etiã istorum efficiuntur animæ, & neque externa politione deformitatem suam possunt contegere. Cum enim externa sit deformitas quecumque adinueniant, quæcumque excogitent, neque sub fictione latere poterunt. Quoniam vero impudentia facit meretrices, audi prophetam dicentem:

Impudens

Impudens facta es ad omnes, facies meretricis facta est tibi: Hoc etiã ad auarum dici potest, impudens factus es ad omnes. Non ad istos, ad illos, sed ad omnes: Quomodo? Non patrem, non filiam, non coniugem, non amicum, non fratrem, non benefactorem, nullum vt absolutè dicam reueretur huiusmodi. Et quid dico amicum & fratrem & patrem? Ipsum non reueretur Deum, sed omnia fabulæ illi videntur & risus. *Idem Homilia. 15 ad Hebræos.*

Nònne recte idololatriam auaritiam vocauit Paulus? Quantum enim illi honorem circa idola ostendunt, tantũ & isti circa vestimenta sua, & circa ea quæ habent ex auro confecta. Vsquequo non cœnun istud euacuamus? Vsquequo luto & lateribus adhærebimus? Sicut enim illi Ægyptiorum regi laborabant: sic & nos diabolo laboramus, & flagellamur multo grauioribus flagellis, quanto enim anima præstantior est corpore, tãto grauiùs curis flagellamur per singulos dies, & non timemus curam gerentes & trementes. Contemnamus pecunias, ne salutem nostram contemnamus. Dic mihi si haberes aliquem virum magnum tui curam gerentem: deinde cognosceres quoniam semper victurus esset, & quod non eum morte præuenires, & cuncta tibi impartiens, cum fiducia suis rebus vti permitteret, num velles aliquid possidere? Num etiamsi omnibus nudus esses, ditiorem tamen te esse putares illum habendo? Quid ergo luges quia pecunias non habes. *Ibidem. Homilia 20.*

Manus non faciens eleemosynam, arida est: quæ verò etiam aliena aufert, scelesta est & impura. Nullus cum talibus manibus cibum sumat, iniuria quippe est hæc discumbentium. Dic enim mihi si quis in tapetis & straminibus mollibus & auro textis linteaminibus discumbere nos faciat, in domo ampla & splendida, & multitudinem ministrantium ante nos constituat, deinde vas aureum, vel argenteum præparans, in cibis plurimis, vel opiparis cumulans, & facultatem nobis vescendi tribuat, si modo patiamur eum manus cœno vel fimo humano perungere, & sic nobiscum ad comedendum simul discumbere, quæso an quis molestiam istam sustineret, & contumeliam non iudicaret? Statim, opinor, exiliret ac effugeret. Nunc autem cœno re vera cœno non solum manus vides repletas, sed

etiam ipsos cibos, & non exilis, non refugis, non increpas, sed si in potestate vel potentia fuerit, etiam magnum aliquid arbitraris, & animam tuam delitiari existimas talibus vescris, quæ omni cœno peiora sunt: auaritia enim quouis cœno deterior est. Animam quippe non corpus polluit, & facit eam vt difficile diluatur: vides ex hoc cœno discumbentem perunctum, & manus & vultum, & repletã eius domum, & repletam etiam mensam stercore: & quicquid aliud adhuc immundius, & spurcius dici potest, illi cibi pollutiores & scelestiores sunt. *Ibidem Hom. 25.*

Amor pecuniæ vt fera quædam & crudelis domina, omniũ corda possidet, & tyrannica dominatione deuincit. Sæuit vt barbarus, feruet crudeliter, vt tyrannus, debacchatur impudenter vt meretrix, nusquam miseretur, nusquam pudet. Et cum lupis, vrsis, leonibus ferocius sæuiat, suauis tamẽ videtur hominibus & amabilis, melle, imo & fano ipso dulcior. Cumque his qui eã desiderant, gladios acuat quotidie, foueas paret, scopulisque eos mille, & mille naufragiis illidat, expetitur tamen ab eis. Volutari in cœno eius tanquam sues delectãtur, & vt canthari stercus eius euolluas. Tales quodammodo omnes qui auaritiæ huic manus dederunt, infœliciores & turpiores etiam istis immundissimis animalibus. *Idem Hom. quod nemo læditur nisi à seipso.*

Non par est corporum vincere concupiscentiam & pecuniarum, sed maior illic est labor. Cur tandem? Quoniam voluptas quidem naturalis est, & corpori nostro insita, pecuniarum autem cura nequaquam. *Ibidem Hom. 36*

Nullum inter auri sollicitos collectores & cœni atque laterum operarios discrimen est. Nam vt tunc Pharao atrocissimus ille tyrannus flagellis ad colligendas paleas cõpellebat Hebræos: Sic etiã nũc diabolus ad officiũ laterum flagellis cupiditatũ multos incẽdit. Quid autem aliud aurum quam cœnum & argentũ quã palea? Sicut ergo palea ignẽ, sic pecuniæ cupiditas auaritiæ flammã incẽdit, & quasi cœnũ coinquinat possidẽtes. Sicut olim Moses à deserto missus est saluator: ita nũc filius Dei de cœlo. *Ibidẽ Ho. 40 in Matt.*

Vesana diuitiarum cupiditas est morbus insanabilis, fornax quæ nunquam extinguitur, tyrannis per orbem longè diffusa, diuitiæ ingratæ sunt, fugitiuæ, homicidæ, crudeles & implacabiles, bestiæ incurabiles, præcipitium vndiqua-

que præruptum, scopulus assiduis plenus fluctibus, mare innumeris ventis agitatũ, tyranni acerbè imperantes, nunc quouis barbaro sæuiores, inimicæ irreconciliabiles, quæque nunquam erga eos à quibus possidentur, remittunt simultatẽ. *Idẽ Ho 14. cũ Sarton. & Aurel. actis essent in exiliũ Tom. 5.*

Auarus vir similis est inferno. Infernus enim quãtos mortuos deuorauerit, nunquam dicit satis est: Sic etsi omnes thesauri circumfluxerint in auarum, nunquam satiabitur. *Aug. epist. 3. ad Ioannem comitem.*

Dies quintus produxit animalia quæ ex aqua Dei iussu procreata sunt, in quibus mirabilis Dei sapientia elucescit. Ceti & volucres carniuoræ in memoriam nobis redigunt homines auaros & præuaricatores. Sunt etenim ab vna radice tam aquatilia quàm volatilia procreata, & quædam naturale ius obseruant, nulli imbecilliori iniuriam inferendo, verum decenter legem Dei custodiunt, & victitant seminibus terræ. Quædam verò ex istorum grege transgrediuntur Dei legem, carnes vorant, & infirmiora iniuriis afficiunt. Ad eundem modum quotquot sunt in sanctorum album relati, legem Dei sedulo obseruant, neminem lædunt, neminique iniuriam afferunt sanctè & iustè viuentes. Cæterum raptores homicidæ & impij nihil differunt a cetis feris & carniuoris auibus. *Theo. Antioch. li. 2. ad Antolyc.*

Infernus mortuis non repletur, sed quanto plures susceperit, tanto plures desiderat. Imitatur eum auaritia, quæ satiari non potest, sed quanto plus habuerit, plus requirit. *Theophilus Alexandrinus, epist. 3. Paschali.*

Congerantur bona omnia quæ expetere potest animus, nunquam tamen explebùnt inexplebilem animum, non magis quam vllus sufficiet humor ad sanandum eum cuius desiderium non est ex inopia, sed ex æstu ardentium viscerum oritur, non enim sitis illa sed morbus est. *Seneca de consolatione.*

Famulus securam vitam ducens, quocunque demum victu alatur, dulci somno reficitur. At qui pecuniis seruit, herum habet importunum, qui dormire eum non sinit, curam scilicet, augendi lucri anxietatibus plenam. *Olympiodorus in Ecclesiasten, cap. 5.*

Omnes iniquitatis species morbi sunt ipsius animæ. Adeò verò grauis est & intensus auaritiæ morbus, vt radix ma-

lorum omnium meritò nominetur. Inquit ergo: Vidi assertatas opes in perniciem possidentis. Aut enim peregrè proficiscens, perdit auarus diuitias, cum propter eas nonnunquam grassatorum insidias raptorúmque patiatur: aut si cætera euadat incommoda, vita demum excedens, pecuniis tunc priuatur. Planéque intelligit se pro incerta re atque instabili laborasse, vt quibus omnino carituras erat, pecunias congregaret. *Ibidem.*

Quid laboras in ventum, cum sint diuitiæ prorsus instabiles, & aquatilis bullæ cum detumescit, persimiles? Sed & ipsa auaritia in tenebris elanguescit: hoc est, in ignorantia & luctu. Auarus enim neque sui ipsius miseretur, cum parcè ac vix congestis vtatur, sed etiam tristi insuper iracundia stimulatur, & leui occasione in contentionem surgit & excandescit, anima graui ægritudine occupatur. *Ibidem.*

Ferunt Seleucidem auem insatiabilem in esu locustarum, quod ad hominum vtilitatem Deus excogitauit. At auarus in multorum detrimentum animum habet insatiabilem, quotcunque cernit oculus, tot auarus appetit, non satiatur oculus aspectu, neque auarus expletur accipiendo, infernus non dicit sufficit, neque auarus vnquam, satis est: miserrime homo quando frueris præsentibus cum semper adipiscendi laboribus detinearis? Væ qui coniungunt domum domui, & agrum agro, ait Esayas. An non & tu facis? Malus in vrbe cohabitator auarus, malus in agro, mare nouit terminos suos, nox non transilit antiquas leges, auarus tempus non reueretur, terminos non agnoscit, sed ignis violentiam imitatur, omnia occupat, omnia depascit, & tanquam fluuij ex paruis initiis orti, deinde paulatim per incrementa sumentes vires violento impetu quicquid obstat secum rapiunt. *Isidorus clarius oratione 38 contra auaros.*

Quemadmodum hydropicorum desiderata nunquam externo humore adhibito saturantur aut tolluntur, nisi interna corporis dispositio curetur: Sic concupiscentia illa plura habendi nunquã exsaturatur nisi vitium quod in animo est, ratione aliqua corrigatur. *Polybius lib 13 hist. in principio.*

Vt Chius ille vina optima vendebat aliis, ipse vappam potabat: Sic qui omnia sua deprauãt, nec suis ipsorum bonis fruuntur. Huius seruus interrogatus quid ageret do-

minus: Cum adsint, inquit, bona, quærit mala. *Plutarchus in Moralibus.*

Quemadmodum adulteri alienas vxores adamant, suas contemnunt: Sic quidam aliorum bonis magis delectãtur, sua eleuant, aut etiam negligunt. *Ibidem.*

Vt ij quos dolentes sopor occuparit, tristia somniant: Ita qui inuidia, superstitione, auaritia laborant. *Ibidem.*

Vt membrum scabiosum semper opus habet fricti: Ita cupiditas animi nunquam satiatur. *Ibidem.*

Quemadmodum apes ad mellis: Ita auari ad lucri odorem confluunt. *Idem in Moralibus Memnit eius etiam Maximus sermone 12.*

Hominis auari vita silicernio, hoc est, funebri conuiuio similis est. Cum enim habeat omnia cætera, exhilaraturum non habet. *Aristonymus, Apud Stobæum ser. 8. de Iniustitia, & Antonium in Melissa ser. 34.*

Quemadmodum is qui bonum habet equum, imperitus autem equitandi eo nequaquam delectatur: Sic homines prædiuites colligunt quidem opes, harum autem vsum cũ nesciant, voluptatem nullam ex his capiunt. *Stobeus, sermone 90.*

AVDITOR.

SIcut si quis odoris saporisque vinum suauissimum conuiuiis suis apponat in phialis poculisque min⁹ elegãter affabréque insculptis, nihilo secius qui sitientes accũbunt, vino se imbuunt, neque poculorum materiam artificiumque inspiciunt, sed vinum laudant, quod cum magna sitis voluptate exhauriunt: Itidem agant & auditores. *Theodoretus ser. 8. de Græcarum affectionum curatione.*

Non vides quod camelum animal impurum esse lex pronuntiat: quia ruminat quidem, sed non diuidit vngulas? Atqui si causam hanc ita vt sonat, consideremus, non video quam rationem habeat: Quod si introspiciamus penitius, apparebit ratio. Quemadmodum enim quodlibet ruminãs cibum semel deuoratum, & rursum sub dentes reuocatum atterit: Sic anima cuiuscunque disciplinarum studiosi, postquam per aures recepit contemplatione dignum aliquid, obliuioni hoc nõ tradit, sed per otium secũ ipsa retractat.

singula, & cuncta sibi reducit in memoriam. Memoria porrò non quæuis bona est, sed ea sola quæ rerum bonarum meminit. Malarum enim non obliuisci, nocet maximè. *Philo. lib. de agricultura.*

Canes venaticos imitatur prudens ac sapiens auditor, huc illucque feras quærentes. Ipse enim non intellectam rem sæpe ac multum inuestigans interrogánsque tandem assequitur. *Cyrillus Alexand. in Ioannem, lib. 1. cap. 2.*

Non oportet hoc animo ad audiendum accedere quo ad spectaculum, puta, vt tantum delectemur, sed vt meliores efficiamur. *Plutarchus in Moralibus.*

Vt ad sacrum epulum, sic ad auditionem oportet placidum ac beneuolum accedere, vt benedicta probes candidè: aut si parum rectè dicat, tacitus notes, quam ob rem erranerit, & animi conatum certè probes. *Ibidem.*

Vt qui ad conuiuium accessit, vtitur appositis, nec aliud requirit: ita dicentem tacitè audire oportet, donec qui dicit, perorarit, tum si lubeat, vtilem aliquam quæstionem proponere. *Ibidem.*

Vt non impletur vas, quod semper effundit, nihil accipit: Ita non accipit sapientiam, qui semper loquitur, nunquam auscultat. *Ibidem.*

Non conuenit, vt in tonstrina surgens, ad speculum contépleris teipsum, num rectè sis curatus: Ab oratione discedens, non expendas, num melior sis factus, aut deterior ex auditione. *In Moral.*

Non sic ad audiendum est accedendum, vt velis inungi & oblini fucis, quò nitidior fias, sed gratiam habeas, si velut alueare aeri fumo, sic ipse mordaci sermone purgeris animo, qui cæcutientiæ & lippitudinis est plenus. *Ibidem.*

Qui coronas nectunt, bellissima quærunt, non vilissima: at apes etiam amarissimo thymo insidunt, atque inde mellificium colligunt: Sic oportet auditorem non floscules orationis voluptatis causa sectari, sed vim sententiarum, & vtilitatem. *Ibidem.*

Vt qui comœdos audiunt, non ob hoc audiunt, vt ipsi comœdi fiant, sed vt voluptatem capiãt: Ita nunc permulti concionantem audiunt, non vt imitatione meliores fiant, sed vti delectentur. *Ibidem.*

Vt in obsoniis non solùm sequimur voluptatem, sed etiã

salubritatem: Sic in audiendis & legendis auctoribus. *Ibidem.*

Vt pulli in volucres semper hiantes pendēt de ore alieno: Sic quidam molesti sunt docēti, quod necessarium sit eis omnia mansa in os inferere, nihilque tradant ipsi sibi. *Ibidem.*

Vt amantes candidæ interpretantur vitia quædam: Ita debēt & auditores dicentium. *Ibidem.*

Vt in ludo sphęrę alterius est commodè mittere, alterius scitè excipere: Sic in audiendo conuenit vtrumque suo fungi officio, tum eum qui differit, tum eum qui auscultat *Ibidem.*

Vt venatores non sinunt canes quiduis olfacere, aut mordere, sed integros eos seruant ferę: Sic oportet aures & oculos & non sinere quouis vagari, sed rebus necessariis reseruare. *Ibidem.*

Vt diligentius seruanda est ea porta, quà via sit ad regiam: Ita cautius seruandus auditus, quòd maximè sit cū rationali animi parte coniunctus, & quod per eum admittitur, maximè potest vel iuuare vel lædere. *Ibidem.*

Frustra claudūtur portæ ciuitatis, si vna relinquatur aperta, per quam hostes irrumpant: Ita non satis est in cæteris temperatum esse, si auditus pateat pernicioſis sermonibus. *Ibidem.*

Iudex in causa nihil tribuens amori, tantùm rem perpendit, ac secundum eam pronunciat: At in audiendis philosophis, multis lapsibus candide fauendum est. Vnde veteres iuxta Mercurij statuam, Gratiarum item ponere soliti sunt, *Ibidem.*

AVLICVS.

QVemadmodum qui valde febricitant, appetitum & robur amittunt: Sic qui principum aulas inhabitant mentem & bonos mores perdere solent, nisi frequenter animo repetant hoc dictum, Nosce teipsum. *Antonius monachus sermone 59. sententiarum*

Indicæ testudines meridiano tempore blandiente, gaudent totos dorso per tranquilla fluitare, donec oblitis sui, solis vapore siccetur cortex, vt mergi nequeant, iamque

inuitæ natent, oportunæ venantium prædæ: Ita quidam spe magnarum rerum allecti in principum aulas sese conijciunt, & adeò deliniuntur aulæ delitiis, donec imprudentes eò redigantur, vt non possint etiamsi velint, in suum otium sese recipere. *Plinius libro. 9. cap. 10.*

Vt Heliotrophium ac Lupium circumaguntur cum sole, & quocunque se mouerit ille, eòdem deflectunt & hæc cacumen: Ita proceres aulici quòcunque regis ingenium vergit, eò propendent omnes. *Idem libr. 18. cap. 14.*

Cracca leguminis genus est, adeo gratum columbis, vt ea semel gustata negent illas posteà ab hoc loco profugere: Ita qui semel aulæ mel & honorem gustarunt, nunquam ab aula possunt auelli. *Idem cap. 16.*

Sunt arbores aliquot quæ post solstitium inuertunt sua folia, vt vlmus, tilia, olea, populus, alba salix: Ita vulgus procerum simulatque princeps vitæ genus, in diuersum commutarit, vertunt & ipsi vultum, cultum, orationem & omnia. *Idem libr. 18. cap. 28.*

Vide amicitia principum.

BAPTISMVS.

QVemadmodum qui somnum excusserunt, ab eo tempore protinus intus vigilant, vel potius quemadmodum qui oculorum suffusionem conantur abstergere, non extrinsecus illis lucem suppeditant, quam non habent, sed quod oculis impedimentum afferebat, depellentes, liberam reliquit pupillam: Ita etiam qui tingimur abstersis peccatis quæ diuino spiritu, instar caliginis, tenebras offendebant, liberum, ab omnique impedimento vacuum, & lucidum habemus spiritus oculum, quo solo quod diuinum est, intuemur. *Clemens Alexand. libr. 1. Pædag. cap. 6. Ibidem vocat baptismum, medicamentum pœnitentiæ.*

Si tibi dies nuptiarum proponerentur, an non relictis cæteris rebus omnibus, de apparatu conuiuij esses sollicitus? Sanctificaturus autem seu desponsaturus animam cœlesti sponso, an non postpones corporalia, vt accipias spiritalia? Non licet bis aut ter hoc lauacro vti, vt si forte semel fueris eo frustratus, deinceps corrigas. *Cyrillus Ierosolimit. præfatione catecheseon.*

Hæc verò quæ de lauacro regenerationis per ordinem tradimus documenta, si hodiè neglexeris quando tandem corrigentur? Existima tempus id esse plantationis arborum, quo nisi fodiamus & inseramus, quando tandem poterit rectius plantari, quod semel est malè plantatum? Ædificium quoddam esse intelligas catechesin, ac nisi ordine vinculis constringamus structuram, ne quid laxum & hians reperiatur, debile fiet ædificium: sed est operæ pretium lapidem lapidi apponi, & angulum angulo coniungi, atque superfluis abscissis perfectas ædes efficere: Ad eundē modū adferimus tibi tanquā lapides cognitionis: audire oportet de Deo viuente: audire necesse est de resurrectione, & alia permulta ex ordine dicenda sunt. *Ibidem.*

Magnum est sanè propositum hoc baptisma: captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctū & indelebile, currus ad cœlū, delitiæ paradisi, regni cœlestis conciliatio, charismaque adoptionis filiorum. *Ibidem.*

Quemadmodū Iesus mūdi totius peccata recipiēs mortuus est, vt mortificato peccato restituat te iustitiæ: Sic & tu descendens in aquam, quodammodo consepultus illi, sicut ille in petra, exciteris rursus in nouitate vitæ ambulans: Deinde cum tibi gratia confertur, tunc rursus tibi aduersus contrarias virtutes dat potestatē. Quemadmodū enim ille post baptismum & quadraginta dies tentatus est non quòd & antea non posset vincere, sed quod ordine omnia & successiuè facere volebat. Sic & tu ante baptismum aduersarijs reluctari non audebas. Accepta verò gratia, deinceps confidens armis iustitiæ, decertato, & si vis etiam euangeliza. *Idem catechesi. 3.*

Quòd si aliquis in illo mouetur, quòd quidam qui ægri baptizātur, spiritibus adhuc immundis tententur sciat diaboli nequitiam pertinacē vsque ad aquā salutarē valere in baptismo verò omne nequitiæ suæ virus amittere. Quod exēplum cernimus in rege Pharaone, qui diu reluctatus, ac in perfidia sua demorat°, tam diu resistere potuit, & perualere, donec ad aquam veniret quò cum veniisset, & victus est, & extinctus. *Cyprianus Epist. ad Maximum.*

Sicut scorpij & serpentes, qui in ficco prævalent, in aquā præcipitati, prævalere non possunt, aut sua venena retine-

re: Sic & spiritus nequam, qui scorpij & serpentes appellãtur, & tamen per nos data à Domino potestate calcati, permanere vltrà non possunt in hominum corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus sanctus habitare, Hoc denique & rebus ipsis experimur, vt necessitate vrgẽte in ægritudine baptizati, & gratiam consecuti careant in mundo, quo antea mouebantur, & laudabiles in Ecclesia viuant. *Idem Lib. 4. epistola. 7.*

Quemadmodum mare baptismi typum gerens separat à Pharaone: Sic & lauacrum hoc a diabolica seruitute. Illud quidem occidit hostem in sese, moritur & inimicitia quæ nobis fuit cum Deo. Ab illo populus exijt illæsus. Ascendamus & nos ab aquis tanquam ex mortuis viui, seruati per gratiam eius qui vocauit nos. At vmbra quam fecit nubes figura est de vi proficiscente à spiritu sancto, quæ flammam cupiditatum mortificando membra refrigerat. *Basil. de spiritu sancto.*

Sicut pictores in tabulis pingendis, primò albas circunducere lineas omni libertate solent, repingunt, corrigunt priusquàm colores superinducãt: Ita in eo qui ex paganismo ad Christianismum Iudæus venit antequàm adhibeatur vera spiritus tinctura, quæ fit per baptismum, malè insitas consuetudines oportet delere. *Chrisost. ho. 2 ad po. Ant.*

Vt igitur statuam auri metallo confectam, aliquanti tẽporis metis fumo & puluere, & æruginis sordibus coinquinatam, cum artificis manus acceperint, renouant fornacis ardore, & splendidam nobis lucidamque demonstrant: Ita & nostram naturam deus æruginatam mole peccati, & malorum gestorum fumo violatam, & omni pulchritudine quam ei primò donauerat, denudatam, in illos aquarum fontes tanquam in purgatorium mittit: & pro flamma, spiritus gratiam subministrat: & exindè rudes effectos, etiam, Solis radijs eleuat clarius lucentes veterem hominem cõterens, nouum autem ostendens longè meliorem: & istam nobis quassationem & mysticam purificationem obliquo sermone olim propheta demonstrabat, dicens. Sicut vasa figuli conteres eos. *Ibidem hom. 4 ad Baptizandos.*

Non enim dixit, sicut vasa fictilia: sed sicut vas figuli. Nam confracta vasa figuli iam nulla emẽdatione corrigũtur, semel figuram per flammas sortita: vasa autem figuli

non sunt fictilia, sed argilla composita: Indè & si casu fuerint peruersa, facile ad pristinam figuram artificis reformantur industria. *Idem hom. 4. ad baptizatos.*

Nō dignatur rex in exercitū suum ascribere qui seruili sunt cōditione. Vnigenitus aūt Dei filius neq; publicanos, neq; magos, neq; seruos & his etiā despicatiores, & pauperiores oēs nōnullos etiam manco, distorto, & sordido etiā corpore, in filios accipere nos dedignatur. Tanta fidei vis, tāta gratiæ exūberantia, vt quēadmodū ignis, si metallorū terrā attigerit eā quā primū aurū reddit: Sic & lōgè magis pro luteis aureos baptisma facit, quos abluerit, cum spiritussanctus taquā ignis illa ipsa hora animos nostros ingrediatur, & terrena assumpta similitudine, cœlestem illam nouam & claram, tanquam ex fornace fulgentem, referat. *Idem hom. 9. in Ioannem.*

Christus Nicodemū ad fidem, & de baptismo doctrinam medio exemplo inter solidi corporis naturam & incorpoream adduxit, venti scilicet impetus, & ab aqua orditur, quæ terra tenuior & vento crassior est. Vt ergo elementum terræ substratum est, totum autem Dei fuit opificis: Sic aquæ hic elementum subijcitur, & totum spiritalis est gratia. Tunc in animam viuentem factus homo, nunc in spiritum viuificatum fit, sed magna differentia. Aqua vitam alicui non dat: spiritus non modo per se viuit sed aliis quoque vitam largitur: mortuis etiam reddit. Tunc post factam creaturam homo formatus est: hic contrà, ante nouam creaturam, nouus homo creatur, & primus nascitur. tum mundus transfiguratur. Vtque totum a principio formauit: ita & nunc totum creat. Sed tunc faciamus, inquit ei adiutorium: nunc minimè. Quippe qui gratiam spiritus accepit, nullo alio indiget: Qui in Christi corpore perficitur, alio ei non opus auxilio. Tunc ad dei imaginem fecit hominem: nunc deo familiarem reddit. Tunc animantes ei subiecit: nunc supra cœlos eius propagat imperium. Tunc paradisi eū incolā constituit: nunc cœlum aperit: tūc sexta die factus est: nūc prima vna cū luce. Quibus constat ad quāto hac meliorem vitā & perēniorem, adeoq; nullum finē habituram efficiātur, Quantòq; altior & subtilior per baptismū regeneratio quam vel prima ex terra formatio, vel secunda ex latere, vel tertia ex semine. *Idē ho. 24. in Ioā.*

Præclara & expetenda mysteria. At nullus animam agens capit lotionem. Non enim illud tempus est mysteriorum, sed testamentorum misterium tempus, est sanitas mentium & puritas animarum. Etenim si de rebus ad hanc vitam corporalem pertinentibus, non permitterent leges ordinare, quoties testari volens non admodum constat animo, præsertim cum de sui ipsius facultatibus præscripturus sit, quomodo qui de regno cœlorum docetur, deque bonis illis inefabilibus, poterit ad plenum viam percipere, frequenter & a morbo factus attonitus? Quando verò futurum est, vt illa verba dicas Christo, consepultus cum illo, cum iam sis mox abiturus? Tu perindè facis ac si quis tum postulet ascribi militiæ, cum iam bellum est soluendum: aut si athleta tum vestes exuat, cum iam surgere ceperint spectatores è theatro discessuri. *Idem hom. 1. in acta Apost.*

Si rex missis literis iubeat vinctos è carcere dimitti, gaudium est ac lætitia. Deus autem mittit spiritum è cælis, non reliquias pecuniæ debitæ, sed vniuersa peccata cõdonans, & omnes fletis ac eiulatis. *Ibidem.*

In alteram euadit creaturam. Quando namque ad vitã æternã fidé profitetur, alterã profitetur creaturã. Accepit puluerẽ de terra & finxit hominẽ. Postea verò nõ ãplius puluerẽ, sed spititum sanctum: Illo fingitur, illo componitur: quemadmodũ & ipse in vtero virginis, fingitur quidem, & in aqua nouus homo, accepit vero aliter animantem spiritum. Postea quàm autem iam formatus est, non ducit ad illum bestias, sed dæmones & ducem ipsorum, & dicit. *Calcate supra serpentes & scorpiones* Non dicit, faciamus hominem ad imaginem nostrã, sed quid? dat illis potestatẽ filios Dei fieri. Qui ex deo inquit, nati sunt. *Idem Homilia sexta, ad Colossenses.*

Denuo crucifigent sibi filium hominis sibimetipsis. Sicut enim mortuus est Christus in cruce: sic & nos in baptismate, non carni sed peccato. Intuere nunc mortem & mortem. Ille mortuus est in carne nostra, vetus homo sepultus est, & resurrexit nouus, conformis factus similitudini mortis eius. Si ergo necesse est baptizari iterũ, necesse est eumdẽ ipsum mori. *Idem hom. 9. ad hebræos.*

Voluntarie peccantibus non relinquetur pro peccatis hostia; sed

terribilis expectatio iudicij. Arbores quæ bene plantatæ sunt, & reliquam habuerint diligentiam, agricolarum adhibitâ manibus atque laboribus, si nullam referunt vicissitudinẽ, radicitus euulsæ igni traduntur: Tale quiddam & in causa contigit baptismatis. Cum enim nos Christus plantauerit, & irrigatione spiritali potiti fuerimus: si deindè nullum fructum afferamus, ignis nos expectabit gehennæ, & flãma inextinguibilis *Ibidem Hom. vicesima.*

Sicut scintilla ignis exigua in profundi maris pelagus cadens, aquarum copia non paulatim, sed statim extinguitur, & illicò nihilum esse demonstratur: ita omnis humana malitia quando ad natatoriam cœlestium fontium voluerit peruenire, illius scintillæ facilius extinguitur ardore. Et ob quam causam, inquis, hoc quod nobis peccata concedit, non lauacrum purificationis dicetur, sed lauacrum regenerationis? Quia non nobis simpliciter peccata concedit, nec simpliciter purificat, sed tanquam è cœlo generatos facit, non enim vas simpliciter purgat, sed interim grum nouat iterum. Nam cum vasa purgẽtur, & si diligẽtia multa terguntur, quædam vestigia nihilominus retinẽt vetustatis, & pristinam maculam non amittunt. Illa autem quæ conflatorio committuntur, cum flãmma fuerint renouata, omnem maculam præteritæ fœditatis amittunt. *Idem, Hom. 4. ad baptizandos.*

Cum obtuleris preces, & subscriptam acceperis sacrã, non requiris quali calamo subscripserit rex, neque in quali charta, neque quali quoue atramento, sed vnum solummodo quæris, si rex subscripserit: sic & in baptismo, charta conscientia est: calamus, lingua sacerdotis: manus, gratia spiritus sancti. Huic ergo per episcopum, siue per sacerdotem, ipsa manus scribit, nos ministri sumus, non authores. *Idem Hom. de reditu eius Constantinopolim ex Asia.*

Quemadmodum impossibile omnino erat per mare rubrum pertransire, nisi miraculo facta via fuissent: Sic à priore vita ad cœlos conscendere, sine medicatione baptismi non possumus. *Idem Homelia 40. in Matth.*

Emittitur de arca coruus & non rediit, & postea pacem terræ nostræ columba spiritus sancti nũciat: Ita & in baptismate ecclesiæ, teterrimo alite expulso, id est, diabolo pacem terræ nostræ columba spiritus sancti nunciat.

Hieronymus lib. aduersus Luciferianos.

Et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta preterfluentes aquas &c. Comparat in baptismate renascentes, herbis virentibus & salici, quæ iuxta fluentes aquas oritur, & contra rerum naturam affert fructum, quæ prius sterilis erat, vel cuius semen in cibo sumptum steriles facit. *Idem lib. duodecimo in Esayam. cap. 44.*

Cruenta infantum corpora statim vt emittuntur ex vtero, lauari solent: Ita & generatio spiritalis lauacro indiget salutari. Nullus enim mundus à sorde, nec si vnius quidem diei fuerit vita eius. *Idem comment. in cap. 16. Ezechiel.*

Ait Cresconius, Dei quidem est dare incremẽtum, sed sicut qui plantat & rigat, non nisi colonus fidelis & diligens quæritur: Sic etiam in sacramento baptismatis, non nisi fidelis & iustissimus operarius adhibetur. Quasi verò quod infidelis colonus plantauerit, propter eius infidelitatem non germinet vis seminis, & fœcunditas terræ cœlique temperies, hanc efficaciam diuinitus non acceperint? vel ad propagandos fructus, plantator vel rigator operarius tantummodo expectetur, qua mente operetur, qua intentione laboret, non curent vtrum agri Dominum fideliter diligat, an sua non illius lucra conquirat. *Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 8.*

Cum eadem luce & sani oculi perfunduntur & saucij, istis adiumẽtum est, illis tormentum. Idem cibus alias valetudines alit, alias lædit. Idem medicamentum hos curat, illos debilitat. Eadem arma alios muniunt, alios impediunt. Eadem vestis aliis tegumento est, aliis implicamento: Sic & baptismus aliis valet ad regnum, aliis ad iudicium. *Idem. lib. 2. contra literas Petiliæ.*

Sicut sordes corporeas aqua, ita spiritus animam abluit à peccatis. Ait domin⁹ ad Nicodemũ, *Spirit⁹ vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde venit, aut quo vadat.*

Sic & omnis qui renascitur ex aqua & spiritusancto, vt quomodo vox aduenientis spiritus, id est, venti auditur, quidẽ, non autem videtur, sicut dictũ est. Sic & ratio baptismi. Auditur quod dicitur, tamen quomodo per spiritum

ſanctum ſit, non videtur. *Idem queſt. 49. vtroque teſtamento.*

Ita ſit vt cum paradiſi aqua ſit extra paradiſũ, beatitudo tamen non ſit niſi intra paradiſum: Sic baptiſmus eccleſiæ poteſt eſſe extra eccleſiam, munus autem bonæ vitæ & beatæ non niſi intra eccleſiam reperitur. *Idem lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas cap.*

Hoc munus baptiſmatis eſt dantis non accipiẽtis. Cum pretioſus inficitur color, natura ſæpe conuertitur, dum connexione vellus candidum purpuraſcit: Sic alba luna regalem tranſit in purpuram. Quo modo catechumenus in fidelem? Vtique dum incipit eſſe, quod non erat, deſinit eſſe quod fuerat. Lana & colorem mutat & nomen. Et homo vocabulum mutat, & mentem. Conſiderata ſunt effecta, retractanda ſunt efficientia. Dicis a te datum eſſe quod homo fidelis effectus eſt. Si hoc totum meum eſt, dicat & operarius purpuræ, quod pretioſum colorem in ſuis manibus habeat: non procuret pretioſa pigmenta ex oceano multis ignota, quibus vellera per colorem promoueantur in admirabilem dignitatem, non admixto ſanguine piſcis, purpuram ſolo tactu conficiat. Igitur vt operarius iſte per tactum ſolum dare colorem non poteſt, ſic nec operari' baptiſmatis, ex ſe ſine trinitate dare aliquid poteſt. *Optatus Mileuitanus lib. quinto contra Parmenianum.*

Ego plantaui, Apollo rigauit, id eſt, de pagano catechumenum feci: Ille cathecumenum baptizauit, ſed vt creſceret quod plantatum aut irrigatum eſt, deus fecit. Nam & quiuis hodie volens, vineam paſtinare operariũ placita mercede conducit, qui curuato dorſo & deſudatis lateribus, ſinus terræ faciat, vbi deponat electa plantaria, & aquam calcatis ſcrobibus ſuperducat. Scrobem fodere, plãtaria ponere poteſt, aquam inducere poteſt, imperare vt teneat, non poteſt. Eſt enim hoc ſolius dei, de medullis palmitum producere radices coaleſcentes in terram, & gementes oculos incrementa frondium prouocare. *Ibidem*

Quemadmodum argentum ſoli obiectum, ex ſolis occurſu micantes radios in ſolem ipſum reflectit: Sic & nos baptiſmo accepto, purgati per ſpiritum, & huius ſplendore denique illuſtrati, fulgorem & ipſi ſpiritalem quen-

dam exaduersò remittimus eandemque imaginẽ à spiritus gloria in gloriam nostram, & claritatem transferimus: & talem, inquam, imaginẽm, qualẽ decens est vt is sortiatur, qui a spiritu Domini nulli rei obnoxio lucẽ acceperit. Dominus enim ille cum sit, & regiumhabet splendorem, fideles autẽ omnes baptismi gratia Spiritu sancto opplentur, & illorum est fulgentior anima: quandoquidem & Moyses Dei gloriæ fulgore inspecto, in eius gloriæ imaginem est transformatus: hoc est, & ipse diuinæ gloriæ & splendoris participauit. Huius & facies resplendebat, cum ipse nostri preferret figuram. *Theophilactus. In 2. ad Corinth. Cap. 3.*

Quemadmodum circuncisio non vtile membrum amputat corporis, sed superfluitatẽ inutilem. Sic per baptismatis sanctũ à peccato circuncidimur. Manifestum est autẽ quòd superfluitas concupiscentiæ est, & non necessaria cõcupiscẽtia. Impossibile est enim quẽquãnullo modo concupiscere, aut tãdẽ sine gustu voluptatis esse. Sed quod inutile est voluptatis, est inutilis concupiscentiæ, hoc id est peccatum, idipsum est quod circũcidit sanctum baptisma, prebens nobis signum honorabile, crucem in fronte, non à gentilibus discriminans nos (nan omnes gentes baptismo conscientiæ, & signo crucis insignitæ) sed in vna quaque gente fidelem ab infideli distinguit. *Damascenus lib. 4. de fide cap. 16.*

Panni linei niueo candore candidi, suo candore castitatem commendant, & simplicitatem demonstrant. Cogita quo labore, quibus tonsionibus in quo creuit, colorẽ exuerit, & ad talem candorem peruenerit, vt ex eo altare ornetur, & corpus Christi veletur. Cum terreno colore omnes nascimur, quoniam in iniquitatib conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea. Primo igitur linum aquis immergitur, nos in aqua baptismatis. Christo consepelimur, ibi deletur iniquitas, sed non lauatur infirmitas. Aliquid percepimus candoris in peccatorum remissione, sed necdum plene terreno colore exuimur, pro naturæ quæ restat corruptione. Post aquas linum siccatur. Necesse est vt post aquas baptismatis, corpus per abstinẽtiam maceratum illicitis humoribus vacuetur. Deinde malleis linum tunditur, & caro nostra multis tentationibus fatigatur

tur. Post hæc ferreis aculeis discerpitur, vt deponat superflua: Et nos disciplinę vngulis rasi, vix necessaria retinemꝰ. Adhibetur post hæc lino stimulorũ lenior purgatio. Et nos victi cũ magno labore pessimis passionibꝰ, à lenioribus & quotidianis peccatis supplicij cõfessione & sanctificatione mũdamur, iam nunc à nentibus linum in longum producitur: Et nos in acriora perseuerantiæ longanimitate extẽdimur. Porro vt ei perfectior accedat pulchritudo, ignis adhibetur, & aqua: Et nobis transeundum est per ignem tribulationis, & aquam compunctionis, vt perueniamus ad refrigerium castitatis. Hæc tibi oratorij tui ornamenta representent, non oculos tuos ineptis varietatibus pascãt *Adalardus ad sororem.*

BEATITVDO.

SIcut nec ignis, nec terra, nec vnum aliquod ex quatuor, ex quibus constat hæc rerũ vniuersitas: mundus est, sed elementorum in vnum congressus & contemperatio. Pari modo fœlicitas nec in externis bonis propriè, nec in corporis, nec in animæ seorsum exanimatur: (hæc enim singula velut partes quædã & elemẽta sũt) sed in omniũ simul congerie consistit. *Philo. In lib. Quòd deterius potiori insidietur.*

Quemadmodum sunt variæ viuendi rationes: Ita multæ sunt apud Deum sedes, prosua cuique dignitate distributæ & assignatæ. Proinde vnꝰ quidẽ hãc virtutẽ exerceat, alius illam: hic plures, ille omnes, si fieri potest: modò progrediatur, ad ídque quod est ante, contendat, & pro viribus sequatur egregium itineris ducẽ, qui per viæ portæque angustias, ad beatitudinis planitiem perducit. *Nazianzenus. In Oratione, De pauperibus amandis, &c.*

Si illi qui solis lucem conspicari nequeunt, omni morte miseriorem vitam degunt, quid eos perpeti credendum est, qui illa luce priuantur? Siquidem in hoc seculo cæcitatis duntaxat damnum est, in nullo autem non in visu tãtum lædítur, quamuis hæc sola priuatio sit grauissima, vt neque etiam sic par esset supplicium, sed tantò id grauius, quantò sol ille, quam hic est sine comparatione præstantior, *Chrysostomus Hom.* 11. *in Ioan.*

Noli aurum rapere, sed diuitias quarum comparatione

aurum, lutum esse apparet. Dic quæso, plumbo tibi & auro proposito, quid potius raperes? nonne aurum? Vbi qui rapit punitur, maius honoras, vbi qui rapit honoratur, maius prodis. quod si vtrinque puniretur, num sane ad hoc magis veniſſes? Hic nihil tale in manibus est, sed beatitudo. Et quomodo potest quis rapere inquit? Disperge quæ habes. Quousque enim seruas illa, rapere non poteris. Propone tibi hominem plenis argento manibus, quo ad id tenuerit, nunquid aurum rapere poterit, nisi id prius proiiciat, & expeditus relinquat? *Idem. Hom. 53. in Ioan.*

Si huius, seculi lux tam pulchrá est, considera qualis illa futura sit. Quanto enim solaris lux lucernæ lumen excedit, tanto imo magis illa solarem, quod inde significauit. Sol obscurabitur, ad illius videlicet splendoris comparationem, vt non appareat. Quod si in hac vita vt splẽdidas nobis domos comparemus, magnam pecuniarum vim ædificando sumimus anxij, considera qui nobis subeundi sint labores, vt clariſſimam nobis in cœlis domum ædificemus, vbi lux ineffabilis. Hîc enim pugnæ, contentiones de terminis, de parietibus: illic minimè: hæc relinquenda: illa permãsura, Hæc tempore cõsumitur, & multis subiecta est periculis, illa perpetuò manet. Hãc pauper sibi comparare non potest: illam duobus obolis quis emere potest, vt vidua illa. Quamobrem quam immodestiſſimè fero, quod tot nobis propositis bonis, desidemus, animo deficimus, & vt hic splendidi habitemus, omnia facimus, vt autem in cœlo paruũ vel comparemus hospitium, nihil curamus vel laboramus. Dic queso vbi hic domum habere velis, in deserto an in aliquo paruo oppidulo? Non puto, sed in regiis & magnis ciuitatibus, vbi rerũ copia & maior nobilitas. Ego tibi talem ciuitatem propono, cuius artifex Deus, in quam domum minori quam hic sumptu minori labore condere atque ædificare poteris. Ædificant enim manus pauperum, hæc optima ædificatio, & summa sapientia, sicut quam hic facimus summa amentia. Etenim siquis te in Perſidem visurum regionem illam, & mox reuersurum duceret, iuberétque vt illic domum strueres, nõne eius amentiam reprehenderes, ac si inutilem suaderet impensam? Cur non idem in hoc mundo facis, quem paulo post relinques? *Idem hom. 55 in Ioan.*

Tu vt magistratum assequaris, furtorum tibi occasionem

daturum(neque enim id genus commodum, lucrum ipse appellauerim) facultates extrudis, atque adeo ære alieno contracto, si necesse sit, & vxorem vna cum liberis pignori opponere non vereris, proposito autem cœlorum regno, principatu successorem nullum habéte, vel Deo ipso iubéte, non vt partem anguli terræ, sed vt totum ipsum cœlum capias, cunctaris ac tergiuersaris, & ad pecunias ore hianti stas, nihil cogitans. *Idem. Hom. 14. in epist. ad Rom.*

Vultis vt dem vobis similitudinem illius stat⁹. Suspiciamus in cœlum, quando nulla se interponit nubes, & clara est omnis corona ei⁹: Deinde ad pulchritudiné aspectus ei⁹ cõsiderandam aliquantulum temporis perdurãtes intelligamus quoniam & solum habebimus, non quidem tale, quale nunc est, sed tanto melius effectum, quanto luteis tectis aureum est melius. Et post illud item superius tectũ, deinde angelos, archangelos, innumerabiles populos incorporearum virtutum: deinde ipsam Dei regiam, thronũ paternum. sed non valet sermo exprimere totum, experimento opus est, per experimentum quippe melius agnoscetur. Quomodo putas die mihi Adam fuisse in paradiso? At illa multo melior erit ista cõuersatio, quãtũ terra melius erit cœlum Attamen & aliam similitudinem inquiramus. Si contingat eum qui modo imperat, omnem mundum obtimere, deinde neque bellorum, neque curarum habere vllam molestiam, sed in honore esse tantum, & delitiari, & multa quidem habere tributa vndique, & aurum ibi affluere & reconditum esse, qualem illum putatis animum habere, si omnia terræ bella quiescere videat? Tale aliquid erit. Imo neque sic ad similitudinem huius regni perueni. propter quod oportet aliam quærere intelligentiã. Da mihi aliquẽ qui sit sicut infãtulus regis. vsquequo quidem in vtero materno est, nihil sentit: si autẽ contingat eum inde egredi, & in thronũ regalem ascendere, nõ paulatim sed confestim cuncta accipit. Sic est etiam ille status. Aut si quis vinctus & multa mala passus, repente ad regale solium rapiatur. Sed neque sic integrè pertingere potui ad illius regni simulitudinem hic quippe quæcunque quis perceperit bona, etiamsi regnum aliquod adipiscatur, in prima quidem die, viget in eo amor & gaudium, & secunda, forsam & tertia: tempore verò

procedẽte permanet quidẽ ĩ voluptate, nõ tamẽ tãta: minuetur quippe semper ex cõsuetudine qualiscũq; sit. Illic autem non solum nón decrescit, sed etiam augmentum accipit. Cogita namque quantum sit animam illuc pergẽtem, nequaquam finem bonorum illorum expectare, neque mutationem: quin potius incrementum, & vitam finem non habentem, & vitam omni periculo liberam, ab omni merore & cura alienam, plenam gaudiis & mille bonis. Sic enim hîc in campum exeuntes, & tarbernacula militum spectantes ex velaminibus confecta, & tela & galeas, & vmbilicos scutorum splendentes, rapimur spectaculi miraculo. Si verò etiam imperatorem nobis cõtingat in medio exercituum videre, siue currentem, siue equitantem, in armis aureis, omnia nos adeptos esse putamus: quid putas erit, cum videris sanctorum tabernacula æterna in cælo confixa? Cum vnumquenque eorum plusquam radios solis videris refulgentẽ, non ex ære & ferro, sed ex illa gloria, cuius candorem & coruscationes oculus humanus non potest inspicere, & ista quidẽ ad homines attinẽt. Quid autẽ iam dicam multã militiã an gelorũ archangelorum, cherubim, seraphim, sedium, dominationum, principatuum, potestatum? *Idem Ho. sexta ad Hebr.*

Si in hac vita tales promissiones Dei sic facile implẽtur, si quæ additionis loco promisit, ita mirabilia sunt & gloriosa & ita magnifica: qualia erunt illa quorum ista additamenta sunt, quibus hæc ex abundanti dantur ad cumulum? Quid igitur aut adipiscentibus beatius, aut non adipiscentibus infœlicius? Si enim patria quis expulsus, ab hominibus miserabilis iudicatur, & quisquis hæreditatem amiserit, videtur omnibus esse dolendus: qui cœlo priuatur, qui illic repositis bonis, quantis lacrymis iste plangendus est? Imo non plangendus. Plangitur enim quisquã cum passus fuerit aliquid, cuius ipse causa non est, cum autem ex propria voluntate semetipsum quisquã afflictione confixerit, neque lacrymis dignus est, sed lamẽtationib⁹, magis autem luctu. *Ibidem Hom. 22.*

Intolerabilis est huius regni amissio, Si quis rex vel regis filius profectus, & belliis innumerabilibus expeditis admirationi habitus, & vniuersum habens exercitum, aliquam ascenderet ciuitatem curru, cum trophæis, cum in

numeris ordinibus, cum aureis clypeis circa se ministris occurrentibus, & coronata tota ciuitas esset, & omnes orbis principes cum eo: ipsum autem omnis alienigenarum gentium captiuarum ætas, retro sequeretur, mox duces, satrapas & ciues, præsentibus cunctis magistratibus, cum omni illo splendore occurrentes susciperet & oscularetur, manū porrigeret & omnem exhiberet fiduciam: & omnibus astantibus tanquam ad amicos loqueretur, & diceret omnē illam viā se propter eos fecisse, & in regias reduceret, & cum eis communicaret: licet alij non punirētur, quantæ pœnæ est horum priuatio comparanda? Si vero coram hominibus tam amarum est ab hac excidere gloria, multomagis coram Deo, cum supernæ virtutes omnes aderunt cum rege, cum vincti dæmones, & deorsum inclinati, & ipse diabolus agetur captiuus, & omnis contraria multitudo, cum virtutes cœlorum, cum ipse veniet in nubibus. *Idem Hom. 48. ad pop. Antioch.*

Sic est in animo beatitudo, vt in corpore sanitas. Quēadmodū in ipso corpore, alia præcipitur medicina, ne bona valetudo amittatur, alia vt amissa recuperetur: Sic in toto statu hominis, alia tunc præcepta data sunt, ne amitteret immortalitatem, alia nunc præcipiuntur, vt eam recuperet. Et sicut in valetudine corporis siquis præceptis medici quibus eadem bona valetudo custodienda est, non obtemperando in aliquem morbum inciderit, accepit alia præcepta vt sanari possit, quæ sæpe non sufficiunt, si talis est morbus, nisi adhibeantur à medico quædam adiutoria plerunque aspera, & dolores importantia, quæ tamē valent ad recipiendam salutem. Vnde fit vt homo quamuis inobtemperans medico, patiatur tamen adhuc dolores, non solum de ipso morbo nondum sanato, verūmetiā de adiutorio medicinæ. Ita homo per peccatum lapsus in huius vitæ morbidam & calamitosam mortalitatem quia primo præcepto obtemperare noluit, quo sempiternam custodiret ac teneret salutem, secunda præcepta æger accipit, quibus obtemperans iam quidem non absurdè dicitur iuste viuere, sed tamen molestias quas patitur vel de ipso morbo nondum sanato patitur, vel de adiumēto medicinę. *Augustinus lib. 83. quæst. 82.*

Sicut corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet,

quamuis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint, Ita omnes sancti & si fuerint aliqua graduum suorum diuersitate distincti, vna beatitudine perfecti erunt, & vna perfectione beati futuri sunt. *Prosper libro primo de vita contemplatiua cap. 4.*

Quomodo stilla aquæ modica multo vino infusa, deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit & colorem. Et quomodo ferrum ignitum & candens, igni simillimũ fit pristina propriaque forma exutum. Et quomodo solis luce perfusus aer in eandem transformatur luminis claritatem, adeo vt non tam illuminetur quàm ipsum lumen esse videatur. Sic omnem tunc in sanctis humanã affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semet ipsa liquescere atque in Dei penitus transfundere voluntatem. *Bernardus sermone de natiuitate Ioannis Baptistæ.*

Quemadmodum primum militiæ vinculum est religio, & signorũ amor & deferendi nefas, tunc deinde facile cætera exiguntur mandaturque ad iusiurandum adactis: Ita in his qui volunt ad beatam vitam perduci, prima fundamenta iacienda sunt, & insinuanda virtus. Nihil ergo proderit dare præcepta, nisi prius amoueris obstantia præceptis, non magis quàm proderit arma in cõspectu posuisse, propiusque admouisse, nisi vsuræ manus expediuntur, vt ad præcepta quæ damus possit animus soluendus ire. *Seneca epistola. 96.*

VIDE VITA AETERNA.

BELLVN.

DRacones exugentes sanguinem elephantorum, eos occidunt, & ipsi vicissim inebriati opprimuntur ac commoriũtur: Ita sæpenumerò in bello, pars vtraque perimit, & perit, damnum dat & accipit. *Plinius lib. 8. cap. 11.*

Vt in corporibus nostris, etiamsi pars aliqua malè sit affecta, tamen non dolet, donec alioqui rectè valemus: vbi verò acciderit ægrotatio aliqua, singulæ partes ciẽtur, siue raptura siue luxatio, siue earũ quæ vitiatæ sũt, aliqua fuerit: Sic se habẽt res ciuitatũ & tyrannorum, donec foris bellũ gerunt, domestica vitia non sunt multitudini conspicua: Cùm verò finitimum bellum gerendum est, priuata omnia vitia patefiunt. *Demosthenes Olynthica. 2.*

Vt grauius ægrotant hi, qui cum leuati morbo videtur, in eum de integro inciderunt: Sic vehementius nos laboramus, qui profligato bello ac penè sublato, renouatum bellū gerere conamur. *Cic. lib. 12. epist. ad Cornificinum.*

Cybindus auis bellum internecinū gerit cum aquila, adeò vt cohærentes sæpenumerò prendātur. Ita fit aliquoties, vt dū mutuum in se odium pertinaciter exercent principes, vtrīsque subuertantur, tertio quopiam inuadente. *Aristoteles.*

Quemadmodū si quis sylua semel accenderit, nō amplius ad ipsius arbitrium fertur incēdiū, sed depascitur quicquid deprehenderit, ventīsque regitur, & subiectæ sylvæ cōsumptione, ac sæpenumerò ipsum incēsorē cū primis præter expectationē corripit: Ad eum modū & bellū, si semel à nōnullis excitatū exarserit, tū quidē illos primū perdit, postea verò fertur iniustè, singula quæ incidūt, perdēs, agitatū temeritate, & ab ignorantia accedentium veluti a ventis inflatum. *Polybius lib. 10. hist.*

Quemadmodum subditi alij pro libertate decertāt, aliis periculū seruitutis imminet: Ita ex stipendiariis militibus, alij pro certa correctione, alij vt manifestum dānum propulsent, contendunt. *Idem li. 1.*

Paulus Æmylius dicere solebat, eiusdem esse artis probè instruere conuiuium, & bene ordinare aciem: hoc quidem, vt amicis esset iucundissimum: illam autem, vt hostibus sit formidabilis. *Plutarchus in Rom. apophtheg.*

Quemadmodū in ædificiis, vbi vno tecto & vno vinculo cōprehenduntur ædes, id quod consutum est, magis durat: Sic & in exercitu, vbi viritim & secundū manipulos cūcta diligenter procurantur, vniuersus exercitus firmus constituitur. *Demetr. apud Polyb. li. 10.*

Belli & ludi ferè eadem est alea, eadem conditio & fortuna: neutro enim in loco victor beatur, sed victus depauperatur. *Idem in apophtheg.*

BELLVM SPIRITALE.

NOn est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus mundi huius rectores tenebrarum harum, &c. Non tamen putādum est quòd singuli quique aduersus omnia hæc decertent. Impossibile id esse

arbitror vlli hominum(quãuis ille sit sanctus) vt aduersus oía hæc simul possit habere certamen. Quod si vllo modo id accidat(quod certè fieri non potest) impossibile est vt id prorsus ferre possit humana natura, sine maxima subuersione sui. Sed sicut verbi gratia, quinquaginta aliqui milites si dicant sibi imminere certamẽ aduersus alios quinquaginta, non ita intelligendum est, quod vnus ex illis aduersus quinquaginta dimicaturus sit, sed rectè dicit vnusquisque illorum, quia certamẽ nobis aduersum quinquaginta, omnibus tamen aduersum omnes. *Origen. lib. 3. Periarchon. cap. 2.*

Nam sicut hi qui in corporali certamine pugnant, ante coronam & brauium in meditatione & palæstra ipsa, magnam accipiunt mercedem, eo quod corpora sua firmiora & validiora exercitando, faciunt: Ita & nos virtutis certamen certantes, priusquam aperiatur cœlum, priusquàm filius Dei adsit, priusquam retributiones nobis dentur, magnam mercedem accipimus, eo quod anima sapientiæ sit amantior. *Chrisost. Hom. de resurrectione.*

Etenim nonnunquam agricola cum sementem fecit, cũ agrum coluit, cum iam segetem increscere vidit, spe tandẽ & retributione laborum excidit, quia vel grãdo, vel eruca, vel locustæ, vel alia quædam talia acciderunt, & post multos labores vacuis manibus domum regreditur. Mercator quoque post longam nauigationem, afferens oneratam nauim, sæpe in ipso portus ostio, irruentibus ventis impingit in scopulum, & vix nudo corpore saluato egreditur. Et in summa, in secularibus negotiis oĩbus, sæpe sub finẽ eiusmo di calamitates eueniunt. Cæterũ nõ idẽ in tuis cõtingit certaminibus, sed necesse omnino est, vt qui certauerit, & pietatẽ seminauerit, multósque labores tulerit, finẽ ipsum asse quatur. Neque aeris intemperie, neque vẽtorũ tempestate, laborũ mercedes subuerti finit deus, sed repositæ sunt illæ in cœlestibus & indeprædabilibus thesauris. *Ibidem.*

Nam in palæstra, athletis semper, cessante periculo, exercitatio est, & lapsus facilè veniam promerẽtur. Nam suis certatur, & magistrorum corporibus meditantur. Sed quãdo agonis dies, quando certaminis tempus aduenerit, quãdo stadium patet, quando omnes ad spectaculum fuerint congregati, quando agonotheta præsidet, quando mõstratur corona virtutis: tunc necesse est aut lapsum pudore in-

famatum, pœnas dedecoris suæ negligentiæ sustinere, aut solertiæ palmam sustinere vincentem: ita & vobis horum dierum triginta spatium exercitatio & meditatio est. Sed ex hinc discamus euincere, & aduersarium dæmonem superare properemus. *Idem Hom. 4. ad Baptizandos.*

Propterea vult deus aliquid laborare, vt tua quoque possit esse victoria. Et vt plerúnque rex, aliquis vult quidem filium suum in acie versari, in hostem iacula torquere, exercitu esse conspicuum, vt illum profecto habeat consortem triumphi, totum vero ipsum bellũ gubernat ac peragit: ita etiam deus in prælio cum dæmone facit. Vnũ enim solũ illud à te requirit, vt aduersus hostẽ veras inimicitias pro honore regis & tua salute, suscipias, *Idem Hom. 16. in Matt.*

Cum nemo in arena seipsum exerceat, quomodo aliquis in certamine insignis erit, atque conspicuus? Quis vnquam athleta, non ab ineunte adolescentia, in palæstra corroboratus, potuit in Olympicis, excelso & magno animo, aduersarium aggredi? an non oportet quotidie luctari, atque curere? Nonne videtis eos quos certaminũ athletas appellãt, cũ nullum forte reluctatorẽ repererint, ad saccũ arena plenũ vires suas excitare, iuniores cum iunioribus, quasi cum aduersario pugnam inire? Hos imitari stude, ac ipse tecum altioris philosophiæ institutа meditare ac confirma. Insurge contra passiones, vince animi labes. *Idem Hom. 24.*

Vt athleta ante certamen vngitur, vt luctetur: Sic & homo spiritaliter ideo oleo chrismatis inungitur, vt contra diabolum quasi spiritualis æthleta luctetur, *Idem Ho. 5. operis imperfecti.*

Vt in seculari bello videmus, quia qui vadens ad pugnam de præda victoriæ cogitat, difficilè vincit, qui autẽ sic vadit, quasi ad mortẽ, facile: sic & nos in hoc certamine viuentes, non debemus cogitare qualem gloriam consequamur, sed quomodo euadamus ruinã peccati. *Idem Ho. 35.*

Gloriamur super afflictionibus. Rom. 5. Aliis quidem in rebus certamina laboriosa esse solent, pariúntque tum dolorem, tum afflictionẽ: corollæ autem ac præmia voluptatem afferunt. At hic non ad eandem rationem se res habet, quin potius luctæ ac certamina iucunditatis. haud paulo plus habent, quàm vel ipsa præmia. *Idem Hom. 9. in epist. ad Rom.*

In bellis quidem vel nolentes vel inuiti produntur sæpe

milites: hic autem nisi vltro ipse transfugeris, superabit te nemo. *Idem Hom. 11. ad Rom.*

In stadio terrestri vnus modo qui prior venerit coronatur: in cœlesti quisquis peruenerit. 1. *Cor. 9. Omnes quidem currunt, sed vnus accipit. Sic currite vt accipiatis, illi vt corruptibilem, nos vt incorruptam.* Illic velocitas quæritur corporis, hic animi optatur affectus. Illic festinans & properans, hic perueniés & perficiens coronatur, festinatio enim fatigata nunquam deficit: fœliciter verò peruenit, quem lætum iter ad destinata perducit. *Idem ser. de fide, spe & charitate.*

Qui luctatur adhuc detinetur, iucundũ tamen est etiã nõ cadere. Tunc illustris erit victoria, cũ hinc excesserimus v. g. concupiscentiã malã admirabile quidé fuerit nõ admittere, sed & extinguere si nequiueris, luctãdo cohibere. Luctatus enim si excesseris, vicisti. Nã non hic res habet vt apud athletas. Hic nisi aduersariũ deieceris, nõ viceris. Hic viceris, si deiect9 nõ fueris. Ritè aduersariũ deieceris, si deiect9 minimè fueris. Illic ambo certãtes vincere studẽt: etsi demũ alter deiectus fuerit, coronatur alter. Hic nõ ita: sed diabolus huc laborat, vt nos inferiores reddat. Illi ergo si quod studet abstulero, vici: nõ vrget vt simpliciter deiciat, sed vt secum pariter deiiciat. Victus autẽ iam est, quia deiectus, eius verò victoria nõ in eo est vt coronetur, sed vt perditos perdat. *Idem Ho. 12. ad Ephesios.*

In externis hostibus iniurię memorẽ esse malũ est, aduersus diabolũ bonũ atq; laudabile: furor & ira vtilis est, vitia si habes, cõtra illũ exercere laudẽ habet, si ea deponere nequis, potius quã in eos qui membra tua sunt. huic inimico semper inimicus, acerbus inimicis esto, nõ fratribus, sic abiectus erit & captu facilis: sæuus, si nos in eum sæuierimus, non futurus sæuus contra, si mansueti fuerimus. *Ibidem.*

Nihil arma prosunt nisi primũ sit ordinat9 & instructus exercitus, & adsit animus militis mentẽ excitãs. Oportet enim primũ intus armari, deinde foris. Si apud externos milites ita res habet, multo magis & apud spirituales: imo verò apud hos foris non licet armari, sed omnia sicut externa. *Idem Hom. 23.*

Bonum certamen certaui. 2. Timoth. 4. Nihil hoc certamine melius, nihil illustrius, nullo corona hęc fine cõcluditur, nõ ea ex oleastri floribus texitur, nõ habet editorẽ munerũ homi-

nẽ, neq; homines ſpectatores. Ex angelis cõflatũ eſt theatrũ. In certaminibus ſeculi laborãt dies plurimos, & in ærũ his degũt, vnius horæ momẽto accepta corona, protin⁹ vo luptas omniũ emarcuit: hic autẽ nõ ſic, ſed ſemper claritas, ſemper gloria, ſemper honor augetur. Iã gaudere oportet quia ad requiẽ propero, ad ſtadiũ exeo. *Idẽ Ho. 9. in 2. Tim.*

Tu quidẽ eſto præparatus, ſicut miles fortis in armis, perpetuo ſobrius, vigilãs, ſemper hoſtẽ expectãs. Bella ſane nõ excites: hoc quippe militis nõ eſt, ſed ſeditioſi. Si verò tuba pietatis vocauerit, cõfeſtim procede, & contẽne animã, & ingredere cũ multa alacritate in agonẽ, rumpe aciẽ aduerſariorũ, cõcide faciẽ diaboli, ſtatue trophẽũ. Hoc autẽ erit, ſi nõ fuerimus pecuniis dediti, ſi nõ domibus, ſi nõ affectionibus, ſi ab oĩbus fuerimus ſeparati. Si enim qui militarẽ vitã viuunt, oĩbus renunciãt, & vbicũque bellũ vocauerit, illuc ſeſe recipiũt, atque itinera magna cõficiunt, & omnia cum alacritate ſuſtinent, multo amplius nos Chriſti milites ſic præparatos eſſe oportet ad bellũ paſſionũ. *Id. Ho. 5. ad Hebr.*

Exteriora militũ, corporis menſurã, bonã carnis habitudinẽ requirũt, qui eos in exercitũ deligunt, nec ſola hæc militaturũ habere oportet, ſed & libertatẽ: ſeruus enim reiicitur. At cœlorũ rex, nihil tale requirit, ſeruos enim, ſenes itẽ & iuuenes, & quæcũque talia recipit. Manſuetũ & mitẽ eſſe & ſimilia, militiæ noſtræ ſunt. Hæc à nobis ſola deus exigit, quorũ nos domini ſumus, & valdè congruè. Nõ enim propter vtilitatem propriam ad ſui gratiam nos vocat: reges verò propter miniſteriũ noſtrũ. Hi ad bellũ ſenſibile, ille ad ſpirituale, Nec in bellis tantum externis, ſed in certaminibus agoniſticis ſeu athleticis eandem quis rationẽ videre poſſit. Qui trahuntur in theatrum, non prius deſcẽdunt in certamen, quàm eos preco aſſumens ſub omnium oculis circũducit, dicẽs, Nũ quis hũc accuſat? Et illic quidẽ nõ animæ pugna, ſed corporis. Hic nihil tale, ſed totũ cõtrariũ, non enim manuũ collatione nobis ineũtur certamina, ſed animi diſciplina, & mẽtis virtute: Aliter igitur agonothetes noſter facit & cõtra clamat: licet oẽs tũ dœmones, tũ homines, hũc accuſẽt de turpiſſimis & occultis criminib⁹, nõ reiicio, nõ abominor: ſed ipſũ ab accuſatorib⁹ libero, & ab iniquitate abſoluo, & ſic ad certamina pugnaturum produco. Nec immerito. Illic enim agonothetes nihil certãtibus

confert ad victoriam, sed medius modo constitutus: hic autem noster athleta, pietatis athletis commilito fit, & auxiliator, cum eis pugnam contra diabolum iniens. *Idem hom. 21. ad pop. Antioch.*

Si militarem hanc vitam degentes, omnibus abrenunciant, & quò Mars vocauerit, eò proficiscuntur & iter agunt, & omnia cum sedulitate ferunt: multo magis nos Christi milites oportet ita præparari & opponere nos vitiorum certamini. *Ibidem hom. 67.*

Bellum est in foro, pugnam quotidianam exhibet negotia, tempestas & procella. Armis opus est. Opus est vetis apuppi, opus omnia discere, vt diei spatium absque naufragiis & vulneribus transigatur. Multi per singulos dies scopuli, & frequenter illiditur scapha atque submergitur. Olympia multi patrum sæpe spectauerunt. Scitis itaque quomodo per certaminum dies & noctes, nihil aliud preco tota nocte fatagit, nihil aliud curat, nisi ne prodiens pugil turpe quicquam agat. Illi nanque tubicini assidentes spondent nec aliquem alloqui, ne spiritus qui consumitur risum mereatur. Si igitur coram hominibus pugnaturus, tantam egerit prouidentiam, multomagis nos decet semper esse sollicitos, & curare quibus tota vita certamen est. Omnis igitur nox sit pernox, cogitemus quomodo diem transgressi non mereamur risum, & vtinam risum tantum. *Ibidem homil. 41.*

Secularium spectaculorum præsides siue arbitri certamina proponentes, magnum muneris ambitum esse putant, siquando iuuenes & robustos luctatores in stadium induxerint: vnde prima statim ostentatione miraculum spectatoribus prebeant. Non ita est in spiritali agone, sed omnia è contrario. Nec talem Christus agonem qualem terreni illi proponunt, sed horribilem timoriſque plenum. Non enim hominum contra homines, sed contra dæmones luctamen est. Non ergo iuuenes ad luctamina exercitatos hic proponit, sed adolescentes & cum ipsis seniculũ & aniculum. *Idem sermone de Machabæis.*

Quomodo in legionibus & exercitu sunt duces, sunt tribuni, sunt centuriones, sunt ferentarij ac leuis armaturæ, & miles gregarius, & manipuli, commissaque pugna, vacant nomina dignitatum, & sola fortitudo quæ-

ritur: ita & in hoc campo, & in prælio quo contra dæmones dimicamus, non quæruntur nomina sed opera, & gloriosior ille sub vero imperatore Christo, qui non nobilior sed fortior est. *Hyeronimus lib. 1. aduersus Iouinianum.*

Si qua ciuitas contra insidiantes inimicos, magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, insomni muniatur custodia, vnum verò foramē tantūmodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde proculdubio hostis ingreditur, qui vndique inclusus videbatur: vnde dictum est, Omni custodia serua cor tuum. Iob iustitia indutus est, sicut vestimēto vtiquequo nō vestimur, necomni ex parte circumdamur, Ita qui se vndique bono opere defodit. *Gregorius lib. 19. moralium cap. 17.*

Sicut qui aduersus leonē pugnat, si ab eo oculum aliorsum deflectat, confestim perijt: ita & qui contra carnem suam pugnat, si hanc per quietem nimiam foouerit. *Climacus de discretione graduum.*

Tam ingnauè solutèque pugnamus, vt ne iacenti quidē hosti repugnare valeamus, sed stantes ab his qui ceciderūt, permittamus nos vinci. Quod enim quibusdam accidit propter auaritiam, vt dum mortuos spoliant post victoriam, sæpe à iacentibus interimantur. Et turpis quæstus gratia, post trophæa miserabiliter pereant, ad iacētem hostem & spirantem accedentes. Vt enim illi mortuos hostes ob prædam excutiendo, sæpè in semineeem aliquem incidunt, & clam lethali vulnere accepto cadūt, glorioſamque victoriam temeritate fœdant: Sic nos cum barbarum aduersarium temperantia & continentia deiecerimus, aut videbimur deiecisse, tunc spoliorum cupiditate capti, eorū nimirum quæ in pretio sunt apud homines, vt diuitiæ, principatus, bona valetudo, gloria, ad eum accedimus, aliquid quod illius sit, detrahere cupientes, atque ita spōtè in perniciem ruimus. *Nilus in lib. Ascetico.*

In hac vita quamuis strenuè dimicemus, & adiuuante domino cateruas hostium, quibus circumfundimur, prosternamus, tamen si ab eis vinci nolumus, nunquam pugnare desinamus. Nec vincentes seueros faciunt viriliter desudata prælia, sed magis sollicitant a duersariorum rediuiua certamina. *Prosper. lib. 1. de vita contemplatiua cap. 1.*

Auxilium meum a Deo. Proprie in bellis ij qui eruptionē inimicorum sustinent auxilium quærunt. Hic vero inuisibiles propheta sentiens inimicos, & instans sibi periculum ex inimicis: vndique totus exercitus impressione, in se irruentibus animaduertens, ait: Auxilium meum non ex diuitiis non ex vllo corporali subsidio, non item ex facultate quauis & fortitudine mea, at neque ex cogitatione quantalibet humana, sed auxiliū meū a Deo. *Basil. Psal. 7.*

Sicut in agone fieri solet vt duobus inter se luctātibus, accidat primo cadere vnum, & cum ceciderit, surgat & vincat: Ita in nostro agone, qui est nobis aduersū principem huius mūdi si forte acciderit aliquem de nobis vinci & in aliquo peccato cadere, possibile est vt post peccatū resipiscat, & exurgat, & perhorrescat malū quod admisit, & de cætero non solum contineat se; verum satisfaciat Deo, lauans per singulas noctes lectum suum, accipiens verbum propheticæ auctoritatis. *Nunquid qui dormit non adijciet vt resurgat. Origenes hom. 4. in psal. 36.*

Enimverò in olimpicis certaminibus, athleta intra stadium certat, magister autem ludi, foris considens, sermonibus affert auxilium, eatenusque duntaxat sermonem iuuat, quatenus acclamationibus & sermonibus valet, neq; enim vlla ei lege permittitur, manibus illum adiuuare. At secus res habet in pietatis certaminibus. Idē enim est & athleta & magister ludi idcircò nō extra caueā sedet, sed ingressus ad certamina ipsa firmat compugiles, dicens, propter quod malis non succumbimus *Chrysostomus homil. prima de rèsurrectione.*

Gallæ nostræ ex diametro dissident à natura corruptibili. Harum enim materia ferrum est, nostræ vero ex spe salutifera cōstant. Idem illis scutumq; è ligno ac tergore bubulo confectum est, nostrum verò munimentum fides est. Rursum nos thorace iustitiæ obarmamur: Illi tunicam anisis contextam circunferunt. præterea nobis adest gladius spiritus ad defensionem, illi ferro defenduntur. Ex his perspicuum est, quod non ijsdem cibariis nos quibus illi vegetamur viroſque colligimus, sed nos pietatis dogmata coroborant, illis ad parandas vires expletione ventris est opus. *Basilius homi. 2. de ieiunio.*

QVemadmodum diuitum filij, ornatus gratia aureum monile gestant in collo, nec id vnquam deponunt, veluti nobilitatis signum circunferentes & ostentantes: Itidem & nos oportet semper beneficentia indutos esse, declarantes quòd filij sumus eius qui misericors est, eius qui solem suum exoriri facit super bonos ac malos. *Chrisostomus Homil. 1. ad Philippenses.*

Quemadmodum illi qui in stultitiæ certaminibus præmia proponunt, tuba liberalitatem suam significantes, omnibus in palæstra decertantibus pecuniæ largitionem pollicentur atque denunciant: Sic ipsa beneficentia omnes in miseriis & calamitatibus positos ad se vocat, non vulnerũ & plagarum præmia, sed ærumnarum & incommodorum remedia & curationem, accedentibus impertiens. Hæc est omnium laudatarum præstantissima. Hæc est felicitatis comes. Hæc assidet Deo, & magna est cum ipso necessitudine coniuncta. *Gregorius Nyssenus In oratione De pauperibus amandis, & benignitate comp.*

Quemadmodum sol non expectat preces & præstigias vt exoriatur, sed illicò fulget, ac salutatur ab omnibus: Ita neque tu expectaueris plausus, strepitus & laudes, vt, benefacias, sed sponte confer beneficia, & æquè ac sol amaberis. *Epictetus Apud Stobæum serm. 44. De Magistratu.*

Quemadmodum acerbissima crudelitas est quæ trahit pœnam, & misericordiæ genus est, citò occidere, quia tormentum, vltimum finem sui secum affert: quod antecedit tempus, maxima venturi supplicij pars est: Ita maior est muneris gratia, quo minus diu pependit. Est enim bonarũ etiã rerũ solicita expectatio. *Seneca. 2. de Benef. 5.*

Sicut in telis eadem ferri vis est, sed in infinitum interest, vtrum excusso lacerto excutiantur, an remissa manu effluant. Gladius idem & stringit, & transforat: quàm presso articulo venerit, refert. Idem est quod datur, sed interest, quomodo detur. *Ibidem cap. 6.*

Quemadmodum pulcherrimum opus est, etiam inuitos nolentesque seruare: Ita rogantibus pestifera largiri, blãdum & affabile odium est. *Ibidem cap. 14.*

Quomodo mundi officium est, circumagere rerum or-

dinem: quomodo solis, soca mutare, ex quibus oriatur, in quæ cadat, & hæc salutaria nobis facere sine præmio: Ita viri officium est inter alia, & beneficiumdare. *Idem Lib.4.cap.13*

Quomodo aliud est munus? aliud ipsa donatio, aliud qui nauigat, aliud ipsa nauigatio: & quamuis æger non sit sine morbo, non tamen idem est æger & morbus: Ita aliud est beneficium ipsum, aliud quod ad vnumquenque nostrũ beneficio peruenit. *Idem Lib.6.chap.1.*

Quomodo multos fortuita sanant, & in flumen alicui cecidisse frigore magno, causa sanitatis fuit: quomodo quorundam flagellis quartana discussa est, & metus repẽtinus animum in aliam curam auerten do suspectas horas fefellit: nec ideo quicquam horum, etiam si saluti fuit, salutare est: Sic quædam nobis prosunt, dum volunt, imò, quia nolunt: non tamen ideo illis beneficiumdebemus. *Idem lib.6.cap.8.*

Quemadmodum in ægris opportunitas cibi salutaris est & aqua tempestiuè data, remedij locum obtinuit: Ita quãuis leue & vulgare beneficium sit, si præstò fuerit, si proximam quanque horam non perdidit, multum sibi adijcit, gratiamque precioſi, licet lenti & diu cogitati muneris vincit. *Idem Libro.2.cap.2.*

Quemadmodum ei qui voluit mihi pecuniam credere, & non credidit, nihil debeo: Ita ei qui voluit mihi beneficium dare, sed non potuit, amicus quidem ero, sed non obligatus. *Idem Lib.6.cap 11.*

More optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium arrident, non cessant dij beneficia congerere, de beneficiorum authore dubitantibus, sed æquali tenore bona sua pergentes populosque distribuunt, vnam potentiam sortiti, prodesse. Spargunt opportunis imbribus terras, maria flatu mouent, siderum cursu notant tempora, hyemesque ætates que interuentu lenioris spiritus mulliunt, errorem labentium animarum placidi ac propitij ferunt. Imitemur illos. Demus, etiamsi multa in irritum data sint. Demus nihilominus alijs, demus ipsis, apud quos iactura facta est. *Idem Lib.7.de Benefi.cap.31.*

Vt post malam etiam segetem serendum, vt post naufragium tentantur maria, vt fœneratorem à foro non fu-

gat

gat coactor : Ita beneficium denuò collocandum, etiam si semel incideris in hominem ingratum. *Idem.*

Garus ambusta & infusa medetur malis, sed si interim Garum non nomines : Ita quædam beneficia, beneficia nō sunt, si commemores. *Idem.*

Quemadmodum curandum, vt in eos potissimùm beneficia conferamus, qui gratè respōsuri erunt : Ita quædā etiam si de illis malè sperabitur, faciemus tribuemusque, non solùm si iudicabimus ingratos fore, sed si sciemus fuisse : tanquam si filios alicui restituere potero, magno periculo liberatos, sine vllo meo incommodo nō dubitabo. *Seneca Lib. 1. de Benefi cap. 14.*

Quemadmodum meretrix ita inter multos se diuidit, vt nemo nō aliquod signum familiaris animi ferat: Ita qui beneficia sua amabilia vult esse, excogitat, quomodo & multi obligentur, & tamen singuli habeant aliquid, quo se cæteris præferant. *Idem Lib. 1. cap. 14.*

Quemadmodum magnus luctator est, non qui omnes numeros, nexusque perdidicit, quorum vsus sub aduersario rarus est, sed qui in vno se aut altero bene & diligenter exercuit, & eorum occasiones intentus spectat : nec enim refert quàm multa sciat, si scit quantum victoriæ satis est: Sic in hoc studio multa delectant, pauca vincunt. *Idem lib. 7. cap. 1.*

Ficus non floret, cum fructus habeat dulcissimos: Ita quidam benefaciūt, nihil pollicitantes. *Plinius lib. 1. cap. 26.*

Quemadmodum materialis ignis incendium pedetentim, nisi vnde nutriri valeat, frequenter superadijciatur, minuitur: Ita & mutuus mortalium amor, si non crebris beneuolentiæ exerceatur officijs. *Laurentius Iustinianus in sermone de Christi corpore, seu de Eucharistia.*

Vt fluuius in multos deductus riuos, fluit tenuis ac languidus : Sic beneuolentia in multos distracta languescit, & euanescit. *Plutarchus In moralibus.*

CÆREMONIÆ.

Sicvt infantibus maximè opus est foueri sinu, & officio puellarum, ne pereant, quibus tamen adultis periculum est, inter puellas versari : Ita & feruentis ætatis ho-

minibus opus est, vt cæremoniarum claustris etiam ferreis teneantur, ne impotens eorum anima per vitia preceps eat & tamen mors eis fuerit, si non opinione iustificationis in eis perseuerauerint, cum docendi potius sint, non ideò se fuisse sic incarceratos, vt per hæc iusti sint, sed ne mala facerent, & ad iustitiam fidei facilius erudirentur. *Cyprianus sermone de Zelo & liuore.*

Quemadmodũ pædagogorũ medicorũq; more ex patria religione dũ aliud abrogat, aliud verò concedit, nonnihil pristini ritus quod voluptati sit, ipsis permittit, non aliter quam medici ægrotantibus facere solent, huc spectantes, vt medicina alioqui acerba dulcore aliquo ad artis præscriptum temperata, æquioribus animis recipiatur. *Nazianzenus lib. quinto de Theologia.*

Intentio cæremoniarũ eiusmodi est, memoria Dei frequens & timor eius, & amor eius & obseruantia mandatorum omnium & quod credatur in Deum altissimum, id quod necessarium est vnicuique. Nimirum graui nos mole corporis pressi, valde quidem egemus, ad somnolenti animi excitationem commouentibus rebus, vt generosus equus itinere iam longo fatigatus, cum classicum personuit, in robur erigitur, stare loco nescit, micat auribus. Et elephantus segnitie torpescens, igne ostenso resurgit in audaciam: Ita rebus secularibus eneruata virtus nostra externis & corporalibus incitabulis, seu vocum seu figurarũ indiget, vt animi nostri vigor, spirituali operi robustius instet, & comtemplatio nostra tantò acrius in sublime prouehatur, quantomagis attoniti anteà obstupuerimus. Et in hoc constat omnis cæremoniarum ratio, tam veteris quam noui testaméti. Ac propterea in veteri testamento palmas tetenderunt, brachia expanderunt, genua flexerunt. Iussi quoque vaccam triennem, capram trimam turturem, columbam, per medium diuiserunt. Arietem in vepribus hærentem cornibus gladio occidentes, igne cremarunt, Tau super postes ædium notarunt, serpentem æneum aspexerũt, Cherubin & alias imagines figurarunt, & in nouo testamento manus leuamus, orantes nunc stamus, nunc in faciem procidimus, pectus tundimus, frontem cruce signamus &c. *Reuclinus de arte cabalistica.*

SIcvt Ioseph dimisit pallium in manu meretricis, & fugit cũ meliore pallio castitatis: Ita & tu proijce pallium in manus calumniatoris, & fuge eum meliore velamento iustitiæ. ne forte dum vis vendicare vestem corporis, pretiosissimum animæ vestimentum perdas. *Chrisostomus in Matth. Homil. 12. operis imper.*

Quòd si quis pernicioſis humoribus plenus, ægrotationis laborem nõ effugiet: multo magis qui hanc omni cholera amariorem malignitatem in seipso recõdit atque cõseruat, vltimi atque perpetui doloribus morbi laborabit: quod planum à verbis suis est, qui cùm aliis dolorem inferant, quanto magis animam prorumpentis interimenti? Nã insidiator & calumniator, non aliter seipsum prius interficit, quàm qui accendit ignem, prius concalescit, vt qui duros silices manu cædit, ipse, non lapides, vapulat, qui ad stimulos calcitrat, seipsum ferit: contra verò qui magno animo iniuriam perfert seu silex ignis & stimulus aduersariũ vlciscitur: præsertim cum nullas vires iniuriantes habeãt, sed seu lutum facilè dissoluantur. Non ergo iniuriam pati, sed iniuriã facere, & nescire pati, malũ est. *Idẽ ho. 43. in Mat.*

Quemadmodum si quis te pauperem vt diuitem appellarot, laudaretque, nihil ad te illæ laudes, sed potius in risum verterentur: Ita si quis falsò calumniatur, nihil id ad te. Quod si te conscientia reprehendit, nulla verba perturbent, sed vitam emenda: hoc in veris reprehensionibus dico. *Idem Homilia 82. in Ioannem.*

Quemadmodum Aesopica illa gallina eum ægrotaret, ad felẽ interrogãtem eam, tanquam ex beneuolẽtia, quomodo valeret: Rectè, dixit, si tu discedas: Sic ad eiusmodi hominẽ, qui super dissensione sermonẽ mouet & interrogat, & secreta aliqua suffodit, dicendum est. Atqui nihil ego in fratre desidero, si nec ipse calumniantes audiam, nec ille. *Antonius in Melissa parte. 1. serm. 13.*

Primùm homines inuaserũt animalia noxia, pòst & oues & boues, postremò à nullo genere temperatũ est: & Athenis primùm calumniator aliquis supplicio affectus est, & rectè: post hunc vnus, & alter: postremò nec à bonis est tẽperatum. Ita cum aperitur ius in malos, cauendum, ne postea in bonos recidat. *Plutarchus in moralibus.*

Vt morbus in corpore non admittente quod proprium est, multarum noxiarum & absurdarum rerum gignit appetentiam: Ita calumnia suspicióque aduersus cognatos & domesticos, malas & noxias aliorum necessitudines inducit. *Ibidem.*

CANTVS ECCLESIASTICVS.

QVando spiritussanctus nos vidit ægre persuaderi ad complexum virtutis, ac proinde ad ineundam vitæ rectitudinem per hoc lentescere, quod toti ad consectandam voluptatem propenderemus, quid fecit? Nimirum scripturæ suæ dogmatis mistim insperfit concinnam istam numerorum modulationem, vt auribus permulctis ac delinitis melico vocum consensu, clam ac velut aliud agentes sineremus in animos nostros irrepere eloquiorum vtilitatem, idque pro more sapientis medicj. Is enim pharmacum oblaturus austeriusculum quidem aduersati cibos nec probè concoquentj, subinde oras calicis prælinit melle. In hoc sane excogitati sunt cõcinni isti cõcentus psalmorum, vt qui per ætatem pueri etiam dum sunt, aut certè morũ maturitate nondum incanuerũt dum in speciem cõcinunt ac modulantur, re ipsa animas erudiant suas. *Basilius in psalmum primum.*

Quæ ad vsum vitæ huius cantica & cãtilenæ tenores ac soni desinentia fallunt auditum, simul & animum in fraudem pelliciunt, ab vtilitate abducunt, & in concupiscentiã pertrahunt, ad genialem vitam, eorumque quæ canuntur appetentiam, afficiunt & inclinant, & quamlibet alioquĩ virilem eneruant, obscæna turpia & illecebrarum plena. Cœlestia vero cãtica quæ nimirum sanctus suggerit spiritus, & moderata verborum temperie, & decenti sententiarum descriptione, mentem reuocant ad affectiones suas ordine digerendas, animam illustrant & exornant, vt simulatque intellexerit & assensa sit eoque inuitat melodia à spiritu sancto excitata tum organum, tum prolata quoq; sententia, & mores transferat & affectus promoueat. *Chrisostomus in psalmum.* 118.

QVemadmodum sordes & limus aures corporis obstruere solent: sic meritricij cantus, huius seculi fabulæ, debitorum onus, creditorúque ac fœnorum ratio, aures mentis solent obstruere, atque immúdas facere quasi enim stercus auribus vestris immittunt huiusmodi colloquia: & quod barbarus ille minabatur dicens: comedetis stercus vestrum: id nũc multi non verbo, sed re in vobis faciunt, imò verò etiam multò peius ac fœdius. Nam fornicatorij cantus, multò magis quàm stercora sunt abhominabiles. *Chrisostomus hom. 38. in Matheum.*

CARO, CARNALIS.

OMnis caro sicut fœnũ veteraſcet, & sicut folium fructificans in arbore viridi: alia generãtur, alia deijciũtur: Sic generatio carnis & sanguinis alia finitur, & alia nascitur. *Eccl.* 14.

Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos agri: exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus domini sufflauit in eo. Verè fœnum est populus. *Isay.* 40.

Carnis incommoda sunt nobis communia cum humano genere. Sic cum flatu sterili terra iciuna est, neminẽ fames separat. Sic cum incursione hostili ciuitas aliqua possessa est, omnes simul captiuitas vastat. Et quando imbres nubila serena longa suspendunt, omnibus siccitas vna est. Et cum nauẽ scopulosa saxa cõfringunt, nauigantibus sine exceptione commune periculum est. Et oculorum dolor, & impetus febrium, & omnium valetudo membrorum, cũ cæteris nobis cõmunis est. *Cyprianus sermone de mortalitate.*

Natura vnicuique nostrum cognatas addidit pecudes, ex vna radice animæ duabus velut stirpibus pullulãtibus. Quarum altera integra indiuisaque intellectus appellatur altra ab imo in septem ramos diuiditur, in quinque sensus, & duo instrumenta vocis genituræque, quæ multitudo tota bruta, comparatur pecori. Et quia numerosa est iuxta naturæ legem operã ductoris necessariam postulat. Quo-

ties igitur imperitus regendi, sed diues, seipsum præficit, plurimorum malorum causa fit pecori. Nam ipsa necessaria copiosè suggerit: At illud in tanta copia ciborum petulans redditur. Saturitatis enim germana proles est, petulantia. Per eam petulentiam saltitant, & contempto rectore vagantur, soluuntque stipatum antea ordinè: atque ita ductor desertus, ex præfecto priuatus fit discursans sa-tagensque si fortè possit denuò in vnum compellere. Et cum videt se operâ perdere, gemit ac flet, damnans suam facilitatem, & culpam in seipsum referens. Ad eumdem modum pecus sensuum, quâdo intellectus supinè se gerit, & ignauiter auidè saturatum copia rerum sensibilium cernicè iactat & subsultat, impingens in omnia visui patientia, vel quæ videre nefas est, auribus quoque voces recipiens insatiabiliter, sitiendo semper ob curiositatem, interdum oblectans se obtrectationibus parum liberalibus. *Philo. lib. de agricultura.*

Quemadmodum in staterarum momentis contingit, vnâ si degrauaris lancem, velis nolis illi oppositum tantò reddes leuiorem: consimilem in modùm assolet in carne & anima contingere. Vnius exuberans copia, necesse est vt alterum imminuat, & illi addat inopiam. *Basilius hom. in illud Mosis, Attende tibi ipsi.*

Quemadmodũ incola qui alienæ inquilinus est domus, ad domini arbitriũ eam colit atque exercet: Ita & nobis, carnis diligentia traditur, vt congruè eam exercentes, fructum ex ea bonum præbenti reddamus. Si enim Deo digna fuerit, fiet eius tabernaculum. *Idem in psal. 14.*

Perinde atque in acie hinc atque hinc instructa ad conflictum, qui alteri parti fert suppetias, facit vt alter vincatur: Ita qui carni sese adiungit, expugnat spiritum, & qui stat à spiritu, carnem in seruitutem redigit. *Idem sermone de iiiunio.*

Sicut in modio si volueris reponere, necesse est vt cadat deorsum ad inferiora eius, & tenebrosa: Sic homini carnali & vacuo, si dixeris quod est Dei, non illud tenet in superiori parte mentis suæ aut cordis, nec portat illud in ore, sed confestim cadet de mente eius, & condet deorsum in terrena & tenebrosa, vt nec illi prosit, nec aliis.

Chrisostomus hom. 10. operis imperfecti.

Quando quis corporalibus motibus excitatur, voluntas autem illius non inclinatur, vt faciat opus quod facere instigatur, sed stabili proposito continentiæ, & ratione iustitiæ irrationales motus corporis frangit, & si corpore concupiscit, anima eius non concupiuit, si autem consenserit explere quod cogitat, tunc verè dicitur animo concupiscere: Sic & caro inimicum suum diligere non potest, quemadmodum nec possibile vt iniuriam sentiat sibi illatam. Anima autem ieiunium diligere potest, quia dilectio vel odium carnis in sensu est, animæ autem in intellectu. *Ibidem hom. 13.*

Sicut qui graues oculos habet, si ponas eum in aliquo obscuro tenebrosoque loco melius videt, si autem ponas eum in sole, nihil videt, quia oculus eius non suffert lucis candorem: Sic homo carnalis, qui oculum, id est, mentem terrenis desideriis sordidam habet, & turbulentâ, si ponas eum in rebus mundalibus, sapit & astutus est: si autem trahas eum ad res spiritales, tenebrescit, ac nihil sapit, quia mens illius desideriis corrupta terrenis, iustitiæ bonum non sentit. *Idem Hom. 15.*

Arundinem vento agitatam. Matthæi. 11. Sicut calamus vacuus est, & nullam habet virtutem, & ideò qualisvis ventus flauerit super eum, huc & illuc flectit illum: Sic & homo carnalis & secularis, in quo fidei nulla est medulla, & virtus veritatis non inuenitur in eo, qualiscunque tentatio venerit, super eum, curuat eum. *Ibidem hom. 27.*

Sicut irrationabilis terra quæ secus viâ posita est, semper conculcatur & dura est, & semina doctrinæ in sulcos sensus sui non recipit, sed volatiles spiritus rapiunt ea: Sic & omnis arbor rationalis, iuxtà viam posita, non potest esse fructifera, id est, homo secundum mundum viuens, nunquam potest euadere à peccato vt sit iustus. *Ibidem hom. 39.*

Quemadmodum diues peregrè profectus, si in hospitio applicuerit pauperis alicuius, quamuis non potest in domo iubere quod vult, quia hospes est, tamen magnam sibi fiduciam agendi aliquid vendicat, quia potens: Sic & anima peregrina in hoc regno carnis ingressa

quamuis non omnia spiritaliter agere potest secundum se, quia extranea est in hoc mundo, tamen aliquid spiritale vendicat in carne, quia nimium potens est. *Ibidem. Hom. 42.*

Sicut peregrinus pauper nihil in hospitio diuitis potest, primò quia peregrinus & hospes est, deindè quia mēdicus & pauper est: Sic & caro cum in illud seculum resuscitata migrauerit, nihil omnino poterit sibi carnale defendere: primùm, quia extranea in illo seculo spirituali: secundo, quia infirma est carnis natura. *Ibidem.*

Quemadmodum quisquis affirmat nec in ipsa cythara, nec in ipsa naui artem residere, sed in gubernatore, atque in cytharœdo, is instrumēta ipsa minimè calumniatur, sed declarat quantùm interſit inter artem & artificem: Ita paulus cum ait, *non habitat in me, id est, in carne mea bonum*, Ipsum sanè corpus non fugillauit, sed animæ excellentiam declarauit. Ea enim est, cui gubernationis atque cantus negotium totum creditum est. *Idem Homelia 13. ad Romanos.*

Si admirandas aliquas ædes & regalia pubula tyrannus quispiam ac latro capiat, non propterea culpandæ & in calumniam vocandæ sunt ædes, sed omne illud crimen, eorum fuerit, qui ædibus insidias struxerint: Ita & caro. *Ibidem.*

Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Rom. 7. Quemadmodum qui spiritu erecti ac veluti volatiles viuunt, si & corpus quoque spirituale efficiunt. Sic qui à spiritu sunt auersi, ventri autem ac voluptati seruiunt, si animam carnem efficiunt, non substantiam mutantes, sed illius nobilitatem perdentes. *Ibidem.*

Spinæ non pungunt in radicibus. Erue spinas de terra, contiecta radices ipsarum, & vide si sentis dolorem. Tamen illud vnde dolorem sentis in superficie, de radice processit: Ita amatores carnalium, & si videntur lenes, blandi, radices spinarum sunt. *Augustinus in psal. 139.*

Vitium, corruptio & languor antè animæ coniunctionem in carne persistunt, ex qua tabe anima maculatur. Quemadmodum si testa odore malo imbuta sit, quæcunque liquorem susceperit, sua corruptione inficit: Nam & si ante animæ infusionem non sit in anima culpa,

eo quod ratione caret, locum tamen mortalitatis cum passibilitate obtinet. *Hugo Etherianus lib. 1. de regressu animarum ab inferis cap. 4.*

Quis nostrum exteriorem hanc vestem qua' tegitur, si repentè obscœnis vndique sputis illitam, & fœdissimis quibusque sordibus inquinatam consideret, non vehementer exhorreat, non velociter exuat, non indignãter abiiciat? Itaque qui non vestem, sed semetipsum intus sub veste talem reperit, eò amplius doleat, & animo consternetur oportet, quod propius tolerat, quod exhorret. Quid est caro ipsa nisi corruptibilis quædam tunica qua vestimur? *Bernardus lib. de diligendo Deum.*

Vt Adæ indignamur meritò omnes, quòd vxori suæ potius obedierit quàm Deo: Ita & nobis ipsis displiceamus, quòd carni nostræ aut quibuslibet aliis creaturis magis quàm Deo placere studemus. *Idem Sermone 1. De omnibus Sanctis.*

Quidam vir nobilis, & eius seruus, tibi in custodiam dati sunt, ea lege, vt seruum pane & aqua more serui, nobilem secundum dignitatem natalium suorum procurares splendidè. Tu verò contrarium, nobilem fame & siti, & multis iniuriis confecisti: seruum verò delicatè nutristi, omni genere deliciarum insolentem fecisti, rebellem domino suo, cui insurgens insolentem vulnerat inultus, occidit tandem. Quid respondebis ei, qui vtrunque tibi cõmisit: Tu homo, crudelis homo fuisti, qui nobilẽ virũ, spiritum, & animã, nullis deliciis virtutũ, nulla pinguedine deuotionis refecisti, seruum contumacem nutriuisti delicatè. qui carnem gula, ebrietatibus, voluptatibúsque huius vitæ inescasti. Caro in surgit in spiritum: eum vitiis seruire coëgit, vulnerat, occidit. *Absalon Sermone 3. De annũciatione Mariæ.*

VIDE CORPVS, MVNDI AMOR.

CASTITAS. CONTINENTIA.

QVemadmodum melius est sanum esse, quam ægrotantem differere de sanitate: ita lucem esse, quàm lo-

qui de luce, & quæ est ex veritate continentia. *Clemens Alexandrinus lib. 3. stromat.*

Quomodo inter gentes, & ex eo quod non possit consequi quod videt aliquis, & ex eo quod timeat homines, sunt autem etiam, qui propter maiores voluptates abstinent ab his, quæ sunt iucunda in præsentia: Ita & in fide, aut propter promissionem, aut propter Dei metum se continent aliqui. *Ibidem. lib. 7.*

Nec quisquam dicat habere volo quod vincam, hoc est dicere, viuere volo sub ruina. Habes nunc carnem tuam quam superes semper. Quid tibi vis alteram velle conducere? Nemo super vnam febrem cupit adhibere peiorem, ne incipiat hemitritæo insanabili laborare, cui nullus valeat medicus subuenire. Neque aliquis super onus proprium, tollit alienum, ne oneribus duobus vsque ad inferos demergatur. *Cyprianus de singularitate clericorum.*

Acrius diuitibus quam pauperibus inuidetur, & non inopes sed locupletes inquietat infestatio sæua latronum. Plus duces & principes, quàm milites ab hostibus appetũtur in pugna. Et violentius propulsantur ventis & turbinibus culmina quæcunque sunt altiora. Ita magis magisque quò plus cæteris vnusquisque potest, sciat esse sibi metuendum, ne in aliquo minoretur. *Ibidem.*

Quod si aliquis dicat captiuum teneo aduersarium cui semper insultem, videat ne forte aduersus eum captiuus incipiat prævalere. Nunquam securus cum thesauro latro tenetur inclusus, nec intra vnam caueam habitam, cum lupo tutus est agnus. Ipse se voluit superari qui hostem proprium in suas portas induxit: & intestinum gladium sibi ipse supposuit, qui locum habitationis suæ aduersarij ingressibus reserauit, & qui fretus est conuersari cũ scandalo, sine causa dixit, pacatus volo esse cum diabolo contra Apostolum dicentem, nolite locum dare diabolo. Omni ergo modo muniendus est locus, vbifuerit thesaurus absconditus, ne per vnam cauernam, totum parietem latro suffodiat. *Ibidem.*

Ac reliquæ quidem virtutes, cum in occulto exerceantur, minus sæpe illustres apud homines existunt. Continentia autem, in quo inest, eum vel primo ipso aspectu tantum notum facit. Vt enim optimus corporis habitus

& coloris bonitas, pugilem à cæteris distinguit. Sic Christianum à cæteris macilentia corporis pallorque defloreſcens, qui continentiæ veluti adiunctus est comes, indicio est, eum Christi mandatorum verè pugilem esse, qui in infirmitate corporis aduersariũ suum in lucta prosternat, & quàm potens sit in pietatis certaminibus declaret, conuenienter verbis illis, cum infirmor tunc potens sum. *Basilius in regulis fusius disputat. interrog.* 17.

Quæso quo cruciatu digna censeretur mulier, quæ nobili coniũcta viro, seruo suo seipsam violandam impudicè substerneret: ac seruum insidioſè nequitérque domini thoris ingueheret? Quo item seruus ille damnandus examine qui dominæ suæ dominique cubili se concitatus libidine adeò petulanter immiscuit? *Basilius. Ibidem.*

Quemadmodum satyrorum conspectæ imagines risum intuentibus mouent: ac sicuti aliæ mœstiores effigies cernentium & amictum, & faciem tristium imaginationibus confundunt: & sicut nihil horum commouetur, intuentium faciem in suum traducit affectum: sed quod in immota imagine aspicitur, id illa immobili forma cernentium animos mouet atque ad sui imaginem dirigit: ita & virgo castitatis imago, imo ipsius virtutis effigies etiam conspecta solum ad Dei considerationem humanos mox conuertere, ac mouere debet affectus. *Idem de vera virginitate.* 27.

Si in gymnicis certaminib⁹ plerique visis athletis corona tis accensi, etiam ipsi se exuerunt, & multos sudores laboresque pertulerũt, vt ramis vel oleæ vel lauri coronarẽtur: quanta nos conuenit alacritate pro continentia sudores ferre, quando alios à Deo coronatos videmus, vt cœlestib⁹ redimiamur coronis, propter bona salutariaque facinora? *Chrisosto. Sermo. de continentia Ioseph.*

Nõ oẽs capiunt verbũ istud *Mat.* 19. Ex eo quod quidã nõ possũt & à proposito continentiæ cadunt, non debem⁹ circa virtutem castitatis fieri pigriores. Si enim quidam in pugna cadentes, non exanimant cæteros, sed dicunt illis sic datũ fuisse, rem non applicãt pugnæ, sed homini: quantomagis nos cadentium negligentiæ imputare debemns, non difficultati virginitatis. *Idem. Hom.* 32. *Operis imperfecti.*

Pinge mihi virginitatis speciem. Bellum habet quotidie non vnquam hic sedabile, barbarico deterius. Nam & hoc temporis habet requiem, quo vel paciscuntur vel ordinant, vt quandoque pugnent, quandoque cessent. Belli vero in virginem nulla quies, inducię nullæ: diabolus eam semper nudam inuenire quærit, quo letale vulnus infligat, non hoc vel illud tempus obseruat, sed semper belligeratur. sic virgo nunquam cessat à bello, *Idem Hom. nona de poenitentia.*

Tenera res in fœminis fama pudicitiæ est, & quasi flos in fœminis cito ad leuem marcessit auram, leniquè flatu corrumpitur, maximè vbi & ætas consentit ad vitium, & maritalis deest authoritas, cuius vmbra tutamen vxoris est. *Hieronymus epist. ad Saluiam de viduitate seruanda.*

Virgo es, quid te mulieris delectat societas? Quid fragilem & sutilem ratem magnis cõmittis fluctibus, & grãde periculum nauigationis incertæ, securus ascendis? Nescis quid desideres, & tamen sic eis iungeris, quasi aut ante desideraueris, aut vt leuissimè dicam postea desideraturus sis. *Idem epist. ad Gaudentium de Pacatulæ educatione.*

Cum B. Martinus dioeceses circumiret, Boues ex parte prata depauerant, porci etiam nonnulla suffoderant, pars cætera quæ manebat illæsa, diuersis floribus quasi picta vernabat. Speciem inquit, gerit pars illa coniugij, quæ pecore depasta, & si non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem: Illa verò quam porci, pecora immunda foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit. Cæterum illa portio quæ nullam sensit iniuriam, gloriam virginitatis ostẽdit, herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberat, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat. *Sulpitius in vita S. Martini lib. 3.*

Nauis tempestate iactata portum quærit, & viri pudici anima expetit solitudinem. Vt enim illa fluctus maris naufragium minitantes fugit: ita hæc mulierum aspectus perniciem afferantes vitat. *Nilus oratione secunda aduersus vitia.*

Quemadmodum incontinentia non famem, non sitim aduentare permittens, neque veneris desiderium, neque

vigilias, per quæ sola voluptuosè edere, bibere, venere vti, quiescere atque dormire possit, prohibet: necessariis, & cõtinuis voluptatibus perfrui facit: Sic contrà cum sola continentia desiderari ista faciat, sola etiam perfrui rectè voluptatibus facit. *Xenophon, lib. 4. de dictis Socratis.*

CHRISTIANVS.

VErus athlera Christianus, qui in magno stadio nempe hoc mundo veram assecutus victoriam, aduersus omnes animi perturbationes. Agonotheta est Deus. Qui brauia seu præmia distribuit, est vnigenitus Dei filius. Spectatores sunt angeli, variúmque ex omni genere constans certamen, non est aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spirìtales potestates, quæ per carnes operantur vehementes vitiorum & affectionum motus. *Clemens Alex. lib. 6 stromatum.*

Primum criminationis caput a Celso est, a Christianis clancularios conuentus haberi solere, legibus vetitos. Adhoc respondendum est, quod quemadmodum si quis peregrinus apud Scythas nefariis vtentes legibus nequeat, se inde subducere, cogaturque inter illos viuere, vtatúrque veris legibus, violare Scytharum iura videbitur, & conspirare cum diuersæ opinionis sectatoribus: Ita contra veritatem iudicant leges gentium, quæ statuarum cultum inducunt, & impiæ deorum multitudinis, superantque hac parte immanitatem Scythicam. Non est igitur absurdũ, in veritatis fauorem, conuentus contra legem facere. Quemadmodum enim qui contra Tyrannum ciuitatis occupatorẽ conspirant, rectè faciunt: Ita Christiani pressi tyrãnide diaboli & mendacij, contra ipsius leges in ipsum diabolum conspirant *Origenes, lib. 1. contra Celsum.*

Alius est Christianorum mundus, & conuersatio, mens sermo atque opera, Alia hominum huius mundi vitæ ratio, mens, sermo atque opera: Atque magnum discrimen est inter hos & illos, Nam terræ habitatores & filij huius seculi, similes sunt frumento in cribrum huius terræ coniecto, eo quod concutiuntur volubilibus huius mundi cogitationibus, & assidua tempestate, rerum atque desideriorum terrenorum, & crassarum varij generis cogitationum, videli-

cet animas perturbante Satana: qui alioqui cribro, hoc est, terrenis occupationibus cribrat omne genus hominum obnoxiorum peccato ab eo tempore quo cecidit Adam. Nostra autem conuersatio est in cœlis. Christianorum enim animus cogitationi cœlesti semper est deditus, æternáque bona contemplatur, propter communicationem spiritus sancti, quia de sursum ex Deo nati sunt, & in veritate & potentia filij Dei meruerunt euadere. *Macarius Hom. 1.*

Christiani sunt mercatorum similes, qui quæstum ingétem è mercatura faciunt. Quemádmodum enim hi cumulant lucra terrena: Sic illi cogitationes cordis sui per hoc seculum dispersas, virtutum omnium beneficio ac vi spiritus sancti colligunt ex vniuersa terra, quæ maxima & vera est negotiatio. *Idem Hom. 24.*

Quemadmodum ab igne accenduntur multæ lucernæ & lampades ardentes, cunctæ verò lampades ac lucernæ ab vnica natura accéduntur & lucent: haud aliter etiam Christiani accenduntur & splendent in cordibus suis, & agentes in terra lucent in conspectu eius sicut & ipse. *Idem Hom. 43.*

Absurdum est quod medicus, coriarius textor, & omnes generatim opifices quisque pro artis suæ professione pugnat. Christianus autem nullam suæ religionis possit afferre rationem. Atqui illæ artes neglectæ, ad pecuniam damnum referunt, huius autem contemptus animæ detrimentum affert. Et tamé tanta insania, tanta miseria laboramus, vt in illa omnem curam cogitationémque adhibeamus, ne cessaria autem & salutis nostræ munimēta firmissima, pro nihilo ducimus. Hoc non sinit gentibus errorem suum cognoscere, atque deridere. Nam cum ipsi omnia faciant, vt dogmatum suorum ignominiam defendant, nos autem veritatis cultores, ne hiscere quidem ad nostra tutāda possumus. *Chrys. Hom. 16. in Ioannem.*

Oro ne deteriores simus ingratis & insensatis Iudæis. Illi enim susciptētes circuncisionis signaculum, bene se muniunt & cauent, ne vltra cum gentibus se misceant, quantú ad communionis rationem attinet, quantum autem ad impietatem sæpe illos ingrati etiam excedunt: Atque nos cũ semel susceperimus baptismi circuncisionem, ita securè nostra corrigamus. Non dixerim quod non liceat nobis ver-

sari inter gentes, sed licet cum illis versemur, nostram tamen custodiamus virtutem. *Idem Hom. 40. in Genesim*

Nobis quoque sabbata extranea sunt & neomenia & feriæ aliquando dilectæ, Saturnalia & Ianuariæ, & brumæ & matronales frequentantur, munera continuant, strenæ consonant, lusus, conuiuia perstrepunt. O melior fides nationum in suam sectam, quæ nullam solennitatem Christianorum sibi vendicat, non dominicum diem, non Pentecostem, etiamsi nosset nobiscum communicassent, timerent enim ne Christiani nominarentur, nos ne ethnici nominemur, non veremur. Si quid & carni indulgendum est, habes non dicam tuos dies tantum, sed & plures. Nam ethnicis semel annuus dies festus est, tibi octaua quoque die. *Tertullianus lib. de idololatria.*

CHRISTIANORVM NOMEN ET CHARACTER.

QVid noui si aliqua disciplina de magistro cognomentum sectatoribus suis inducit? Nonne philosophi de autoribus suis nuncupãtur Platonici, Epicurei, Pythagorici etiam à locis conuenticulorum suorum, Stoici, Academici, atque medici ab Eresistrato, grammatici ab Aristarcho, & coci ab Apitio! *Tertullianus in apologet. cap. 3.*

Signati estis Spiritu promissionis. Ephes. 1. Quemadmodum si eos quos sortito sibi comparauit velit familiari aliqua nota notiores reddere: Sic & deus nos in hoc discreuit à cæteris, vt in ipsum fidem haberemus. Porro idem nos spiritussancti charactere insigniuit, vt futuram illam vitã possideamus. Quandiu in diuinæ mentis præscientia fuerunt homines, nulli dum erant manifesti, vbi eos signauit Deus, manifestati sunt. Cæterum non vt vos fideles. Erant enim præter paucos manifesti. Signati sunt etiam Israelitæ, sed circũcisionis nota, vt pecora & bruta. Et nos ipsi signati sumus, sed vt filij, nimirum spiritusancto, quem ex pacto accepimus. *Chrysost. Hom. 2. in epist. ad Ephes.*

Quemadmodum si genti aduersus aliam gentem bellum exoriatur, consignant vtrinque obsides: Ita etiam Deus fecit. *Ibidem.*

Dum me Christianum nuncupas, non magnifacio, imo respondeo, te nescire quod dicas. Nam vnctionis nomen imprimis bonum ac suaue est, nec risum meretur. Quæ etenim nauis bona & vsui esse potest, nisi prius vngatur? Quæ turris aut domus elegãs & vtilis esse potest, nisi prius vngatur? Quis mortalium qui progreditur in hanc vitã quę certaminũ corona est, non oleo inũgatur? Quodnam opus ornatum haberi potest, nisi perungatur, & quasi splendore illustratur. Præterea aer & omnis quæ sub cœlo est creatura, quodammodo lumine & spiritu inungitur, & tu recusãs macerari Dei oleo. *Theophyl. Antiochenus, lib. 1. ad Autolycum.*

CHRISTIANORVM SIMPLICITAS.

CHristiani non aliter se habent, quam mens pueri tres annos nati, quæ non potest pertingere aut assequi perfectũ oratoris animum, quia multum temporis interfluxit: Sic Christiani non aliter quàm pusilli infantes mundum comprehẽdunt spectantes gradum gratiæ: Sicut enim peregrini in hoc seculo, ciuitas autem eorum & requies est alia. Habent enim Christiani consolationem spiritus, lacrymas, luctum & planctum, suntque illis lacrymæ delitiarũ loco *Macarius* Hom. 15.

Sedens super asinam, &c. Math. 21. Sicut hoc genus iumenti si quid errat, in simplicitate errat, & non in asperitate: Ita & homines qui crediderunt in Christum, siue ex Iudæis, siue ex gentibus, non in malitia sed ignorantia peccauerunt, ideò sedere debent non puniri sub graui sessore. Nam sicut peccatores sunt equi diaboli: Ita sancti, equi sunt Christi, quia diabolus in peccatoribus sedẽs instigat eos per deserta facinorum, id est, per fornicationes & auaritias. Christus autem sedens in sanctis dirigit eos per plana iustitiæ, id est, in castitate, in humilitate. Ergo equitatus diaboli perditio est, equitatus autem Christi, salus, *Chrysost. Hom. 23, ex variis in Matthæum locis.*

Qui sunt paruuli? Christiani, qui nihil possunt amplius æstimare de Christo, nisi quod vident in eo, & nihil amplius credere possunt, nisi quod audiunt in libris de ipso.

Talis

Talis enim est natura infantium, cum viderint rē aliquā, animus eorum simplex nihil potest amplius considerare de ea, quam quod oculi eorum vident, & quod audierint ab aliquo, nihil amplius in sermonibus exponentis intelligunt, neque possunt discutere rem auditam, sed quicquid audierint, credunt. *Idem Hom. 28. operis imperf.*

CHRISTVS.

CRISTI ATTRIBVTA VARIA.

SAluator noster splendor est gloriæ, splendor autem nō semel nascitur, & deinceps desinit nasci. Quotiescūque ortum fuerit lumen, ex quo splendor oritur, toties oritur splendor gloriæ. Saluator noster sapientia est Dei. Sapientia verò splendor est lucis æternæ. Sic igitur saluator noster semper nascitur. Et ideò dicit, Ante omnes colles generat me. Non vt quidam malè legunt, generauit. Si semper ex patre nascitur Dominus, etiam tu in similitudinem eius tantum adoptionis spiritum habens, semper generaris à Deo per singulos intellectus, per singula opera, & efficieris filius Dei in Christo Iesu. *Origenes Hom. 6. in Hieremiam.*

Duæ res sunt sibi contrariæ, mors & vita. Et vita quidem ille est qui dixit, Ego sum vita. Inimica autem huius vitæ mors est, quæ nouissima inimicorum omnium destruetur, qua peccans anima moritur. Sicut ergò vita est viuus panis, qui de cœlo descendit, & vitam dedit huic mundo: Sic & inimica eius mors, panis mortuus. Omnis autem rationabilis anima, aut viuo pane nutritur, aut mortuo, per ea quæ suscipit opera, vel dogmata bona, vel mala. Et quemadmodum est in communi pane, vt quis aliquando quidē gustet eum tantum, aliquando & amplius eum manducet: Sic & in istis panibus, quidam quidem modicum manducant, tantum gustantes, quidam autem ex eis manducāt, boni quidem de viuo pane, mali autē de mortuo pane, qui mors est. Et forsitam qui raro & modicum peccant, tātumgustant mortem: Qui autem perfectius susceperint spiritalem virtutem, neque gustant eam sed viuo pane semper vescuntur. *Idem tractatu 3. in Mathæum.*

Indignatur pater cum filius eius vnigenitus non agnoscitur. Graue est regi, si quis gregarium militem inhonorarit: quod si quis eorum qui interius sunt, satellitum vel amicorum inhonoretur, tunc excitatur maior ira: sinautem aliquis filium regis vnicum contumelia afficiat, quis consolabitur patrem pro filio vnigenito indignantem?

Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi. 10.

Dicitur ostium: sed non putes ligneam esse appellationem: sed ostium viuum rationale, discernens ingredientes. Via vocatur, non pedibus calcata, sed quæ ducit ad eum qui est in cœlis, Dominum. Ouis vocatur, non irrationalis, sed quæ per pretiosum sanguinem suum, mundum à peccatis mundat, quæ ducitur coram tondente se, & scit quandiu tacere oporteat. Hæc ouis rursus vocatur pastor, cum dicit: Ego sum pastor. Ouis propter incarnationem, pastor propter benignitatem deitatis. Leo quoque vocatur non hominum vorator: sed regium quiddam & solidum, atque confidentis personæ per eam appellationem iudicatur. Leóque vocatur ex aduerso, illi leoni nostro aduersario rugienti, & aberrantes deuoranti. Lapis vocatur non inanimatus, manibus hominum excisus, sed lapis angularis, & qui credit in eum non confundetur. Christus vocatur, non humanis manibus vnctus, sed à patre perpetuo, in eam quæ super homines sacerdotij dignitatem inunctus. Mortuus vocatur, non permanens inter mortuos vt omnes qui sunt in inferis: sed solus ex mortuis liber filius hominis vocatur, non vt quilibet nostrum, è terra generationem habens, sed venturus in nubibus iudicare viuos & mortuos. Dominus vocatur non abusiuè, sed tanquam inter homines. Iesus vocatur vero nomine, à salutari medicina habens appellationem. Filius vocatur non per adoptionem inductus, sed naturaliter genitus.

Ibidem.

Vnicuique fit varius saluator ad vtilitatem. Qui enim indigent recreatione & lætitia illis fit vinea: qui opus habent vt ingrediantur, illis fit ostium, & qui cuperent offerre orationes, illis fit mediator, summúsque sacerdos. Rursus habentibus peccata fit ouis, vt pro ipsis mactetur. Non abusiuè Dominus vocatus, sed verè Dominus existens:

quoniam nutu patris dominatur suis opificiis. Nos quidem habemus dominium super homines honore nobis æquales, & affectionibus similes: sæpenumerò etiam nobis generosiores. Et iuuenis persæpe Dominus sit seruorum maximè senum. Dominium autem Domini nostri Iesu Christi non est eiusmodi, sed primùm factor, deinde Dominus. *Ibidem.*

Quis credidit auditui nostro, & brachium domini cui reuelatum est? Brachium dicitur, quia Dei virtus, quia paternæ operationis effectus est. Quia sicut de corpore brachium sine sui separatione porrigitur: sicut per compaginis vnitatem extenditur & tenetur: Ita saluator noster inseparabilis cum patre substantiæ, & ad terrena descendit, & cœlestia non reliquit, & hic affuit, & ibi non defuit. *Eusebius Emyssenus Homilia prima de Natiuitate Domini.*

Verbum nuncupatur quia semper in patre & de patre & nihil sine eo pater iussit aut fecit. Virtus dicitur, quia propriè de Deo est, & omnis potestas patris in ipso consistit. Sapientia appellatur, quia non aliunde quàm de patre veniens, credentibus arcana cœlestia reserauit. Dextra nuncupatur, quia per eum omnia diuina opera perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur, vt nihil pretiosius habeatur. Thesaurus dicitur, vt in ipso omnes opes ac diuitiæ regnorum cœlestium reconditæ cognoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum & in ipso de mari seculi diuersa gentium multitudo more piscium per baptismum in ecclesia congregatur, vbi bonorum malorúmque discrimen agnoscitur. Aratrum nuncupatur, quia signo crucis eius, dura pectora subiguntur, vt necessario semine præparentur. Fons aquæ viuæ appellatur, quia ex eo sapientiam corda cœlestis aquæ gratia irrigantur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiem præstat. Lapis angularis dicitur, quia vtrosque parietes noui & veteris testamenti, ipse vnus & mediator in semetipso continens copulauit. Agnus appellatur, vt innocentia Christi & passio demonstretur. Homo dicitur, quia secundum carnem propter nos homines nasci di-

gnatus est. Vitulus dicitur, quia propter nostram salutem immolari sustinuit. Aquila dicitur, quia post venerabilem resurrectionem, vt rex alitum ad patris reuolat sedem. Leo est dictus, quia ipse est rex regum, qui mortem ac diabolum virtutis suæ potestate comminuit. Via est, quia per ipsum ad patrem accessus est. Veritas est quia mendacium nescit. Vita est, quia dat vitam, & ipsum hæc vniuersa significant. *Gregor. Nazianzenus tractatu de fide.*

Diabolus colluctatus diu athletam vincere non potuit, suscitat fluctus, & firmissimam petram vincere non potuit: machinationes suas adhibuit, & turrem validissimam non prostrauit: arborem concussit, & poma non decerpsit: & ramos quidem confregit, sed radici nihil nocuit: parietem perforauit, sed thesaurum auferre non potuit. Thesaurum dico non auri & argenti, sed fidem Christi. Vidisti petram firmissimam inter fluctus, militem præparatum, turrem inexpugnabilem. Athletam hunc dicam? Sed præcellit tantarum copia coronarum: petram nominem? Sed firmiorem video: militem appellē? sed robustiorem cerno constantiā. Turrē eum nominabo? sed ducorior inuenitur. Fructū eū appellem? sed speciosior demonstratur. Thesaurum cum nominabo: sed copiosior dignoscitur. *Chrysostomus Hom. 10. de diuite & pauperc.*

Si quærat homo ab imperatore aliquod beneficium dignitatis, & ipse non habet tantummodo fiduciam petendi, neque amicitiam impetrandi, vadit ad fratrem imperatoris, aut ad amicum charissimum, vt intercedat ad illum. Sic dicit illi imperator: Ecce ego hoc beneficium non illi do, sed tibi: Hoc est, propter te illi do. Nam non illi donatur cui datur, sed illi propter quem datur. Sic & hic dicit: *Et aperti sunt*; id est, propter Christum nobis aperti sunt cœli. *Idem Hom. 4. operis imp.*

Si litiges contra aliquem aduersarium, & scis quod aliquid cogitat aduersum te, dicis illi: fac mihi quod facturus es: non iubes illi vt faciat, sed ostendis te intelligere quod cogitat facere: Sic & dominus ad Iudam dicebat. *Quod facis fac citius. Idem Homelia 45. operis imperfecti.*

Omnis rex pugnaturus contra aduersarium regem, prius congregat exercitum, & sic vadit ad pugnam: Sic

& dominus contra diabolum pugnaturus, prius congregauit Apostolos, & sic cœpit per totam Galilæam prædicare, *Ibidem Hom.* 8.

Rex quidem terrenus congregat exercitum, vt illorum laboribus ipse gloriam consequatur: Christus verò congregauit Apostolos, non vt illorum laboribus ipse gloriam consequatur, sed vt suo labore ipse gloriam præstet. *Ibidem.*

Quemadmodum si magister militum videat dominantem tyrannum, & det consilium regi, dicens: Exi obuiam illi, quia tota prouincia perit. Nam fortior est tua fama quam mea virtus. Et ecce rex à magistro militum ducitur, & tamen non est minor eo qui ducit: *Ita Iesus ductus est à spiritu in desertum. Idem Homiliæ quintæ.*

Cùm ieiunasset 40. dies, postea esuriit. Occasionem diabolo præbens, vt prius ipse congressus quomodo ab aliis vinci posset, ostenderet. Sic enim faciunt athletæ, qui cum discipulos suos vincere docent, data opera in palæstris cum aliis certamen exercent, vt in luctantium corporibus, faciant artem spectare vincendi: Ita Christus esuriem suam diabolo fecit manifestam, & non repulit prouocantem, sed cum eum suscepisset ad luctam, & semel & iterum & tertiò cum facilitate elisit. *Idem Hom. 13. in Mathæum.*

Baptismus Ioannis an ex Deo est an hominibus. Sicut cautus venator bestiam comprehendere volens, cum viderit precipitem locum ex vna parte illius, ex altera parte erigit retia, vt ex quacunque parte exilierit, aut in retia incidat, aut in precipitium cadat: Sic & Dominus Iudæis simplici interrogatione laqueum posuit, videlicet, vnde esset baptisma Ioannis, vt si quidem de cœlo dicerent, in laqueum reprehensionis inciderent, Quare ergo non creditis ei? Si autem de terra dicerent, quasi in precipitium, sic in periculum mortis incurrerent apud populum vt lapidarentur. *Idem Hom. 39. operis imperfecti.*

Sicut dux contra tyrannum deputatus ad bellum mox, vt signum expeditionis & profectionis acceperit, festinat

exire, sciens quia tarditas est perditio prouinciæ. Nam tyrannus sciens aduersum se deputatum principem, & si lenius acturus fuerat, crudelius agit: Sic & Christus, ex quo baptismatis signum accepit, festinabat accipere spiritum sanctum quasi arma cœlestia, sciens quia tarditas eius interitus erat mundi. Nam diabolus audito quod filius Dei descenderat in hunc mundum aduersus ipsum, festinabat omnium hominum corda in peccatis & infidelitate concludere, putans se tantum posse perdere, quantum nō posset Christus saluare. *Idem Hom. 4. operis imperfecti.*

Sicut rex benignus audiens criminosas personas lege quidem compellante, ipse mortis sententiam aduersus eos dicit, tamen misericordia instigante lachrymas fundit super eos, & vult eos adiuuare, & non potest contradicente sibi iustitia: Sic & Dominus ipse quidem mortis sententiam dictabat super Iudæos dicens, *Ecce ego mitto ad vos prophetas & ex ipsis occidetis, vt veniat super vos sanguis iustus.* Ecce ipse eos miserabili lamentatione plangebat dicens. *Ierusalem Ierusalem quæ occidis prophetas.* Nam deus inuitus compellitur cum magno dolore peccatores condemnare. *Idem Hom. 46.*

Quemadmodum si in vno tempore lux cum Lucifero oriatur, gratiam luciferi celat: Ita si viuo Ioanne prædicare cœpisset Christus, sine dubio vilem fecisset Ioannem, & inuenta fuisset prædicatio eius superflua, quantum ad istius doctrinam. *Idem Homilia sexta operis imperfecti.*

Quemadmodum per vnius hominis inobedientiam, qui ex terra inculta factus erat, peccatores multi constituti sunt, & vitam amiserunt: Ita oportebat etiam per vnius hominis obedientiam, qui primùm ex virgine factus est, multos iustificari, & salutem recipere. *Ireneus. lib. 3. in hæresc.*

Quicunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Non modo morbum, sed morbi radicem euellit. Radix enim adulterij concupiscentia impudica. Sic & medici faciunt, non ad morbos instant solum, sed ad causas etiam tollendas, quamuis ægrotantem oculum viderint, prauum rheuma desuper à temporibus compescũt: Sic & Christus facit. Cæcitas mala est adulterium, oculorum est morbus, non corporis solum sed animæ prius. Id-

circo compescit rheuma inpudicitiæ per timorē legis. *Iam mœchatus est in corde suo.* Corde corrupto quæ vtilitas in reliquo corpore? Quemadmodum enim in plantis & lignis si quando exesum videmus, reliquam de cætero repudiamus partem. Sic & in homine cum id perierit, incassum est inde reliqua corporis sanitas. Auriga perit fractus deiectus est, vanum in posterum equi currunt. *Idem hom. 8. de pœnitentia.*

Non est vestrum scire tempora & momenta &c. Actor. 1. Quēadmodum cum videmus infantem plorantem semperque cupientem à nobis aliquid accipere, quo nihil illi est opus, tum occultato potius quod concupiscit, ostendimus illi domos vacuas dicentes, Ecce non habemus. Itidem & Christus fecit Apostolis. Si quemadmodū puer ille si postea nihil ostendamus, instat plorando dicens se esse delusum: deinde eo relicto discedimus dicentes, vocat me talis, & aliud quiddam eius loco quod concupiscebat, damus, volentes illum auocare ab eo quod maluisset accipere, extollentesque illud quod fecit Christus. Illi quærebant accipere, hic negat se dare. *Idem hom. 2. in acta Apostolorum.*

Sicut reges triumphorum suorum titulis nuncupantur, & subiectarum gentium nominibus conquirunt numerosissima cognomenta: Ita Christus bonorum suorum titulis nuncupatur. A Chrismate enim vocatur Christus, qui diuinitatis vnguentum aridis iam mortalium membris pius medicator infudit, & vt à Chrismate Christus, sic Iesus à salute vocatus est. *Chrysologus in symbolum Apostol. serm. 57.*

Vt in paradiso terrestri quatuor fuēre fontes, qui vniuersam irrigarent terram. Ita in Christo qui noster est paradisus quatuor est reperire fontes. Primus fons misericordiæ ad diluendas culpas aquis remissionis. Secundus fons sapientiæ ad potandū sitim nostram aquis discretionis. Tertius fons gratiæ, ad irrigandas plantas bonorum operum aquis deuotionis. Quartus fons ad condiendum & decoquendum nostras affectiones aquis æmulationis. Et de istis intelligi potest locus Esayæ. Haurietis aquas cū gaudio de fontibus saluatoris. *Bernardus serm me primo de natiuitate Christi.*

TAnquam ærarius producens opus suum, exponit ei cui vult: Sic & tu verbū quotidianum iustum docens, abscindes grande peccatum. *Hermas nuntius pœnitentiæ.*

Quemadmodum si sol non esset, quod ad alia astra attinet, nox essent omnia: Ita nisi verbum cognouissemus, & eo illuminati essemus, nihil differremus ab auibus quæ pascuntur, vt qui pinguefiamus in tenebris, & morte nutriamur. *Clemens Alexand. ad gentes.*

Quemadmodū phalangem dirigit dux excercitus, militum salutis curam gerens, & gubernator nauis, clauum gerit, volens seruare vectores: Ita etiam pædagogus Christus, ducit pueros ad salutarem vitæ agendæ rationem, vt nostri ipsorum curam gerat *Idem. 1. pædag. cap. 7.*

Quemadmodum gubernator non semper cedit ventis, sed contra proram obuertens, vniuersis resistit tempestatibus: Ita pædagogus, legibus quæ sunt in hoc mundo nunquam cedit, nec eis puellum tanquam cymbam, in belluinam & libidinosam vinandi rationem, impellere permittit, sed solo secundo veritatis spiritu, in altum sublatus, clauum pueri, aures, inquam, fortiter tenet, donec inoffensum puerum, in portum cœlorum deduxerit.

Quinetiam & dux excercitus, cum in eos qui maleficiū admiserūt, & mulctis pecuniariis & pœnis, quæ cum vinculis, & extrema ignominia, ad corpus vsque peruadunt, animaduertit, & nonnullos etiam nonnunquam morte punit, finem habet id quod bonum est, vt qui eius imperio parent, duces moueantur: Ita etiam magnus ille imperator vniuersorum dux verbum, eos qui præter suam legem effrænatiore impetu efferuntur, & aurigæ non parent, vt à seruitute & errore liberētur, & à captiuitate, vt animi perturbationes coerceant admonens, ad sacram reipub. concordiam eos deducat. *Ibidem cap. 8.*

Si dies omnibus æqualiter nascitur, si sol super omnes æquali & pari luce diffunditur, quanto magis Christus sol & dies verus in ecclesia sua, lumen vitæ æternæ, æqualiter

largitur? Cuius æqualitatis sacramẽtum videmus in Exodo esse celebratum, cum de cœlo manna defluereret, & futurorum præfiguratione, alimentum panis cœlestis, cibum Christi venientis ostenderet. Illic enim sine discrimine sexus vel ætatis gomor à singulis æquàliter colligebatur. Vnde apparebat Christi indulgẽt iam& cæleſtem gratiam postmodum secuturam, æqualiter omnibus diuidi sine sexus varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personæ, super omnem Dei populum spiritualis gratiam muneris infundi. *Cypri. lib. 4. epist. 4.*

Sicut sol & luna illuminãt corpora nostra: Ita & à Christo atque ecclesia illuminantur mentes nostræ, ita tamẽ illuminamur si non simus mentibus cæci. Nam sicut sol & luna corporalibus oculis cæcos, quamuis illustrant, illi tamen recipere lumen non possunt Ita & Christus lucem suam præstat mentibus nostris, sed ita demùm nos illuminabit, si nequaquam cæcitas mentis impediat. *Origenes hom. prima in Genesim.*

Et sicut non æqualiter oculi corporis nostri illuminãtur à sole, sed quantò quis in loca altiora conscẽderit, & ortus eius editioris speculæ intuitione fuerit comtemplatus, tantò amplius & splendoris eius vim percipiet & caloris: Ita etiam mens nostra, quãtò altius & excelsius appropinquauerit Christo ac se viciniorem splendori lucis eiº obiecerit tantò magnificentius & clarius eius lumine radiabitur, sicut ipse ait per prophetam. Appropinquate mihi, & appropinquabo vobis. *Ibidem.*

Hac ratione minor patre est filius, quod tui gratia factus est mortalis, vt te a mortalitate liberaret, & cœlestis vitæ participem redderet. Quemadmodum si quis medicum reprehendat ob id quod super ægrotantium morbos incumbens, particeps fœtoris illorum esset factus, vt decumbentes ægrotos restitueret. Propter te & horam & diem iudicij ignorat. Quanquàm nihil latet veram illam sapientiam. Nam per illam omnia sunt cõdita. Nemo enim mortalis vsquam est, qui suum opus ignoret. Verùm id ita dispensat Christus, propter tuam infirmitatem, ne vel hi qui deliquerunt, per angustiam præscripti temporis adigantur, ad desperationem. *Basilius epist. 142*

Quemadmodum si quis cum multa bona, seruos ac filios possideat, cibis aliis seruos pascit, & aliis proprios filios semine suo natos: quia filii sunt heredes patris, & cum eo manducant, vtpote patri suo propemodum æquales: Ita Christus qui verus est Dominus, omnia creauit nutritque prauos, ingratos: sed filios quos è semine suo genuit, & participes effecit gratiæ suæ, in quibus formatus est Dominus, peculiari refectione, alimento, cibo & potu preter cæteros homines, enutrit largiturque se illis comuersantibus cum patre suo: sicut ait Dominus. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo & mortem non videbit. Macarius hom. 14.*

Quemadmodum si rex obuius fiat egeno cuidam & vulnerato, cuius eum non pudeat, sed salubribus medicamentis curet eius vulnera. & illum inferri iubeat in palatium suum, eūque purpureo vestimento ac diademate exornet, deniq; suæ mensæ socium faciat: Ita Christus rex cœlestis accedens ad hominē grauiter vulneratum, sanauit eum ac iugæ suæ mensæ fecit participem: & hoc quidem non vi compellens voluntatem eius, sed inuitās eum ad talem dignitatem. *Idem hom. 15.*

Patres quidegunt in terra, è sua ipsorum natura, è corpore suo gignunt liberos · natosq; totis viribus, vt filios suos diligenter erudiunt, donec perfecti viri euadant, successores etiam ac hæredes. In primis enim patrum scopus omneq; studium in eo versatur, vt procreant liberos, & hæredes habeant: qui si nō genuerint, summo dolore afficiuntur ac mærore: sicuti contra lætantur, vbi filios habuerint: gaudent etiam cognati ac vicini. Ad eundē modum dominus noster Christus de humana salute solicitus, dispensationem omnem studiumque à principio, patrum patriarcharum, legis ac prophetarū ministerio peregit postremo etiam ipse veniens, spreta crucis ignominia, mortem pertulit totusq; labor eius & studium in eo fuit vt ex seipso, ex sua ipsius natura, procrearet filios è spiritu superno, pergratum habens si nascerentur è sua diuinitate. Et quomodo patres isti nisi genuerint, anguntur: Sic etiam Dominus qui dilexit hominum genus vt proprium sanguinē, voluit eos ex ipso semine diuino produce-

re. *Idem hom.* 30.

Quemadmodum statuarius attendit faciem regis, tum pingit, ac si ex aduerso sita sit facies regis, intendens in ipsum pictorem, facilè pulchreque illam faciem depingit ad viuum: sinautem vultum auertat, nequit pingere, quia fixis oculis pingentem non intuetur: Ita pictor insignis Christus, credentibus ei fixeque prorsus intendentibus in eum, confestim ad imaginem depingit hominem cœlestem ex ipso spiritu, ex Hypostasi ipsius luminis ineffabilis pingit imaginem cœlestem, cui donat præclarum & bonum illius sponsum. Si quis ergò spretis omnibus non obnixè intueatur illum, nequaquam dominus suo ipsius lumine pinget imaginem suam. *Ibidem.*

Aliud cecidit secus viam. Quemadmodum agricola seminans non discernit campum vt in altera parte seminet, in altera verò minimè, sed vtrobique proiicit semina. Eodem modo saluator non diuitem, non pauperem, non ingeniosum aut rudem, aut fortem aut ignauum, aut diligentem aut desidem discernit: sed omnibus quamuis non ignoret futurum exitum, pietatis doctrinam commendat. *Chrysostomus hom. 45. in Math.*

Si medicus qui nullam potestatem habet salutis humanæ, propter solam confectionem herbarum non erubescit medici nomen sibi imponere, quantò dignus iste vocatus est saluator, per quem totus mundus saluatus est. *Idem hom. primæ operis imperfecti.*

Sicut paterfamilias mittens messores, metit festucas de agro & comportat eas in aream, vt illic trituret & ventilet & discernat triticum à paleis: Sic & Dominus mittens Apostolos cæterosque doctores quasi messores, præcidit omnes gentes de mundo, & in aream ecclesiæ congregat. *Ibidem homilia.* 3.

Sicut nouitius medicus intrans in ciuitatem, & volens ostentationem dare artificij sui, oës venientes ad se curat & nõ tantũ curat de mercede accipienda, quã de opinione sua cõmendanda. Cũ aũt manifestè fuerit fama eius bona, tunc secundum laborem incipit exigere & mercedem: Sic & dominus incipiens prædicare, non secundum iudicium quosdam, sed omnes indifferenter sanabatur. Post

quam verò omnis Iudæa cognouit, beneficia sanitatum, digno pretio fidei venundabat. *Idem hom.* 8.

Supra pectus & ventrem ambulabis & terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ. Si igitur sensibilem ita puniuit serpentem, qua pœna inuisibili punietur, si tantis minister eius tormentis cruciatibusque succubuit. Etenim si piissimus pater filij sui reperire valuerit occisorem: non solummodo dolorem suum, iramque conuertit in eũ, sed etiam ipsum gladium quo filius perierat, particulatim comminuit: Ita & Christus cum à diabolo hominem interéptum esse peruiderit non solum eum tormentis afficit, sed etiam eius gladium obtundit, & ad nihilum redigit. *Chrisostomus hom. ad neophitos*

Homo si ex humili domo generatus, ad aliquam dignitatem ascenderit erubescit suam generationem audire, vt si quis dixerit eum esse illius filium, indignetur se confiteri quod est, vt appareat quod non est. At Christus cõtrà non tantum quandiu in corpore contemptibilis erat in mundo, propter similitudinem homines fratres appellabat, sed & in gloria constitutus adhuc contentus est eosdem dicere, & in sede maiestatis gloriabitur fratres vocare, quibus ad laudem sufficeret bonos vocare seruos, detrahens sibi quod habet, vt præstet eis quod non habent. *Idem hom.* 34. *operis imperfecti.*

Quemadmodum si quis eum qui obolos sibi decé debeat, in carcerem coniiciat, nec eum tamen solum, sed ejus causa tum exorem, tum liberos, tum famulos. Atque hic superueniens vnus aliquis decem quos dixi, obolos, non numeret modo, sed cum illis infinita item auri talenta largiatur, tum verò in aulas regias vinculum illud introducat, in principatus altissimi thronum imponat, cum eo summum honorem, reliquunque principalem splendoré communicet, non possunt vtique postea oboli illi decem illius memoriæ aduersari, qui eos numerauerit, mutuaueritque: Sic & in nobis euenit. Multò enim plura his quæ debebamus dependit Christus, atque adeò tantò plura, quantò mare immensum ad pusillam guttam collatũ, maius possit. *Idem hom.* 10. *ad Romanos.*

§ C. *reficamus in ipsum qui Christus est, exquo totum corpus cõpactum.*

Ephes. 4. Quemadmodum spiritus ille sensibilis, qui ex cerebro per neruos in corpus descendit, non simpliciter omnibus omnia tradit, sed iuxta cuiusque membri analogiã ipsi', illi quod plus, & minus ei quod minus capere potest. Ita & Christus. Ipsius enim prouidentia charismatumque subministratio, vniuscuiusque membri, animarum videlicet earum, quæ velut membra quædam illi adaptatæ sũt, iuxta mensuram & analogiam incrementum facit. *Idem Hom. vndecima ad Ephes.*

Sicut cum magistrum audis balbutientem & singulas literas dicentem, non eum dicis ignorare, cum interrogat vbi sit ille vel illa litera, scis quia non ignorãs interrogat, sed discipulum volens instituere: Sic Christus non opus habens oratione, orabat, sed te volens instituere, vt assiduus sis ad orationem, vt sine prætermissione, vt sobriè & cum multa vigilantia ores. *Idem. Hom. 27. ad Hebræos.*

Homines deposita suscipientes, gratiam se nobis præstare putant, si quæ susceperunt, custodiant. In Christo contrarium. Gratiam accepisse se dicit, non præstitisse, cũ depositã tua susceperit, & pro ea quam circa pecunias exhibet, custodia, mercedem tibi dat, non à te repetit. Qua igitur excusatione dicit, qua venia, cum & custodire valentem, & pro custodia sua gratias habentem præmia magna reddentem, & depositã multiplicantem, omittentes, hominibus ea custodire debilibus, sola reddentibus, gratiam repetẽtibus, nostra demus? *Idem Hom. 2. ad populum Antio.*

Dominus ieiunauit nõ quia hoc indigeret, sed vt nos doceret quibus peccata ante baptismã dominatio ventris intulerat. Vt enim si aliquis ægrotum quem ad sanitatem reduxit, iubeat illa non facere ex quibus morbus ille contigerat, ita etiam post ieiũnium contra edacitatis vitium induxit. Nam & Adam de paradyso intemperantia ventris eiecit. *Chrysostomus Hom. 13. in Math.*

Sicut sol ad illuminationem omnibus ortus, sine inuidia porrigit suos radios, cunctósque illuminari permittit, ita & vera sapientia sui appetitores more solis illuminat & illustrat, & splendidos ostẽdit. Si quidam claudẽtes oculos videre eius fulgorem nolunt, non ideirco reprehendẽdus est sol, vel à cæteris despiciendus, aut gloria sui splendo-

ris per illorum inhonorabitur ſtultitiam: ſed illi potius ſeipſos lumine eius priuantes, quaſi cæci palpabunt parietem, & in multis cadent foueis, pluribúſque lacerabuntur facies eorum ſpinis. Et quemadmodum ſol in ſuo ſplendore permanens, illuminat reuelata facie fulgorem ſuum ſpeculantes, eodem modo & lux Chriſti ſplendet & quidem omnibus, ditiſſime largiens eis ſuam claritatem. *Damaſcenus hiſtoria Barlaam & Ioſaphat cap.* 15.

Quod eſt anima corpori, hoc eſt animæ Chriſtus: Sine anima corpus non viuit, non viuit anima ſine Chriſto: recedẽte aĩa, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror & omnia viſu deteſtanda ſuccedunt: diſcedente Deo, confeſtim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conſcientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis ſepulchro viuo, funus animæ iam ſepultũ. *Petrus Chryſologus ſerm.* 19.

Sicut peritus magiſter ad audiendũ rudes, ad intelligẽdũ tardos diſcipulorum ſenſus vario genere doctrinæ pulſat, ſuſcitat, accendit ingenium: Ita Dominus ſimilitudinibus variis, diuerſis comparationibus populorũ pigros tardóſque animos ad euangelicum conuocat & inuitat auditum *Idem ſermone.* 106.

Mater modo lactat filium, nutrit, fouet, modo flagellat & increpat, magis tamen procedit de pietate materni pectoris fouere, nutrire, quàm flagellare. Hoc naturali pietate facit, illud à filio prouocatur. Ita & filius Dei naturaliter bonus nobis exhibet pietatẽ, prouocatus noſtris peccatis, facit vltionẽ. *Abſalon abbas ſermone de natiuitate Domini.*

Perinde quaſi quis medicus ingreſſus ad ægrotos prius ſciſcitetur an velint curari, ne dum ille curam ſuſceperit, & illi nolint, inutilis exiſtat curatio, nimirum his qui laborãt aduerſus artem medici pugnantibus. Sic & Dominus eos qui ſanabantur, percontabatur, nec niſi fidentibus conferebat beneficium, vt per fidem & beneficium conſeruari poſſent, per fidem enim cognoſcitur animi propoſitum. *Athanaſius de paſſione Domini.*

Sicut in aduentu diaboli omnibus gẽtibus planctus indictus est, Audiuimus enim vocẽ de cœlo dicentem. Væ terræ & mari, quia proiectus est diabolus ad vos? Ita in aduentu Domini Iesu in voce exultationis dicitur *Omnes gentes plaudite manibus. Arnobius in psal. 46.*

Sicut pluuia si ascendat in vellus, animaduerti non potest, quia strepitum non facit: Ita Christum in terram sine cuiusquam suspitione venturum esse dixit, Vt Iustitiã doceret & pacẽ. *Lactantius lib. 4. cap. 16.*

Vt vnguentum quod vase continetur, habet quidem odoris substantiam, sed prohibetur longius spargi, quia vase intrinsecus clauditur, cum autem vas foris fuerit effusum, emittit procul beneolentiam suam: ita Christi nomen beneolens ante aduẽtum eius in solo Israelis populo versabatur, quasi iudææ vasi incluſũ. *Notus enim, aut, in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius.* Quando autem coruscans in carne saluator, in vniuersam terram, quin potius in omnem creaturam extendit vocabulum suum, impleto eo quod scriptũ est. *Quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.* Tunc completum est, *vnguentum effusum est nomen tuum Didymus lib. 1. De spiritu sancto.*

Sol appropinquans ad processum, antequam appareat, mittit radios suos, & facit albescere orientem, vt procedens aurora diei aduentum demonstret. Sic Dominus natus in mundo, antequam appareat, spiritus sui fulgore transmisso illuminauit Ioannem, vt præcedens ille aduentum Saluatoris nuntiet, ne forte subito veniens & dicens se esse filium Dei propter ipsum magnam atque terribilem iudicationem rei ipsius magis se incredibiliorem ostenderet. *Chrisostomus Hom. 3. Operis imperf.*

Sicut qui in tenebris ambulat, si semel viam perdiderit interdum tota nocte ambulat iuxta viã errãs, & nõ inuenit viam, donec superueniat dies: Sic & homines ambulantes in erroribus vel peccatis postquam Dei cognitionem semel perdiderunt, ad perfectam notitiam veritatis redire non poterant, nisi dies scilicet Christus veniſſet, quamuis circa veritatem viuebant. *Idem Hom. 36. Operis imperf.*

Christus suo descensu naturam suam nihilò inferiorem reddidit. Nos autẽ cum in ignominia antè tenebræ essem⁹, exiit ad supernam gloriã, non aliter quam cum rex inopẽ

mendicumque studio & beneuolentia quadam alloquitur, nihil se indignum facit, illum verò omnibus admirandum reddit. *Idem. Hom. 10. in Ioannem.*

Quemadmodum optimus architectus domũ situ & vetustate labentem: Ita communi hominum natura acceptа, eius perditas restituit partes, disiuncta & abscissa copulauit, & quæ prorsus ceciderant, erexit. *Idẽ Hom. vndecima. in Ioan.*

Sicut aduocatus à malefactore instructus ad tribunal accedit, & personã gerit eius cui patrocinatur, & omnia eius crimina qui iudicatur, in se assumit, & quasi pro seipso apud iudicem causam agit, tametsi criminum minime reus sit: Eundem in modum Dominus noster Iesus Christus, venit è cœlis impeccabilis: peccatum enim non fecit. *Idem. sermone aduersus hæreticos. tomo. 5.*

Sicut in nocte rerum facies non apparet, sed & gemma quasi lapis videtur, & lapis quasi gemma existimatur: Sic & ante aduentum Christi humanorum cordium non apparebat differentia, sed & mali quasi boni sustentabantur, & boni quasi mali contemnebantur. *Chrysostomus Hom. 54. operis imperfecti.*

CHRISTI HVMANITAS, ET INCARNATIO.

VEnit *princeps Mundi huius & in me non habet quicquam.* In Christo humana & rationabilis anima nullũ sensum vel possibilitatem putanda est habuisse peccati. Ad pleniorem tamen rei explanationem non videtur absurdum si etiam similitudine aliqua vtamur, licet in re tam ardua & difficili ne exemplis quidem vti commodis copia est. Ferri metallũ capax est frigoris & caloris. Si ergò massa aliqua ferri semper in igne sit posita, omnibus suis poris, omnibusque venis ignem recipiens, & tota ignis effecta, si neque ignis ab ea cesset aliquando, neque ipsa ab igne separetur, nunquàm dicemus hanc, quæ natura quidem ferri massa est, in igne positam, & indesinẽter ardẽtem posse frigus aliquando recipere: quinimò (quod verius est) magis eam sicut in fornacibus sæpe fieri deprehendimus, totam ignem effectam dicimus, quoniã nec aliud in ea nisi ignis

cernitur:

cernitur: sed & si quis contingere atq; tractare tentauerit, non ferri sed ignis vi sentiet. Hoc ergo modo etiã illa aía quæ quasi ferrum in igne, sic semper in verbo, semper in sapientia, semper in Deo posita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, Deus est: & ideo nec conuertibilis, & mutabilis dici potest, quæ inconuertibilitatem ex verbi Dei vnitate indesinenter ignita possedit. *Origenes lib. 2. c. 6.*

Verbum caro factum est. Pluuia cum arboribus & plantis in eandem naturam transiens, corpus efficit, & singulos fructus iuxta similitudinem. Et in olea quidem oleum pingue fit, assumpta ab ipsa essentia. In vite vero vinum dulce incorporatur. In fico autem, ficus dulcescit. Et in singulis seminibus, ad speciem ipsorum naturam auget. Sic arbitror Dei verbum in Maria caro factum est, & in semine Abraham homo inuentus est, iuxta promissionem. Inuenimus enim Messiam de quo scripsit Moses: Descendat sicut pluuia Dei eloquium meum. Et Dauid, descendat sicut pluuia in vellus, & sicut gutta stillans in terram. Lana itaque suscipiens rorem velleris fœcunditatem auget. Terra verò suscipiens spei agricolam pluuiam, auget fructum ex præcepto Domini, contribuens naturam promptiorem, & vt accipiat ab ipso amplius studium habet. Sic sanè etiam virgo Maria. Vnde cognoscam hoc, inquit, quod erit mihi istud, & audiuit: Spiritus Domini superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et Maria quidem haurit sermonẽ, ad cõceptionẽ velut pluuiã terræ: seipsũ vero fructũ ostẽdit verbũ Dei, assumẽs mortalis naturã. Sic igitur ex ipsa hauriente, velut terra & vellus, veræ spei fructus & sanctorum expectatio: velut Elizabeth dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus vẽtris tui: vnum hoc assumpsit ex humana natura, quod passioni obnoxius fuit, cum passionis exors sit Dei verbum. *Epiphanius. Hæresi. 74. contra pneumatomachos.*

Foris eram⁹ sicut qui sunt extra regales aulas, in vinculis colligati, & qui habent apud regem pro culpis aliquibus offẽsam, huiusmodi quippè à regali aula foris excluſi sũt: Qui verò voluerit istis veniam impetrare, non primùm ipsos in aulam regis introducit, sed ipse foras egreditur, ibique commiscet cum eis sermocinandi negotium, vsque dũ eos correctos & dignos efficiat, qui regis vultui repræseu-

tari mereantur. Sic & Christus effecit. Egressus quippè ad nos, id est, carnem sumens & cóllocutus nobiscum, præcepta nobis regis innotuit, & sic nos à peccatis emundans & ad Deum conuertens in aulam regalem, velut mediator optimus introduxit. Ideo incarnationis suæ aduentum vocat exitum, Paulus introitum. *Chrysostomus. Hom. 3. ad Hebræos.*

In ignito gladio sicut naturæ saluantur ignis & ferri: Sic & hic actiones & perfectiones eorum: ferrum habet virtutem incidendi, ignis vrendi. Incisio perfectio operis ferri, ignis combustio: Sic in Christo, diuinitas & eius opera, humanitas & eius opera. *Damascenus lib. 3. cap. 15. de fide.*

Vrit ignitum ferrum, non naturali ratione vstiuam possidens actionem, sed ex vnione ignis ad ferrum, illud obtinet: Ita humanitas diuinitati sociata. *Ibidem. cap. 17.*

Quemadmodum si quis ignito ferro superinfundat aquam, quod quidé natum est pati ab aqua (ignis dico) extinguitur, incolume verò manet ferrum, non enim natum est ab aqua corrumpi: Multò magis carne passa, sola impassibilis diuinitas, passionem non admit, inseparabilis ab ipsa permanens. *Ibidem. cap. 26.*

Caro vnita Deo verbo, propter ipsum & in ipso adoratur. Eo namque modo quo rex & nudus adoratur, & indutus, & purpura vt nuda purpura & conculcatur & proiicitur: facta autem regis amictus, honorificatur & glorificatur. Et si quis illam proterere præsumpserit, per sæpe multa multatur. Et quemadmodum lignum nudum, non est tactui inaccessibile, atque igni coniunctum & carbo factum, non propter seipsum sed propter coniunctum ignem inaccessibile sit. Et non vt ligni natura tactu inaccessibile est, sed vt carbo id est, quando ignitum est lignum: sic & caro secundum sui naturam non est adorabilis, adoratur autem in incarnato Dei verbo. Et non dicimus quod carnem adorauimus nudam, sed carnem Dei, id est incarnatum Dei verbum. *Idem. lib. 4. cap. 3. & lib. 3. cap. 8.*

Quantum secretum cubilis sit regalis, quali reuerentia quo tremore locus habeatur, ipsa principis requiescit potestas, quam nulli extraneo, immundo nemini, nulli infideli pateat illuc & permittatur accessus, quam

munda, quam casta, quam fidelia ibidem præstolentur obsequia, imperialis aulæ manifestis docetur insignibus. Quis ad ipsas palatij fores vilis, quis propinquat indignus? Certè ad thalamum sponsi nisi satis proximus, nisi satis intimus, nisi bonæ conscientiæ, nisi laudabilis famæ, nisi probabilis vitæ nullus admittetur. Intra thalamum verò ipsum, virginem Deus capit solam: suscipitur sola virginitas illibata. Vnde homo, his admonit' exẽplis, æstima quis sis, quantũ sis, qualis sis & tunc demum cogita, vtrum possis dominicæ voluntatis penetrare secretum, vtrum merearis ad illius pectoris cubiculum peruenire: vbi tota superni regis tota diuinitatis requiescit maiestas: vtrum debeas humanis oculis, corporeis sensibus, conceptum virginis temerarius discussor attendere. *Chrysologus sermone 141.*

Vt in lacte ouis duo sunt, butyrum, humidum & pingue, item caseus acidus & durus. Ita in homine duo reperies, naturam humanam & dulcem tanquam butyrum, & peccati corruptionem, vt caseum. Hinc de Christo in Isaya dicitur, quod comedit butyrum non autem caseum. Nam & si humanam assumpsit naturam, tamen sine vitio assumpsit. Sicut apis mellis habet dulcedinem, & aculei punctionem: Sic huius apis nimirum Christi, mel & aculeum non ignorat, qui ei misericordiam & iudicium decantat. *Bernardus serm. 2. de aduentu.*

Quod si quæris quomodo mortalis natura, ob Dei coniunctionẽ immortalitatẽ induerit, disce mysteriũ. Ex hoc enim Deus in carnem venit, vt insitam carni mortem interficeret. Nam sicut venenorum antidotum corpori permixtum ac perfusum, omne superat noxium ac lethale: itemque vt in domo aliqua tenebræ, luminis aduentu diffugiunt ac pereunt: Sic mors in natura dominãs humana, diuinitatis præsentia disparuit. Veluti etiã in aqua glacies tantum humido dominatur, quantum nox vmbraque durant, solis verò calfacientis radiis subitò liquescit: Sic demum mors ad Christi aduẽtum imperauit. Postquàm vero Dei gratia salutaris omnibus apparuit, & iustitiæ sol ortus est: absorpta est mors in victoriam. *Basilius Hom. de humana Christi generatione.*

Decebat Deum hominem liberare, propter quem lunã,

Quomodo per vnum, inquit, in omnes deuenit lumen, aut quo pacto in carne diuinitas esse possit: eodem, inquam modo, quo ignis inferro, non transitione, sed communicatione. Non enim ad ferrum ignis excurrit, sed in suo loco permanens, vim suam ei impertit: nec impertiendo id minuitur, quanquam id quod ipsum recipit, totum compleat: Hoc modo verbum Dei non dimotum à sese habitauit in nobis sine vlla immutatione. *Ibidem.*

Quatenus serui forma est, seruis ac conseruis sese accõmodat, & alienæ formæ conformat, totum me vnà cum meis in seipso gerens: vt quemadmodum, vel ignis ceram, vel terræ vaporem sol, si quod in me vilius est in seipse cõsumat: ex quo commercio bonorum illius & ipse fiam particeps. *Nazianzenus, lib. 4. de Theologia.*

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: ac propterea ab homine adimunt quod est pulcherrimum, perinde ac ij qui pinguiora auferunt cum pellibus, quo Deum prohibeant à carne tempus est vt illis dicatur, Deum solum carnis esse Deum, & non etiam animarum, secundum quod scriptum est: Quemadmodum dedisti ipsi potestatẽ vniuersæ carnis, & ad te omnis caro veniet: Et benedicat omnis caro nomẽ eius sanctum: hoc est, ommis homo. *Idem, in Orat. post reditum ex ægro.*

Quæ est autem eis ratio susceptæ humanitatis, seu incarnationis, videamus, vt ipsi dicunt. Siquidem vt contineretur Deus, qui aliàs continere non potest, & tanquam sub valamine, carne cum hominibus versaretur? est elegans eis susceptа persona, & pulcher representationis actus. Dicam quòd etiam nobiscum aliter versari poterat sicut in rubo ignis, & humana forma prius. Sin autem vt peccati condemnationem solueret, simili simile aripuit: sicut carne opus habebat, propter carnem condemnatam & animo propter animam, ita & mente propter mentem: quæ non solum in Adam lapsa erat, sed etiam prior passa & affecta fuerat, vt dicũt etiã medici de ægrotãtibus. Quod enîm mandatũ accepit, id etiam mandatũ non seruauit. Quod autem mandatũ non seruauit, id etiam trãsgressionem perpetrare ausum est. Quod autẽ trãsgressum est, hoc etiã salute indigebat. Quod ante salute indigebat hoc etiam assumptum est. Quod ergo mens adsumpta, ostẽsum

est, velint nolint, Geometricis necessitatibus & demõstrationibus. Tu autem perinde facis, ac si, cum alicuius hominis & oculus laboraret, & pes ei lapsus esset, pedem quidem curares, oculum autẽ immedicatum relinqueres: vel cum pictor aliquid non rectè pinxisset, quod pictum quidem esset, mutares: pictorem autem tanquam is se rectè gereret, præterires. Quod si ab his rationibus deturbati eo confugiunt, vt dicant Deum posse etiam sine mẽte hominem seruare: potest vtique etiam sine carne, vel sola voluntate, sicut & alia omnia, quæ effecit & efficit corporaliter. Tolle ergo vnà cum mente carnem quoque, vt omni ex parte perfecta tua sit amentia. *Idem in priore expositione ad Clydonium dialogo.1.*

Vt quatenus verbum nec obediens erat nec inobediens. hæc enim sunt eorum quæ subiecta sunt, & secunda: illud quidem meliorum: hoc verò eorum, qui digni sunt, qui condemnentur. Quatenus aut serui forma se ad conseruos demittit: & eius quod est alienum formam suscipit, totum in se ipso me ferens cũ meis: vt in se ipso consumat id quod est deterius, vt terram ignis: vel vt sol, terræ vaporẽ. *Idem secunda oratione de filio.*

Quemadmodum peritissimi medici, febre adhuc in præcordijs permanente, & ægroti corpus acrius diuexãte, & ægritudinis fomentis adaucta magis, incensaque, nullã afferũt languẽri medelã, quæ languoris causas tollat, sed & morbus increscat, operiuntur: Sic & vobiscum agit animarum medicus ille: expectat enim vt prorsus omnis retegatur nequitia, vt nihil maneat ex his quæ recõdita sunt incurãtum: sic demum retectis ille & patentibus malis medebitur. *Theophilactus in epist. ad Hebræos, cap. 9.*

Sicut medici sinunt in sæui morbi vlceribus humorem colligi, & deinde remedia apponunt: Ita & peccatum oportebat omnes suas species indicare, & deinde magnum medicum imponere pharmaca. Et propterea expectauit Christus, donec diabolus malitiæ mensuram impleret: & tunc demum incarnatus est, & omne genus malitiæ per sanctam vitam suam sanauit. *Idem In Luc. cap. 14.*

Non aliam Christus præter humanam hanc carnem assumpsit, quam & sanctificauit assumptam, & coronauit cõdemnato peccato, quòd carni inesset, quàm susceperit?

hanc ipsam ostendit nequaquam esse naturâ peccatis addictam: nec secus Christus effecit, quàm faceret quispiã, qui muliere aliqua in foro vapulante conspecta, vt eã à verberãtiũ manibus eruat, fœminæ illius se vel priuatæ & infimę sortis filium fateatur, cùm regius sit. *Idem. in cap. 8. ad Roma.*

Sicuti mens, cum in toto diffusa sit homine, ex parte tamen corporis, id est, lingua signatur, neque tamen ideo quisquam mentis substantiam dicit imminui: Ita & verbũ cum per omnia sit indignum, aut indecens, minimè videri debet, si humano vti voluerit ad se ac patrem indicandum instrumento. Nam si indecens est, corporis vti instrumento indecens erit ipsum & in toto esse. *Athanasius, ls. 2. de Verbi incarnat.*

Quemadmodum non liberati essemus à peccato & maledicto, nisi natura humana caro esset, quam verbum induit, nihil enim nobis fuisset commune cum alieno: Ita nec homo Deus factus esset, nisi natura ex patre, & verum, & proprium esset eius verbum, quod caro factum est. Propterea enim talis facta est coniunctio, vt diuinitati quæ est secundum naturam, qui est secundum naturam hominem coniungeret, firmaque ac stabilis esset eius salus & Deificatio. Qui ergo ex patre natura esse negant, & propriũ ciusdẽ substantiæ filium: negent etiam eum veram carnem & humanã assũpsisse ex Maria virgine. *Irenæus li 2. aduersus hæreses.*

Indecens esset, si ignis quidem qualitatẽ suam coniunctæ sibi materiæ immittere possit, ac eo modo materiam in se transmutare: Verbum autem Dei prosperum sibi naturaliter bonum, id est, vitam coniunctæ sibi carni non possit infundere. Propterea igitur dixit Euangelista, Verbum caro factum est: quòd ex parte maxima corrupta, vt vnione vniuersali viuificata, totius reparationem signare voluerit. *Cyrillus, lib 1. cap. 2. in Ioannem.*

Quemadmodum esuriuit Dominus, & sitiuit, & laborauit, & lachrymauit, & sudauit, licet quibus præditus erat viribus, posset nihil horum sustinere, sed vt indicium præberet humanæ suæ naturæ, vltrò sustinuit infirmitates naturæ: sic & precatus est propter eandem causam. Si enim cùm sua sponte sustinuerit infirmitates naturæ suæ, tamen audent dicere quidam, non esse nostræ naturæ: nonne idẽ cum multo maiore argumento dicerent, si Deum & pa-

trem oraſſet: Et quia de Apoſtolis nulla fuit dubitatio, an homines eſſent, de Saluatore verò futura eſt dubitatio: propterea tradunt diuinæ literæ, eum etiam ſæpius oraſſe quàm cæteros homines. Si enim ſuperatis reſurrectione infirmitatibus carnis, vt Pontifex confeſſionis noſtræ Deum pro nobis interpellat: nónnę magis cum adhuc ſubiaceret infirmitati carnis, egebat magno validóque clamore & lachrymis, cum quibus preces offerebat ei qui eum à morte tueri poterat? *Iuſtinus Martyr. In Reſponſionibus ad Orthodoxos, reſponſione ad quæſt.* 105.

Non dicit Paulus, Conformes filij Dei: ſed, Conformes imaginis filij ipſius: aliud quidem oſtendens, filium eſſe: aliud verò, imaginem ipſius: Filius enim diuina paternæ virtutis indicia ferens, eſt imago patris. Nam etiam ſimiles qui ex ſimilibus generantur, & qui naſcuntur, verè apparent genitorum imagines: homo autem quem geſtauit, eſt imago filij: quoniam & ex diſſimilibus fiunt coloribus imagines: & hæ quidem compoſitione manuum fabricatæ, illæ verò natura & ſimilitudine factæ ſunt. Hoc autem vel maximè dicit ipſum veritatis oraculum. Non enim incorporeus ſapientiæ ſpiritus eſt corporalibus hominibus cõformis: ſed qui per ſpiritum corpore præditum homo factus eſt character, is omnibus aliis fert membra numero æqualia, & ſimili vnicuique forma ac ſpecie indutus eſt. Euſtathius, oratione habita ſuper eo: Dominus creauit me initium viarum ſuarum. *Meminit Theodoretus.*

Atqui anima Ieſu habuit vtriuſque experientiam. Nam & fuit in loco humanarum animarum, & cum ſit intra carnem, viuit & ſubſiſtit. Ratione ergo prædita, & eiuſdem cum animis hominum ſubſtantiæ, ſicut & caro eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum carne hominum, vt quæ ex Maria proceſſerit. *Euſtatius. In interpretatione Pſalmi* 15. *Meminit Theodoretus.*

Sicut paſſionem mortis, & mortem propter vnitatem perſonæ, Dei quidem filio Scriptura prorſus aſſignat, & tamen Deitatem impaſſibilem immortalémque pronunciat: Ità & animæ triſtitiam & perturbationem, quam voluntariam in anima Dei filius habuit, ſic habuiſſe credatur, vt etiam ipſas humanæ animæ paſſiones, & ex voluntate veras, & in veritate voluntarias non negemus. Ipſa quoque

Christi diuinitas, quæ secundum animam contristari, & secundum carnem dignata pro nobis est mori, secundum substantiæ proprietatem, sicut immortalis, sic est impassibilis prædicanda. *Fulgentius, lib. 3.*

Sicut illas naturæ admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propius admotæ, durissimum licet chalybem, affectu quasi spirante suspendunt: Ita etiam ille, id est summa & clarissima negociorum cœlestium gemma, hoc scilicet voluit: vt dum se licet durissimis nobis, descendens de cœlo propius adiungeret, affectu suo nos quasi amoris sui manibus admoueret: vt agnoscentes vtique dona sua ac beneficia, intelligeremus: quid nos pro domino tam bono facere conueniret, cum ille pro malis seruis tanta feciſſe comperiretur. *Salui anus. De vero iudicio & prouidentia Dei, lib. 4.*

Quemadmodum non quòd ipse maledictum factus sit, sed quòd pro nobis maledictum susceperit, maledictum factus est: Ita non quòd conuersus sit in carnem, sed quòd pro nobis carnẽ susceperit, dicitur factus caro. *Theodoretus. Idem Dialogo 1.*

Solem radiis per cloacam, fœtores, & quæque horribilia vsquequaque diffundi videmus, & in his operari secundũ naturam suam, nec tamen inde aliqua contaminatione sordescere, cum visibilis lux, visibilibus sordibus sit natura cõiunctior: quanto minus poterat pollui verbum Dei, nõ corporeum, neque visibile, de fœminę corpore, vbi humanam carnem susceperit cum anima & spiritu: quibus interueniẽtibus habitat maiestas verbi, ad humani corporis fragilitatem secretius? *Augustinus. lib. De fide & symbolo, cap. 4.*

Nesciunt quo modo substantia Dei, administrans vniuersam creaturam, inquinari omnino non possit. Et tamen prædicant istum visibilem solem, radios suos & per omnes fæces & sordes corporum spargere, & eos mundos & sinceros vbique seruare. Si ergo visibilia munda visibilibus mũdis contingi possunt, & non inquinari: quanto magis inuisibilis & incontaminabilis veritas, per spiritum animã, per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto, ab omnibus eum infirmitatibus nulla sui contaminatione liberauit. *Idem. De agone Christiano, cap. 18.*

Veluti si quis nostrum aut purpuram, aut regale diade-

ma iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? quum verò ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum rege adorare contempserit: Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam aut nudam, sed diuinitati suæ vnitam vnum Dei filium, Deum verum, & hominem verum qui adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patietur. *Idem De verbis Domini secundum Ioannem, ser. 58.*

Sicut vir & mulier vnum corpus sunt: Ita maiestas diuinitatis & caro hominis vniuntur, & facti sunt idem Deus & anima in carne vna. Quia sicut caro illa habitatorem in se habuit Deum, ita animam quoque incohabitatem Deo. *Bernardus lib. 5. De incarnatione.*

In Christo saluatore humani generis sicut in sanctificatione Spiritus, nulla fragilitas extitit: Sic nec in partu eiusdem, causa corruptionis apparuit. Qui in cœlis vnus, in terris vnicus, per portam virginis ingredi mundum dignatus est. *Venantius, In Enarratione fidei.*

An extrahere poteris Leuiatham hamo? & fune ligabis linguam eius? generatio Christi ab Abraham vsque ad Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, quasi longa piscantis linea est: cui lineæ ferreus hamus subligatus carne adoperitur, ob hoc vt piscis edulio prouocatus, quod foris patet, ferro seipsum strangulat, quod intus latet diuinitas Christi quasi ferrum diabolo extitit: hoc ferro captus & extractus foras mittetur, sicut factum credimus. Iste est circulus, quem Deus in naribus diaboli posuit: ista est armilla, qua maxillam eius perforauit. Iunxit se initium fini, id est, Deus homini: & ita hæc, scilicet initium & finis, occurrerũt sibi in vtero virginis, vt nares suas transfixas teneret firmiter circulus inflexibilis, & armillã suam voracé perforaret, talis armilla, armilla glorię & honoris: vnde nunc vsque fatuus trahetur, & quod auidè momorderat, tenere non poteris per maxillæ foramen emittis. *Rupertus, lib. 1. in Mattheum.*

Vnicornis siue monoceros eius virtutis est, vt suo cornu attacta aqua etiam aliquo veneno corrupta reddatur salutaris: vnde traditur à naturalibus, prius attingere aquã cornu quam bibat: Ita Christus sua humanitate aquas pestiferas reddidit salubres, ad peccatorum remissionem. *Iacobus de Valentia. In Psalmum 42.*

Spiritus Deus, spiritalis eius generatio. Corpora enim

generant corpora: & in eorum generationem tẽpus interce dat neceſſe eſt: eius autem quę eſt ex parte, generationis tẽ pus inter medium non eſt. Et quod hic generatur, imperfectũ eſt: filius autẽ dei perfectus eſt genit⁹. Nos cũ naſcimur infantes, ex ignorãtia in rationẽ progredimur Imperfecta eſt, ô homo, tua generatio: p ſucceſſionẽ enim fit illi⁹ acceſſio. Illic autẽ nihil eiuſmodi exiſtimes: neq; infirmitatis genitũ arguas. Deo patre generãte neq; ignorãtia intercedit neq; deliberatio. Dicere enim quod natũ ex ſe ignorat, maxima eſt impietas tũ vero dicere quod in tẽpore cõſiderãs, deinceps pater eſt factus, eiuſdem eſt impietatis. *Cyrillus Ieroſolimit. catecheſi. 11.*

Homines nati de maſculo & fœmina, ſi interrogentur quomodo coagulati ſunt in ſecreto matris, quomodo oſſa durata ſunt, omnis compago membrorũ artuſque omnes ordinati ſunt in harmonia corporis diſpoſita: quis exinde rationem reddit? Si ergo de natiuitate quæ ſemper in iſto fluuio ſeculi venit & tranſit, rationem non reddis, de ſingulari natiuitate Chriſti rationem reddes? *Chriſoſt. hom. 2 in ſimbolum Apoſt.*

Cytharam reſpice vt muſicum melos ſonis dulcibus reddat, tria pariter adeſſe videntur. Ars, manus, chorda, & tamen vnus ſonus auditur, Ars diſtat, manus tangit, chorda reſonat, tria pariter operantur ſed ſola chorda reſonat. Nec ars, nec manus, ſonum reddunt, ſed cum chorda pariter operantur. Sic nec pater nec ſpirituſſanctus ſuſceperunt carnem, & tamen cum filio pariter operantur. Sonum ſola chorda excutit, carnem ſolus Chriſtus accepit, Operatio in tribus conſtat. Sed quomodo pertinet ad ſolam chordam ſoni redditio: Sic pertinet ad ſolum Chriſtũ carnis humanæ ſuſceptio. *Auguſt. lib. de domini incarnatione.*

CHRISTI DIVINITAS ET POTESTAS.

QVi *cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ.* Vt plenius intelligatur quomodo ſaluator figura eſt ſubſtantiæ & ſubſiſtentiæ, eius vtamur exemplo, quod quamuis rem nõ planè ac propriè ſignificet de qua agimus, tamen ad hoc ſolum videatur aſſumptum, quod exinaniens ſe filius qui erat in forma dei, per ipſam ſui exinanitionem, ſtudet no-

bis diuinitatem plenitudinis demonſtrare. Verbi cauſa, ſi facta eſſet ſtatua talis, quæ magnitudine ſui vniuerſum terræ orbem teneret, & pro ſui immenſitate à nullo conſiderari poſſet: fieret autem alia ſtatua membrorum habitu ac vultus lineamentis, ſpecie ac materia per omnia ſimilis, abſque magnitudinis immenſitate, pro eo vt qui illã immenſam conſiderare atque intueri non poſſunt, hanc videntes, illam vidiſſe confiderent, pro eo quod omnia membrorum & vultus lineamenta: vel ipſam ſpeciem materiamque ſimilitudine prorſus indiſcreta ſeruaret: Tali quadam ſimilitudine exinaniens ſe filius Dei æqualitate patris, & viam nobis cognitionis oſtendens, figura expreſſa ſubſtantiæ eius efficitur: vt qui in magnitudine deitatis ſuæ poſita, gloriam miræ lucis non poteramus aſpicere, per hoc quod nobis ſplendor efficitur, intuendæ lucis diuinæ viam per ſplendoris capiamus aſpectum.

Origenes .1. peri archon. cap. 2.

Omnia per ipſum facta ſunt, patre per filium omnia operante. Quemadmodum enim ſi quis rex regem habens filiũ, volens conſtituere ciuitatem, poneretexem plarem filio ſecum regnãti ſtructuram ciuitatis: ille autem exemplum capiens ad finem perducat quod animo concepit: Ita patre volente omnia extruere, patris nutu filius omnia creauit, vt nutus quidem cuſtodiat patri authenticam poteſtatem: filius verò habeat nihilominus poteſtatem rerum à ſe factarum. *Cyrillus Ieroſolimitanus catecheſi vndecima.*

Si ſol ab ipſo conditus nobiſque conſpicuus, curſus ſui lineam in cœlo tenens, cum terreſtria tangit, nulla ſorde inquinatur nulliſque obtegitur tenebris, ſed ipſe potius omnia illuſtrat & mundat: Multò ſanè dignius ſanctiſſimum illud dei verbum (cuius eſt ſol & opus & famulus) in corpore præſens nulla tangi poterat labe, ſed cum eſſet incorruptibile mortale viuificabat corpus atque mundabat. Qui peccatum non fecit, nec eſt inuentus in ore eius dolus. *Athanaſius lib. 2. de incarnatione verbi.*

Sicut anima rationalis & caro, vnus eſt homo: ita deus & homo vnus eſt Chriſtus. *Idem in ſimbolo.*

Quemadmodum ſole arborem ſuperillucente, ſi ſecuris incidat arborem, inciſus & impaſſibilis perſeuerat ſol: Multòmagis impaſſibilis Chriſti diuinitas carne patiente

impassibilis perseuerabat. *Damascenus lib. 3. cap. 25.*

Etenim si quis interroget regem aliquem de proprio eius filio, Quid est tibi hic? & audiat ab ipso filius meus est, Genuinus igitur tibi est, aut spurius? Ille verò respondeat Genuinus est ex me. Quid igitur ipsum feciſti? Regem ipsum feci: manifestum est nihil immutatum esse ipsum a patris sui dignitate. Et non omnino eo quod dixit feci ipsum regem, idem creauit ipsum, dicit rex. Nõ enim generationem negauit. Verum vox (fecit) de dignitate declarauit. Sic etiam filius patris citra ambiguitatem ab his qui vitam volunt, creditur & adoratur. *Epiphanius hæresi. 9. contra Arianitas.*

Nam & si Apostolus semetipsum exinaniſſe dicit, formam serui suscipiendo, Non vtique sic exinanitum accipimus, vt aliud quam quod fuerat, idem spiritus fieret, sed vt seposito interim maiestatis suæ honore, humanum corpus indueret, quo sucepto salus gentium fieret. Vt enim sol cum nube tegitur, claritas eius comprimitur, non cæcatur, & lumen illud quod toto orbe diffusum, claro splendore cuncta perfundit, paruo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur. Sic & homo ille, quem. Dominus saluatorque noster (id est, Deus deique filius) induit, deitatem in illo non intercepit, sed abscondit, Denique cum se in monte paululum extra ipsum hominem extuliſſet, fulgore luminis eius penè occæcati Apostoli sunt. In terram quippe homines ceciderunt, periclitati de vita, nisi eis Dominus compresso rursus maiestatis suæ honore, vt misericors subueniſſet, secundum illam sententiam scripturæ diuinæ, dicentis, *Deum nemo vidit & vixit.* Vt ergo claritas solis, non vsque ad nostros emicat visus, sed sibi salua est, quia quod non videtur infirmitatis est nostræ, quorum oculos nubium texit obscuritas, ita & maiestas illa diuina, quæ (vt dixi) corpus induerat, probat se non suo detrimento proprio latuiſſe fulgore, sed carnis beneficio, cuius causa filius Dei, filius hominis esse sustinuit. *Nazianzenus libr. de fide.*

In ipso vita erat, Quod addidit ne quis diffideret, quonam pacto tanta & talia per ipsum facta sunt. Nam quemadmodum si ex profundiſſimo & iugi fonte quantúmuis aquæ haurias, nihil tamen his minuitur. Ita in vnigeni-

ti operibus, quodcúmque ex his productúm factumque credideris, nihilominus effecit. Imò vt propriori vtamur similitudine lucis scilicet, quam mox ipse subdidit, *Et vita erat lux hominum:* Quemadmodum, inquam lux quantumuis hominum multitudinem illuminaret, nihil splendoris remitteret: Itidem Deus & antequam mundum condidit, & postquam conderet idem perfectus atque integer permanet, nihil tanto & admirabili opificio minor nihil imbecillior. *Chrysostomus hom. 4. in Ioan.*

Quod Christus post crucem & sepulturam tanta fecerit vbique terrarum, & maris, hoc est plenum multa admiratione: & Alexander quidem post mortem suam dissipatum imperium suum & penitus exterminatum non reparauit, non aliud gessit neque magnum neque paruum: quomodo namque facturus erat mortuus? Christus autem tunc omnem terrarum orbem ad se traxit adorandum cum mortuus fuisset. Et quid de Christo loquor, cum & discipulos postquam obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico discipulos? Nam & eorum loca & sepulchra, simul & tempora perenni memoria celebrari curauit. Tu verò mihi sepulchrum ostendas Alexandri, & profer diem quo vitam finiuit. Omnia destructa sunt & exterminata. Christi verò seruorum & sepulchra clara sunt, regiam assecuta ciuitatem, & dies notissimi mundo festiuã afferentes lætitiam. *Ibidem hom. 66. ad pop. Antiochenum.*

Ego in forma Dei esse, perinde existimo, ac esse in Dei substantia. Sicut enim formam serui accepisse, in humanitatis substantia Dominum fuisse significat: ita cum dicit, In forma Dei esse, diuinæ substantiæ proprietatem constituit. *Basilius de spiritu sancto.*

Quemadmodum Deus totus est vbique, & totus in vnoquoque, & totus in seipso, & huius fidē habemus: Sic & eius simplicitas tota est filius, & tota est habens filium, & tota consilium est, & tota est habens consilium. *Iustinus martyr in responsionibus ad Orthodoxos: responsione ad quæstionem. 144.*

Arca ex lignis quæ putrescere non poterant, erat ipse Seruator. Eius enim tabernaculum nulli putredini obnoxium, & ab interitu alienum ideo prædicabatur, quòd nullam peccati putredinem produxisset. Qui enim peccauit, & confitetur, & dicit: Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ

à facie insipientiæ meæ. Dominus autē erat à peccato alienus, vt qui ex lignis putrefactioni minimē obnoxijs, quod ad humanitatem attinet, nempe ex virginis & spiritus Dei verbi, veluti auro purissimo, intrà & extrà esset contectus. *Hyppolitus martyr in oratione quam fecit in illud*: Dominus pascit me.

Si ignis cum ferro commixtio, quæ ferrum ita ostendit, vt etiam ea faciat quæ sunt ignis, eius naturam non mutat: nec Dei cum corpore vnio, est mutatio corporis. Atqui corpore diuinas præbente operationes iis qui possunt attingere, eis rursus coniungit. Si homo habet animam & corpus, eaque manent in vnione: Multo magis Christus habens diuinitatem cum corpore, habet vtraque permanentia, & non confusa. *Apolinaris lib. Compendiario.*

Sicut qui solem hunc sensibilem vident, per ipsius lumē visibilia intuentur, atque ita sensus ipsos variis officiis intendunt: qui verò solem non vident, in tenebris desident otiosi, eo quòd non videant quæ solis lumine illustrantur: Ita pari ratione & qui intelligibilem contuentur solem, lumen in mente sua recipiunt, per quod planè vident atque cognoscunt, quę ad eiusdem solis voluntatem sibi agenda sunt, quæúe etiam admittenda. *Olympiodorus In Ecclesiast. cap.* 11.

Si lux ista visibilis, nullis immunditiis, quibus superfusa fuerit, violatur, nec radiorum solis nitore, quem corporeā creaturam esse non dubium est, loca vlla sordentia vel cœnosa cōtaminantur: Quid illius sempiternæ & incorporeæ lucis essentiam possit qualibet sui qualitate polluere, quæ se ei, quam ad imaginem suam condidit, sociando creaturæ purificationem præstitit, maculam non recepit, & sic sanauit vulnera iniquitatis, vt nulla pateretur damna virtutis. *Leo papa ser. 4. de Epipha. Domini.*

Si quis videat paruulum in profundo cœni necari, & ipse cum sit vir magnus & potens, extremis (vt ita dixerim) plantis ingrediatur cœnum, & paruulum morientem liberet: pollutus ne à te accusabitur hic vir, quòd paululum luti calcauerit? an vt misericors laudabitur, quòd vitā cōtulerit morituro? Sed hæc etiam de communi honore dicta sunt. Redeamus nunc ad naturam eius qui natus est. Quantum putas natura solis eo inferior est? quantum creatura sine

dubio creatore? Intuere nunc solis radios, si in cœni alicuius voraginem demittantur: nũquid iam aliquid inde pollutionis acquirunt? aut obscœnorum illustratio solis ducetur iniurijs? Ignis quoque natura quanto est inferior his de quibus sermo est? Et nulla materia vel obscœna, vel turpis, adhibita ei, ignem polluisse creditur. Cũ ergo hæc ita esse in rebus naturalibus constet: tu in illa superuenienti & incorporea natura, quæ super omnem ignem & supra omne lumen est, pollutionis aliquid putas aut obscœnitatis incidere? *Cyprianus, in expositione symboli Apostolici.*

Restat vt quæratur ab hæretico, cum serui formam suscepisset filius & venisset in mundum si deseruit patrẽ. Ad hæc respondẽdum est, Si verbum quod exierit ex ore meo & introierit in aurem tuam & per aurem tuam incorde tuo cœperit manere, dic mihi nunquid quia in tuo pectore manet, iam in meo pectore non est? Si ergo inter sensus per os meum egressus, in tuam mentem ingressus, meã non deserit animam: quanto magis ex patre deo egressus sermo: patris pectus deserere non potuit? Nam ipse filius dicit. Ecc. 24. *Ego ex patris corde prodij.* Et pater dixit: *Psal. 44. Eructauit cor meũ verbũ bonum. Agnellus episc. Ranenaten. de ratione fidei.*

CHRISTI DVÆ NATVRÆ.

DEscendit non nudum verbum, sed caro factum: non Dei forma, sed forma serui. Is est ergo qui dixit, se nõ posse ex se aliquid facere. Non posse enim est imbecillitatis. Sicut enim luci tenebræ, & mors vitæ: ita potentiæ vt contraria imbecillitas opponitur. Atqui Christus est Dei potẽtia. Non est ergo omnino imbecillis & impotens potentia. Si enim imbecilla est potẽtia, quid est potẽs? Quãdo ergo verbum pronunciat quod non potest facere, clarum est quòd non vnigeniti diuininitati potentiam tribuit, sed nostræ imbecillitatis impotentiam suo testimonio comprobat. Est enim caro infirma, sicut scriptum est: Spiritus quidem promptus, caro autem infirma. *Gregorius Nyssenus Sum. de Abraham. Meminit Theodoretus Dialogo. 1.*

E diuersis materiis domum adificamus: nemo tamen dixerit, domum idem esse quòd materias ex quibus constructa est: nec enim domus est simpliciter lapides & ligna, & reliqua

reliqua. Nam si hoc esset, ante ædificationem ipsas separatas materias domum vocare licuisset: nunc postquam sibi inuicem coaptatæ sunt, domum absoluunt: atque etiam hac diruta, nihilosecius materiæ permanent sui similes. Cæterùm domum periisse dicimus, quam absoluebat huiusmodi compositio materiarum: id quod & in homine accidit. Nam etsi constet ex anima & corpore, non tamen idé est cum eis, sed diuersum: vt homo constet ex copula corporis cum anima, & existat tertium quiddam aliud. Atque hoc liquet ex eorum seiũctione, postquam corpus sui simile permanet, quãdo quidem vel mortuum tres dimensiones retinet, anima quoque æquè rationalis post seiunctionem manet, vt antea: Ceterùm homo periit, qui constabat ex coniunctione vtriusque. at Christus nõ ex Deitate humanitatéque, Christus factus est: cum non sit diuersus ab his duobus. sed vtrumque & homo, & Deus. Deum intelligimus ex miraculis, hominem ex natura nostræ simili. Alioquin anima plerumque ante corpus occupatur passione, & prior patitur: cum ipso verò nunquam non afficitur: & sæpe ante sectionem eius anxia, priusquam illud alteratur, atque post sectionem nihilominus dolorem admittit: quod quidem de Deitate Christi ortodoxus nemo, modò sanæ mentis sit, ausit dicere & cogitare. Itaque hominis exemplum partim recipiendum, partim fugiendum est. *Iustinus martir, De recta cõfessione siue de. S. & coessentiali Trinit.*

Sicut post vnitionem primigenij luminis cum solari corpore, nemo hæc potest abinuicem diuellere: neque alterũ solem seorsim vocabit, alterum verò lumen, sed vnus sol hoc lumen dicitur. Sic de illa vera luce & sanctissimo corpore, post vnitionem nullus dixerit, alterum seorsim filium verbum Dei, alterum verò filium, hominem: sed vtraque vnum & eundem intelliget, sicut vnum lumen & vnum solem, tum comprehensum lumen, tum corpus quod id continet. Rursus sicut vnum lumen & vnus sol, naturæ verò duæ, altera luminis, altera corporis solaris: Sic & hîc, vnus filius & Dominus & Christus & vnigenitus: naturæ verò duæ, altera nostra, altera nobis superior. Rursum sicut huic lumini lumen inest actu, quod nemo separare possit à corpore, conceptaculo suo, ratione tamen quiuis discernat naturam, cuius est hæc vis propria: sicut in vno filio

Dei vniuersam vim nemo separauerit ab vnica filietate, naturæ tamen eius proprietatem ratione quiuis discreuerit. Hoc exemplo diuinæ vnitionis adducto, nos ad magis piam co ritationem confugimus, si non omnino ipsam veritatem assequuti, certè quandam eius similitudinem, quæ piè seruientibus sufficiat. *Idem de recta Confessione, sive de sancta & coessentiali Trinitate.*

Sicut non eiusdem naturæ est flere miserationis affectu amicum mortuum: & eundem, remoto quatriduanæ aggere sepulturæ, ad vocis imperium excitare rediuiuũ: aut ligno pẽdere, & in noctẽ luce cõuersa, omnia elemẽta tremefacere: aut clauis transfixũ esse, & paradisi portas fidei latronis aperire: Ita nõ eiusdẽ naturæ est dicere, Ego & pater vnũ sumus: & dicere, Pater maior me est. Quamuis enim in Domino Iesu Christo, dei & hominis, vna persona sit: aliud tamẽ est, vnde in vtroq; cõmunis est cõtumelia: aliud, vnde cõmunis est gloria. Deo nostro enim illi est minor patre humanitas: de patre illi est æqualis cũ patre diuinitas. Propter hanc ergo vnitatẽ personę, in vtraq; natura intelligẽdã, & filius hominis legitur descẽdisse de cœlo: cũ filij dei carnẽ de ea virgine, de qua est natura, sumpserit: Et rursum filij dei crucifixus dicitur ac sepultus: cũ hæc nõ diuinitate ipsa, qua vnigenitj, cõsempiternus, & cõsubstãtialis est patri, sed in natura humana sit infirmitatẽ perpessus. Vnde vnigenitũ filiũ Dei crucifixũ & sepultũ, oĩs, etiã in Symbolo, cõfitetur Ecclesia, secundum illud Apostoli: Si enim cognouissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent. *Leo papa in Epistola ad Flauianum.*

Sicut in Trinitate tres personæ in eadẽ natura existunt: Sic in Christo persona vna in tribus existit naturis: Deo, animoq; & corpore: atque ibi homo cõparatur ad Deũ. quemadmodum manus ad animam, imò lingua ad intellectũ. Nõ enim fit Deus propriè naturalis hominis forma, sed homo fit proprium coniunctumq; instrumentũ Dei, ad opera Dei propria excellentissimè paragenda Nõ sunt autem duæ in Christo personæ, sed vna, scilicet persona verbi coniuncta, non personæ hominis, sed naturæ. Sicut enim rationalis anima in suo esse existit, perq; eius esse, existit & corpus: Ita Dei filius & multomagis in esse personæ suæ existit, atq; ad illud naturã extollit humanã. Proinde quẽad

modũ verbum nostrũ mente cõceptũ insensibileest, extrà verò voce prolatũ, fit sensibile: Ita mentis diuinæ verbũ ab æuo in Deo inuisibile permanet: sed per assumptioné hominis factũ est visibile. Et igitur Christus verbũ, quod ab æuo diuina més, se, omniaq; secũ intelligẽdo, intra se loquitur, iam spiritu diuino prolatũ, & corpus humanũ quasi vocem assumens, diuinamque audientibus significans voluntatẽ. *Marsilius ficinus libro de religione Christiana. cap.* 17.

CHRISTI MORS ET PASSIO.

SICVT ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, *Isaiæ.* 53.

Ego quasi egenus mansuetus, qui portabatur ad victinam. *Ierem.* 11.

Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto: Ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. *Ioan.* 3.

Sic facit dominus noster quomodo fortissimi quique bellatores & principes cunctis hostibus facere solent, qui non solum victorias sed cicatrices suas exprimi & exponi patrię aspectibus volũt. Siquãdo ergó summi duces piũ pro ciuibus in hostem pectus intuleruntvictricia triumpho signa referentes, annalibus quamlibet æuo memoriæ æreis tabulis ac amonimẽtis loquacibus consecrentur, posteritatis ignotæ etiam oculis ingerendi, vt secuturæ ætati inter veteres imagines recenti semper viuant honore virtutes: Hi itaque inciti duces inter laudum celebrãda preconia, glorioſe gesta, gaudent exprimi etiam vulnera sua: optãt inter coronas interseri excepta duris ossibus tela, vt inter vmbratos colores, merita viri fortis velut proprio cruore pingantur, & præferant non solum lætitia triũphantem, sed & pugna vincentem: vt hostilis sanguis asserat fortitudinem, proprius pietatem, ac propugnatorem suum plus diligat per horrentes plagas restituta libertas: Ita & dominus noster Iesus Christus non solum diuinitatem, sed etiam crucem in mortem suam post futuris voluit seculis celebrari, vt a peccatis propter quæ moriebatur, non solum nos dei mandata reuocaret, sed illata pro nobis supplicia & vulnera deterrerent. *Eusebius emyssenus hom. 2. de symbolo.*

Hic est paruulus quem etiam sermo euangelij grano sinapis comparauit. Sicut enim granum sinapis paruam præfert in exteriori specie quantitatem, sed magnam dū conteritur profert de sui cōtritione virtutem: & quod plus est, magis intra se vim suam possidet: Ita & dominus noster Iesus Christus, exiguus putatur esse, dum ex homine procreatur: sed cum deo totus impletur, dum per vitæ huius labores tribulationum afflictione conteritur, fortior inuenitur. *Idem hom. de natiuitate. do.*

Simile est regnum cœlorum grano sinapis. Christus est regnum cœlorum, qui velut granum sinapis in hortum virginei corporis missus, orbe toto crucis in arborem creuit, ac tantum dedit fructus sui saporem cum teritur passione, vt quicquid est vitale, suo saporaret & condiret attactu. Nam sicut in integritate grani sinapis virtus habetur occulta, apparet verò virtus eius vehementissime, si teratur: ita Christus corpore teri voluit, qui suam noluit latere virtutem. *Chrisologus sermone. 98.*

Hoc nunc os ex ossibus meis. Cum ex latere hæc peccati occasio processerit (mulier enim ex latere formata est) Saluator vulnus inflictum sanare instituens, lateri opposuit latus. Nam è cruce pendentis latus lancea haustum est ex quo fluxit vita, quæ inde deriuata est in oēs homines quēmadmodum ex latere mulieris mors peruaserat totū mortale genus. Sicuti Adamus fuit sopore oppressus, cum costa de latere ipsius extraheretur: Sic Ghristus somno, id est, morte fuit obrutus, cum ipsius latus aperiretur lancea. Vt Adamus flammante & versatili gladio è paradiso eiectus est, & quod vertitur tandiu vertitur, donec inueniat aliquod resistens: Sic Christus proprium latus seu firmamentum aliquod hastæ obtulit, paradisum aperiens, qui propter latus nempe mulierem fuerat obstructus. Necesse enim erat vt omnia quæ tendebant in perniciem hominis, Christus in cruce dissolueret & diluerct. Sensili itaque gladio flammantem compescuit, cum nemo versatili fuisset ausus se opponere *Procopi⁹ gaz. aus in genesin. c. 2.*

Agricola Noachus plantauit & instruxit vineam pulcherrimam, nempe populum suum in Christo. Primus ex vino bibit. Noachus: Sic Christus cuius ille typus erat passus est. Inebriatus est Noachus. Sic Christus passione con-

sumatus est: Noachus nudatus est in domo sua : Sic Christus crucifixus est à Iudæis . Chamus typus est populi Iudaici , qui illusit Christo è cruce pendenti *Idē in cap. 49.*

Accumbens vt leo dormiuisti. Quemadmodum leo non solum vigilans sed & dormiens terribilis est : Sic Christus non ante crucem, sed in cruce terribilis erat , magnaque designabat miracula . *Idē in cap. 49.*

Quemadmodum olim populus occubuit , accessitque Aaron & se medium inter mortuos & viuos statuit, & à reliquis mortem depulit : Ita verus pontifex inter mortuos & viuos inter eos qui aduentum eius vsque Iudaismum conseruarunt , eosque qui eum non receperunt , seque ipsos quam Iesum necare maluerunt , eò quòd sanguinem Iesu in se transferre ausi sunt : in quos idcircò omnis iustorum sanguis recidit. Cum intercessisset itaque mortem à nobis abstulit : cum mortui Iudæi sub lege separati nullum amplius veritatis opus edant . Apud nos enim verum est templum quod viuis lapidibus constat. *Idem in Iudices.*

Quemadmodum Iosephus quantum ad fratres penitus perierat: Sic Christus quantum ad Iudæos , ad quos venerat , planè mortuus, vt vltimo supplicio affectus credebatur . Sic enim opinabantur . Sed ascendit ad patrem, virtute deitatis resurgens : qua re suum conspicuum factum est genus . *Idem in Genesin cap. 49.*

Et erit requies eius honor. Licet diuerso modo in rebus humanis contingere solet. Nam cum hi qui hic in magna gloria rebusque florentibus agunt , moriuntur , pereunt cum eis simul alia omnia: id quod non solum in diuite, sed in principe atque adeò id & in regibus ipsis quis videt . Nam leges eorum irritantur , statuæ obscurantur, memoria extinguitur , nomen eorum in obliuionem venit, à cognatis despiciuntur , licet pridem mouerint arma , concitarint seditiones populorum & vrbium , reuocauerint proscriptos , occiderint dominos , simul tamen conciderunt hæc omnia , quamuis glorioſe prius fuerint . At secus in cruce euenit , Ante crucem in luctu res erant . Iudas prodidit, Petrus negauit , reliqui profugerunt , Iesus solus inter inimicos comprehensus est, multi qui crediderant, retrorsum abierunt. Cæterum, vbi occisus est & mortuus, vt dis-

cas quod non sit purus homo, non solum res eius non interciderunt, sedmultò clariores illustrioresque & sublimiores sunt redditæ. *Chrisostomus contra gentiles quod Christus est deus.*

Quemadmodũ in tribus personis longè admirabilius fuit, quod ingressi in caminũ ignis per eum deambularẽt quam si nunquam eo ingressi essent. Et in Iona quod in cete deciderit, & ab eo nihil mali perpessus sit, multomagis fuit, quam si absorptus nunquam fuisset: Sic & in Christo maiorem attulit admirationem, quod mortuus mortem solueret, quam si mortuus non fuisset. *Idẽ. hom. 4. in .1. Cor.*

Vt sẽper preciosior thesaurus in vasis melioribus includitur: Sic Christus Apostolis tantũmodo mortis suæ annunciauit mysterium. *Idem Homil. 35. operis imp.*

Si rex terrenus videret, quòd ciuitatem illius occupatã teneat hostis, quid facere potest? nihil, nisi vt ponat arietes, circunducat exercitum, destruat mœnia, quæ fortè ipse ædificauit, vt tantummodo hostem expellat. Sed videamus sapientiam nostri regis. Postquam vidit castra sua occupari spiritu alieno, sic hostem expulit, vt castra sua nõ læderet. *Ibidem*

Quemadmodum si quis liquefacto auro manum vel linguam iniiciat, quàm primùm deauratur. Ita hæc nobis proposita animam auream reddunt. Resurgit enim vehementius igne fluuius, neq; incendit sed abluit tamẽ quicquid cõprehẽderit. Hic sanguis præfiguratus est semper in altaribus, in iustorum cædibus, hic orbis terrarũ decus est, hic est quo Christus emit, quo vniuersam ornauit Ecclesiam. Vt enim homo seruos auro emit: Ita nos sanguine suo Christus. *Idem hom. 45. in Ioan.*

Sicut moses exaltauit serpentem. Vides vt figura veritati consentiat? Illuc mortẽ fugerũt Iudæi, sed temporalẽ: huc sempiternã fideles: illic ictus serpentũ suspẽsus serpẽs sanauit: hic incorporei serpẽtis plagas Iesus cruci affixus curauit. Illic corporeis oculis, suscipiẽtes corporis salutem: hic incorporeis peccatorũ remissionẽ cõsecuti sunt. Illic æs suspẽsũ erat in serpẽtis effigiẽ: hic dominicũ corp⁹ à spiritu formatũ serpẽs illic mordebat, & serpẽs sanabat: hic mors perdidit, & mors saluum fecit. Ad hæc qui interimebat serpẽs

veneno sæuiebat: qui liberabat, nullo. Itaq; perdidit mors. peccatum tãquam serpentis venenũ habuit: Domini mors id omne vt æneus serpẽs venenũ abstulit. *Idẽ Hom. 26. in Ioan.*

Mihi absit gloriari nisi in cruce Do. Quid huic possit æquiparari. Etenim si serui dum tantum laudantur ab heris, hisque eiusdem naturę, vehementer sibi placent, an non gloriãdum est, cum ille Dominus, qui est verus Deus, non erubescit pro nobis crucem subire? Proinde ne nos quidem illius ergo nos sollicitudinis pudeat. Illum non puduit tua causa crucifigi, & te pudet eius inenarrabilem profiteri dispensationem? Perinde facis ac si quis vinculis constrict⁹, ante non erubescẽs de rege, postquàm is astans sibi in carcere, vincula suis manibus detraxisset, ob hoc illius pudesceret. Ob hoc ipsum enim maximè gloriãdũ est. *Idem in cap. sextum ad Galatas.*

His hostiis quas offerunt indesinenter nunquàm potest accedentes perfectos facere Heb. 10. Hîc vna hostia est: illîc multæ: propterea enim nec fortes erant, quia multæ, & semper offerebantur, ostendit quod nunquam qui offerebant, purgabantur. Sicut medicamentum quando fuerit forte, & salutis efficax, & valens cunctam valetudinem repellere, semel impositum totum perficit. Si ergo semel impositũ totum perfecerit, ostendit suam virtutem vt non vlterius apponatur: & hoc est eius opus, vt iam non apponatur. Si verò semper apponitur, manifestum indicium est, nihil illud prævaluisse. Medicamẽti quippe illa virt⁹ est, vt semel imponatur & non frequenter: sic etiam hic. Qua tandẽ ratione eisdẽ sacrificiis semper curabãtur? Si enim ab omnib⁹ fuissent liberati peccatis, nequaquã per singulos dies obtulissẽt sacrificia. Quoniam autem prima hostia nihil valebat, offerebatur secũda: quia etiam nihil ipsa proficiebat, altera item. In Christo autem contrarium habetur. Semel oblat⁹ est. Nam quæ formã habent alicuius, tantũ exẽplar ostendunt, non autem virtutẽ: sicut in imaginibus exẽplar hominis habet imago, nõ etiã virtutẽ. Quid ergo nos, nõne per singulos dies offerimus? Offerim⁹ quidẽ, sed ad recordationẽ faciẽtes mortis ei⁹ Et vna est hæc hostia, nõ multæ. Quomodo? Quia semel oblata est, in sancta sanctorum: hoc autem sacrificium exemplar illius est, idipsum semper offerimus. *Idem Hom. 17. ad Hebræos.*

Recogitate talem contradictionem à peccatoribus esse passum. Si enim proximorum passiones erigunt nos, quantã alacritatẽ nobis effecerint Domini passiones? *Ibid. Ho.* 28.

Quemadmodum qui cibum accipiunt, quem continere non possunt etiã quem ante commederunt, propter illum euomunt: ita in Christi morte euenit. Mors cum corpus quod corrumpere non poterat accepisset, etiam illa eiecit quæ comprehenderat. Si quidem cum Christum haberet, dolebat & affligebatur quousque eum vomuit. Idcirco inquit apostolus, Soluens dolores mortis. Neque enim aliqua mulier qui parit ita dolet vt, illa cũ corpus dominicũ comprehẽdisset distrahebatur, lacerabatur. Et quod in Babilonio dracone factum est, quando accepto cibo crepuit medius: idẽ in hoc vsuenit. Non enim per os mortis Christus rursum erupit, sed medio draconis ventre rupto clarissimus euasit. *Idem. Hom.* 24. *In.* 1. *Cor.*

Expoliãs principatus ac potestates traduxit confidenter palam triũphans. Nunquam diabolus tantam turpitudinem passus est. Nam cum speraret se Christum quoque habiturum, quotquot etiam habebat, perdidit: & cum cruci affixum esset corpus Christi, resurrexerint mortui, illic plagam accepit mors, à mortuo corpore lethali vulnere cæsa, & quemadmodum si athleta, cum aduersarium suum se eum prostrauisse putat, lethalem plagam acciperet: ita & morti factũ est. *Chrysostomus Hom. sexta ad Colossenses.*

Christus pro omnibus gustat mortem. Non dixit vt moriatur. Re vera sicuti qui gustat, sic breue interuallum in illa faciens, confestim surrexit. Sicut medicus non habens necessitatem ex cibis, qui ægroto proponuntur degustare, sed illi consulens, primus ex illius cibo degustat, vt persuadeat ægroto promptius illos cibos accipere: Sic & Dominus, quoniam omnes homines mortem timebant, persuadens eis, vt fiducialiter ad mortem accederent, & ipse gustauit mortem, nullam habens necessitatem. Venit enim princeps mundi, & in eo non habet quicquam. Illi qui per omnem vitam sub timore mortis agebant, & serui erant, iidem ab eadem liberati, & deridentes eam, quam illi horrescunt. Tale est nunc, quale si vinctum aliquem producendum ad mortẽ, & semper hoc expectãtem, quisquam pinguẽ reddat ex multis deliciis: tale aliquid erat

mors antiquo tempore. Nunc autem veluti si quisquam illum timorem excludens, cum deliciis agens pronuncietur pugnaturus, & proponat agonem, vt iam non ad mortem, sed ad regnum adducatur: ex quibus esse volebas? Ex his qui in custodia pinguescerent, quotidianis diebus sententiam sui interitus expectantes: an ex illis, pugnaturis quidem multis, & laboraturis vltronea voluntate, vt diadema tantum regni suscipiant? *Idem Hom. 4. in cap. 1. ad Hebræos.*

Quocirca non sibiipsi deligit mortem, sed aliorum insidiis intectam tulit: vt quã ipsi intulerant necem, ipse aboleret. Atque in morem Gnosii luctatoris, prudentiaque & fortitudine præstãtis, qui non sibi ipse comparem eligit, ne formidare quempiam existimetur, sed id spectantium permittit arbitrio, maximéque si illi inimici sint, vt eo in humum elisо, quem illi aduersum se ad certamen elegerint, cunctis præstare credatur. *Athanasius lib. 2. De incarnato Dei verbo.*

Vita non moritur, sed mortuos viuificat. Sicut enim lux in loco tenebricoso non lædituꝛ: Ita nec vita pati potest, quæ mortalem naturam inuisit: est enim immutabilis, & nec verti, nec diuersa & altera esse potest verbi diuinitas. Sicutenim in prophetia dicit de seipso Dominꝰ: Videte me, quòd ego sum, & non sum immutatus. *Idem libro maiore de fide, 28.*

Neque quis ex hoc medicus esse cognoscitur, si rectè valeat ipse, nisi & aliis morbo laborantibus ostẽdat artem: neque sol si radios in sese contrahat, cognoscetur esse lumen, nisi eos in orbem hunc proferat, eiúsque tenebras sua luce discutiat: Ita Seruator non seruat semetipsum. Siquidem ipse quum esset seruator, nõ opus habebat salute: sed ex eo quòd cæteris benefaceret, velut ab omnibus agnosci voluit seruator omnium. *Idem, De passione Domini.*

Perinde ac si quis aduersarium suum videns trepidantem, metúque fugientem, simularet imbecillitatem, quò illum prouocet: mox ille qui fugiebat, respiciens ad illius imbecillitatem, sumpta fiducia aggrediatur: deinde præclarus ille luctator, qui imbecillitate prouocarat, propria virtute vinceret: Sic Dominus humana infirmitate prouocãs aduersarium, sua virtute corroborauit hominem aduersus hostem. *Idem. de passione Domini.*

Quemadmodũ infestum animalculum, cui nomen vespa, quum impetit petram, non eam lædit incursu, sed potius perdit aculeum: Sic & mors vehementer falsa est, incurrens vitam, quæ est Christus Iesus. Non enim potuit eum tenere mors, sed ipsa potius aculeum perdidit, adeò vt qnos prius terrebat aculeus nunc insultent, ac dicant: Vbi tuus (mors) aculeus, vbi tua contentio tartare? Ac rursus deuorauit mors inualescens. Et iterum: Abstulit Deꝰ omnem lachrymam ab oculis omniũ. *Idem de Christi passione.*

Si sol, cum sit corpus, quod cadit sub visum, qui sensa potest comprehendi, tot & tantas vbique terrarum iniurias & probra ferens, non mutat ordinem, nec paruum vel magnum ictum sentit: incorpoream sapientiam pollui existimas, & mutare naturã, si eius templum cruci affigitur, vel vulnera perpetitur, vel corruptionem aut interitum admittit? Sed templum quidem patitur, substantia autem immaculata, & omni ex parte impolluta manet. *Eustathius. In Oratione habita super illud: Dominus creauit me initium viarum suarum.*

Vnigenitus Deus hominem verum secundum similitudinem nostri hominis non deficiens, à se Deò sumpsit. In quo quamuis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut modi concurrerent, aut suspensio eleuaret, afferrẽt quidem hæc impetum passionis, non tamen doloris passionẽ inferrent, vt telum aliquod aquam perforans, vel ignem compungens, vel aera vulnerans. *Hilarius lib. de Trinitate.*

Sicut si ex sanguinis respersione tinctura est in vestimẽto, corpus quidem gestãtis non extinguit: verùm tinctura vestimenti non ad vestem refertur, sed ad hominem gestãtem: Sic etiam passio, in deitatem quidem non incidit, sed in humana natura facta est. *Epyphanius hæresi 77.*

Sicut vnita erat & esurienti, & sitienti, & defatigatæ humanitatis diuinitas, quinetiam dormienti, & de passione, subeunda tristitia ac mœrore confectæ, nihil horum quidem suscipiens, sed ei permittens, vt naturæ affectiones & passiones susciperet: Ita etiam ei coniuncta erat dum crucifigeretur, & concessit vt perageretur passio, vt passione mortem solueret, dolorem quidem ex passione non suscipiens, passionem autem sibi adaptans & accommodans, vtpote templi sui, & carnis coniunctæ: per quam etiam mẽbra Christi appellantur, qui crediderunt: & eorum qui cre-

diderunt, ipse caput appellatus est. *Theodoretus Dialogo 3. titulo. Quòd diuinitas Seruatoris est impatibilis.*

Non apparentia erat aduentus ipsius in carne, sest instar magni regis bellum gerentis aduersus inferiorem, & nescentis, quàm inimicus eius, si viderit in potentia venientē, ac multo robore, recusabit, & veretur ad fugam, & multas subditorum regiones dissipabit: & propria sapientia prætextus fingentis, & terga dantis ac fugientis, donec inimicus audacia sumpta expetat regem, velut timidum, & impotentem, & persequatur ipsum. Rex verò conuersus derepentè cum sua potentia, totum subditum capiet infirmū & aduersarium. Sic etiam Dominus noster non timuit mortem: qui antequam veniret ad hoc. vt pateretur, significauit in itinere, quòd filius hominis futurum esset vt traderetur, & crucifigeretur & tertia die resurgeret. *Epyphanius in ancoratu.*

Fratres vt a peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur. Quomodo qui intuebantur serpentem æneum in deserto, non peribant morsibus serpentum: Sic qui intuētur fide Christi mortem, sanantur morsibus peccatorum. *Augustinus. in Ioan.*

Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionēmultorum in Israel, & in signum cui contradicetur. Luc. 2. Cū solis radios tam munda loca excipiant quàm immunda, & sic floribus quomodo in stercore luceant, nec tamē solis radij polluuntur: Sic & Christi bonus odor, qui nunquam mutari potest, nec suam naturam amittere, credentibus vita est, incredulis mors. *Hyeronimus Quæstione 11. ad Hedibiam.*

Cum maleficus quispiam condemnatur, quòd filium regis aut principis iugulauerit: & tu interim velut innocēs securè cantares ac luderes, donec terrificè comprehensus conuinceretur, quòd homicidium subornasses. Vbi reuerà tibi latissimus terrarum orbis in angustum contrahi deberet, præsertim si conscientiæ quoque testimonium te destitueret. Ita lōgè pauidior fieri debes, cū Christi passionē animo recenses. *Cypriani sermone de Zelo.*

Sicut tibi (si modò sanæ mētis homo es) dolet te spiritualiter à morte peccati & spiritu maligno cruciari: Ita dolet, & vehementer dolet id Christo propter te in sua passione. *Idem De singular. clericorum.*

Qui naturæ causas scrutantur, narrāt adamantem nulla

chalybis duritiæ cedentium, hircino sanguine maceratum ictu malleorum dissilire, nullus autē adamas corde saxeo durior: Hoc igitur cor ferreum, cor saxeum, cor plusquam adamantinum, emollit sanguis Christi & huius martyrum qui suppleerunt quod illius passionibus deerat. *Ibidem, lib. de duplici martyrio.*

Velut si quis rex pergat ad gentē, in qua proprios habeat captiuitatis vinculo alligatos, deuictáque, carcerē intret, in quo vincti detinebantur, soluat catenis vincula, & claustra comminuat, & vinctos in remissionem educat, & eos qui sedent in tenebris & in vmbra mortis, luci ac vitæ restituat. Ergo dicitur rex fuisse quidem in carcere, non tamen ea conditione qua cæteri qui tenebantur inclusi, sed illi quidem vt pœnas soluerent, hic verò vt absolueret pœnas: Ita diuina natura in mortem per carnem descendit, non vt lege mortalium detineretur à morte, sed vt per se resurrecturus, ianuas mortis aperiret. *Idem, in Symbolum Apostolorum.*

Sicuti hamum esca conseptum si piscis rapiat, non solùm escam cū hamo non remouet, sed & ipse de profundo, esca aliis futurus educitur: Ita & is qui habebat mortis imperiū, rapuit quidem in mortem corpus Iesu, non sentiens in eo hamum diuinitatis inclusum: sed vbi deuorauit, hæsit ipse continuò, & disruptis inferni claustris, velut de profundo tractus traditur, vt esca cęteris fiat. *Ibidem.*

Moysi virga comparatur Christo mortuo. Serpētis enim opus fuit mors in Adam & in Eua: quòd Moyses inde perterritus fuit, signat timorem discipulorum in morte eius: & quòd iustum fuit caudam serpentis accipere, vt verteret in virgā: rursus denotat, quòd sequentia in Christo post mortem, puta resurrectio & ascensio ipsius ab Apostolis amplexa, corde credenda fuerunt, & quem mortuum lugebant & desperabant, iam viuum adorarent. *Remigius, in Psalmum 73.*

Sicut in Mariæ virginis vtero nemo ante Christum, nemo post illum conceptus est: Ita in monumento Christi nemo ante illum, nemo quoque post illum sepultus est. *Origenes hom. 1. in diuersos.*

Christus mundi Saluator descendens ad infernum, iniuriam non pertulit, quod fecit causa clementiæ: Velut rex intrans in carcerem, non vt ipse teneretur, sed vt noxiis solueretur à vinculis. *Venantius, In explicatione fidei.*

QVemadmodum fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus ac tribus noctibus: Sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus ac tribus noctibus. *Matth.* 12.

Non morté cum morte comparauit, sed triduanam in sepulcro mansioné, cum triduana mansione Ionæ. Alioquin si simile esset exemplum Ionæ & Seruatoris, non posset illud esse huius typus & imago. Oportet ergo vt veritas plus aliquid habeat quàm typus, secundum dictum illud: Hic plus est quàm Ionas. Intelligitur autem Ionas fuisse verum exemplum Christi, hoc pacto, quòd quemadmodum Ionas habuit exitum ex ceto post triduum, quo signo fides fieret eum à Deo missum esse præconem euersionis Niniuitarum: sic & Seruator habuit resurrectionem ex sepulchro post triduum, quo signo fides fieret, eum missum esse à Deo præconem regni cœlorum. *Iustinus In Responsionibus ad Orthodoxos, in responsione ad quæst.* 64.

Cur nomen Ausæ à parentibus inditum, Nauæ filio totum mutatum sit in Iesum, non perquiris? sicut nec illud, quòd post mutatum nomen successor Mosis factus, solus ex his qui adulti Aegypto demigrarunt, reliquias populi in terram sanctam introduxit. Et quemadmodum ille potius quàm Moses introduxit in terram sanctam populum, huiusque agros diuisit suis ciuibus: Ita etiam Iesus Christus conuertet dispersionem populi, & singulis agros bonos diuidet: sed non similiter. Nam ille non diuturnas sortes distribuit, quòd ipse non esset Christus Deus, nec Dei filius: at hic noster post sanctam resurrectionem, æternas possessiones nobis dabit. *Idem In Colloquio cum Tryphone Iudæo.*

Quemadmodum non mutatione corporis in spiritum ambulauit Dominus super mare, sed diuina sua potestate fecit, vt ambulari posset mare, quod alioquin ambulari non potest, idque non solum suo corpore, sed etiam petri: Sic eadem sua diuina potestate exiit ex monumento, saxo incumbente monumento, & ad discipulos ingressus est clausis ianuis. Non enim propter eius resurrectionem ablatum est saxum à monumento, sed vt de-

clararetur spectantibus resurrectio. Nam quod in monumento visæ sunt vestes eius sepulturæ, ipse non item, indicium fuit euidentissimum resurrectionis. Nobis autem intelligendum est, ea quæ sunt earundem virium, habere eãdem fidem, siue concedantur, siue tollantur. Habent autem easdem vires, ambulare super mare corpore non mutato, & intrare ad Apostolos corpore non mutato, clausis ianuis. *Idem, in Responsionib. ad Orthodoxos, responsione ad quæst.* 117.

Quemadmodum principe generis condemnato, vniuersum quoque genus simul condemnatum est: Ita cum Saluator execrationem & maledictionẽ soluisset, naturæ quoque vt libertate frueretur, euenit. Et quemadmodum descendẽtem ad inferos Adam, sequuti sunt qui erant naturæ participes: Ita cum Christo Domino resurgente, resurrectionis erit particeps vniuersa hominũ natura. *Theodoret. Dialogo* 3.

Sicut ex monumentis mortuos egredi dicit Saluator, etsi animæ illinc non egrederentur: ita scipsum dicit ex mortuis resurrecturum, etiamsi sit corpus quod resurgat. *Apolinaris, in Summa. Meminit Theodoretus, Dialogo* 3.

Quemadmodum è somno aliquis euigilat: ita à mortuis reuixit Christus. Vnde in Psalmis quoque dicit: Ego cubaui ac dormiui, euigilaui, quia Dominus suscipiet ac tuebitur me. *Procopius, in Numeros.*

Sicut tunc populo ad terram promissionis eundi per Iordanem via fuit, Domino præcedente: Ita nunc per easdem aquas fluuij Iordanis, primũ iter viæ cœlestis apertum est, per quod ad beatam illam terram promissionis. i. promissionem regni cœlestis deducimur. Illis Iesus filius Naue in Iordane dux fuit: nobis verus Iesus Christus Dominus per baptismum dux extitit salutis æternæ, vnigenitus Dei filius. *Chromantius, in cap.* 6. *Math.*

Quemadmodum Iesus Naue populum Dei deserto, in terram promissionis induxit: Ita Christus vera lux mundi, de tenebris ac terra ignorantiæ sequentes se ad cœlos duxit. *Venantius, in explicatione fidei.*

CHRISTI ADVENTVS AD IVDICIVM.

SIcut colliguntur zizania & igni comburuntur: Sic erit in consummatione sæculi eius. Mittet filius hominis ange-

los suos, & colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui parant iniquitatem, ac mittent illos in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium. *Math.13.*

Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in occidentem: ita erit aduentus filij hominis. *Math.24.*

Sicut in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis: Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit aduentus filij hominis. *Ibidem.*

Dies ille Domini vt fur in nocte venturus est. Cum enim dixerint, pax, & tuta omnia: tunc repentinus eis superueniet interitus, sicuti dolor partus mulieri prægnanti: nec effugient. 1. *Thessalo 5.*

Tantum si causa dicēda sit apud iudicem terrenum, quæ aliquem metum ex legibus habere videatur, num ex omnibus vigiliis excubatur, aduocato patrono munera præparātur, etiamsi anceps periculum sit, aut etiā solius notæ metus, vel damni ratio? Nos quare non credimus quod omnes astabimus ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria opera, prout gessit, siue bona, siue mala. *Origenes, Hom. 5. in Leuiticum.*

Fingite animis famam esse, summum quendam imperatorem cum immenso exercitu huc aduentare, & causam cur veniat, ignorari, amicóne an hostili animo, quid, obsecro vos, faceretis? primū tota ciuitas pēderet animi, quotidianas illas cogitationes, quibus nunc identidē occupamini, abiiceretis, nihílque aliud versaretis animo, quā quisnā huius aduentus exitus esset futurus. Deindè summo studio daretis operam, vt quàm possetis maximis muneribus illū placaretis, & inquireretis quibus potissimum donis delecta retur, eáque pararetis, nihil curantes facultates ob hoc vestras imminui. Quod si cæteræ facultates non essent satis, mulieres ipsæ ornamenta omnia proferrent, & in commune ponerent, neque expectarent, dum rogarentur. Cur hæc? quia grauiora metuerent. quænam ista? Ne facultatibus omnibus spoliarentur, euerteretur ciuitas, ferro vos ac liberi vestri trucidarentur. Metu ergò amittendæ

vitæ vestræ ac liberorum, & iacturæ facultatum hoc ageretis, quamuis hæc omnia post paulo essetis amissuri, morte aduentante, quæ cum venerit, omnibus his estis carituri. At hæc omnia quæ de imperatoris cuiuspiam aduentu dicta sunt, adueniente Christo rege regum & domino dominantium imminent, atque illud accedit maius, quod eius seculi principes, postea quàm occiderint corpus, nihil præterea habēt, quod faciant, hic verò potest & corpus & animam in æternos ignes relegare: & in re tantæ summæ, tantique ponderis stertimus, & in vtramque aurem dormimus? impendet singulis momentis huius imperatoris aduentus, nescimus quid nobis futurū sit, certò tamen scimus quibus placetur donis, beneficentia videlicet in pauperes, & tamē ad eam præstandam tam frigidi & tam pigri sumus. Ad metum terreni principis omnia negligeremus, ad cogitationem aduentus Christi, mordicus omnia tenemus. *Isidorus Clarius. Tom. 1. ora. extraord. ora. 11.*

Si quis princeps hanc ciuitatem ingressus, repente primates ciuitatis postremos omnium faceret, ac contemptū quoque eorum loco poneret, omnes in admirationem raperentur, & illa eorum qui abiecti essent, ignominia, longè ipsa morte acerbior videretur: multò verò magis id accidet, vbi non vnius ciuitatis sed totius orbis terræ conuentus celebrabitur. *Statuet*, inquit, *oues à dextris, & hædos à sinistris. Ibidem.*

Possidete regnum, Matth. 24. Si huic ciuitati certa spes obiecta esset, fore vt si diligenter operam dent, Italiæ regno potiantur, nullis sumptibus, nullis laboribus parceretis, noctes diésque in his cogitationibus versaremini, infantes ab ipso vbere his sermonibus imbueretis, quamuis fieri posset, vt omnes qui ea ætate essent, antè morerentur, quàm illud assequi contingeret. Nunc verò regnum sempiternum, immensum, omni ex parte beatum, omni sexui, cuiuis ætati, cuiuis hominum generi propositum est, & de illo summum inter vos silentium est. Quotus enim quisque est, qui vel minimā diei particulā in hoc impendat, de hoc commentetur, hoc identidem vxori, liberis ac toti familiæ inculcet? *Ibidem.*

Sed cogitate quam benigne nobiscum fecerit deus. Si enim fuisset dictum, vt quicunque vellet in sempiternū hoc

regnum

regnum intromitti, omnibus se priuaret, eaque in paupéres distribueret, nemo qui mente præditus esset, recusaret cõditionem. Quid enim? Subiret animum, reliquum vitæ esse sine lare, sine foco agendum. hunc metum continuò superaret illa æternorum bonorum contemplatio, & quod breuis scena hæc & vitæ somnium esset potius quã vita. In eũdem modum fieret, si liberorum cura animo obuersaretur: Re enim vera illius fœlicissimæ æternitatis consideratio, omnia quæcũque obiicere se possunt impedimẽta exiguo negocio euertere idonea est. Fingite ergò animis, ita primò fuisse constitutum atque imperatum, vt nisi abiectis facultatibus omnibus, nulla spes esset illius regni adipiscendi, post aliquot verò annos admoneremur, permitti nobis, vt tantum haberemus, quantum vix nostræ ac liberorũ vitæ ad victum cultúmque satis esset, tãtùm vt nullis opibus ad luxum & splendorẽ vitæ abuteremur, quã ingentes indulgentissimo Deo hoc noĩe gratias ageremus, atque hãc conditionem gratè amplexaremur, vt ne teruntium quidem auderemus præter præfixam à Deo legẽ, impendere. Nunc verò ô ingratum, ô perditũ genus, non contenti necessariis quæ liberalissimè à Deo permissa sunt, tot excogitamus luxuriæ, ac insumendarum pecuniarum vias, &c. *Ibidem.*

Vide iudicium extremum, mors, infernus.

CIRCVMCISIO.

QVemadmodum aliquis ancillam habens petulantem & imprudens & lenis, mandata illi dat, ne vnquam extra vestibula prodeat, neque cum prætereuntibus cõueniat; Ita & misericors Deus circuncisionis signum carni Iudæorum indidit, quasi pedibus vinculum quoddam, vt domesticum habentes signum, non vltrà doctrina aliorum opus habeant. *Chrysost. Hom. 38. in Gen.*

Sicut in humanis negociis fieri solet, quando habemus aliquibus fidem, ab ipsis signum loco pignoris accipimus: vbi perfectũ est negociũ, tollit iterum signum: ita Dominus noster sciens mentium inconstantiam, quando ad veritatis lucem ventum est, tollit signum circumcisionis. *Ibidem.*

In Christo neque circumcisio quicquam valet. Quemadmodũ si quis athletas diligit, siue naso adunco, siue simos, siue nigros, siue cãdidos eligat, nihil refert ad probationẽ, sed illud vnum spectandum est, si validi doctíque sint: ita qui cõscribẽdus est in nouum testamentum, huic nihil nocẽt illa omnia corporalia, si absint, quemadmodum neque prosunt si adsint. *Chrysost. in cap. 5. ad Galat.*

CLEMENTIA, HVMANITAS.

SI quis sumat absyntij pusillum, & mittat in amphoram mellis, non in totum mel exterminabit, & tantum mellis à modico absyntio disperit, & perdit dulcedinẽ mellis, & iam non habet gratiã apud Dominũ suum, quoniã vsum suum perdidit. Vide enim quoniam æquanimitas dulcissima est, plusquàm mel, & vtilis erit Domino qui in illa cõmoratur. Si ergo mista fuerit iracundia æquanimitate, contribulatur animus, & non est vtilis oratio illius. *Hermas seu pastor, mandatis pœnitentiæ.*

Ipse apum rex est aculeo præditus, spiculóque armatus: ac nunquam irritatur ad vltionem, nunquam vtitur illo. Leges quædam ista profectò naturæ sunt institutáque, literis non mandata. Tardos, inquam, eos ad vindictam pœnámque sumendam esse oportere, qui maximas obtinent potestates. Quin & apes quæ non sequuntur ac imitantur regis exemplum, cito admodum temeritatis pœnitet suæ: propterea quod mox post ictum intereunt. Audiant ista Christiani, quibus lege sancitum est, nemini vnquam homini pro malo reddere malum, sed malum vincere superaréque bono. *Basilius. Hom. 8. exameron.*

Quemadmodum solis iubar vt primum apparet, fugat tenebras: Ita mansuetus & benignus sua præsentia res turbulentas componit, quietásque ac tranquillas reddit. *Chrysost. ser. de mansuetudine.*

Sicut Christus Deus & omnium Dominus, in carne diuina nobis apparens, sanctósque angelos cũ hominibus concordes effecit, qui quasi bello quodam à nobis dissidebant: ita & mansuetus homo fratres & cognatos, qui inter se discordes sunt, cõciliat, ei reuereri leges & præceptum fidei, abiectísque inimicitiis, in gratiam mutuã redire facit. *Ibid.*

Quis adeò ferinis est moribus, qui postea non pudeſiat? Canes hoc inter se facere dicuntur, vt quando in aliquem latrando irruperint: is verò seipsum in terram proiecerit, nihilque contra fecerit, mox omnem iram hoc pacto extinguat. Itaque si illi placãtur, & quasi pudore suffundantur coram eo qui quiduis ab ipsis pati paratus est, multomagis istud hominum genus, maiore ratione preditum decet. *Idem Hom. 16. ad Ephesios.*

Sicut medicinæ apud ægros vsus, etiam apud sanos horror est: Ita clementiam quamuis pœna digni inuocent, etiam innocentes colunt, *Seneca, l. 1. de Clementia. cap. 2.*

Quemadmodum non est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille qui quod alteri donat, sibi detrahit: Ita clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, sed eũ qui cum suis stimulis agitetur, non prosilit: qui intelligit magni animi esse, iniurias in summa potentia pati, nec quicquam esse glorioſius principe impunè læſo. *Ibidem, cap. 20.*

Quemadmodum religio deos colit, superstitio violat: Ita clementiam mansuetudinémque omnes boni præstabunt, misericordiam autem vitabunt. Est enim vitium pusilli animi, ad speciẽ aliorũ malorũ succedentis. *Idem lib. 2. cap. 5.*

Sapiens multa remittet, multos parum sani sed sanabilis ingenij seruabit. Agricolas bonos imitabitur, qui non tantùm rectas bonásque arbores colũt, sed illas quoque quas aliqua deprauauit causa, adminicula quibus reguntur administrant. Alias circuncidunt, ne proceritatem rami premant: quasdam infirmas vitioloci nutriunt: quibusdã alienа vmbra laborantibus cœlum aperiunt: Secundum hæc vi debit perfectus sapiens, quod ingenium qua ratione tractãdum sit, donec in rectum praua flectantur. *Ibidem, cap. 7.*

Cum natura hominis imbecillior sit, quàm cæterorum animalium, quæ ad perferendam vim temporum, vel ad incurſiones à suis corporibus coercẽdas, naturalibus munimentis prouidentia naturalis armauit. Homini autem quia nihil istorum datum est, accepit pro istis omnibus miserationis affectum: qui planè vocatur humanitas, qua nosmet inuicem tueremur. *Lactantius, lib. 1. cap. 20.*

Si homo ad conſpectũ alterius hominis efferaretur, quod facere videmus animantes, quorum natura soliuaga est, nulla esset hominum societas, nulla vrbium condendarũ

vel cura, vel ratio: Sic neque vita quidem satis tuta, cum cæteris animalibus exposita esset imbecillitas hominum, & ipsi inter semetipsos belluarum more sæuirent. *Ibidem.*

Vt aqua tepida inflammationes: Sic oratio humanitatis plena, iram restinguit. *Plutar. in moralib.*

Qui equos domant, primùm blandiuntur, ac molissimè tractant, vt assuescant fræno: Sic populus lenitate subeundus. *Ibidem.*

Quemadmodum equi & canes venatici familiaritate cibóque curantur potius quã catenis & verberibus: ita homines feroces animo, humanitate ac beneficiis potiusquã asperitate & crudelitate nobis conciliantur. *Fabius maximus in Romanorum Apophthegmatis.*

Vide mansuetudo Sermo.

COGITATIO.

Sicut in percussura cribri remanebit puluis: sic spolia hominis in cogitatione illius. *Eccl.* 27.

Cæterum perinde ac cum in stadio curritur, currus præcedens impedit, retinet, atque prohibet sequentem, ne præcedat & perueniat ad palmam: ita cogitationes animæ atque peccati currunt in homine. Si ergo contingat, cogitationem peccati præcedere, impedit illa atque retinet, & prohibet animam accedere ad Deum, & contra peccatum reportare victoriam. *Macarius, Hom.* 1.

Quemadmodum Israëlitæ proiecerunt in ignem aurea vasa, & prodiit idolum: Sic homo nunc cogitationes puras & bonas tradidit nequitiæ: quæ demersæ sunt in lutum peccati, & factæ sunt idolum. *Idem, Hom.* 10.

Bonæ cogitationes animæ similes sunt lapidibus pretiosis ac margaritis: impuræ verò cogitationes plenæ sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia ac fœtore. *Idem. Hom.* 16.

Quemadmodum arbor multos habet ramos, & membra multa: ita cogitationum & consiliorum multi sunt rami, quos comprehendit Satanas: aliæ sunt cogitationes & cõsilia quæ non comprehenduntur à Satana *Idem Hom.* 26.

Veluti si fuerit hortus arboribus fructiferis, & aliis bene

olétibus plátis cõsitus, & per omnia bene exultus, & exornat⁹, qui etiã sit munitus exiguo pariete, pro septo & vallo, iuxta quẽ contingat flumẽ rapidũ transcurrere: licet aqua modica illidat parieti, corrumpit fundamentum, sumit eductionem, & paulatim fundamentum dissoluit: & ingrediens effringit & extirpat omnes plantas, vniuersam cultutam delet, & fructibus ferendis inutilem reddit: ita se habet cor hominis, quod non caret cogitationibus honestis: at instant cordi perpetuò vitiorum fluuij, volentes illud diruere, & sibi vendicare. Itaque si leuis paululum fuerit animus, & labatur in cogitationes impuras, in spiritus erroris pabulum acceperunt, & ingressi euerterunt quæ illic splendebant, deletísque probis cogitationibus, animam desertam reddiderunt. *Idem*, Hom. 33.

Quemadmodum in candida veste macula citò apparet, nigra autem vestis, etsi tota sordidata fuerit, non citò apparet: Sic & cordi mundo, si surreptio inimici successerit, mox cor suum rectus homo discernit, qui à spiritu alieno pulsatur, sinautem cor fuerit iniquitatibus plenum, suggestionem diaboli in se facile non intelligit. *Chrysost. Hom.* 13. *operis imperfecti.*

Sicut de gemmis flores proceduntita de bonis cogitationibus nascuntur bonæ voluntates. *Idem* Hom. 19.

Sicut flores non possunt procedere nisi fuerit gemma: Sic bona voluntas nasci non potest, nisi præcesserit in homine cogitatio bona. *Ibidem.*

Est cogitationum natura, labyrintho cuidam ac gryphis simili, nullum finem habens, neque concedens cogitationem stare supra petram, originem ab arrogantia assumẽs. *Idem, Hom.* 2. *in epist. ad Rom.*

Quomodo iuxta qualitatem ciborum de stomacho ructus erumpit, & boni vel mali odoris flatus iudicium est: ita interioris hominis cogitationes verba proferunt, & ex abundãtia cordis os loquitur. *Hiero. epist. ad Principiã virginẽ.*

Quomodo si aliquis carbones apprehenderit, si cito eos proiecerit, nihil ei nocebunt, si verò diutius tenere voluerit, sine vulnere abire non poterit: Ita & qui ad concupiscẽdum oculorum defixerit intuitum, & libidinis malum in corde suscipiens, morari in corde suo permiserit, excutere à se sine animæ plaga non poterit. Ideo iugiter clamemus

eum propheta. *Oculi mei semper ad Dominum. Aug. de honestate mulierum, cap. 5.*

Ne quæso permittamus in nobis cogitationes prauas, ne tanquã minima negligamus, quia qui minima spernit, paulatim defluit. Non spernamus morsum serpentis, ne venenum eius aspergatur in corda nostra, quia quamuis venenũ vita sit serpentis, tamẽ mors est hominis. Abscindamus vitiosa gulta spinarũ de agro cordis nostri, ne defigant in nobis altas radices. Cor nostrum ager est Domini Iesu Christi: excolamus eum cœlestibus disciplinis, & nõ sinamus in agro tanti imperatoris seminari zizania: sed cunctis floribus virtutum decoremus, quia his delectatur. *Idem, lib. de salutaribus documentis, cap. 34.*

Quemadmodum in aquis ignis durare nõ potest: Ita neque turpis cogitatio in corde Dei amante. *Marcus heremita de his qui putant ex operibus iustificari.*

Sicut vermes nou si foueantur in stercore, vi nificantur, & in fœtum erumpunt: ita cogitationes nisi ex cordis abditis productæ manifestentur, in opus prodeunt. *Climacus de discretione gradu. 26.*

Sicut nubes solem abscondit: ita cogitationes malæ obtenebrant, & perimunt mentem. *Ibidem.*

Quemadmodũ qui fluminis alueum aridũ videre cupiũt, nihil agunt si pergant exiccare partem illam quam aridam volunt, cum noui subinde fluctus superueniant, & exiccatũ locũ statim impleant, & si rursum afcẽderint, & superiores partes exhauserint, aut fontẽ auerterint, vel obstruxerint, tunc aqua sponte deficiente, aluei solum aridum relinqueetur. Ita formæ cupiditatum effectrices, facile exhaurientur, si sensus ex quibus illæ tanquam ex fontibus in animũ influunt, sic obstruentur, vt eas extrinsecus suppeditare amplius nequeant. *Nilus in ascetico.*

Quemadmodũ virgo quotidie mane cũ surgit, nihil aliud curat, nisi vt ornet se sponso suo, & speculo explorat diligenter, ne qua macula resideat in vultu suo, qua spõsus offendatur, sic magna quotidie cura & diligẽtia, sancti cogitationes, sermones, actionésque suas explorãt, ne quid in illis sit quod cœlesti sponso displiceat. *S. Isayas abbas orat 19.*

Quod luxuriosas cogitationes nõ debeam⁹ in corde suscipere, euidẽtibus exẽplis possumus approbare. Attende quõ si

aliquis in vestimentis vestris flegmata vel sputa proiiciat, ita nobis horrorem faciunt vt nec oculis aspicere, nec summis saltem digitis velimus attingere. Et si nobis sputa quæ sine peccato, proiiciuntur, horrorem faciunt in vestibus nostris: putas, cogitationes libidinosæ, quas diabolus ingerit, qualem horrorem faciunt Deo animabus nostris? Et sputa vel flegmata sic perhorrescimus, quæ vtique inuiti excipimus: quanto magis cogitationes sordidas, quas cum cum nostra voluntate in corde nostro moras habere permittimus, opus est vt cum Dei adiutorio celerius respuamus? Et hoc considera, quod si in templo Dei de lignis & lapidibus quisquã porcos vel canes introducat, aut lutum mittat aut stercora spargat, ita offenditur animus noster, vt illum per quem negligentia ipsa facta est flagellare velimus. Et cum hæc ita sint, quid de nobis cogitamus, si in animabus nostris, vbi sunt templa Dei viuentia, multum peiores quam stercora sunt, cogitationes luxuriosas vel malignas suscipientes, Deo qui in nobis habitare dignatur, iniurias irrogemus? Dic mihi queso, si te in conuentu populi, aliqua famosa meretrix, expassis manibus amplecti aut osculari conetur, vtrum hoc patienter aut libenter excipias? nonne magis eam & manibus repellis, & in faciem conspuis, timens ne forte quicunque viderint, ex consuetudine hoc eam fecisse diiudicent? Certum est enim quod non solum qui honesti vel casti sunt, hoc a se fieri non permittunt, sed etiam & illi qui in secretis luxuriæ seruiunt, meretricum amplexus in conuentu hominũ perhorrescũt, plus timẽtes opprobria hominũ in publico, quã dei præsentiam in occulto. Si ergo ppter iudicia hominũ nullꝰ est qui velit publicè a meretricibus osculari, quare in secreto cõsciẽtiæ nostræ, immũdissimas meretrices id est, cogitationes luxuriosas & impias, nõ solũ frequẽter susc ipere, sed etiã nõ paruas moras labere permittimꝰ? Est & alia similitudo, quã prudẽter cõsiderare debemꝰ. Et hoc attẽdite fratres, quia si aliquis carbone viuũ quãuis grandem apprehẽdat in manu sua, & eũ statim proiiciat, nec cõbusturã habere poterit, nec doloré, si verò eũ vel vnꝰ horæ momẽto tenuerit, sine vulnere iactare nõ poterit. Est & aliud vnde hoc quod diximus probare possimus. Dic mihi (queso te) nunquid est vllus homo qui super secessum vel cloacam

vermibus plenam velit diutius stare, & eorum putredinem ventilare? Corpora nunc fœtorem cloacæ non sustinent & corda contagioni luxuriosæ consentiunt. Et vide quæ pars possit exhalare maiorem putorem. Si bene & iuste iudicas incomparabiliter grauiorē putorem reddūt cogitationes luxuriosæ quā cloacæ. Quomodo ergo in loco fœtoribus pleno diu stare nolumus corpora nostra, sic cogitationes luxuriosas & sordidas ne ad momētum quidem moras habere permittamus in animabus, vel in sensibus nostris. Quæ cum ita sint, non sine grandi verecundia & possumus & debemus nos ipsos reprehendere, qui cum in arca vbi sunt vestimenta nostra, qualemcunque scintillam ignis nolumus intrare, per iniquas tamen cogitationes intus in arca conscientiæ nostræ flammas iracundiæ non solum intrare permittimus, sed etiam falsis suspitionibus ad maius incendium prouocamus, atque succendimus. Et quam excusationem apud dominum habere poterimus, qui plus amamus vestem nostram quàm animam nostram?

Cæsarius arelatensis ho. tertia de fugiendis cogitationibus turpibus.

Sicut qui adulterium committit in solo corde, nondum omnino progressus ad opus: Ita si quis fecerit in corde cætera, quæ prohibita sunt, verbi causa, si quis corde tantùm sit furatus, aut corde tantùm falsum testimonium dixerit, non vt ille qui facto furatus est, aut falsum testimonium re perpetrarit, sed tantùm vt qui corde solo talia fecerit, punietur: idque si per ipsum steterit, quo minus peruenerit ad prauum facinus. Quòd si præterquam quod voluit, aggressus quidem est, sed non successit, punietur: vt qui non solum corde, verumetiā opere peccauerit. Super hæc quæret aliquis, an adulterium, committat aliquis solo corde, etiamsi factum adulterij non peregerit, sed in solo corde fuerit impudicus. Simili modo facies de cæteris laudabilibus. Habet autem hic locus, quo probabiliter falli possimus: quod hac opinor ratione tollendum est. Adulterium quidem in corde peractum, minus est peccatum, quàm si quis adiungat etiam factum. Non potest autem fieri, vt pudicitia sit in corde, quæ obstet impudico facto: nisi quis hîc quoque in exemplo sumat virginem, iuxta quod lex dicit, in solitudine violatā Fingamus enim cor alicuius esse putissimum, cæterùm violentam peregisse corruptionem cor

poris pudicæ, in eo quod lasciuũ est. Hæc sanè mihi videtur prorsus esse casta in occulto quidem, corpore verò non esse pura, quemadmodum erat ante vim illatam: at non quia non pura, statim impudica. *Origenes in caput. 10. Matth.*

Humanæ mentis natura est, vt si cogitatione aliquid contemplemur, talem se nobis vnaquæque species exhibeat, qualem eam & cogitando formemus. Quoquò enim mentis nostræ oculos intenderimus, idipsum in quo defixi sunt, referunt ad sensum. Et vt planius intelligi id quod dictum est, possit, afferemus exemplum. Si quis hyemali die ver cogitauerit, & ornatum eius lumine mentis inspexerit, obliterata hyeme in qua sit, atque algeat, totũ ei in sensu suo ver cum habitu sui ornatuque consistet: adeò mẽtis oculi oculis corporis præstãt, vt ineunte in nos obliuione præsentium, totos nos obtineat quidam quasi animo præsumptus vsus absentiũ. *Hilarius in Psalmi. 120.*

Quemadmodum parentes corporum compatiuntur natis ex se liberis: Sic etiam animus naturaliter indulget rationibus & cogitationibus. Et quanquam omnium & per omnia liberi fuerint ridiculosi & turpissimi, omnium tamẽ videntur suauissimi & formosissimi. Sic etiam amenti animo suæ cogitationes & rationes, tametsi ex omnibus fuerint pessimæ, sapientissimæ tamen esse videntur. *Maximus lib. 3. de Charitate.*

Quemadmodum corpus habet mundum res ipsas: Sic etiam animus habet mundũ ipsas cogitationes. *Ibidem.*

Sicut corpus scortatur cum corpore mulieris: Sic etiam animus scortatur cum cogitatione mulieris per proprij corporis imaginationem. *Ibidem.*

Vt figuli vasa probat fornax: Sic distrahitur homo in cogitatione sua. *Ibidem.*

Quemadmodum rerum humanarum cogitatio non cogit animum res diuinas contemnere: Sic neque nuda cogitatio rerum diuinarũ eundem adigit, vt res humanas prorsus respuat. *Ibidem.*

CONCIO.

NON quales eduliorum sensibilium, tales sunt insensibilium reliquiæ. Illæ variæ licet, non parem tamen

conuiuiis voluptatem præstant, sed in diem posterum reseruatæ fiunt inutiles: hæ verò non in vnum tantum diem aut alterum, sed quantouis tempore relictæ, eandem seruant voluptatem, vt diuinæ ac spirituales: nec vllum eis imminet à tempore nocumentũ, sed nouũ quotidie vigorẽ afferunt, cósque qui frui volunt multa implent lætitia. *Chrysostomus hom. 43 in Geneſin.*

Sicut cum magna fercula sumptuosaque apponuntur; præcedens conuiuarum satietas facit, vt aliquid decedat splendori appositorum: & magna nonnunquam nullius videantur momenti, eo quòd conuiuæ absque edendi auiditate aduenerunt. Contra qui susceperunt famelicos & esurientes, licet illis tenuem proponant mensam, splendida tamen apparebit conuiuis, promptè appositа auidè comedentibus: Sic eodem modo & nos benè fiſi vestro spirituali appetitu, non grauamur pauperẽ & vilem hanc mẽsam vestræ charitati continuè apponere. *Ibidem hom. 45.*

Quemadmodum fauilla cum in arida ligna inciderit, in flammam ipsa conuertit, quæ vi sua deinde vel viridia ligna facilè incendit: Ita & prædicatio. *Idem hom. 47 in Mat.*

Nonnulli non verentur tam negligenter in dei concionem ingredi. Quod si cytharœdus vel saltator, vel mimus aliquis ad scenam aduocaret ciuitatem, omnes frequenter concurrerent, & admoniti gratias haberent, in quo spectaculo diei dimidium consumunt, nulli alij negotio vacantes: Deo autem nos per prophetas & Apostolos alloquente, oscitamus, desidemus, hallucinamur, & plurimum fastidimus, quare in forum ingredimur. In hyeme verò cum pluuia & lutũ impediat, domi sedemus: aut in theatris siue tecto, quo à pluuia defendamur. Maxima pars imbre, vento, frigore, lutõ, viæ longitudine contempta insani perstiterunt, nulla eas causa domi continet, nulla quin ad spectacula frequentes confluant, prohibet: Huc sub tectum sine frigoris aut pluuiæ iniuria, ad animæ suæ salutem nemo ea alacritate concurrit, Sunt ne hæc tolleranda? Ideò in illis apprimè edocti, in necessariis quàm pueruli imperitiores sumus. Quod si te aut aurigam aut saltatorem vocaret, contumeliam id duceres, eamque pro viribus propulsares: ire autem ad eorum spectacula non recusas, & cuius artis nomen fugis, eam

fere omnem prosequeris : cuius autem & nomen & res, hoc est, esse & vocari Christianus profiteris, quidnam sit non intelligis, *Idem hom. 50. in Ioannem.*

Sicut sæpe multi ex prato recedentes, rosam vel violam vel quempiam talium florum capiunt, & digitis circumferentes recedunt: alij verò ex viridario domum abeuntes, arborum ramos fructus habentes reportant : alij rursum a lautis cænis, mensæ reliquias necessarijs suis referunt: Sic & tu ex concione recedens, admonitionem reporta filiis, vxori, necessariis omnibus. *Idem hom. 6. ad populum. Antiochenum.*

Nihil prosit offerre pabula recusanti, & potum porrigere minimè sitienti, cum id quod offeras, non tam libenter hauriat, quàm fastidiosè velut turbulentum reddat: atque ita sit, vt & poculum sinceritatis vitietur, & causas delicti fastidiosus peccator inueniat : Sic charitati vestræ ingerere dominici poculi predicationem, fortè superfluum est, cum id anima vestra clausis visceribus, non tam sitienter hauriat, quàm dissimulanter infundat. *Ambrosius sermone 80.*

vide concionator, verbum dei, verbi dei auditor.

CONCIONATOR.

QVIN & inanima vocem reddentia, siue tibia siue cythara, nisi distinctionem soni dederint, quomodo cognoscetur quod tibia canitur, aut cythara ? Etenim si incertam vocem tuba dederit, quis apparabitur ad bellum ? Sic & vos per linguam, nisi significantem sermonem dederitis, quomodo intelligetur quod dicitur? *Eritis enim aerem loquentes, 1. Cor. 14.*

Respondit petrus, Si propter te qui ad contradicendum tantummodo venis, rogarer de his dicere, nunquam à me vnum saltem posses audire sermonem. Sed quoniam necesse est, agricolam qui vult bonam terram seminare, nonnulla semina perdere, etiam in his petrosis, aut in his quæ ab hominibus conculcanda sunt vel in dumosis, ac repletis sentibus locis, sicut & magister noster exposuit, diuersitatem propositi

vniuscuiusque animæ per hæc inditant, non morabor. *Clemens Rom. lib. 3. recognitionum.*

Sicut pontifices cum offerebant, necessarijs eis erat prouidendum, ne macula ineſſet hoſtiæ, ne vituperationis vitium, vt poſſet accepta Deo eſſe & grata: Ita & qui Euangelium ſanctificat, & verbum dei annunciat, curare omnino debet, ne qua in predicando macula, ne quod in dicendo vitium, ne qua in magiſterio culpa naſcatur. Sed (vt ita dixerim) ſi fieri poteſt, ſemetipſum primò immolet, ſe primum vitiis iugulet, & ſua prius peccato membra mortificet, vt non ſolum doctrina, ſed & vitæ exemplo, diſcipulorum ſalutem, oblationem ſuam acceptam faciat deo. *Origenes lib. 10. in epiſt. ad Rom. cap. 16.*

Verumtamen hoc quoque dictu dignum eſt, non in ſolo auſcultationis verbo regnum Dei conſiſtere, & Apoſtolorum predicationem: veluti ſi quis dicendi peritus apud alios oret: ſed in virtute & efficacia ſpiritus regnum poſitum eſt. Hæc enim Iſraëlitarum filiis euenerunt, qui verſantes aſſiduè ſcripturas, quaſi verò de domino meditarentur, eo quod veritatem ipſam non ſuſceperunt, aliis eandem veritatem tradiderunt: Ita qui ſermones ſpiritales aliis enarrant, cum ipſi verbum cum virtute non poſſideãt aliis tradunt hæreditatem. *Macarius hom. 28.*

Ego fratres cum veſtram ad audiendum alacritatem intueor, meamq́ue ipſius vim ad dicendum expendo exilé & infirmam: ſubit animum ſimilitudo puſionis cuiuſpiam qui per ætatulam aliquouſque promouerit, nondum tamen ablactatus is eſt, ſed matris papillam diuexat ac diſtrahit per ægrotationem prius reſiccatam: cui mater etiã ſi ſciat ſe exiccatos habere lactis fontes, diſtracta tamen & manibus puerilibus vellicata vbera qualiacũque præbet non vt infantem nutriat, ſed potius vt puerilem eiulatum ſedet: Itaque & ſi per diuinam hanc & multiuariam corpuſculi ægrotationem noſtræ exarnerint vericulæ, ex prõptæ nihilominus ſunt ac vobis expoſitæ, non quidem vt digno vos aut pretij vllius edulio lautiore refoueant, ſed verius vt veſtris erga me votis quadantenus ſatiſfiat. Hinc enim eximiæ claritati veſtræ factum ſatis putauero, ſi veſtrum in me deſiderium, dabitur vel voce ſola mitigare poſſe. *Baſilius in pſalm. 59.*

Atqui etiamsi mihi animum more proflueret oratio, sicut verborum fontes essent in ore meo, protinus extantæ multitudinis ad audiendum concursu, metu sisteretur profluuium, & in diuersum fluenta refilirent. Nunc verò cum tantum absimus à fluminum ac fontium copia, vt exiguæ pluuiolæ mediocritatem obtineamus, qui fieri possit, vt me non deficiat tam exiguus fluxus, metu arefactus? idemque eueniat quod in corporibus solet accidere? Quid accidit in corporibus? Multa frequenter quæ manu tenemus, quæ digitis stringimus, præ metu nobis excidũt omnia, dissolutis neruis nostris, corporisque vigore remisso, Itidem mihi profecto nunc metus est, ne idem eueniat in animo nostro, videlicet, ne quæ multo cum labore excogitauimus, quanquam & hæc sane perquàm exilia paruiq; momenti, præ pauore veniant in obliuionem, & euanescant, abeantque animum nostrum desertum relinquentia. *Chrisostomus Hom. 10. cum presbyter essit designatus.*

Qui thesaurum effodiũt in mundo, licet infinitas capiãt diuitias, non prius absistunt, quàm totum exhauserint: Non enim vt multa tollant, sed nihil relinquant, hæc eos præcipuè cura tenere solet. Si verò circa pecunias insanientes, tanto circa pereuntia, neque permanentia studio funguntur, multomagis hoc nos in diuinis facere thesauris oportet, nec prius retrocedere, quàm totum exhauserimus apparens. Apparens autem dixi, quoniam omnia exhaurire non datur. *Idem Hom. super oratione Annæ.*

Quemadmodum homines vino & potationibus dediti, singulo quoque die simulac surrexerunt, obambulant, curioséque disquirunt, vbi compotationes agãtur, vbi conuiuia, vbi cœnæ, vbi comessationes, vbi temulentia, phialæ, crateres & pocula: Sic & vos quotidie simulac surrexeritis curiosè perquiratis, vbinam futura sit exhortatio, vbi salubris admonitio, vbi doctrina, vbi sermo, ad sermonem Christi conducens. *Idem oratione 2. aduersus Iudeos.*

Bestiæ donec in syluis pascunt, & ab hominibus negliguntur, mitiores sunt minusque sæuæ. Verùm vbi venatores eas captas in ciuitates adduxerint, easque inclusas extimularint, vt pugnẽt cum his qui bestiis obiiciuntur, protinus irruentes, vbi carnem degustauerunt, & sanguinem humanum biberunt, postea non facile abstinent à talibus

epulis, sed multa cum auiditate ad eandē decurrunt mensam. Hoc sanè & nobis vsuuenit. quoniam nunc cum Iudæis pugnam susceepimus, & impetu aduersus illorum impudentes contradictiones facto, rationes illorum subuertimus, omnémque celsitudinem erigentem se aduersus cognitionem Dei, & cogitationes captiuas, duximus ad parendum Christo, maior etiam nos cepit aduersus illos bellandi cupiditas. Videtis mihi vocem factam imbecilliorem, idémque mihi nunc accidere, quasi siquis miles conciſis aliquot ex hostibus, magnóque animo impressione facta, in hostium condensatam aciem pluribus prostratis, mox fracto gladio conseruatus ad suos sese referat. Quin potius quod nobis accidit periculosius est. Nam militi qui fregit gladium licet ab alio quopiam astantium ensem eripere, suúmque animum exerere, multámque strenuitatem ostendere. Cæterum si vox laboret, non licet ab alio vocem mutuo sumere. Quid igitur? effugiemus & nos? At non permittit hoc vestræ charitatis tyrannis ac violentia. *Idem oratione 3. aduersus Iudæos.*

Quod si post nostram etiam admonitionem in iisdem vitiis perseuerauerint, nec sic quidem nos desistemus apud vos quod rectum est consulere, quandoquidem & aquarum venæ etiamsi nullus veniat aquatum, manant tamen: & fontes quamuis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt & amnes, etiamsi bibat nemo, nihilominus fluunt: Sic oportet & illum qui concionatur, quamuis nullus auscultet, tamen præstare quicquid in ipso situm est. *Idem concione. 1. de Lazaro.*

Quod si ideo victuri sumus in otio, & ab omnibus actionibus videbitur abstinendum, eo quod semper euenit, vt alicubi frustremur optatis, vniuersa nobis perierit vita, nec spiritalia modo, verumetiam ea quæ ad vitæ præsentis vsum pertinent, simul interierint omnia. Etenim si agricola protinus ab agricolatione resiliat, quod semel atque iterum aut sæpius acciderit aeris inæqualitas, breui fame periremus omnes. Item si nauclerus ob semel atque iterum aut sæpius obortam tempestatem fugiat mare, futurum est vt nemo vehatur pelago, atque hinc rursus peribunt nobis omnia vitæ commoda. Quod si per singulas artes percurrens, ista quæ nos facere vis suadeas monéásque, cun-

cta funditus interibunt, terráque carebit ædificiis atque domiciliis. Itaque cum hæc omnia sciant, etiamsi semel atque iterum aut sæpius frustrati fuerint optato negotiorum, in quibus versantur, exitu, denuò pari cum alacritate redeunt ad eadem. Nam & ruricola, vbi semel atque iterum ac sæpius semen aruo commisit, nec votis respondet prouentus, rursus eandem exerceat segetem, neque raro fit, vt totius temporis iacturam vno sarciat anno. Sic & negotiator, quanquam crebrò fecit naufragium, non tamen absti-net à portu, sed & posteà nauim detraxit & nautas conduxit, & pecuniis mutuo datis eadem aggreditur negotia, idque cum nihilomagis nunc sciat quomodo cessurum sit, quam scierat ante. Denique quicunque solent aggredi rem quancumque, ita facere consueuerunt, quemadmodum faciunt agricolator ac negotiator. Et post hæc cum illi tantam adhibeant curam studiúmque circa res ad præsentis vsum vitæ pertinentes, quarum exitus sit incertus: Nos si loquentes non auditi fuerimus, illico desinemus? Et quam obtinebimus veniam? Quid excusationis adferemus? Et tamen illis si non successerit, nullus est qui damnum acceptum leniat. Veluti si mare nauim fluctibus obruerit, nemo medebitur inopiæ naufragi. Si vis imbrium effusa in aurum præfocarit sementé, cogitur agricola vacuis manibus redire domũ. Nostra verò cum loquimur aut exhortamur, non est eadẽ cõditio. Imò si semen per te iactum auditor non receperit, nec obedietiæ fructum retulerit, tu tamẽ cõmunicati consilij mercedem fers à Deo, nec minus accipies præmij non auditus, quam accepturus eras, si ille obtẽperasset. Quod erat in te præstitisti. Cęterùm ad id vt persuadeamus auditorib⁹, nõ sumus obstricti, sed tãtum vt admoneamus. Nostræ quidem partes sunt admonere, illorum verò obtemperare. Et quemadmodum si nos admonendi officio nõ functi fuerimus, etiamsi decẽ millia benefactorũ prodierint, ipsis solis repositum est præmium, ad nos nihil redibit lucri, quandoquidem non dedimus consilium: ita si nobis admonentibus illi non auscultarunt, ad ipsos solos redibit omnis vltio, nobis autem nihil imputabitur, quin potius copiosa merces nobis veniet à Deo, *Ibidem.*

Age igitur & hodie tractemus idẽ argumentũ. quãdoquidẽ qui in metallis operãtur, vbicũque viderint multas auri

venas, illic fodiunt acrius, nec prius absistunt, quàm totum quod reperiri potuit exhauserint. Redeamus igitur illuc, vbi sermonem heri finiuimus, vt illinc eundem instauremus. *Idem concione 3. de Lazaro.*

Nam & mater amans cum infantem lactentem parat ad solidum cibum adducere, si simul multum meri infundat ori, nihil prodest infanti, refundente puero quod datur, ac tuniculam qua pectus tegitur irrigante. Quod si sensim ac paulatim infundat, puer quod traditum est absque molestia transmittit. Proinde ne vobis idem quod traditum fuerit effluat, non semel vobis instillauimus doctrinæ poculum, sed in dies aliquot partiti sumus, passi vos interim hisce diebus interquiescere ab audiendi labore, quò simul & ea quę deposuimus, sic infigantur animo vestræ charitatis, vt excidere non possint, & ea quæ dicentur, sedatis ac vegetis manibus excipiatis. *Ibidem.*

An non vides fabros ærarios, aurifices, fabros argentarios, denique eos qui quancunque exerceant artem, omnia artis instrumenta habere parata & integra, quāuis cōpellat fames, quamuis affligat inopia, omnia præoptantes sustinere potius quàm vt ex instrumentis artificij quidpiā vendere velint, atque hinc ali. Itaque multi frequēter potius habuerunt ad vsuram accipere, quam vel minimum aliquid ex instrumentis artis oppignerare, idque iure optimo. Norunt enim quod diuenditis illis, ars vniuersa ipsa sit inutilis, totumque quæstus fundamētum sublatum, illis autem manentibus, fieri potest vt contractum æs alienum progressu temporis aliquando dissoluant, iugiter vtentes artificio: Quod si priusquam dissoluerint æs alienū, aliis ea vendāt, iam non est vnde possint solatium aliquod famis inopiæque excogitare. Hoc sane animo nos quoque præditos esse oportet. Quemadmodum enim illis artis instrumenta sunt, malleus, incus, forceps, sic nobis artis instrumenta sunt Apostolorum ac Prophetarum libri, omnisque scriptura diuinitus inspirata & vtilis. Et quemadmodum illi per instrumenta quicquid faciendum susceperint, perficiunt: Ita sanè & nos per hos fabricamur, & animam nostram deprauatam corrigimus, & inueteratam renouamus. Atque illi quidem hactenus modo præstant suam artem, vt formam addant rebus, neque enim possunt materiam

materiam vasorum transmutare, neque ex argento aurum reddere, sed harum rerum figuras componunt duntaxat. Tu verò non ita, sed amplius quiddam potes. Nam ligneũ vas acceptum, poteris aliquando reddere aureum, *Ibid.*

Quandoquidem & agricola, posteaquam totius vineæ vindemiam peregerit, non prius desistit, quàm singulos etiam minutos acinos decerpserit. Cum igitur nunc quoque videam sub literis veluti sub foliis latere sensus occultos, age & hos amputemus, pro falce, sermone vtentes. Siquidem vinea post fructus semel à vindemiatore desertos, stat nuda fructu, nihil habens præter folia. Verum spiritualis diuinarum scripturarum vinea non item: sed quamuis quicquid videbatur sustulerimus, tamen adhuc amplius supereſt tollendum. Itaque complures ante nos disseruerunt in hãc parabolam, complures fortassis & post nos disserturi sunt, nemo tamen poterit totas opes eruere. Nam ea est eius opulentiæ natura, quo foderis altius, hoc magis exundant diuini sensus. Fons enim est nunquam deficiens. *Idem concione 4. de Lazaro.*

Conspicio vos multo studio adnitentes, vt ad effectum perducatis quæ heri à nobis dicta sunt, eóque nunc haud grauatè semen doctrinæ iacimus, quod hinc bona spes alit animum nostrum. Nam & agricola, cum non sine labore quidem semina deposuit, sed videt terram feracem segetémque prouentu exuberantem, superiorum laborum obliuiscitur, atque ad reliquum operæ conseruationémque, lucri expectatione excitatur. Verùm hæc agricolatio quanto feracior, quantóque lucrosior est? Nam illa quidem frugum sensibilium copiam adferens, corporibus reponit alimoniam. Hæc verò dum sermonum deponit doctrinam, spiritualiúmque donorum abundantiam adfert, animi diuitias recondit, alimoniam quæ nec consumi, nec vitiari potest, reditus qui neque pereunt, neque corrumpuntur, sed arcana quadam prouidentia conseruantur, quorum vsusfructus mẽte percipitur. *Idem hom. 1. in Isayam. super illis verbis, Vidi Dominum sedentem.*

Etenim de vobis hodiernum sermonem mouere volo, in speciem quidem molestum, cæterum lenem vtilémque veritate. Sic enim & animantes liberorum patres faciũt, non solum ea quę ad breue tempus delectant, verumetiam quæ

molestiam afferunt, filiis adhibent, quæque non statim ostendunt vtilitatem his qui adhortantur, sed quæcunque videntur quidem esse molesta, salutaria tamen sunt, si perficiantur, & hæc multa cura docent, diligentérque flagitant ab eis vt conseruentur. Atque hunc sermonem in longum producimus, ne præsentem laborem frustra insinuamus, ne sustinentes vigiliæ necessitatem inutiliter in puerili certamine versemur, ne voces in aërem dissolutæ, ad detrimentum sonent potius quam ad lucrum. Neque enim negotiator èlonginquo merces importans, vehementem ventorum incursum, vndarúmque exorientium procellas sustinens, frustra & incassum susciperet eiusmodi labores, verum ideo maria plena sunt, & audax est aduersus pericula, locáque locis commutat, maria peragrat totásque noctes ducit insomnes, vt negotiatione ditescat. Quod si non contingat, sed cum lucro etiam sortis iacturam faciat, ne soluere quidem ancoram poterit, nec illa varia perferre discrimina. Hoc itaque scientes, cum decente circumspectione huc accedamus, ne pro peccatorum remissione, etiamsi accessionem peccatis adiunctam domum referamus. *Ibidem.*

Vereor né forte non possim adferre dignum isto vestro desiderio. Sic & mater amans quotiens lactentẽ habet puerum, non potest illi largiter præbere lactis fontem, attamen quanquam lacte caret, mammam tamen dat. Ille vero acceptam trahit, sugitque ore vexatam papillam calfaciens, plúsquam erat elicit alimenti, mater verò dolet quidem dum ipsius distenduntur vbera, nec tamen repellit puerum, mater enim est, & omnia præoptat perpeti potius quam vt partum suum contristet. Itaque si matres erga fœtus tanta charitate afficiuntur, multomagis oportet nos erga vestram charitatem similiter affectos esse. Nam spiritus nixus calidiores vehementioréque sunt, quam naturæ. *Idem hom. 1. in eadem verba.*

Imò potius iam silendum est, eo quod necesse sit in immensum historiarum pelagus orationem soluere. Qui vero per tale mare sunt iter facturi, necesse est non fatigatis, sed integris remigibus viam capessant. Nam hanc ob causam passim per mare portus insulæque positæ sunt, vt gubernator & vector refocillentur, hic quidem remo depo-

sito, ille verò exurgens á clauo. His de causis diuersoria & cauponæ vbique per vias excogitatæ sunt, vt iumenta simul cũ viatoribus á labore recreentur. Eóque & doctrinæ sermoni, silentij tempus præfinitum est, vt neque nos ipsos deterreamus, verborum multitudine, neque vos delassemus. *Ibidem.*

Sicut matres faciunt, quãdo in gremium pueri poma, vel secundarum mensarum tale aliquid mittuntur, sinus eius vndique zona constringunt, & securos faciũt: Ita & nos faciamus sermonem prolixiorem in arctum contrahentes & in memoriæ promptuario deponẽtes. *Idem sermone in Oziam.*

Quemadmodũ agricola vbertim seminat, sicubi viderit agrum repurgatum, & ab herbarum nocumentis liberũ: ita & concionator spirituale aruum videns, sublatis iis quæ impediunt, semen verbi Dei faciat, *Idem hom. 2. in Genesin.*

Medici primùm inponũt cataplasmata magis efficacia, & dein rupto vulnere, ea quæ leniũt. Sicut patres filios suos videntes incompositis moribꝰ, prius verberibus corripiũt, deinde admonent & solantur: Ita & concionator post increpationem consoletur auditores. *Idem hom. 7. in Genesin.*

Sic messores falces acuũt, aream parant, boues nutriunt, &c. Sic fere omnes artifices prius apparatum faciũt eorum, quæ rei gerendæ tempus exquirit, vt facile conficiant peragenda: Sic & concionator, *Ibidem.*

Nemo prudens arguerit medicum, qui suum egit officium: Ita concionator medicamentum ex spirituali doctrina confectum imponit: auditorum posthac erit curam adhibere, vt emendentur. *Idem hom. 13. in Genesin.*

Vt siquis puerum suum quotidie in ludum ire videns, & nihil lucri facientem, multo tẽpore impatienter ferret. Ita & concionator, auditores spirituales habẽs filios in schola Dei qua conueniunt, si non profecerint. Si autem magister pueri egisset quod est sui officij, ignauia autem pueri esset causa omnium, nónne omnem culpam in puerum transferres? *Ibidem.*

Quemadmodum si agricola crassum & pinguem agrum inueniat, nihil sui officij intermittit, sulcos secat, aratrũ ducit, sentes excindit, largiter seminat, spe pascitur quotidie agri fertilitatem considerans, sementis geminæ sementé & messem expectat: ita & similiter concionatores, cũ viderint

alacritatem auditorum increscere, desiderium vigere, & ipsi quoque maiori studio & promptitudine, quantum vires suppetūt, in ædificationem auditorum, & gloriam Dei aliquid adferre debent. *Idem hom.* 13. & 31 *in Genesin.*

Ægrotos ferunt medici calcibus ferientes, incessentes contumeliis & conuitiis, nec offenduntur, quia nihil aliud quam salutem hominis ægroti quærentes, licet facientis indecora (quoniam sæpè lacerant medicorum vestes) nec ideo à cura desistunt, Sic concionator licet mala perpetiatur ab auditoribus, &c. *Ibidem.*

Sicut absurdissimum est, si de puellis nostris quotidie à scholis redeuntibus petentes, quid amplius discendo profecerint (non enim sineremus eos fortuito, & absque vtilitate in ludum ire nisi fructum inde consecuturos videremus.) Quid nos qui iustam ætatem habemus, in scholis spiritualibus sumus, nisi nihil lucri ceperimus animarum? *Idem, hom.* 32.

Quemadmodum pictores modo hos, modo illos colores abrasis prioribus imponunt, facturi formosam imaginem, Sic & concionator, nunc de cœlo, nunc de gehenna disserit, *Ibidem.*

Sicut medici, qui non vno curationis modo vtuntur, sed cum viderint in primis remediis non esse depressum morbum, alia atque alia rursus excogitant, ita multis medendi generibus vtatur animarum medicus *Ibidem.*

Sicuti moris est medicorum, quamuis vident morbos esse grauiores, quam vt arte curari possint, non omittunt tamen officium suum: sed omnem artem suam proferunt, an fortè possint ægrum vel longo tempore reparare, vt si tamen nihil profecerint, maiorem habeant excusationem: itidem concionator nihil prætermittit quod sui officij est. *Idem hom.* 43.

Nemo profecto gentilis esset, si nos vt oportet, Christiani esse curaremus: si Dei monitis ac scitis obtēperaremus: si iniurias perpessi, vicem non referremus: si maledictis lacessiti, benediceremus: si pro malis bona redderemus Nemo ita esset fera belua, vt non statim ad veræ religionis cultum accurreret, si videret hæc ab omnibus fieri. Atque vt discas ita esse, vnus profectò erat Paulus, & tam multos ad Dei attraxit notitiam. Si omnes essemus huiusmodi, quot

terrarum orbes attrahere & ipsi possemus? Etenim plures Christiani quam gentiles sunt. Nempè in reliquis artibus centum simul pueros vnus docere sufficeret. Hic autē cum plurimi magistri sint, atque ideò discipuli lōge plures esse deberent, nullus tamen accedit, nullus attrahitur. Quippè discipuli semper doctorum vitam intuentur. At siquidem viderint nos eadem quoque secum appetere, quando illi Christianā religionē poterunt admirari? *Idē ho. 10. in 1. Tim.*

Assiduè in eam pastores consuescunt partem suas oues diuertere, qua gramen altius densiúsque intuentur: atque inde prius non abigunt, quam omne grex contuderit. Hos & ipsi sectantes quartam iam diem hinc ad pœnitētiæ modum hunc pascimus gregem, neque vel hodie digredi paramus: loco enim pabulū & vtilitatis multum inesse video, permultúmque fructum, simul permultámque lętitiam. Nā neq; arborū comę pro pecorum tuguriis factę, meridie per æstum tam oues reficiunt, optabilē atque vtilem exhibētes vmbram, multáq; suadentes cum voluptate, quā sacrarum scripturarū lectio afflictas angore animas, ærūníq; implicatas solatur, explicat, simulq; recreat. *Idē ho. 4. de pœnitentia.*

Agricola cum post multos labores & ærumnas sterilē vidēt agrum, neque digna laboribus mercede respondētem, non pari alacritate illū seminat & colit. Et medicus quoq; videns infirmum suis præceptis non obtemperare, sed vacantem quotidie his, quæ morbū increscere faciunt, sæpenumero in sua illum ægritudine relinquit, vt experiētia ipsa vtatur magistra. Similiter & qui disciplinas pueros docent, videntes illos priora respuere, & abiicere eorum quæ antea docta sunt memoriā, sępe auersantur, sic negligentiā eorū correcturi, & ad maius studiū reducturi. Veruntamen agricola tardus quidē fit, quia videt damnum suum maius fieri, vt pote qui laborem & sumptus ferat, & fructibus destituatur. Medicus autem non immeritò ægrum sępe relinquit: corpus enim est quod curatur, & propter hoc dimittit, vt doloris accessio morbum sentiri faciat, & sic tandē medicinam nō respuat. Magister autē ludi, vtiliter nōnunquam plagis pueros erudit. Verùm nos hodie præcellentes illos omnes, hoc agemus vt paternum erga nostros amorem declaremus, & doceamus si in illa negligentia manserint, eos inde maiorem cōdemnationis causam habituros. Agricola

quidé non pari alacritate seminat, cogitans sumptus hactenus fuisse inutiles: nos autem ab hac cura liberi simus. Nam licet iacto spirituali semine, ob auditorum ignauiam fructum non capiamus, perfecta tamen nobis futura merces. Idem ho. 41. in Genesin.

Agricolæ studiosiores larga terræ semina cõcredũt, quam crassam & pinguem vident: & magnam continuò diligentiam adhibentes, quotidie cõsiderant, num fortè alicubi sit quod segeti nocere, & laborẽ ipsorum quem habuerũt, inutilẽ facere possit. Simili modo & concionatores, spirituale desideriũ auditorũ videntes, operã dant vt quotidie sententias quasdam diuinę scripturę, eorũ menti inserant, quibus detegantur ea quæ spirituali semini nociua esse possint: ne forte nocumẽtis & insidiis eorum, qui præter ecclesiastica placita, suorum capitum figmenta introducere tẽtant, sana doctrina intercipiatur, & turbetur, Idem hom. 9. in Genesin.

Quemadmodũ pictores modo hos, modo illos colores, abrasis prioribus imponũt, facturi formosam imaginẽ: Sic concionatorẽ nunc de cœlo, nũc de inferno, nec semel sed iterum atque iterũm dicere oportet. Idem hom. 31. in Matthæũ.

Sicut qui retia iactat in aquam, nescit quos pisces cõprehensurus est, sed quos Deus illi transmiserit, illi intrãt in retia: Sic & doctor quãdo diuini sermonis retia sup populũ iactat, nescit qui sunt accessuri ad Deũ, sed quoscũq; Deus excitauerit, illi adhærent doctrinæ, Idẽ ho. 7. operis imperfecti.

Omnis artifex secundum professionem suam opportunitatem operis videns, gaudet. Carpentarius si viderit arborem bonam, concupiscit præscindere eam ad opus sui artificij. Agricola si viderit terram pinguem desiderat eam arare. Et quid dico de rationabilibus hominibus? Ipse irrationalis equus de stabulo exiliens, si viderit campos patentes, rapit frenum & excitatur ad cursum: Sic & Dominus videns magnam congregationem populi, excitatus est ad docẽdum: Sic & omnis sacerdos, si viderit ecclesiam plenam, gaudet animus eius, & delectatur vt doceat. Idem hom. 9. operis imperf.

Sicut gaudet medicus, quando eũ multitudo ægrotãtium persequitur. Sicut lætatur rex, quando eum magni exercitus manus armata circundat? Sic exultat sacerdos, quando eum audientium populus magnus circundat, Idem hom. 31.

Testimonium studiosi agricolæ est messis fœcunda, assi-

dui autem doctoris documentū ecclesia plena. *Idem, Ho. 36.*

Non eadem conditione qua agricolæ verbi diuini sunt præceptores. Si quidē illi post annuos sudores, miserāq́ue & laboriosam vitam, si quando terra operis in se impensis non respondeat, alius eius nemo damnum instaurare potest, sed pudibundus ac tristis, domum ab area ad vxorem liberósque reuertens, à quo longi laboris mercedem petat, habet neminem: At in nobis huiusmodi nihil vsuuenit, sed culta licet terra fructum nō afferat, dominus bona nos spe dimissos non frustratur secundum suum quēque laborē, non secundum euentum remunerans. Si forte, ait, audiant, animam tuam predicans liberasti, etiamsi nemo attendat. *Idem, Hom. 12. in Ionnem.*

Dictorum repetitio doctrinam in animabus bene stabilit. Sicut lanas quæ subinde in tincturas immerguntur, crebra tinctio profundi⁹ operationem recipere fecit: ita opus est vt animæ nostræ continuò in diuinos sermones intingantur, vt abluamur à veteri oprobrio induamur autē nouam pulchritudinem. Enim verò lanæ illæ cum tinguntur, naturæ suæ nomen amittunt, & tincturæ nomen accipiunt. Et non vltra vocas lanam, sed purpuram vel coccinum. *Idem. Hom. de fide, & lege naturæ.*

Nostis & vos quod ne vna quidem ecclesia, mihi communicauerit in ratione dandi & accipiendi, nisi vos soli. Communicarunt in ratione dandi carnalia & accipiendi speritalia. Quemadmodū namque vendentes & ementes communicant alternis quæ alius alij vicissim rependit (hoc enim est communicatio) ita & hic. non est enim mercatura ista & negociatione quicquam lucrosius: nam fit quidem in terra, consummatur vero in cœlo. *Idem. Hom. 15. ad Philippen.*

Si cum medici corporum, charos nostros desperauerint, eos tamen oramus, ne curare omittant: sed vsque ad extremam respirationem omnem artis adhibeant diligentiā: nō multomagis eadem in nobis vtemur diligentia? Fortassis enim postquam ad ipsas inferni ianuas, ipsaque nequitiæ peruenerit limina, respiscere quis poterit & recreari, & conualescere atque capessere æternā vitā. Quā multi enim cū sæpius spiritale auditoriū frequentarent, nullūque eorū quæ dicerentur perciperent sensum, repente vnico doctoris verbo conuersi sunt? imo non vnico illo. Et si enim

nullum præteriti ſtudij perceperant ſenſum, luctati tamen ſunt fructúmque ſuæ perſeuerantiæ repente oſtenderunt. Nam ſicuti arbor cum plures ictus acceperit, & vno poſtmodum repente corruerit, non vni illi tantum ſed cæteris pariter imputatur quod ille animaduertit qui radicem intuetur. Qui enim ex alto conſpicit, nihil tale valet conſpicari: ita & hic. Et medici ſæpe plurimi, cum plurima medicamenta ægroto obtuliſſent, nihil profecerunt, cum demũ repente quiſpiam accedens totum perfecerit, non eſt tantum munus illius, qui poſtremus acceſſit, verum illorum etiam qui remedia priores morbo adhibuerunt: ita ſi quis poſt diutinam multorum admonitionem, de repente ad nouiſſimi vnius cuiuſpiam correptionem reſipiſcat, non poſtremo, ſed prioribus acceptum referendum eſt. *Idem Hom. 5. in 2. Timoth.*

Cantauimus vobis & non ſaltaſtis. Id eſt annunciauimus vobis regni cœleſtis gaudium, & minimè corda veſtra motu quodam alacritatis exultant. *Lamentauimus vobis, & non planxiſtis.* Id eſt, predicauimus vobis triſte iudicium, & ſenſus veſtri ad pœnitentiam in lachrymas non prorumpunt. Sicut enim corporaliter qui ſaltat, nunc in aere ſuſpenditur, nunc ad altiora iactatur, nunc alternis ſaltationibus loca diuerſa colluſtrat: Ita & qui ſpiritualiter ſaltat, interueniente fide, modo in aeris ſublimitatem erigitur, modo ad ſyderum cogitationem, ſaltibus paradiſum cœlúmque colluſtrat. Et ſicut qui corporaliter ſaltat volubilitate membrorum ſe exercens, gyrum ſibi ſaltationis acquirit: Ita qui ſpiritualiter ſaltat, fidei alacritate ſemper mouens, gyrum ſibi totius orbis aſſumit. Solent autem homines ſicut mos eſt, in votis ſuis, hoc eſt in nuptiis præcipuè ſaltare vel canere vnde nos habemus votiuas nuptias, in quibus ſaltare vel canere debemus. Qui habet ſponſam, ſponſus eſt, propter has nuptias nos ſaltare conuenit. Si quidem & Dauid rex pariter & propheta, dum multa cecinerit, ante arcã teſtamenti etiam ſaltaſſe dicatur, elatus enim gaudio, in ſaltationem prorupit. Arcam autem quid niſi ſanctam Mariã dixerimus? Siquidem arca intrinſecus portabat teſtamenti tabulas: Maria autem ipſius teſtamenti geſtabat hæredem. Illa intra ſemet legem, hæc euangelium portabat. Arca intus & foris auri nitore radiabat, ſed & ſancta Maria intus

foríſque virginitatis ſplendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro, iſta cœleſti. *Ambroſius ſer. 82. de defectione lunæ.*

Sicut apes de diuinarum ſcripturarum floſculis, ſuauia mella conficiunt, & quicquid ad medicinã pertinet animarum, oris ſui arte componunt: & ſicut apes caſtitatem corporis præferunt, cibum vitę cœleſtis exhibent, aculeũ legis exercẽt, puri ad ſanctificationẽ, ſuaues ad refectionẽ, ſeueri ad vltionẽ. Apibus planè comparandi ſunt, qui velut aluearium quodam, gratiam matris eccleſiæ continent, in qua diuerſorum meritorum cellulas, dulciſſimis predicationibus componentes, de vno ſaluatoris examine, tyrannorũ examina multa producunt. *Idem ſer. 83.*

Sicut malignus ſuaſor peccati, etiamſi non perſuaſerit, merito pœnam deceptoris incurrit: Ita fidelis iuſtitiæ prædicator etiamſi ab omnibus reſpuatur, abſit vt apud Deum ſui officij mercede fraudetur. Res enim certa fit ad incertã. Incertum dico non præmium facientis ſed animum audiẽtis. Incertum eſt nobis vtrum aſſenſurus ſit cui predicatur veritas, ſed certum eſt talibus veritatem predicari oportere, at certum eſt fideliter eam predicantibus retributionem manere, ſiue ſuſcipiatur, ſiue ſpernatur, ſiue etiã propterea quælibet aduerſa patiantur. Dominus non ſuos certos fecit Apoſtolos an eſſent eorum pacem ſuſcepturi, quibus eam predicarent, certos tamen fecit vt eã ſine cunctatione predicarent. *Aug. lib. 1. contra Creſconium, cap. 5.*

Fluuius dum per alueum defluit, ſi valles concauas ex latere contingit, in eas protinus ſui impetus curſum diuertit, cũmque illas ſufficiẽter impleuerit, repente ſe in alueũ refundit: Sic diuini verbi tractator eſſe debet, vt cum de re aliqua diſſerit, ſi fortaſſe iuxta poſitam occaſionem congruæ ædificationis inuenerit, quaſi ad vicinã vallẽ linguæ vndas intorqueat, & cum ſubiectæ inſtructionis campum ſufficiẽter infuderit, ad ſermonis propoſiti alueũ recurrat. *Greg. in præfatione moralium in Iob.*

Gallo ſimilis eſt predicator, qui inter tenebras vitæ præſentis ſtudet venturam lucem predicando quaſi cantando nũciare. Dicit enim, *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Intelligentiam gallus accepit, vt prius nocturni temporis horas diſcutiat, & tunc demum voces excitationis emittat, quia ſanctus predicator in auditoribus ſuis, prius qualita-

tem vitæ considerat, & tunc demum ad audiendum congruam vocem predicationis formatQuasi enim noctis horas discernere, est peccatorum merita diiudicare. Quasi noctis horas discernere, est actionum tenebras, aperta increpationis voce corripere. Gallo intelligentia datur, quia doctori veritatis, virtus discretionis vt noverit quibus, quid, quando, quomodo inferat, diuinitus ministratur, nō enim vna eadémque omnibus exhortatio conuenit. Sepè enim quæ aliis officiūt, aliis prosunt. Plerúnque herbæ quæ hæc animalia reficiunt, alia occidunt, & leuis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Et medicina quæ huic morbum imminuit, alteri vires iungit. Et panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium, formari debet sermo doctorum. Quid sunt intentæ mentes auditorum, nisi quasi quædam in cythara tensiones stratæ chordarum? quas tangendi artifex, vt non sibimetipsis dissimile canticum faciant, pulsat, & idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia vno quidem plectro, sed impulsu feriuntur. Vnde & doctor quisque vt in vna cunctos virtute charitatis ædificet, ex vna doctrina non vna eadémque exhortatione tangere corda audientiū debet. Gallus cum edere cantus parat, prius alas soleter excutit, & semetipsum fierens vigilātiorem reddit: Ita predicatores cum verbum predicationis monent, prius se in sanctis actionibus exercent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce, sed ante se per sublimia facta excutiunt & tunc ad bene agendum alios solicitos reddūt. Prius sua punire fletibus curant, & tunc quæ aliorum sunt puniēda denunciant. Prius alis insonant, quam cantus emittāt, quando antequam verba exhortationis proferant, omne quod locuturi sunt, operibus clamant. *Idem, li.* 30. *Moral. ca.* 5.

Admonendi sunt quos ab officio predicationis imperfectio & ætas prohibet & tamen precipitatio impellit, quod pulli auium si ante pennarū perfectionem volare appetāt, vnde ire in alta cupiunt, inde in ima merguntur, quódque structuris recentibus nec dum solidatis, si tignorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur, quódque conceptas soboles, si priusquam plenè formentur, proferant fœminæ, nequaquam domos, sed tumulos replent. *Idem. 3. parte pastoralis, cap.* 26.

Æthiops in balneũ niger intrat, niger egreditur, balneator nummos accipit: ita concionator si nihil profecerint audilores. *Idem epist.* 101.

Canibus & venatoribus plerunque contingit à bestia quã aggressi erant, desistere & sequi aliam quæ inopinantibus fortè occurret: ita nos ad id quod intermisimus reuersuri. *Bernardus, ser.* 16. *in cantica.*

Vide Doctor, Pastor.

CONFESSIO PECCATORVM.

OMnino in peccatorũ confessione eadem ratio est quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Vt igitur vitia corporis nequaquam quibúsuis temere homines aperiunt, sed his tantummodo, qui rationem qua ea curanda sint, teneant: Eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare: cõsentaneum in modum illi, quod scriptum est, Vos qui firmiores estis, imbecillitates infirmorum portate. Hoc est, tollite diligentia & cura vestra. *Basil. in regulis breuioribus interrogat.* 229.

In humanis iudiciis si quis vel ante accusationem facinus confiteretur, quamuis apud humanum iudicem, sentẽtiam omnino in caput suum accerseret: At misericordis dei & animarum nostrarum medici, tanta bonitas est & clementia, vt si aduersarium, diabolum dico, qui in illo die obfaciem nostram stabit, in hac iam vita priusquam tribunal ingrediamur, peccata confessi, præuerterimus, nostri ipsorũ accusatores facti, in iustorum catalogo numerabimur, nedum à peccatis liberabimur. *Chrysost. Hom.* 10. *in Genesin.*

In externis iudiciis post confessionem confusio & pœna: in diuino, virtus, iustitia, merces & absolutio, idcirco psaltes suspirans istud ipsum, ne quis veritus pœnam post cõfessionem, neget peccata, *Confitemini, ait, Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.* Et propheta, *Dic tu prior iniquitates tuas vt iustificeris.* Quis confunditur confiteri peccata, vt soluat peccata? num propter hoc iubet Deus cõfiteri te, vt hominum more puniat te? Non vt puniat, sed vt ignoscat. *Idem ser. de pœnitentia & confessione, & Hom.* 3. *de Ozia. & Hom.* 7. *in acta apostol.*

Imperatorem dum quæ facta sunt, læsus audierit, tamen timemus omnes & tremimus: Deus verò quotidie contumelias in se factas audit, & nemo conuertitur: & hic cum sit tam clemens & mitis, illi interim peccatum dicere sufficit, & crimen soluitur. In hominibus penitus contrarium. Cum peccatores factum confessi fuerint, tunc magis puniuntur quod & nunc factum est, & adhuc tamen timemus. *Idem hom. tertia ad popu. Antioch.*

Ex alienigenis iudicibus, siquis cui captorum latronum furúmve diceret vt peccata fateretur, & à pœna dimitteretur, omni certè hoc promptitudine susciperet, salutis cupiditate pudorem contemnens. Hic verò non id fit, sed & peccata tamen Deus dimittit: nec ea cogit præsentibus aliis enunciare. id vnum modo exigit vt peccator remissione fruens, domi magnitudinem discat. *Ibidem hom. 21.*

Cum feceritis omnia, dicite vos inutiles, ait dominus. Dic, ne metuas, non ex tuo iudicio fero sententiam. sic & aliàs loquitur, dic tu prior iniquitates tuas vt iustificeris. In mundanis quidem atque forensibus iudiciis, post accusationem & criminum confessionem restat mors: at apud diuinum tribunal post vtramque corona: si tu te ipsum inutilem dixeris, ego te vt vtilem coronabo. *Idem hom. 3. de Osia.*

Sicut infirmus qui ipse venit ad medicum, ex parte iam sanus est: Sic & ipse peccator, qui venit ad sacerdotem & doctrinæ aut pœnitentiæ medicinam quærit, ex parte iam iustus est. *Idem hom. 8. operi imperf.*

Sicut hi qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho grauiter & molestè imminentia, si vomuerint, releuantur: Ita etiam hi qui peccauerunt, si quidem occultant & retinent intrà se peccatum, intrinsecus vrgentur. & propemodum suffocatur a phlegmate vel humore peccati. Si autè ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. *Origenes hom. 2. in psal. 37.*

Si frater tuus vulnus habeat in corpore quod velit occultari, cum timet secari, nonne crudeliter à te fleretur, ac misericorditer indicaretur? Quanto ergò potius debes manifestare crimen, ne deterius putrescat in corde? *Augustinus in regula clericorum.*

Vt quandiu opertum est vulnus, medicationem nullam admittit: Sic & delictum cum fuerit retectum, in lucem conuertitur. Non enim peccatum dixerim, sed peccata patrātem. Nam castigatus cum fuerit delinquens, & acrioribus verbis increpatus, & pœnitudine veniam consequetur: Nonne huius omnes purgatæ sunt, & abolitæ, quas anteà peccatorum mole obduxerat, tenebræ? *Theophylactus in cap 5. ad Ephes.*

Sicut fumus præcedit incendium: Sic flammam fidei & charitatis præcedit peccatorum confessio. *Primasius lib. 4. in Apocalypsin.*

In eadem similitudine natum Ioannem baptistam possumus intelligere: quia sicut per eius prophetiam legis veteris consummatio monstrabatur, & initium noui: Sic veteris consuetudinis malitiam debemus pleniter consummare in nobis per confessionem & pœnitentiam veram, vt incipiamus iterum noui esse, & boni in sanctificatione. *Beda presbyter de verbis Hieremiæ.*

Confessionis sacramentum velut sinus pacatissimus est, in quo hominum conscientiæ religantur, ne à procellis absorbeantur delictorum. Deiecta eriguntur, amissa reparātur, & quicquid munditiæ inundantibus tentationum procellis, aut operante malitia in nauim conscientiæ perfusū est, reiicitur & purgatur. *Laurentius Iustinianus de disciplina & perfectione monastica cap. 19.*

Machabæ. 4. Iudas machabæus dixit: Ecce contriti sunt inimici nostri, ascendamus nunc mundare sancta & renouare. Ita spiritus contritus est de peccatis, cordis compunctione, antequam mundetur per confessionem nostra cōscientia, & per satisfactionem renouetur. *Gulielmus peraldus, in summa virtutum & vitiorum.*

Hæc confessio nunquam est intermittenda. Est enim quædam rationum supputatio, quæ accuratius à nobis exercenda est, quàm à mercatoribus suarum negociationum ratio solet. Meminerimus nos Dei esse villicos, nostræque villicationis exactam reddendam esse rationem. Codex ergo rationum conscribendus est. Hic codex conscientia nostra est. In hac peccata nostra & magna & parua tanquam in libro scribenda sunt, & ea etiam sigillatim recensenda, & tanquam recens admissa defienda. Sic enim

fiet, vt & animæ erogantiam frangamus, & maior cautio, ne in eadem post hæc incidamus, adhibeatur. *Isidorus Clarius oratione. 14. tomo. 1.*

CONSCIENTIA.

CVM perpetratur peccatum, & priusquàm perpetratur & post quàm perpetratum est, acerbus nobis imminet accusator, maximè verò postquàm perpetratum fuerit. Nàm in perpetrando scelere, quoniam voluptate sumus ebrii, non perindè sentimus. Cæterum simul atque commissum est, ceperitque finem, tum demum extincta voluptate amarus pœnitentiæ stimulus succedit, contrà quã accedere solet mulieribus parturientibus. Nam illis antè partum labor est ingens, grauisque nixus, dissecantes eas dolores, post partum verò relaxatio, dolore simul cum infante egrediente. Verùm hîc non item: sed dum parturimus concipimusque corruptos affectus, delectamur, gaudemusque. Cæterùm vbi fuerimus enixi, malum illum puerum peccatum, tùm conspecta fœditate partus, discruciamur grauius, quam mulieres parturientes. *Chrysostomus concione. 4. de Lazaro.*

Pater vbi semel, iterùm ac tertiò deciésve filium increpauerit, si viderit incorrigibilem permanere, desperans abdicat expellit è familia à cognatione resecat, At non eodem modo conscientia, sed licet semel, licet iterùm, licet ter licet millies admonuerit, tuque non obtemperes, monebit iterùm, nec desistet vsque ad supremum halitum siue domi, siue in biuiis, siue in mensa, siue in foro, siue in itinere, frequenter & in somnis, peccatorum nobis simulacra, spectraque repræsentat. *Ibidem.*

CONSCIENTIA BONA.

SIcut in conspectu hominum gratiosa facta est facies pulchra: Sic in oculis Dei speciosa est conscientia mũda. *Chrysostomus Hom. 6. operis imperfecti.*

Sicut qui corporaliter oculos habet acutos, de lõge prospicit venientẽ, an amicus eius est an aduersarius: Sic qui mentem a peccatis habet mundam, de longè considerat, homo Dei est ille qui venit, aut homo Diaboli. *Ibidẽ ho. 24.*

Sicut si breuem scintillam in magnum deieceris profundum, statim extinxeris: Itidem & omnis tristitiæ superabundantia, in bonam missa conscientiam, extinguitur facilè. *Idem hom 25. de via recta.*

Quemadmodum rerum visibilium pulchritudo, sensibilem oculum, Sic mentem quoque puram rerum inuisibilium cognitio ad se pertrahit. *Maximus lib. 1, de charitate.*

Non effunditur sine nubibus pluuia, neque sine bona conscientia Deo placere possibile est. *Marcus eremita, de his qui putant ex operibus iustificari.*

Vt verus amor erga mulierem non desiderat testem, sed sat habet, si clàm ea potiatur: Ita vir sapiens, recti conscientia contentus: At qui fictè amant, ostentant & iactant. *Plutarchus in moralibus.*

Vt nepenthes herba, ab Homero prædicata, addita poculis, omnem conuiuij tristiciam discutit: Ita bona mens insita nobis, omnem vitæ solicitudinem abolet. *Ibidem moralibus.*

Vt loca grauia, etiam firmissimam valetudinem tentant: Ita bonæ quoque menti, necdum adhuc perfectæ, & conualescenti, sunt aliqua parum salubria. *Seneca lib. 1. epistola 28.*

Conscientia verum & solidum & duraturũ reddit testimonium, plurimum in illo Dei iudicio valiturum: vitæ huius magna est magistra: &, quemadmodum scitè ille dixit, murus aheneus, quo & tuti agimus inter innumera vitæ pericula, & securi: nec vllus est tantus terror, qui illum commoueat. est enim mente defixus Deo, illiúque fidit vni, ac ei se nouit peculari esse curæ, cui scit parere vniuersa. *Ludouicus viues introductione ad sapientiam capite vltimo.*

CONSCIENTIA MALA.

VT homines ægri cùm multis febribus aguntur, si in aquas semetipsos frigidas immerserint, ad præsens quidem aliquid videntur sibi quæsisse solatij, multiplicatas verò corpori suo flammas febrium reparant: Ita & nos agimus cùm conscientia stimulamur peccatorum, & in eurypum nos, vel lacus contritos prauæ intelligentiæ præcipitamus. *Chrysostomus lib. 1. de compunctione cordis: & homil. 15. ad Hebræos.*

Sicut qui carcerem habitant, capitis damnati, damnationem operientes & mortem, vel si deliciis abundè fruantur, vitam longè agunt molestiorem, & anxiam: Sic qui improba conscientia molestantur. *Idem Homil. 22. De nequitia depulsa.*

Quemadmodum qui nocte illuni ambulant, tremunt, etiamsi nemo sit qui terreat: Sic & qui peccant, non possunt confidente animo esse, etiamsi nemo sit qui redarguat. *Idem apud Maximum Sermon. 26.*

Ego arbitror, quòd sicut in corpore, escæ abundantia & qualitas vel quantitas cibi contraria, febres generat, & febres diuersi vel modi vel temporis, secundum eam mensuram qua intemperies collecta materiam suggerit, ac fomitem febrium, quæ materiæ qualitas ex diuersa intemperie congregata, causa vel acerbioris morbi vel prolixioris existit: Ita anima cum multitudinē malorum operum, & abundantiam in se congregauerit peccatorum, competenti tempore omnis illa malorum congregatio concitatur ad supplicium, atque inflammatur ad pœnas, cum mens ipsa vel conscientia per diuinam virtutem omnia in memoriam recipiens, quorum in se signa quædam ac formas cum peccaret, expressérat, & singulorum gestorum suorum, quæ vel fœdè ac turpiter gesserat, vel etiā impiè commiserat, historiam quandam scelerum suorum ante oculos suos videbit expositam. Tunc & ipsa conscientia propriis stimulis agitatur atque compungitur, & sui ipsa efficitur accusatrix & testis. Quod ita sensisse etiam apostolum Paulum puto, cum dicit: Inter se inuicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendētibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum per Iesum Christum *Pamphilus Martir In Epistola de Origene.*

Quemadmodum vmbræ corpora: Sic peccata sequuntur animas, & manifestas facinorum repræsentant imagines. *Basilius apud Antonium in Melissa, part. 1. sermon. 16.*

Vermis qui non morietur, & ignis qui non extinguetur à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos: quare vicio suo atque peccato carnerint electorum bono, iuxa illud quod dicitur, Versatus sum in miseria, dum infigitur mihi spina. Et in

Prouerbiis

Prouerbiis: Tinea ossium cor intelligens. Et iterum sub obelo: Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum: sic mœror excruciat cor viri. *Hieronymus in cap. 66. Esaiæ.*

Riuus quà fluit, terram cauat: sic decursus temporaliũ, cõscientiam rodit. Si potest torrens in agros excurrere sine læsione satorum: & tu te posse ista sine mentis vulnere tractare confidis? Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, & innumera Dominici gregis detrimenta nescimus: de precio escarum, & numero panum, cum ministris quotidiana discussio est: rata admodum celebratur collatio cum presbyteris, de peccatis populorum. Cadit asina, & est qui subleuet eam: perit anima, & nemo qui reputet. Sic optimi æstimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam vel nullam de maximis curam gerant. *Bernardus lib. 4. de consideratione, ad Eugenium.*

Quemadmodum vlcus vel vulnus cicatricem relinquit in corpore, doloris indicium: Sic conscientia malefacti, notas facti in animo relinquit. *Plutarchus de animi tranquillitate. meminit Stobæus sermone 22.*

Vt qui vlceribus horrent, morosissimè omnem tactum reformidant ac refugiunt: Sic qui sibi malè conscij sunt, vbique prompta laborant suspicione. *Ibid. in Apophth. 231.*

Quemadmodum in lignis & plantis, siquando exesum videmus, reliquam de cætero repudiamus partem: Sic & in homine cum cor perierit, in cassum est inde reliqua corporis sanitas. Auriga perit, fractus, deiectus est, in vanũ in posterum equi currunt. *Chrisost. hom. 8. de pœnitentia.*

CONSILIVM.

VT Perillus, qui Phalaridi taurum donauit æneum, suo periit inuento: Sic aliquoties malum consilium in caput authoris redundat. *Plinius libr. 34. cap. 8.*

Velut siqui laborat hepatis vitio, medico ostendat vngues exulceratos, ineptè faciat: Ita qui grauibus laborans malis de nugis consulat amicum. *Plutarchus in moralibus.*

Ex omni genere curiositas hominum signa collegit instantis tempestatis: At multòmagis conueniebat hac vt

diligentia in consultationibus, vt obseruatis experimentis coniiciant, quid malorum ex vnoquoque perperam instituto consequatur. *Idem.*

Vt lamiæ domi cæcutientes, foris nihil non vident: Ita quidam in alienis negotiis plus satis oculati, in suis parum prospiciunt. *Idem.*

Si fœmina inter aues saliat fœminam, nascuntur quidem oua, sed ex quibus nihil nascatur: Ita consilium quod animo conceperis, non accedente ratione, friuolum est & inutile. *Idem.*

Vt Apion Homerum ex inferis euocatum, nihil aliud interrogauit, quàm quibus parentibus genitus esset: Sic quidam grauissimorum virorum concilio conuocato, de meris nugis consulunt. *Idem.*

Qualis est ciuitas cuius diruta sunt mœnia: Talis est vir qui non omnia cum consilio agit. *Antonius monachus in Melissa parte prima, sermo.* 11.

CONSVETVDO.

QVemadmodum cibis dulcibus delectamur eos pluris facientes, propter lenitatem voluptatis, nos autem curant & sanant amara, quia sensum exasperant, sed eos qui sunt imbecillo stomacho, confirmat medicamentorum acrimonia: Sic delectat, & iucundo quodam sensu titillat consuetudo: Sed illa quidem, in barathrum deturbat consuetudo, in cœlum ducit veritas, quæ aspera quidem primum est, sed bona puerorum educatrix. Neque vero ea est aditu difficilis, neque eiusmodi, vt sit eam accipere difficile, sed est proximè in domibus nostris, vt dicit Moses, in tribus nostris degens partibus, manibus, ore & corde. *Clemens Alexand. ad gentes.*

Fiat primum pax animæ & cordis cum præcepto Dei, vt aduersus consuetudinem corporis & fragilitatem duo sint victores, præceptum Dei & consensus tuus. Casus talis est: Medicus, ægrotus, & ægritudo. Si iste ægrotus se cum ægritudine dederit, vincitur medicus, efficiuntur duo aduersus vnũ, atque superatur medicus. Si ergo egrotus cũ medico se dederit, vincitur infirmitas. Medicus Christus est, ægro-

ti nos sumus, ægritudinis morbus consuetudo peccati est Iam qui ex parte renunciat seculo, quamuis viuat in seculo, attendat cui debeat adhærere, vtrum morbo an medico. Si medico non inhæserit, laborat medicus. Ideo vobis in seculo euangelium dicit & clamat: *Esto cõsentiens aduersario tuo, dum es cum illo in via.* Non nos docet vt simus consentientes aduersario nostro diabolo, sed docet vt consentientes simus aduersario præcepto diuino quod aduersatur malis nostris & aduersatur consuetudini nostræ, aduersatur iniquitatibus nostris. Cum consentimus aduersario nostro id est præcepto diuino, superatur morbus: si consentimus, facti sumus concordes præcepto Dei, & accipimus quasi iugum dei. *Nouatus catholicus de humilitate & obedientia seruanda.*

Planta nuper insita facilius euellitur, diuturniore autem mora, profundius actis radicibus, multo labore opus est, vt euellatur. Et ædificium nuper compactum facile, tempore autem consolidatum difficile diruitur. Ita fera quæ diutius alicubi moram traxerit, ægre capitur, Sic & bona & mala quàm diutius in nobis immorantur, vehemẽtiora fiunt. Igitur qui nondum vitiis se subdiderunt, his ego ne capiantur suadeo, facilius nanque casum cauere possumus, quam post casum resurgere. *Chrisostomus hom. 11. in 1. Cor. & hom 80. ad popu. Antiochenum.*

Anima quæ semel peccatum gustauit, & neque dolore nec pœnitentia eius tangitur, negligentia sua facit, vt semper morbi crescat accessio. Et quemadmodum in materiam recentem cadens scintilla statim tactam accendit, neque subsistit donec quod reliquum est pascatur, & quanto plura comprehendit flamma, tanto maiores vires ad consumenda alia concipit, capiturque edacitate lignorum quæ consumuntur, si quid reliquum quod & ipsum consumendum, & iterum alia consumi semper fortius se armente incendio. Sic & natura peccati, vbi cogitationes animi inuaserit, & nemo est qui malum extinguat, procedens vlterius peior semper fit magisque ac magis indomita. Et ideo posteriora peccata ferme prioribus sunt grauiora. Accedit ad hæc quod omnia posterioribus peccatis ad maiorẽ semper desipientiam & inconsiderationem vergit, viribusque destituitur. In hunc modum plurimi,

quia priorem flammam non restinxerunt, in omne peccatorum genus incidêre. *Idem contra gentiles & homil. 22. ad ad popu. Antioche.*

Qui diu in vinculis fuerunt, cum soluuntur tamen claudicant adhuc, nec ingredi possunt: Ita diu vitiis assueti, etiam cùm ea deserunt, quædam retinent vestigia. *Plutarchus in moralibus.*

Vt qui thus tundunt, etiamsi purgentur, tamen odorem in multum tempus referunt: Ita animus diu diuersatus in honestis negociis diu seruabit iucundam memoriam: qua fretus contemnet eos, qui vitam vt miserã deplorant. *Ibidẽ.*

Vt liber post lituras iterum infectus non facilè emaculatur quòd altius imbiberit atramentum: Ita animus sæpe in eadem relapsus vitia. *Ibidem.*

Vt mendum quod induruit, ac diutius inhæsit, difficilè tollitur: Ita vitia inueterata nõ facilè corriguntur. *Ibidẽ.*

Scio ego, quòd canes rectè industrieque instituti, si dimittuntur, statim requirunt vestigia: neque si omnes reuocent, illa vnquam relinquunt: neque si multæ vndique voces insonent, multique odores ex fructibus & floribus contexantur, magnaque hominum atque aliorum animalium multitudo appareat, vestigiaque equorum & boum ouiumque, neque tamen vident quicquam horum, neque sentiunt quicquam, sed illis omissis vndique colligunt vestigia, & illa sequuntur, donec inueniant suscitentque leporem, & post hæc instant persequendo per quascunque tandem fugiat regiones, & neque campus, neque via, neque valde aspera, neque hiatus, neque riuus illas prohibet, etiamsi lepus varios quidem cursus faciat, & conetur decipere. Cæterùm canes indoctæ & ineruditæ, quæ tardè sentiunt vestigia, citò autem deficiunt, si quando aliunde acciderit rumor, siue canum latratus, siue hominum viatorum aut pastorum vox, statim ex vestigiis sursum respiciunt, illucque feruntur. Horum autem omnium causa est cõsuetudo. Similiter verò & animum assuefacere oporteret, ne quando exorbitaret, neque recederet ab opere ad officium pertinente. Quod si non fit, difficile est omnia superare & recte quicquam conficere, ne in quiete quidem & solitudinibus. *Dion Oratione. 10. De pulchritudine.*

Iumenta quorum in aspero indurata est vngula, quam-

libet patiuntur viam : in paluſtri paſcuo ſaginatà , citò ſubteruntur : Sic animus duris rebus aſſuetus, minus offenditur. *Seneca.*

Vt in loco peſtilenti quoque qui aſſueuêre , durant: Ita incommoda parum lædunt aſſuetos. *Plinius Lib.18.cap.5.*

Gypſum etiamſi induruit , tamen tundi rurſum , & in farinam reſolui poteſt: Simulatque ſemel induruit adoleſcentis ingenium , refingi non poteſt. *Idem.*

In naſſam facilis illapſus eſt , ſed exitus difficilis : Sic decliue iter in vitia, reditus ad meliorem frugem non perinde facilis. *Idem.*

Vt Mithridati quotidie ſumenti venenum , conſuetudine factum eſt innoxium : Ita mala quibus aſſueueris , non offendunt. *Idem.*

CONVIVIVM.

PLurimi dicunt oportere ſe in conuiuio relaxare, & quæ ſunt ſeria in auroram differre: Ego autem cenſeo, tùnc maximè rationem eſſe in conuiuium adducēdam. Quemadmodum nemo qui ſapit , æquum cenſuerit claudere oculos antequam eat dormitum : Ita nec rationem abeſſe à conuiuio, neque ante res gerendas, eam præſopire recte inſtituerit. *Clemens Alexand. lib.2 pædagogi cap.2.*

Frequenter ſpuere & violentius excreare & emungere in conuiuio vitandum eſt. Conuiuarum enim habenda ratio eſt. non enim ſicut bobus & aſinis commune eſt præſepe & ſterquilinium. *Ibidem cap.7.*

Paulus Æmylius dicebat eiuſdem artis eſſe , & aciem bene inſtruere , & conuiuium exhibere: illam, vt hoſtibus ſit quàm maximè formidabilis: hoc , vt amicis ſit iucundiſſimum. *Plutarchus in Romanorum Apophtegm.*

Qui in eadem vehuntur naui, & in iiſdem militant tentoriis, ſeſe mutuò ferant oportet : Sic qui verſantur in Reſpublica . At in conuiuiis non idem eſt neceſſe : nam illic periculum eſt commune , hîc non itidem. *Ibidem in Moral.*

Venenum dare ſcelus eſt, calix tamen in quo datur reus non eſt. Ita & corpus carnalium operum vas eſt, anima eſt autem , quæ in illo venenum alicuius mali facti t:mpera. *Tertulianus lib.5.aduerſus Martionem.*

Corium pro corio. Sicut hi qui vapulant, corio manus, alterum corporis protegunt corium, ob hoc tantùm vt corpus integrum habeant: Sic (inquit diabolus) & Iob exteriora rei familiaris detrimenta contemnit vniuersa, tantum vt corporis effugiat pœnam. Sic namque & hi qui in mari nauigant, cum periculum passi fuerint, omnia quæ in naui habuerint, contemnunt, atque in mare proijciunt, ob hoc vt ipsi euadant, Sic & quicumque diuitum cum in corporis infirmitatem inciderint, omnem substantiam suam libenter offerunt, tantum vt corporis incolumitatem recipiant Sic (inquit) & Iob omnes diuitias & omnem rem familiarem facile contemnit, tantùm vt dolores non contigant carnes eius. *Origenes lib. 2. in Iob.*

In vnitate censetur punctum, in binario linea, cui additur super ficies. Hæc quominus sit corpus natura solidum, vna destruitur altitudine, qua iuncta ad ternarium fit quaternarius. Vnde multũ existimationis contigit huic numero, qui ab incorporea intelligibilique essentia duxit nos ad considerationem corporis trifariam patentis quod suapte natura primum sensu percipitur. id qui parum intelligit è lusu quodam vulgato cognoscet. Qui nucibus ludunt solent positis prius in plano tribus quartum superimponere, in formam pyramidis. Triangulus igitur ille in plano consistit intra ternarium: cui superimposita quaternarium in numero facit, in figura vero pyramidem, solidum iam corpus. *Philo Iudæus de mundi opificio.*

Sicuti in fidibus, cum aliquid aut interceptum, aut relaxatum est, omnis canendi ratio turbatur & soluitur: Ita si in corpore pars aliqua membrorum duxerit vitium, destrui vniuersa, corruptisque omnibus atque turbatis, occidere sensum eamque mortem vocare. *Lactant. lib. de opifi. cap. 16.*

Sicut vestimentum super homines positum si quis furibũdus scindat, illatorem quidem iniuriæ sentit homo, damnũ autem non patitur in natura: Sic corpus super animam positum, si occidatur ab impiis, anima quidem occisionis eius sentit dolorem, damnum autem suæ naturæ non patitur. *Chrisosto. hom. 25. operis imperfecti.*

Sicut vngues cum summitatem vestiunt digitorum, quã diu præcidentur, dolorẽ faciunt corpori, cũ verò præcisæ

fuerint, nullus sensus corporis inuenitur in eis, sed ex ipsa natura alteræ nouæ procedunt vt nullum videatur natura sustinuisse dispẽdium: Sic corpus donec cæditur, sentit anima, cum autẽ occisum fuerit, nullus sensus aut dolor animæ inuenitur in corpore illo, sed iterum super animam in tempore opportuno, gloriosius illud retexet corpus, vt nullum detrimentum videatur anima perpessa, sed augmentata. *Ibidem.*

Si mutuo accipis bouem vel equum, nonne assiduè operaris opus tuũ in eum? (dicis enim apud te) Hodie aut cras tollendus est à me, quia non est meus. Etiam tu in corpore corruptibili natus, quare non ad vtilitatẽ animæ tuæ vteris temporali corpore tuo, sciens quia post modicum tollendum est à te, quia non est tuum. *Ibidem.*

Quis me liberabit de corpore mortis. Quemadmodum si quis captiuus à barbaris barbarus vocatur, non quod barbarus sit, sed quod ab illis detinetur: sic & corpus mortis dicitur, quod ab ea detentum sit, non quod ipsam procurauerit. *Idem hom. 13. in epist. ad Rom.*

Quæret aliquis quomodo inquit Apostolus, *non in me habitat*, hoc est *in carne mea bonum*? Dicam equidem cum constet hominem ex duobus esse compositum, anima scilicet & corpore, horum sane alterum cæteris dominatur & præsidet, alterum verò, id est, caro, vt serua obsequitur. Non igitur inhabitat in carne quod bonum est, hoc est nõ residet in corporis potestate, sed animæ. Quodcunque itaque destinauerit anima faciendum, & corpus faciat necesse est, neque id secus se habet, quam si dixerit quispiam, non in cythara esse sed in cytharædo, vt pulcher aliquis & concinus edatur sonus, neque id inquiens cytharam ille insimulabit, sed organo illum & cytharę præstare monstrabit, qui hanc ex arte oppulset. *Idem in cap. septimum ad Ro.*

Quis rusticus si forte nobilis & præpotens quispiã apud eũ voluerit hospitari, nõ libenter in angulo domus suæ aut sub gradibus suis, vel potius in ipsis cineribus occupabit, cedẽs hospiti suo locũ, sicut dignũ est potiorẽ. Sic caro quę in regione propria habitabat animæ oculi honestũ prebeat hospitium, neque animæ velit dominari sed eligat subseruire ac etiam multa pati quandoquidem multam ex illa expectat mercedem. Nam si anima imaginem inuenta sit

habere Dei, corpus informabitur & configurabitur corpori claritatis Christi. *Bernardus sermone 6. de aduentu.*

Vide caro.

CRVDELITAS.

SIcut canis insanus saxo percussus, dum percutientem sequi non prævalet, ad ipsum furore conuertitur lapidem, quem pedibus dentibúsque dissipare perquirit: Non aliter Herodes sua præcipitatus iracundia, solitóque suæ insanæ mentis furore, infantium cæde versatus & concitatus est. *Origenes hom. 3. in diuersos.*

Dicit Manes formas esse nos principum, & nos à principibus factos, ipsis verò in edulium obiectos. Verum multa est impietas in talibus verbis: Videmus enim non sic res contingere. Omne enim quod est in terra etiamsi ex improbioribus ac sæuioribus feris sit, non propriam formam inuadit, sed alias, velut verbi gratia, leones non comedunt, ob propriam figuram, & eundem ordinem: sed fame magna premente, feras in montibus, & vbi per longum tempus nihil reperiunt, aut propter niuem aut aliam inopiam, diuersantur in speluncis ac latebris suis leones, vna cum catulis ac leænis. Et non inuadit fera feram, non lupus lupum, nisi forte ad insaniam deueniat animal, & rabie percitum ignoret quod facit. Si itaque lupus lupum non edit propter eiusdem ordinis formam, quomodo possunt principes nos edere, si eiusdem formæ sumus & non magis adblandiantur nobis, quo videantur proprias suas formas amplecti? *Epyphanius hæresi 66. contra Manichæos.*

Sicut bene compacta corpora exercitatione confirmantur, & acquirunt robustam inuictámque habitudinem: Sic ferox & immitis natura, occupata sui similibus studiis, duplo fit durior, inaccessa misericordiæ, qui vnus affectus bonus & humanus est. *Philo. lib. de Ioseph.*

CRVX

VIrga Mosis duplicem gerebat imaginem. Nam hostibus occurrebat vt serpẽs, mordens & enecãs. At Israelitis erat vice baculi, quo nitebantur: Sic etiam verũ lignum crucis, hostium quidem spirituum nequitiæ mors est, animarum verò nostrarum baculus, tuta sedes & vita in qua conquiescunt. *Macarius hom. 47.*

Sicut columna nubis figura noſtræ crucis, Hebræorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Ægyptiis paterétur: Ita crux antè oculos viſa, omnem ſtatim abigit malam voluptatem. Hæc enim eſt ſalus animæ fœdarumque concupiſcentiarum ſalubre antidotum. *Chryſoſtomus ſermone de continentia Ioſeph.*

Sicut botrus multa in ſe grana ligno mediante ſuſpendit: Sic & Chriſtus multos ſibi fideles per lignum crucis tenet adiunctos. *Idem hom. 19. operis imperfecti.*

Grande crucis eſt ſacramentum. Et ſi intelligamus, per hoc ſignum etiam mundus ipſe ſaluatur. Nam cum à nautis ſcinditur mare, prius ab ipſis arbor erigitur, velum diſtenditur, vt cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, & hoc dominico ſecuri ſigno, portum ſalutis petunt, periculum mortis euadunt. Figura enim quædam ſacramenti eſt velum ſuſpenſum in arbore, quaſi Chriſtus ſit exaltatus in cruce: atque ideò confidentia de myſterio veniente, homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota ſuſcipiunt: Sicut autem eccleſia ſine cruce ſtare non poteſt: ita & ſine arbore nauis, nauis infirma eſt: ſtatim enim diabolus inquietat, & illam ventus allidit: At vbi ſignum crucis erigitur, ſtatim & diaboli iniquitas repellitur, & ventorum procella ſopitur. Sed & bonus agricola, cum parat terræ ſolum vertere, & vitæ alimẽta perquirere, non niſi per ſignum crucis id facere conatur. Dum enim arato dentale ſubiicit, afficit aures, ſtiuam inſerit, figuram crucis imitatur: compactio enim ipſa ſimilitudo eſt dominicæ paſſionis. *Ambroſius ſermone 56. de cruce Chriſti.*

CVPIDITAS.

SIcut hi qui dæmone repleti vel mẽte alienati ſunt, non ſentiunt ſi vulnerentur, quia naturalibus ſenſibus carent: Ita & nos vel cupiditatibus ſeculi amentes effecti, vel vitiis inebriati ſentire non poſſumus, quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando conquirimus. *Origenes hom. 8. in numeros.*

Cernitis quod fontes, plumbeis incluſi fiſtulis, cum valde ob anguſtiam vrgentur, & in vnum feruntur, adeò plerúnque aquæ vim exuperant naturalem, vt etiã ad ſuperna

prorumpant, cum assiduo à sequentibus propelluntur: ita etiam si cupiditatem extinxeris, & tota adeò agglutinaberis, in altum eleuaberis, vnde non discedes, vnde non separaberis, tota Christi permanseris, donec sponsum tuum videas Christum, inaccessibilem te seruato, tam sermone quàm opere, vita, cogitatione & motu. Vndique te malignus tentare satagit, omnia speculatur, vbi iaculetur, vbi vulneret, ne quid nudum & plagæ inueniat obnoxium, quanto puriorem videt, tanto magis inquinare contendit, Siquidem splendidæ vestis sordes sunt manifestiores. Ne oculus oculum trahat, ne visus risum, ne consuetudo noctem, ne nox perditionem, quod enim particulatim subtrahitur, & furto surripitur, insensibile ad præsens damnum habet, sed ad summam malitiæ oram. *Greg. Nazianz. in dictum Euangelij.*

Euertendi sunt malorum fontes quibus euersis sublatisque ardentissimum cupiditatis ignem extinguere licebit, ipsiúsque nequitiæ radices ab imo reuellere. Etenim si infœcundæ arboris superiora circunciderís, eadem nouos edente ramusculos, nihil videberis vel radicibus altè tendentibus effeciſſe. Quid autem malorum sit radix edisce ab optimo agricola, qui cum huiusce sit agriculturæ non ignarus, vineæ spirituali & curam impendit, & operam, & terrarum orbis culturam susceipit. Cunctorum enim malorum fontem dixerim pecuniarum cupiditatem. *Chrysost. sermone de malis à nobis euertendis.*

Vt feræ facilè superantur, si demulceas, frænumque iniicias: Sic cupiditates, si rectam rationem adhibeas. *Antonius Monachus.*

Quemadmodum exhalationes, quæ ex terra & lacunis & voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem, & nimbosam vertiginem: Ita etiam carnalium cupiditatum vapores, malam animæ inurũt habitudinem voluptatis, spectra animæ repræsentantes, & ante eam effundentes. Intelligenti itaque luci tenebras offundunt, attrahente anima vapores, qui oriuntur ex cupiditate, ex perpetuitate voluptatum condensante vitiorum vertigines: Aurum è terra non tollitur gleba, sed cocta percolatur: Deinde cum munda fuerit, aurum vocatur. *Clemens Alexandrinus libr. 2. Stromatum.*

Quidam fodiunt, vt ædificent, ac ædificando gaudent: quos postmodum pœnitet operum suorum. Amiticiæ iura tollunt, atque illa in odium vertunt. Proximos expugnant pariter & propinquos. Et harum rerum auaritia auctor est. Et cum nihil differant à ludo puerorum, qui nihil consilio per ætatem agunt, sed quæ sibi iucunda videntur, per cupiditatem tantum sequuntur, à brutis animalibus separantur. Nam animalia bruta, cum suæ cupiditatis satura sunt, pro tempore quiescunt, nec vt plus habeant, quærunt. Nullus vnquam leo humi aurum abscondit. Sitit aper, quò vsque aqua satur sit. Lupus quo ad se expleat, deuorat: sed satur factus, postmodum quiescit. Pardus vltra expectationem, nihil tunc vlterius quærit. Taurus pascendo expletus, à pabulo desistit. At homini vt se expleat, nec dies, nec noctes satis sunt. *Hippocrates, in epistola ad Damagetum.*

Vide Auaritia, Diuitiæ.

CVRIOSITAS.

QVemadmodum terra syluæ data est, & mare fluctibus suis: Sic qui super terram inhabitant, quæ sunt super terram, intelligere solummodo possunt: & qui super cœlos, quæ super altitudinem cœlorum. 4. *Esdr.* 4.

Quin neque Spiritus curiosè scruteris processum, sufficit mihi audire quod filius, quod ex patre, & quod hic sit pater, ille verò filius, & nihil in his curiosè scrutor, ne in vocibus quæ penitus humanam elocutionem superant, mihi accidat quod visui, cum in radios dirigitur solares. Quantum enim quis plus & diligentius videre voluerit, tantò magis sensu læditur, & dum nimium cernere quærit, etiam illo quod plus est priuatur, cum res quæ videre debet, longè etiam visum exuperet, si illam totam videre volueris, & non ita quemadmodum cernere est tutum. *Gregorius Nazianz. in orat. de statu Episcopali.*

Ad hæc quod superuacanea quærunt qui desiderant, vt mortui illinc redeant præter hæc quæ dicta sunt, etiam ab huius vitæ curis demonstrare licet. Gehenna non vi-

est, paucíque sunt fluctus atque profunda: ita in Deo pars maior occulta est, neque inuestigari poterunt opera eius. Hoc ergo solum scito, quod Deus omnia prouidet, quod liberi arbitrij conditi sumus, quod alia quidem operatur, alia vero permittit. *Idem Hom. 8. in 2. Timoth.*

Volucres cœli & pisces maris. Psal. 8. Intuere pisces maris, hoc est curiosos, qui perambulant semitas maris, id est, inquirunt in profundo huius seculi temporalia, quę tanquam semitæ in mari tam cito euanescunt & intereunt, quam rursus aqua confunditur, postquam transeuntibus locum dederit, vel nauibus, vel quibuscunque ambulantibus vel natantibus. *August. in Psal. 8.*

Vt nemo ferret si quis medicus vel Æsculapius vltrò accedens ad alienum morbum, percontaretur num haberet phistulam in ano, aut num mulier haberet cancrum pudēdis: cùm hæc curiositas sit salutifera, quòd inuocatus accederet: Multòmagis eiiciendus curiosus, qui aliena mala nō curat, sed retegit tantum, idque non accersitus. *Plutarchus in moralibus.*

Vt taxatur in comœdiis Cleon, quòd alibi manus haberet, alibi mentem: Ita multis in locis est curiosi hominis animus, nec vna habitat in domo. *Ibidem.*

Vt quidam neglectis pulchris picturis prodigiosas ac monstrosas mirantur imagines, vt trioculos, carētes suris, cynocephalos: Sic curiosi malis alienis delectantur magis quàm honestis. *Ibidem.*

Vt admonuit Socrates cauēdum ab iis eduliis, quæ illicerent ad edendum etiam non esurientes, & à potu qui ad bibendum inuitaret etiam non sitientes: Sic fugienda sunt spectacula, sermonésque qui pelliciunt sui desiderio eos, ad quos nihil attinent. *Ibidem.*

Vt quidam insana libidine, neglectis formosissimis mulieribus quæ prostant, ad inclusam & sumptuosam penetrant, etiam deformem: Sic curiosus contemptis præclaris spectaculis ac fabulis tam multis, alienas scrutatur epistolas, alienas domos, non absque periculo nonnunquam. *Ibidem.*

Vt turpe est ingredi domum alienam, aut introspicere: ita turpius est scrutari, quid alij suæ domi faciant. *Ibidem.*

Vt Simonides Gratiarum scrinium semper inane repérit

mercedis semper plenum: Ita si curiosus post aliquantum tempus suam aperit penum, inutilibus & insuauibus rebus plenam inueniet. *Ibidem.*

Quidā è poetis eligunt deterrima, vt ex Homericis versibus acephalos, & μυοψόρους, tragicos syllogismos, & ab Archilocho obscœnè dicta in mulieres: Sic curiosus pessima & insuauissima è cuiusque vita decerpit. *Ibidem.*

Gallina sæpenumerò pabulo appositō, in angulo scalpēs ac verrens scobem, è stercore & ordei granū vnum depromere mauult: Sic curiosi prætermissis aut interruptis sermonibus innoxiis, si quid malum in cuiusquam familia occultum est, id proferunt in medium. *Ibidem.*

Vt Philippus ex deterrimis hominibus conditam ciuitatem πονηρόπολιν, appellauit: Sic curiosus malis vndique cō gestis, thesaurum quendam inamabilem & inamœnum sibi in memoria construit. *Ibidem.*

Vt Sicyæ quod est in corpore pessimum, attrahunt: Sic quidam suis bonis non fruuntur, sed malis expendēdis discrutiantur: & curiosorum aures, quod est in hominum vita vitiosissimum, id libentissimè audiunt. *Ibidem: & Plin. lib. 32. cap. 1.*

Ciuitates portas habent quasdam nefastas, per quas educuntur nocentes ad supplicium capitis, eiiciuntur purgamenta: nihil autem infertur sacrum aut purum: Sic aures curiosorum non transeunt nisi homicidia, adulteria. *Ibidem.*

Vt vlcus cruentat seipsum, dum scalpitur: Ita curiositas & sua mala studet cognoscere, & dolorem accersit cognoscendi libido siue pruritus. *Ibidem.*

Vt cori optant pecorum prouentum, piscatores piscium: sic curiosus malorum, nouarum rerum commotionem, vt habeat quod venetur. *Ibidem.*

Vide, Dei opera inscrutabilia.

DAMNATVS.

OLim locutus sum, & nunc dico, & postea dicam, quoniam plures sunt qui pereunt quam, qui saluabuntur: Sicut multiplicatur fluctus super guttam. 4. *Esdræ* 9.

Sicut consumitur nubes & pertransit: Sic qui descenderit

ad inferos non ascendet, nec reuertetur vltio in domum suam. *Iob.* 7.

Etenim si cum magistratus in medio foro reum adducit, carnifices adhibet, ac tormentis examinat accusatum, omnes magno studio concurrunt, cupientes audire quid interroget iudex, quid reus respondeat. Multo magis hic diligenter auscultandum est, quid reus nimirum hic dives postulet, quid contra iustus iudex respondeat per Abraham. Non enim patriarcha erat qui iudicabat, quanquam is pronunciabat. Verum quemadmodum in mundanis istis iudiciis, quoties fuerint aliqui rei, puta latrones aut homicidæ, his leges procul à conspectu iudicis occurrentes, non permittunt vt audiant vocem iudicantis, qui præter alia, hoc quoque honore iudicat alios indignos, sed medius quispiam interpres, & iudicis interrogationes & rei responsiones perfert. Hoc sane pacto & tunc factum est: Non Deum pronunciantem, non Deum ipsum loquentem audiuit reus sed medius erat Abraham, qui iudicis vocem ei qui iudicabat retulit. *Chrysost. concione 4. de Lazaro.*

Quemadmodũ cadauerum omnium caro, cibus est vermium: ita animarum damnatarum vita, est mortis esca. *Folengius in Psal. 49.*

Eo sanè modo quo in pratis herba depascitur, quæ non à radice, vbi illius est vita, conuellitur, sed carptim tonsa à pecoribus inciditur: Sic anima in pœnis illis infinitis posita, suæ absque substantiæ consumptione ac iactura, à perpetuo tanquam vulture dilaniatur morsu, sed non absumitur. *Ibidem.*

Vide Infernus.

DAVID.

SIcut enumerari non possunt stellæ cœli, & metiri arenæ maris: Sic multiplicabo semen Dauid serui mei, & Leuitas ministros meos. *Iere.* 33.

Beatus vir qui non abiit. Psal. 1. Sicut dimicaturo cum bestiis, & grauissimorum certaminum pericula subituro, prænunciantur antè brauia, præmia, coronæ: Sic propheta beatitudinem præmisit, vt prouocaret hominem, totam, quã post enumerat, criminum vincere feritatem. *Petrus Chrysol. ser.* 44.

Neque in ira tua corripias me. Non detrectat corripi, sed precatur citra Dei iram corripi. Veluti si quis medico qui paratus sit per ferrum & cauterium & amara remedia auxiliũ ferre, in cura morbi alicuius dicat: Ne quæso per ignẽ, neu per ferrum & incisiones, sed per lenia ac mitiora pharmaca curaueris. Talis enim non medelam abnuit omnino, sed laborem dolorémque remedij detrectat. *Idem in Psal.* 37.

Venit propheta ad prophetam. Quomodo seipsum curare non potuit? Sicut medici quando ægrotant, aliorum medicorum auxilio indigẽt, & infirmitas obliuioni dat artẽ. Ita & Dauid. *Basilius in Psalmum* 50.

Dauid post peccatum non decidit animo, non desperauit, non tantis vulneribus à diabolo percussus, quasi victus humi se resupinũ prostrauit, sed maiora quam accepit intulit vulnera. Ita non aliter factum est, quam cum à barbaro quidam in acie fortis vir demisso telo periculose percussus, ne id semel, sed iterum, atque grauius perpessus, nõ cessarit, sed vndique sanguine perfusus, magno in hostem impetu ruerit, confestímque trucidauerit: Ita Dauid quanto magis saucium dices, tanto maioris illum animi ostendes: qui postquam ita misere depressus fuit atque deiectus, velociter surgere ac ante primã aciem stare, percussorémque ipsum humi sternere potuit: quod quale, quantúmque sit, hi maxime non ignorant, qui in summas peccatorum ærũnas deciderunt. Non enim ita magni excelsíque animi ego iudico, si cum recte vadas, iter tuum fœlici cursu perficias: habes enim dum curris spem optimam, quæ te hortatur, incitat, roborat, ac vires addit. *Chrysost. Hom. 27. in Matheum.*

Nauclerus mille maria præteruectus, multis tempestatibus elapsus, & procellis, naufragio tamen in portu facto, si quidem inde nudus effugerit, lubens nũquam vel mare vel nauigium viderit, latiturus potius & mendicaturus, quam remigatur, aut ad priora redire pericula. At non ita Dauid, naufragus & propemodum submersus non desperauit. *Ibidem.*

DECEPTIO.

A Scintilla vna augetur ignis: & ab homine doloso auge tur sanguis. Homo vero peccator sanguini insidiatur. *Eccli.* 11.

cclesiast. vndecima.

Inuenti sunt in domo mea impij, insidiantes quasi aupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. Sit decipula plena auibus, sic domus eorum plenæ dolo, n ideo magnificati sunt & ditati, succrassati sunt & imnguati, & præterierunt sermones meos pessimè. *Isayæ 5.*

Neque in paruis fidem serues, vt per occasionem maiora pias. Piscatores quidem cum paruis escis demissis, maos pisces hamo capiunt, nemo criminatur qua se aiunt c modo macelli annonæ prospicere, & quotidie mensas truere, talibus copiis. At vilis depositi redditione, fas nõ inescare quenquã, vt ab eo maius auferas, manibus pauporrigens, multis verò magnísque rebus defraudans eũ mo. *Philo. lib. de plantatione Noe.*

Quemadmodum etiam si quis serpentem apprehendat nu, dúmque conatur in alterum proiicere, prorsus ipse rdeatur, aut si quis ignem manu tenens, dum vult hostẽ lere, non intelligat quod ipse prorsus exuritur: Sic malimilitat aduersus eos, qui ipsa vtuntur, magísque lædit à quibus habetur, quàm eos in quos intenditur. *Athaus de passione Domini.*

ibera Domine animam meam à labiis iniquis, & à lingua do-

Hic licet præceptum Euangelicum, *Orate ne intretis in ationem.* Nulla autem dilecte, grauior est tentatio, quã nominem dolosum incidere, is enim est vel quauis fera culentior. Nam ea quidem id quod est, esse cernitur hic em obtento mansuetudinis & probitatis velo sæpè virus ultat, vt neque facilè deprehendi possint insidiæ, & in in as nulla cautione adhibita incidatur. Si autem à fraudu is cauendum, multomagis à peruersis dogmatistis, qui virtute lædunt, & in vitium abducunt. *Cassiod. in Psal.*

elut similax expensa comedetur. Similax planta est hederæ lis perpetuo sursum tendens, subtilibus ramis; quæ pro è astant plantis comprehendens, maximè verò paliuadeò vt illos quidem feriat, ipsa etiam suo tempore at. Huiusmodi erat Babylon, nunquam non ad altiondere volens, vndíque potentiæ suæ retia extinguens, eprimerentur ab ipsa comprehensi, comeditur tandem à Persis & Medis. Atqui circũeuntes mare & aridã vt

vnum proselytum faciant, ac postea ipsum filium gehennæ constituant, similax fuerunt expansa, suffocans sub se comprehensos, ac velut ardua stipula neque susceperunt descendentem pluuiam, neque aquam salientem in vitam æternam. Similaci etiam æquiparantur qui charitatem simulantes, & complectentes per blanditias proximum, ac quæ ad eorum perniciem faciunt meditantes, Absumetur tãdem tális similax ipsa à sese. Alter enim impostor ab altero fraudulentiore capitur. *Theophylactus in Naum. cap. 1.*

Vide Hypocrisis.

DELITIÆ.

ILli instar vermium, in cœno & voraginibus, nempe voluptatis fluentis, volutati, inutilibus & stultis pascuntur delitiis, suilli quidem homines. Sues enim cœno magis delectantur, quam aqua munda, & in congestæ paleæ versari cumulo, & quædam eis insana delectatio, vt ait Democritus. Ne ergo porcis efficiamur similes, sed vt germani filij lucis intueamur lucem, & sursum aspiciamus, ne nos esse adulterinos deprehendat Dominus, sicut sol aquilas. *Clemẽs Alexand. ad gentes.*

Veteres balnea ἀνδροκογναφεια id est fullonicas hominũ officinas, vocarũt, quoniam citius quam par erat, pannosa corpora efficiunt, & ante tempus, cogunt cõsenescere. *Idem lib 3. pedagogi. cap. 9.*

Quemadmodũ acuti vepres vndecúmque capiũtur atque constringuntur, manus cruentant: eodem modo delitiæ pedibus, manibus, capiti, oculis, omnibus similiter membris officiũt: steriles etiam sunt, nullum quemadmodũ vepres fructum producentes, ac multomagis quã cætera penè oĩa hominem conficiũt. Delitiis enim senectus citius surrepit, delitiis sensus obtunduntur, delitiis cogitatio retardatur, citius mens tenebris obducitur, corpus dissoluitur, maior stercoris copĩa reconditur, atque reponitur: ita ex ingenti afflictorum aceruo, nauigio nimiũ oneribus oppresso, crebra contingunt naufragia. Quid enim, respondeo quæso, ita corpus pingue efficere studes? An vt te ad immolandum ducamus, an vt mensæ immolatum apponamus? aues certè pingues ad saniorem diætam inutiles sunt. Adeo mala de-

tiarum lasciuia est, vt irrationabilibus quoque pestifera
t. Nam & volucres saturitate nimia, & sibi & nobis inuti-
es efficiũtur: superfluitates enim indigestæ, ac putredo hu-
idior à pinguedine oriuntur: quæ vero animalia non co-
ioſe aluntur, sed quasi ieiunantia mediocri victu simul &
bore exerceantur, hæc animalia tam sibi sanitatem seruãt,
uam nobis accommodiora sunt. Quare qui his vescũtur,
ni viuunt, qui verò illis pinguioribus ventres voraciter
plent, illis similes efficiuntur, tardi, & ad ægrotandum
tiores facti, & strictiora sibi vincula comparantes. Nihil
rtè ita corpori nostro repugnat & obest, vt satietas. Qua-
amentiam atque stoliditatem ipsorum, inde maximè
iſpiam admirabitur: quia nec ita sibi parcere volũt, sicut
ribus cæteri. Nam qui vina huc illúcque traducunt, no-
nt nimium vtres implere, ne distenti rumpantur: isti ve-
ærumnosum ventrem, nec vtris quidem dignitate condo
nt, sed distentant & replent vsque ad fauces dupliçes.
ryſoſt. Hom. 45 in Matheum.

Quid delitiarum fœditas mali non inducit? sues ex homi
ous facit, imò verò etiã multo maiores Sus enim in luto
luitur, & stercore nutritur: hic verò abhominabilem ma-
: sibi mensam construit, iniquas commixtiones excogi-
s. Hic nullo certè à dæmoniaco discrimine separatur: im
ndens enim & furiosus pariter est. Et dæmoniacum qui-
m miseramur, hunc verò auersamur & odimus, quia spõ
ibi furorem attrahit, & os, oculos, aures, & cætera sim-
citer sensuum instrumenta, amarissimas voluptatis con-
t cloacas. Quod si etiam interiora inspicias, videbis ani-
m eius, seu hyeme ac intentissimo frigore congelatam
rò, atque torpentem vt nulla vtilitas corpori ab ea pos-
fferri. Nihil turpius ebriosa fœmina, quæ huc & illuc
emulentia peruagatur, quanto enim infirmius vasculũ
tantomagis naufragium fit. Bestiis peiores sunt ebriosi.
e enim nihil vltra quam opus est, desiderãt. Quanto me-
asinus ebriosо, quanto canis præstantior? Omnes certè
mantes, quæ rationis expertes sunt, cum bibunt aut co-
dunt vltra quàm satis est, etiamsi mille homines coge-
t, nunquam elabuntur: peiores igitur estis canibus & a-
s, qui inebriamini. *Idem Hom. 58.*

Non ita fluuialium fluctuum vis ripas excedere, &

conuellere solet, vt delitiæ lasciuiáque bonam valetudinẽ, & vires omnes facilè subtrahit. Vt tenuis mensa, bonæ valetudinis: Ita voluptatis mater est crapula, & vt morborum ita fastidij & fons est, & radix. *Idem, Hom. 11. in Ioan.*

Si opus fuerit caminum accendere, deinde diues sericas vestes, & multa & sine fine linteanima subiicit, & sic illum accendit: at pauper ligna de quercu vel pinu: quid amplius habuit hic quam ille? nihil sed & minus. Adhæc nihil prohibet etiam aliter exemplo admonere. Nam si quidem hic ligna iaciat, ille vero corpora adurat, cui camino suauiter assisteres? ei qui à lignis, vel ei qui à corporibus accenditur? Manifestum quod ei qui a lignis. Nam ille quidem secundum naturam flagrat, & dulce spectaculum videntibus est: iste autem nidore, & pedore, & fumo, & ossium maleolentia omnes abiget. Tales sunt diuitum ventres. Nam plus putredinis in illis, quàm in camino illo inueneris, & ventos maleolentes, & fluxus immundos. Inueni & aliam imaginem. Quemadmodum enim in fontibus, vbi multæ herbæ, fœnum stramina, stercus, lapides, lutum, continuæ obturationes fiunt, & deindè superfluit rursum luti voramen: ita & in illorum ventribus contingit. Nam dum ille infrà obstruitur, suprà scaturiunt, plura quàm hæc mala fluenta: sed non ita est cum pauperibus, sed quemadmodum pura flumina profluunt fontes, & hortos irrigant: ita & ventres ab istis superfluitatibus puri sunt. *Idem, Hom. duodecima in 2. Cor.*

Die mihi: si quis in regias vocatus, & per angiportus arctiores, & precipitia ingrederetur, alius verò quisquam abducendus ad mortem per medium forum traheretur: vtrum fœlicem putaremus, vtrum deploraremus? An non eum qui per spatiosam viam incederet? Ita & nunc non putemus fœlices eos qui in delitiis agunt, sed eos qui non delitiantur. Isti ad cœlum eniituntur, illi ad gehennam. *Idem, Hom. 9. in priorem ad Thessalonicenses.*

Vsuens in Delitiis, mortuus est. Ventri enim solũmodo viuit cæteris sensibus mortuus. Neque aspicit quæ aspicienda, neque audit quæ necessariò audire conuenit, neque loquitur quæ loqui oportet. Quemadmodũ mortuꝰ quispiã in lecto iacens, cõplosis palpebris, clausisque luminibus nullũ omnino sensum habet: Ita & hic: imo longè deterius hic quã ille affectus est. Illé enim bona æque atque mala no n

entit: hic autem malorum tantum amittit sensum, nihilque boni penitus sentit. Nihil illum ex his quæ in futura vita seruantur, mouet, sed ad omnia perstat immobilis, atque ita mortuus est, quemadmodum in cuniculum quendam obscurum atque tenebrosum antrũ precipitatus atque immunditia omni plenus, intimis, & opacis vitiorum finibus conditus, semper in tenebris instar mortuorum degit. Iam verò quis possit tempestatem illam ingentem eloqui, quæ ex eiusmodi pernicioso delitiarum vsu in animam & corpus irrumpit? Quemadmodũ enim vasta ac perpetua nubium densitas, radios solis nunquam sinit vim sui fulgoris ostendere, Ita vini ac deliciarum euaporationes, cerebrum non secus quam scopulum nactæ illumque crassa nube tegentes, non permittunt libere vsquam se intendere, verum in tenebris perpetuis detinent eum qui sic miserabiliter iacet affectus. Neque explicari potest omnino quanta tempestate intus iactetur. Quemadmodũ enim sæpe cum inundatio vehementior facta fuerit, aquarumque vis officinarum aditum occupauerit, turbari eos qui intus sunt, cernimus, & discos & amphoras & spongias & alia plurima ad exhauriendum aquam excogitata de terre, vti ne violatis fundamentis atque commotis, omnis posthac supellex inutilis fiat: ita & anima quoties nimiis delitiis oppressa fuerit, pertubatur omnis ratio, cæterum quod iam coactum est, cum exhaurire difficilimũ, quod rursum aliud è vestigio egrediatur, incredibile est quanta perturbatio, quantúsque fluctus immineat. Quãto corpus pinguedine crassitudinéque distenditur, tanto illa tenuatur magis atque imbecillior fit, tanto ità obruitur & sepelitur. Ac sicuti in oculorũ pupilla, siquidẽ interius positas tunicolas crassiores effeceris, cernẽdi vim emittere se nequit, & clarius intueri, cum radius ille oculorum ea pinguedine obtundatur, ac tenebris plena sint omnia; Ita & corpus cum fuerit obesum animam quoque obtusiorem euadere necesse est. At mortui inquies, in pudinem tabémque vertuntur, ingénsque ab eis sanies effluit: Ita & in ea quæ delitiis soluitur, videas quippe fluma, pituita, purgamenta narium ructus ac vomitus extra profluunt. Cum iaceat anima mortua, quid ex eo opo potúque enascitur emolumenti? Neque si cadauer ia-

ceat exanime, pulchra veste contectum, ex eo flore vestis proficiet quid piã: Ita neque anima mortua, venustiori corpore amicta, aliquid ex eo decore lucrabitur. *Idem, Hom. 13. in 1. Timoth.*

Meretricem appello vitam hanc quæ in delitiis & affluẽtia diuitiarum & huius seculi potentia ac voluptate transigitur. Et non solum meretricem eam nomino sed & turpissimam atque obscœnissimam meretricem, cuius facies fœda, aspera, horrida, amara, crudelis, & in hoc maximè est, in quo sine venia habendi sunt cuncti quos decipit. Quod cum tam turpis sit vultus eius & ferus ac tam barbarus & truculentus: multi tamen ab ea capiuntur. Et cum videant apud eam cruenta omnia periculis, mortibus precipitiis plena: cúmque stipari eam cernant sodalibus pessimis, contumeliis dico, opprobriis, liuore, inuidia, insidiis criminationibus, & perniciosissimis curis, metu iugi, tremore frequenti, & mille aliis huiusmodi infaustis consortibus velut anguium corona circundari: fructum verò in illis nullum alium, nisi interitum esse, & perniciem pœnámque perpetuam, expetitur tamen à pluribus, & amabilis habetur atque exoptabilis. Tanta est eorum qui decipiuntur stolliditas, vt cum eos ratio nulla ab interitu reuocet, nec euidentia quidem indesinenter pereuntium exẽpla deterreãt. Non ergo istos solidiores multò quã paruulos iudicẽ, vel negẽ quos puerilis lud⁹, vbi aut circulus voluitur, aut turbo vel trochus verberib⁹ agitatur, & lõgis porticib⁹ per curua spatia rotatur, ita intentos & inhiantes puerilibus annis tenet, vt auelli inde nullatenus possint, ignorãtes penitus per ætatis fragilitatẽ, nihil in illo ludo vtilitatis, nihil perfecti operis haberi. *Idem, Hom. quod nemo lædituri nisi à seipso.*

Vis oculum fortem fieri, fac corpus robustum. Nam & in chordis crassa quidem & immunda ad cantus suauitatem inutilis est: vndíque verò rasa, intensa est, & consonãtissima. Quid animam obruis? Quid parietem facis crassiorem? Quid multum fumum & nebulam, cum vapores tanquam caligo quædã, vndíque reddantur? Si non alius quisquã, saltem te athletæ doceant, quoniam gracilius corpus est fortius, & anima fortior aurigæ similis est & equo. Sed illic vides, sicut in his qui delitiis vacant, & carnosis: sic & equos carne fluentes motus esse difficilis, & multos aurigis

abores præbentes. Optabile est facilem & expeditum agẽ-
em equum brauium accipere : cum autem eum auriga
rahere cogitur , & frequentissimè cadentem stimulans ,
ec ita quidem excitare potest, licet ipse sit valde peritus,
victoria priuabitur . Ne nostram contemnamus animam,
ropter corpus calumniam patientes, verum illam facia-
nus perspiciorem , alas ei leues nectamus , moliora
incula, rationibus eam pascamus. *Idem Hom. 54. ad popu-
um Antiochenum.*

Non tam vehementer fluuialium aquarum cursus ripas
orrodere & submittere solet, sicut delitiæ & luxus omnia
aletudinis nostræ firmamenta facile subruere. Siue nam-
ue medicinalem ingressus fueris officinam , & accedens
nterrogaueris , omnes fere morborum causas illinc inue-
ies esse. *Ibidem hom. quinquagesima quinta.*

uram carnis ne feceritis in concupiscentiis . Sicut siquis in cloa-
am cibos deiiciat, ita quoque qui mittit in ventrem: imo
erò non ita, sed multo peius . Hic namque cloacam nul-
s afficit malis , illic autem & innumeros parit morbos
bidem.

Quæ facit fames, hæc & saturitas facit: imo vero gra-
iora . Nam illa quidem paucis absoluit diebus , & homi-
inem liberat . Hæc autem corpus absumens , & tabe-
ciens , diuturnæ tradit ægritudini, & morti demum atro-
issimæ. *Ibidem.*

Quid mali non operantur delitiæ ? ex hominibus por-
os efficiunt , & porcis deteriores . Porcus enim inuolui-
ur cœno , & stercori pascitur : Hic autem abhominabili
agis vescitur mensa , illiciatos excogitans coitus, & ne-
rios amores, huiusmodi nihil à dæmoniaco differt ; si-
ili namque fertur impudentia , simili que bacchatur fu-
ore: & dæmone quidem pressum saltem miseramur: hunc
item auersamur & odimus. *Ibidem hom. 71.*

Multos dicentes audio , cum tales accidunt turpitudi-
es : Non sit vinum . O ignorantiam . Si verò dicas ne
t vinum , dices & sensim procedens , Ne sit ferrum
ropter homicidas , ne sit nox propter fures , ne sit lux
ropter calumniatores , ne sit mulier propter adulteria, &
nnia penitus tolles. *Ibidem.*

Non æthnæi ignes, non vulcana tellus, non vesenas & olimpus tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ & dapibus inflammatæ. *Hieronimus epist. ad Furiam de viduitate seruanda.*

Vide Gula, voluptas.

DESPERATIO.

GRaue scelus nõ credere spem pœnitentiæ. qui non expectat salutẽ temere peccata accumulat: at qui sperat medicinam, deinceps sibi temperat. Latro enim qui non sperat condonationem, deuenit in contumaciam, qui verò sperat remissionem, persæpe pœnitentiam suscipit. *Cyrillus Ieroſolymit. catechesi. 2.*

Nihil desperatione deterius. Si quis enim desperauerit ob peccata, peccans non iam recurrit ad sanitatem. An non vides medicos, si de salute ægrotantis diffidant, non iam curare? dicunt enim quod mallent infirmitati dare: sed non vlteriorem suscipit morbus curam, artis enim industriam morbi malitia vincit: Hæc dicunt qui de ægroti salute desperant. Si vero sanitas expectatur, omnia faciunt, ægroto salubres afferunt medicinas. Pari modo, si quis peccatis desperando cesserit, quasi non supersit pœnitenti salus, sese maius in malum stimulat. Et tu ergò si noueris peccanti ad ipsam peccati summam, cæde scilicet, & adulterio, medelam accessisse & sanitatem, tametsi millies peccaueris, confessione te excita. *Chrisostomus hom. 6. de pœnitẽtia.*

De nobis ne desperemus. Athleta namque sæpe lapsus, postea victor effectus est: & millies vulneratus & curatus circa finem non vulneratis probatior apparuit. Mercatorum multi ad inopiam redacti, rursum effectisunt diuites: & naufragium passi, rursum post naufragium negociati reuixerunt. *Hom 22. ad pop. Antioch.*

Non est tam graue pugnantem vulnerari, sed post vulnus desperare. Nullus mercator postquàm naufragium fecit, licet mercimonium amiserit, destitit nauigare: sed denuò mare pertransit, & longos pernauigat sinus, & pristinas recuperat diuitias. Frequenter athletas cernimus, post multos lapsus coronatos. Iam verò

miles quoque qui fugit, postea se strenuum exhibet, & hostes superat. Eorum quoque multi qui propter tormentorum pauorem, Christum negauerant, denuò certamen inierunt, & cum martyrij recessêre corona. Quod si prædictorum quisque post primum vulnus desperasset, secùdis potitus præmiis nunquã fuisset. *Ibidẽ Hom. 8. Mima.*

Sicut infirmus donec mediocriter habet aliquam passionem, & sperat se posse curari, seruat se à nociuis escis: si autem intellexerit insanabilem se iam esse, iam non parcit: Sic & homo donec mediocriter peccat, sperat salutem, quantumcunque potest obseruat se à malo: si autem grauiter peccando cœperit desperare, iam nihil dubitat facere, quasi qui iam peccatis suis vincit iudicium Dei. *Idem Math. hom. 40. operis imperf.*

Sicut subducto oleo, minuitur lumen lucernæ: Sic sibi malè conscius, consideratione operum suorum malorum se confundit, & infidelitati suæ addit adhuc diffidentiam. *Ibidem homil. 53.*

Non est pernicioſum in prælio vulnerari, sed post vulnus acceptum desperatione curandi medelam vlceri denegare. Nullus se demergit, naue fluctibus semel mersa, ac totum onus perditum desiit nauigare: sed rursus ad maria, vndusque festinat, rursus immensa peruolat freta, & itemato felicius cursu, casus prioris damna compensat. Sæpe & iam athletas videmus post frequentes lapsus, & detractiones plurimas coronari. Militem quoque scimus post fugas multas, virum fortem fuisse, & vicisse victores. *Idem hom. 11. ad Eutropium.*

Vt qui se subducit malis, non criminationem meretur, sed coronam promeretur: Ita qui violenta morte, seu laqueo, seu aliis modis vitam abrumpit, hunc haudquaquam æquum fuerit in crimen vocari: iuxta vestram sententiam. *Idem in epistolam ad Galatas.*

Sicut impossibile est mortuum incedere. Ita possibile nõ est, eum qui desperauerit, saluari. *Climacus, de discretione cap. 26*

DETRACTIO, CONTVMELIA.

SERPENS qui non edito sibilo mordet, per omnia detractori similis est. *Eccli. 10.*

Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. *Psal.* 57.

Sicut ille qui minime sentientem aut curantem verberat, seipsum lædit, & incommodo afficit, quod nec inimicum plectere, nec animam iramque exatiare se videat, Sic & is qui contumelia in eum qui nequaquam doleat, vtitur, perturbati hominis consolationem inuenire nullo modo poterit. *Basilius hom. de ira.*

Non indoctè docemus neque iniuriis decertamus, quèadmodum accidit multis qui sermone pugnant contra loquentes, paruitatem intellectus, iniuriis quandoque deregũt. Illi enim sermones quèadmodũ & sepiæ attramẽtum contra seipsos expuunt, quo effugiant venantes, aut latitent indagantes. *Gregorius Nazianzenus orat. habita coram* 150. *Episcopis.*

Refugiamus mendacia obtrectationes, maledicta, periuria: Sicut enim sunt virulenti herbarum succi: ita sunt venena verborum. Sicut est languor & lepra corporis: ita prurigo obtrectationum, lepra probatur esse animarum. *Eusebius Emissenus in exhortatione ad plebem.*

Quemadmodum vomitu laborantes, in principio quidem detinere intus egredientes humores nituntur, cum verò fastidio victi succubuerint, magnis singultibus è profundo omnia eructant: Sic qui praua consilia in proximos versant, cum malignitatem mentis ferre nequeant, obtrectationis saniem euomunt. *Chrisostomus hom.* 43. *in Matthei.*

Contumelia non à contumeliantium sententia, sed à patientium affectu constituitur vel destruitur. Quemadmodum si corpus adamantinum haberemus, etsi innumeris vndique telis peruteremur, non tamen vulnera reciperemus: non enim a manu tela torquente, sed à corporibus patientibus vulnera fiunt. *Idem, hom.* 2. *ad populum Antioche.*

Si quis te prætereunte stercus commoueat, hoc facientem num contumelia & conuicio afficias? Hoc fac & circa detractores. Non enim sic commotum stercus, illum fœtorem suscipientem cartilaginem percellit, sicut aliena peccata excussa, & vita impura audientium animos prodita, contristare & pertubare solent. *Ibidem hom.* 3.

Mallem cum homine cœnum edente mensam com-

numicare quàm cum contumelioſo. Non cernitis porcos ercus edentes? Sic & iſti. Quid enim fœdius verbis quæ ontumelioſi loquuntur? *Idem hom.*32.

Quemadmodum ſi infles ſcintillam ignis, excitas incendium, contra verò ſi expuas, extinguis: & vtrumque tibi manu eſt, quoniam vtrumque ex ore tuo proficitur. Idē ſi conuiciis aſperſeris proximum, ſi inflatos ac vecordes geras ſermones, priuſquàm excandeſcat, omnem iram ctinxeris. *Chryſoſtomus Homilia quòd periculoſum ſit adire ſpectacula.*

Sicut ſagitta ſi mittatur contra duram materiam, nonnũ am in mittētē reuertitur, & vulnerat vulnerantem: illud ue completur, *Facti ſunt mihi in arcum prauum*: & alibi, *ui mittit in altum lapidem recidet in caput eius*: ita detractor, m triſtem faciem viderit audientis, imò ne audientis qui em, ſed obturantis aures ſuas, ne audiat iudicium ſanguiis, illicò conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliua ccatur. *Hieronimus ad Ruſticum monachum.*

Falſus rumor citò opprimitur & vita poſterior indicat de riore. Fieri quidem non poteſt, vt abſque morſu homium, vitæ huius curricula quis pertranſeat, malorumue ſolatium eſt bonos carpere, dum peccantium multitudine putant culpam minui peccatorum. Sed taen citò ignis ſtipulæ conquieſcit, & exundans flama deficientibus nutrimentis paulatim emoritur. Si nno præterito fama mentita eſt, aut certè ſi verum xit, ceſſet vitium, ceſſabit rumor. *Idem epiſtola ad uiam.*

Vt Cæcias ventus nubes: Sic improborum vita, in ſe nuicia attrahit. *Antonius monachus ſermone.*53.

Non eo loco res humanæ ſunt, etiamſi ſtatum veſtrum rum noſtris, & vobis tantum ocij ſuperſit, vt in proa meliorum agitare linguam vacet. Hæc vos non inligitis, & alienum fortunæ veſtræ vultum geritis: ſicut urimi, quibus in circo aut theatro deſidentibus, iam neſta domus eſt, nec annunciatum malum. *Seneca de vibeata cap.*18.

Scorpius venenum in cauda gerit, & obliquè ferit: Ita idam in fine virus effundunt ſuum, & diſſimulanter læ-nt. *Plinius libr.*10. *cap.*70.

Vt noctuæ aues inauſpicatæ, noctu gementes (nam hæc illis vox eſt) mortalium quieti inuident: Ita virulenta lingua ſemper aliquid ſpargit, quo concordiam hominum diſturbet. *Idem lib. 11. cap. 25.*

Bonaſus animal, quoniam cornibus inutiliter implexis non poteſt lædere, fugiens ſimum reddit, cuius contactus inſequentes vt ignis aliquis comburit: Ita nonnulli quoniam coram non audent congredi à tergo ſparſis probris contaminant hominem. *Idem lib. 8. cap. 15.*

Vt laſciuia ſimiarum, febrim excutit leoni: Ita inimici conuicium aut contumelia, nonnunquam excuſſa deſidia veternóque, ad honeſti ſtudium nos acuit. *Idem lib. 8. cap. 10.*

Vt culices ad dulcia non aduolant, ſed acria petunt: Ita quidam maledicis & infeſtiuis ſermonibus vehementius delectantur. *Idem lib. 10. cap. 27.*

Leo cunctis formidatum animal, cantum & criſtam galli formidat: Ita ſummi principes infirmorum cõuicia nonnunquam timere coguntur. *Idem lib. 8. cap. 16.*

Vt olympiæ porticus vocem acceptam arte ſepties reddit, vnde heptaphonon oppidani vocant: Ita quoſdam ſi vno tangas conuicio, ſexcẽta regerunt: aut ſi paucis ad loquendum prouoces, garriendi finem non faciunt. *Idem lib. 16. cap. 15.*

Vt amici deteſtantur ſaxum aut canem incurrentem qui eos dirimat: Sic execrari deberent homines caninos, qui maledicentia ſua dirimunt neceſſitudinem, mutuámque beneuolentiam. *Plutarchus in moralibus.*

Vt ille Theſſalum Prometheum volens occidere, gladio diſſecuit tuber, ac ſanauit: Ita ſæpenumerò conuicium per iracundiam dictum ab inimico vitium animi vel ignotum nobis, vel neglectum ſanat. *Ibidem.*

Iaculum ſi in ſolidum aliquid inciderit, nonnunquam in mittentem retorquetur: Ita conuicium in fortem & cõſtantem virum tortum, recidit in conuicium facientem. *Ibidem.*

Abſurdum exiſtimant opprobrare cuipiam corporis vitium, à quo non ſis ipſe immunis: At multo magis ridiculum, animi vitium in alterum coniicere, quod in te recidat. *Ibidem.*

Vt qui luctantur, non abſtergunt ſuum puluerem, ſed ſe mutuò contaminant, vt mutuò cadant: Sic quidam acce

o conuicio, non id purgant, sed obseruant quid vicissim illos possit torqueri. *Ibidem.*

Vt Telephus non respexit hostem, cuius erat hasta, sed lutem quam adferebat: Ita non oportet offendi inimici nuicio, sed si verum admonet, vertēdum est ad vitæ cor-ctionem. *Ibidem.*

Vt si vel inimicus ostendat lutum adhærens vesti, non iicis in illum, sed abstergis: Ita si quis ostendat maculam tæ, non regerendum est conuicium, sed abstergenda la-s. *Ibidem.*

Sicut qui mente præditi sunt, quando hostes vlciſci sta-unt, non id primùm spectant, quid meritò patiatur pro-mus, sed magis quid ipsos facere deceat: Ita & de conui-atoribus sentiendum est, *Polybius lib.* 12. *Historiarum.*

DEVS.

DEI VNITAS, SIMPLICITAS ET PERFECTIO.

Icut ne res quidem militaris, nisi vnum habeat ducem atque rectorem. Quod si in exercitu tot fuerint impera-es & duces, ac rectores, quot cohortes, quot cunei, quot e, primùm nec instrui potest acies, vnoquóque pericu-n recusante, nec regi facile aut temperari, quòd suis opriis consiliis vtantur omnes, quorum diuersitates plus ceant quàm prosint: Sic in hoc naturæ rerum principio, i vnus fuerit, ad quem totius summa cura referatur, v-ersa soluentur & corruent. *Lactantius lib. primo cap.* 3. *& de ira cap.* 2.

Quis dubitet potentissimum esse regem, qui totius orbis beat imperium? neque immeritò, cùm illius sint, quæ ique sunt omnia, cum ad eum solum omnes vndique co e congerantur: At si plures partiantur orbem, minus cer-opum, minus virium singuli habebunt, cùm intra præ-iptam portionem se quisque contineat. Eodem modo si plures sint, minus valebunt, aliis tantundem in se ha-ntibus. *Ibidem.*

Sicut sol qui oritur die, licet sit vnus (vnde solem esse ellatum Cicero vult videri, quòd obscuratis syderibus,

ſolus appareat) tamen quia verum, & perfectę plenitudinis lumen eſt, calore potiſſimo, & fulgore clariſſimo illuſtrat omnia. *Idem lib. 2. cap. 10.*

Quemadmodum quod vnum eſt principium numeri, nihil cõfert ad eius perfectionem (nam & cum non erat principium numeri, perfectum erat, & factum principium numeri, non auctum eſt:) Sic & Deus ante creationem erat perfectus, & poſt creationem non eſt auctus. Nihil igitur eorum quæ ex creatione ſunt, auget Deum. *Iuſtinus martyr, in reſponſionibus ad orthodoxos, reſponſione ad quæſt. 113.*

Cõmunis hic ſol nobis quotidie ſe præbet omnibus, nec magis minúsve irradiat aliũ quàm alium, ſed in omnes ex æquo exercet vim ſuam: attamen ſi quis acutiore viſu polleat, plus eius ſplendoris recipit: non quòd ſol magis in eũ agat quàm in cęteros, ſed propter vim oculorum eximiam. At quiſquis infirmos habet oculos, ne obtueri quidem tantam lucem poterit, propter eorum hebetudinem. Idẽ cogita de ſole iuſtitiæ, cum ſit Deus ex æquo, illũ adeſſe omnibus iuxta ſuam eſſentiam: nos autem quotquot ſumus, vt hebetes & oculis ſcatentes præ peccatorũ ſordibus, ad percipiendum lumen non eſſe idoneos, templum verò illud propriũ oculo puriſſimo ſplendorem totius luminis capere, vtpote formatũ ſancti Spiritus opera, & à peccato prorſus alieniſſimum, Nam ſicut ſol quamuis ſua vi attingat pariter omnia, tamen non ab omnibus ſimiliter capitur: Sic verbum illud iuxta eſſentiam præſens omnibus, non ſimiliter adeſt cæteris, vt templo proprio. *Idem de recta Confeßione, ſiue de Sancta & coeſſentiali Trinitate.*

Hoc Dei tergum eſt, quicquid eum nobis ſuo iudicio refert, vt tamen illius naturam non cõtingat: perinde ac vmbra & in aqua relucens ſolis imago hebetiorib. oculis illum adumbrat: dum illum ipſum præ nimio puriſſimæ lucis fulgore, quo ſenſum facilè exuperat, intueri nequeunt. *Nazianzenus lib. 2. de Theolog.*

Vt equi, vt bouis, vt hominis, breuiter vt vniuſcuiuſque eorũ, quæ ad eandem ſpeciem pertinent, vna quædã eſt ratio: & cuicunq; hæc eadem gratia competit, hoc & propriè inde nomen habet: cui verò non cõuenit, hoc inde aut nullum, aut improprium habet: Ita & Dei eſſentiam, naturam appellationẽq; vnam equidem eſſe, quamuis pro diuerſa

iusdem essentiæ consideratione, nomina quoque diuersa fortiatur: tum quod propriè Deus dicatur, hoc & esse Deū, quod verò fuerit secundum naturam, hoc & verè nominari. *Idem lib. 3. de Theologia.*

In his quæ de Deo dicuntur, hæc maxima est sciētia, ignorationem fateri. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomē eius in idipsum, sed magnus respectu hominū. Cum autē ad Deū respexit, tunc, inquit, ingenuè confitens: Ego sum terra & cinis. Nō dixit terra & tacuit, ne seipsum magnū elementū terram appellare videretur, sed addit cinerem se esse, vt vilitatem, fragilitatē, & imbecillitatē suā ostēderet. Estne autem quicquam cinere leuius aut exilius? Accipe inquit, comparationem cineris ad domū, & domus ad ciuitatem, & ciuitatis ad prouinciā: prouinciæ ad Romanorum imperiū, & imperij Romanorum ad vniuersam terrā, & omnes terminos rursus terræ totius ad circūdās illā cœlū. Cuius tanta est comparatio ad cœlum, quantum est punctum circuli ad circūferentiam totam. Tanta enim est cœli ad terram comparatio. *Cyril. Ierosolymitanus catechesi. 6.*

Sol & Luna typum magni mysterij præ se ferūt. Sol enim Deū quodammodo repræsentat, Luna verò hominē. Vt sol multis quod dicitur parasangis, antecedit Lunā potentia & gloria: Ita Deus plurimùm antecedit hominē. Vt Sol sēper plenus cōspicitur, nec vnquā minuitur: Sic Deus perpetuò perfectus existit, plenus potentia, sapientia immortalitate, & reliquis bonis omnibus. Luna singulis mensibus occumbit, eiusq; potentia emoritur, hominis conditione ostentās, deindè regeneratur, & augetur, ad designandam resurrectionem cūctorum futuram. *Theop. Antioch. lib. 2. ad Autolycū.*

Nō solùm pecore vel aliqua alia re corruptibili atq; terrena, sed ne ipsa quidem iustitia hominum Deū egere credēdū est, totumq; quo rectè colitur Deus hominiprodesse, non Deo. Neque enim fonti se dixerit profuisse quisquā si biberit, aut luci, si viderit. *August. lib. 10. de ciuitate cap. quinto.*

Non sicut ignis naturæ necessitate, aut apes fricant ceras, vel telas araneæ, ita etiam Deus operatur. Sed Deus ideò non natura vel essentia facere dicitur, ne voluntas in eo quasi aliud aliquid demonstretur: & ideo voluntate, quia nihil operari compellitur, sed essentialiter vult, & volūtate subsistit. *Iunilius Africanus, de partibus legis.*

Sicut plus est Deus quàm omnis humana ratio : Sic plus mihi videri debet, quàm ratio, quòd à Deo agi cuncta cognosco. *Salui.anus lib. 3. de iudicio.*

Non intra moles corporeas suprema sapientia inclusa continetur, quemadmodum humidæ & siccæ materiæ intra vasa quidem includuntur, continentur autem potius, quàm repositaria contineant : Sed quæ quidem diuina & inexplicabilis potentia, & quę intra & quæ extra templum sunt, comprehendens continet, & illinc vlterius procedēs, omnes simul moles ac magnitudines continens, coercet ac moderatur. *Eustathius episcopus in oratione habita super illo, Dominus creauit me initium viarum suarum.*

Quod lux est videntibus & visis, hoc Deus est intelligentibus & intellectis. *Thalassius, ad Paulinum presbyterum.*

Vt Deus nobis secundum essentiam est incognitus : ita secundum maiestatem est immensus. *Ibidem.*

Quid enim difficile est Deo penetrare mortem & imum sinum cordis ac inde mortuum Adam reuocare ? Siquidem in præsenti seculo sunt domicilia & ædificia, vbi habitant homines : verum sunt alia vbi bestiæ, leones, dracones, & aliæ bestiæ venenosæ habitant. Si sol igitur cum sit creatura, nihilominus ingreditur quocunque, per animalia illa & feras, in antra leonum, & cauernas reptilium, & ingreditur inde illæsus : quantomagis Deus & Dominus omnium nidos ingredietur, & domicilia vbi mors habitat : penetrabit etiam animas, illinc eripiens Adam, nec tamen vllo modo lædetur à morte ? Pluuia quoque descendens è cœlo peruenire solet ad inferiores partes terræ, vbi exiccatas radices humectat, & renouat, producítque germen nouum. *Macarius hom. 11.*

Quod enim sol est sensibus, hoc intelligētibus est Deus. Hic enim mundum illuminat visibilem, ille verò inuisibilem. & hic quidem visum corporalem illustrat, ille verò naturas intellectuales splēdidas reddit, & quemadmodum hic vidētibus & visibilibus his quidem vt videant, illis autem vt videantur, vbi subministrat, ipséque inter visibilia est pulcherrimus : Ita & Deus intelligentibus & intellectis, his quidem intelligere, illis verò vt intelligantur suppeditat, ac ipse inter intelligibilia est altissimus, in quo omne desiderium consistit, & super quem minimè fertur. Nihil enim

enim sublimius qui habet omnino desiderium, neque mens sapientissima, & indagatrix seu curiosissima, hoc enim ex appetitiuis est nouissimum & nondum in lucem editis totius contemplationis requies. *Greger. Nazianz. oratione funebri in Athanasium.*

Non est aliud aliquid diuina substantia & aliud diuina sapientia: Ecce sunt tres aliqui quorum vnus scientiam aliquam inuenit & docuit: alter ab eodem inuentore didicit, & scripsit: tertius legit, & intellexit. Primus habet à semetipso, secundus à solo primo, tertius tam à primo quam à secundo. Nam ex eo quod primus eam inuenit & alter scripsit, ad tertij notitiam peruenit. Si itaque eadem intelligentiæ veritas plena & integra est in omnibus, nunquid quantum ad essentiæ veritatem, alia scientia est alicuius vnius, & alia alicuius alterius? Si ergo in tribus personis potest esse vna eadémque non multo magis creditur esse, vna eadémque sapientia? *Richardus Victorinus lib. 6. de Trinitate cap. 25.*

Si qui regum laudes decantant, ob hoc tãtummodo magnoperè sibi placent, vt nullus indè alius fructus existat: considera quantæ gloriæ fuerit, si Dominus per nos glorificetur? quemadmodum quãti supplicij, si auctores ipsi fuerimus, vt per nos blasphemetur, ac maiè audiat, quanquam nostra glorificatione non indiget. Quantũ enim esse putas inter Deum & homines discrimẽ? An quantum inter homines & lumbricos? Num velles ipse à lumbricis gloriam capere magnam ac splendidam? Nequaquã. Ergò si tutè gloriæ sitiens, hoc nolles: qui hoc affectu vacat, quo tandem pacto gloriæ à te manantis indiguerit. *Chrysostomus hom. 8. in epist. ad Romanos.*

DEVS INVISIBILIS ET INCOMPREHENSIBILIS.

QVid voce clarius? aut quid vento fortius? aut odore violentius? Hæc tamen cum per aërem feruntur, ad sensusque nostros veniunt, & eos potentia sua impellunt, non cernuntur acie luminum, sed aliis corporis partibus sentiũtur: Similiter Deus non aspectu nobis, alióve fragili sensu, comprehendendus est, sed mentis oculis intuen-

dus, cum opera eius præclara atque miranda videamus. *Lactantius lib. 7. cap. primo.*

Sed dixerit aliquis, Si incomprehensibilis est diuina substantia, cur tu de his disseris? Nunquid igitur quia totum fluuium ebibere nequeo, id quod mihi commodum est, sub mensura non hauriam? Nunquid cum solem oculis comprehendere nequeam etiam lucis illius vsum quātum sufficit, non aspiciam? Etsi in hortum magnum ingressus fuero, & omne genus fructuum comedere non potuero, visne vt inde exeam? *Cyrillus Ierosolymitanus catechesi. 6.*

Deum nemo vidit vnquam Ioan. 1. Quid igitur dicimus, cum Euangelium dicat, Deum neminem vidisse vnquam, Prophetæ verò & Apostoli, atque ipse adeò Dominus, id asserant? Absit: sed videbant Prophetæ & Apostoli, & verum est: videbant autem prout poterant ipsi, & sicut licebat, & visus est ipsis, sicut licuit. Et quòd quidem inuisibilis est Deus, ac incomprehensibilis, hoc manifestum est & confessum. Sicut enim si quis per tenuissimum foramen cœlum conspicaretur & diceret, video cœlum: & sanè non mentitur talis, videt enim cœlum re vera, dicit autem ad ipsum aliquis, Non vidisti cœlum: & sanè neque hic mentitur. Qui enim dicit se vidisse, non mentitur, qui dicit ad ipsum quod non viderit, idem verè dicit. Neque enim vidit extensionem neque latitudinem. Et qui quidem vidit, verum dixit: Qui verò contradixit non vidisse, non mentitus est. Sæpe enim & in summitate mōtis stantes videmus ipsum mare, & si dicamus vidisse nos mare, non mētimur. Si verò quis contradicat ac dicat, Non vidistis: ipse non mentitur. Vbi enim penetrat latitudinem, vbi longitudinem, vbi profunditatem, vbi sint secessus profunditatis, & termini ac affectus, homo scire non potest. Si itaque creaturarum res sic se habet apud nos quantòmagis id cōtigit in gratia quam largitus est Prophetis & Apostolis? Viderunt igitur quod est re vera & non viderunt. Sed viderunt sicut natura potuit ferre & hoc secundum gratiam potentiæ, qua potens ille ipsum potentem fecit in omnibus. *Epyphanius hæresi 70 contra Audianos.*

Vt qui belle fabricatam cytharam eiusque concinnitatem compositionémque miratur, aut concentum audit, nihil aliud quàm ipsius cytharæ vel artificem vel moderato-

rem cytharedum animo concipit, eóque tota cogitatione conuertitur, etiamsi oculis fortassis eum non cernat: Ita & nobis seipsum prodit illud, quod & facit omnia, & facta mouet atque conseruat: cùm interim quid illud tandem sit, mentis nostræ angustiis nequeat cõprehendi. *Gregor. Nazianz. lib. 2. de Theologia.*

Solem hunc sensibilem nemo est qui non laudet, & ipsius magnitudinem simulque pulchritudinem, & radiorũ symmetriam, & lucis splendorem admirans: si verò in eo diligẽtius atque pertinacius intuebitur, & in dies eius aspectum considerabit, non solùm quæ sentit in eo deprælienderet, sed etiam oculorũ acie debilitatus abscedet. Tale quid mihi videor pati mente, si requiratur de Deo, quid sit. *Basilius in cap. primum Ioannis.*

Quemadmodum certò scire nõ possumus, cuiusque stellæ qualis sit essentia, quærimus tamen alacriter, oblectamúrque rationibus verisimilibus, propter geminum discendi desiderium: Ad eũdem modum licet verum illud ens Deum non valeamus cernere, debemus tamen eum indesinenter quærere, quando hæc consideratio vel per seipsa citrà intentionem, res est summè desiderabilis. *Philo. lib. primo de Monarchia.*

Sicut qui innauigabilem Oceanum nauigare se vsurpat, dum non potest eum transire, necesse est, vt per eandem viam reuertatur, vndè ingressus est: Sic & antiqui Philosophi & oratores, de Dei natura quærere contendentes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone, in vltimo nihil se amplius inuenire se potuisse confessi, nisi quia Deus est incognoscibilis. *Chrysostomus hom 28. operis imperfecti.*

Quomodo fulgur nobis disrumpit, & repentina coruscatio non tam illuminat, quàm hebetat oculum: Ita aliquando nescio quo motu tangeris à Deo, & cogi te sentis: eum tu qui te sentit, non intueris. *Cyprianus, de operibus Christi.*

DEVS NON AVTHOR MALI.

Sicut in cantãdo interpositiones certis moderatísque interuallis, quamuis vocũ priuationes sint, bene tamẽ ordinantur ab his qui cãtare sciũt, & suauitate vniuersæ cãtile-

næ aliquid conferunt. Et vmbræ in picturis eminentiora quæque distingunt: & non specie, sed ordine placent: Sic & vitiorum nostrorum non auctor est Deus, sed tamen ordinator est, cùm eo loco peccatores constituat, & ea cogit quæ merentur. *Augustinus de Genesi ad literam imperfect. cap. quinto.*

Quemadmodum sol oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti, tranquillus apparet, in oculos autem lippos, quasi tela aspera iaculatur, intuentem illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, sed mutatum: Sic cum ceperis esse peruersus, & tibi Deus peruersus esse videbitur, tu mutatus es, non ille. *Idem in Psalmum 92.*

Sicut improbi malè vtuntur bonis Dei: Ita Deus bene vtetur malis operibus iniquorum. *Eusebius Emyssenus hom. 4. de Epyphania.*

Ab ipso profecto factore, nihil malum, nihilque turpe. Hæ siquidem passiones sunt creata sequētes opera, quemadmodum æs rubigo, animata corpora limus. At neque faber ferrarius induxit rubiginem, neque animati corporis genitor, cœnum ac sordes. Eodem modo nec Deus etiam malum. Generationis autem perfecueratio malum subrepere cogit, eaque de causa mutationem rebus Deus instituit, seu quandam generationis istius purgationem. *Mercurius trismegistus in Pymandro.*

Sicut competit Deo bono, vt causa sit totius operis boni: Sic incongruum est, vt imputetur causa cuiuslibet operis mali. *Fulgentius lib. primo.*

Vt quibusdam minus mali fuit, nō omnino videre, quàm perperam videre: velut Herculi, qui filios videns, pro hostibus occidit: Ita leuius malum est, Deos omnino non credere quàm credere noxios. *Plutarchus in moralibus.*

Vt peius sentiunt de homine, qui dicunt eum esse iracūdum, pernicioſum, quàm qui dicunt eum viuere: Ita minus malè sentiunt de diis, qui negant vllos esse, quàm qui dicunt esse morosos, noxios, irritabiles, vt faciunt superstitiosi. *Ibidem.*

Si tu vitiosum compares seruum, & volueris mores suos scire, nónne pones antè illum laccum cum solidis, aut aliquem concupiscibilem cibum: & siquidem seruus ille incontinens fuerit, & sine timore porrigat manum

suam, & accipiat indè nunquid male feciſti?

Aut nunquid tu coegiſti illum, vt malè faceret? Non, ſed propalaſti malitiam eius: Sic & Deus dans hominibus occaſionem peccandi, ſi peccare voluerint, non eos facit peccare, ſed manifeſtat pertinaciam cordis eorum. *Chryſoſt. hom. 46. operis imperfecti.*

Si aliquis culturæ agri peritiſſimus, agrum ſuum feracioribus arboribus conſereret, cunctáque quæ ad agricolarum artem pertinent, ſummo ſtudio exerceret, nullo tamen pacto quæ nocitura diuerſis ex cauſis ſolent venire, poſſet declinare: nónne officio ſuo agricolam hunc functum eſſe quiſque putaret? Is enim debitam curam adhibuit, quæque ad cultum plantarum pertinerent, omni ſtudio geſſit: Illæ tamen ægrotarunt. Num igitur melius eſſe diceremus, agriculturam neminem exercere, neque agrum nobiliſſimis arboribus conſerere, artémque agriculturæ è vita humana penitus tollere, ne fortè aliquæ plantæ iniuriam patiantur? Ergò neque Deus culpę arguendus eſt, quia hominem produxerit. Nos potius ipſi accuſemus, qui nobis ſponte obfuimus. *Cyrillus Alexandrinus lib. primo in Geneſin.*

Nemo ſolem dixerit oculis noxium, eo quòd nonnulli viſu ſunt hebetiori, ſed quàm accommodatiſſimum: & ex acutè intuentibus eius vtilitas indicatur. Neque mel quiſpiam amarum guſtu iudicauerit, quoniam tale ægrotantibus videatur. Deum autem ex infirmorum vel ignorantium iudicio, vel non eſſe, vel malum eſſe, aliquando humanis rebus prouidere, aliquando eas negligere, opinari, non ſani hominis, vel inſani potius, vt vltimo furore perciti, meritò dixerimus. *Chryſoſtomus homil. ſeptuma in Ioannem.*

DEI EXISTENTIA IN OMNIBVS.

NIhil à Deo vacat, nihil indiget. Vbique eſt, modo animæ incorporalis quæ in mẽbris omnibus diuiſa, à ſingulis quibúſque partibus non abeſt, etiamſi priuata quædã regia in toto corpore ſedes, eſt tamen in medullis, digitis, artubus infunditur. Iam ſi corruptis aliquibus corporis membris, reciſione erit neceſſe, cum vſum ſuum eadem

mẽbra vitiis emortua non habebãt, id quod putre caducúmque carnis est, sine detrimento animæ reciditur. Ipsa enim corporis nostri anima, sanis & integris admixta mẽbris est, & cum eadem fuerint putrida, & recidenda, non sequitur. *Hilarius in psalmum. 118.*

Sicut nec ab illo abest, in quo non habitat, & totus adest, quamuis eum ille non habeat: ita & illi in quo habitat, totus est præsens, quamuis eum non ex toto capiat. Neque enim ad habitudinem diuidit se per hominum corda seu corpora, aliam sui partem huic tribuens, illi aliam: sicut lux ista per aditus & fenestras domorum: sed potius si quẽlibet sonum, cum corporea res sit, ac transitoria, surdus nõ capit, surdaster non tantum capit, atque in his qui audiunt, cum pariter ei appropinquent, tantomagis alius alio capit, quantò est acutioris, tantò autem minus, quantò est obtusioris auditus, cum ille non variè magis minúsve insonet, sed in eo loco in quo sunt, omnibus æqualiter præsto sit. Quantò excellentius Deus natura incorporea, & immutabiliter viua, qui non sicut sonus, per moras temporum tendi & diuidi potest, nec spatio aereo tanquam loco suo indiget, vbi præsentibus præsto sit: sed æterna stabilitate in seipso manens, totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus, quamuis in quibus habitat, habeant eum pro sua capacitatis diuersitate, alij amplius, alij minus, quos ipse sibi dilectissimum templum ædificauit. *Augustinus, de præsentia Dei ad Dardanum cap. 8.*

Præsentes non nisi ad imagines suas adsunt. Ita planè quemadmodum vulgus existimat, mortuorum animas circa tumulos, & corporum suorum reliquias oberrare. Sed postquam Deus ille præstò esse cœpit, iam simulachro eius opus non est. Quæro enim, si quis imaginem hominis peregrè constituti contempletur sæpius, vt ex ea solatium capiat absentis: num idem sanus esse videatur, si eo reuerso atque præsente, in cõtemplanda imagine perseueret, eáque potius quàm ipsius hominis aspectu frui velit? Minimè profectò. Etenim hominis imago necessaria tum videtur, cum procul abest, superuacua futura, cum præstò est. Dei autem, cuius spiritus ac numen vbique diffusum abesse nunquam potest, semper vtique imago superuacua est. *Lactantius lib. 2. cap. 2. De origine errorum.*

Cum videas quòd mortale ingenium demersas in profundum terræ metallorum venas rimatur, & artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram esse putet: & cum auri propriam esse venam, & argenti aliam, æris quoque dissparem, ferri quoque & plumbi diuersa in terra species latere mortale deprehendat ingenium: Diuina virtus inuenire posse & discernere non putabitur vniuscuiusque carnis proprium sensum, etiamsi videatur dispersum? *Cyprianus, in Symbolum Apost.*

Quemadmodum mundi partes sunt cœlum, aqua, terra, & aer: Eodem modo membra Dei, vita, mortalitas, necessitas, prouidentia, natura, anima, mens, horúmque omnium participatio, ipsum bonum: neque fit aliquid vsquã, neque est factum, vbi Deus ipse non adsit. *Trismegistus, in Pimandro.*

Omnia sunt nuda & aperta oculis eius. Quid est aperta? ex metaphora pellium quæ de pecudibus detrahuntur. Sicut enim cum pecudes occiderit quis, & ex carnibus detraxerit pellem, omnia interiora reuelantur, & aperta sunt oculis nostris: Sic & Deo aperta subiacent omnia. *Chrysostomus Hom. 7. ad Hebræos.*

DEI PATIENTIA ET LONGANIMITAS.

SIcut medici interdum cum possunt celerius obducere vulnerum cicatrices, præsentem differunt & dissimulãt sanitatem, melioris sanitatis firmioríque prospectu, dum melius esse norunt moram facere in tumoribus vulnerum, & maligni humoris fluẽtes paulisper sinere meatus, quàm festinare ad superficiem sanitatis, & obtrusis in venis fomitem venenati humoris includere, qui vtique exclusus à salutis meatibus, serpet sine dubio in interiora membrorum, atque ipsa vitalia viscerum penetrabit, non iã morbũ corpori, sed vitæ illaturus exitium: Hoc ergo modo, & Deus qui nouit occulta cordis, & prænouit futura, per multam patientiam indulget fieri quædam quæ extrinsecus incidentia hominibus prouocent, proferri, & in lucem procedere passiones & vitia, quæ celantur extrinsecus, vt per hæc expurgari & curari possint hi, qui per multam negligẽtiam & incuriam, peccatorum in se radices ac semina

receperunt, vt eiecta foras, atque ad superficiem prouocata, euomi ac digeri possint quodammodo, vt etiamsi videatur quis in grauioribus affici malis, dum membrorum omnium sustinet conuulsiones, possit tamen cessare aliquando & desinere, & satietatem capere malorum, & sic ad statum suum post multas molestias reparari. *Origenes, lib. 3. persarchon ca. primo.*

Hostes qui volunt supplicium infligere, non modo non id dicunt, sed etiam id celantes inuadunt, ne qui puniendi sunt, si resciuerint, euadant. Non sic Deus, sed contrà omninò: prædicit, differt, terret, nihil non facit, vt quæ minatur, non inferat: Sic Niniuitis arcum intendit, gladium vibrauit, iacula parauit, ictum non inflixit, ne telum quidem immisit. *Chrysost. in Psal.* .

Sicut rex benignus audiēs criminosas personas, lege quidem compellente, ipse mortis sententiam aduersus eos dicit, tamen misericordia instigante lachrymas fundit super eos, & vult eos adiuuare, & non potest, cōtradicente sibi iustitia: Sic & Dominus ipse quidem mortis sententiam dictabat super Iudæos, dicēs, Ecce ego mitto ad vos prophetas & ex ipsis occidetis, vt veniat super vos sanguis iustus. Ecce ipse eos miserabili lamentatione plangebat, dicens, Hierusalem, Hierusalem. Nam Deus inuitus compellitur, cū magno dolore peccatores cōdēnare. *Idē, Ho. 9. oper. imper.*

Ad præsens Deus habenas laxat, sed postea astringet. Noli gaudere ad piscem, qui in esca sua exultat: nondum traxit hamum piscator: non iam ille hamum habet in faucibus: & quod tibi videtur longum, breue est: ista omnia citò transeunt. *Aug. in Psal. 91.*

Sicut si velles implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum sit quod dabitur, extendas sinum vel facci vel vtris, vel alterius alius rei, & extendendo facies capaciorem. Sic Deus differendo extendit desiderium, extendendo, facit capaciorem eorum quæ oculus non vidit, & auris non audiuit. *Idem tractatu 4. in epist. Ioannis.*

Vt œconomus non facilè eiicit & absoluit citò fidelem seruum, sed cupit remorari: Ita dominus patitur quàm diutissimè, si quis fuerit fidelis ministrator. *Idem, sermone 146. in Lucam.*

Nos multo tempore ædificamus domum, & ipsius structuræ quidem multum temporis, parum vero destructionis. E conuerso autem fit in Deo. Cum struit, velociter struit: cum destruit, tardè destruit. Nam duo hæc sibi conueniunt: illud quidem potentiæ, bonitatis illud. *Chrysost. ser. 5. de pœnitentia.*

Deus Pharaoni varias pœnas intulit, non vt illum meliorem efficeret (nouit enim eius durissimam mentem non posse conuerti) sed vt ea quæ olim de ipso predicanda erant, perutilia cunctis exempla fierent: Sicut enim ciuitates iustitiæ ministros, & carnifices alunt, per quos & parricidas & latrones, pœna afficiunt, non laudantes quidem quæ sibi carnifices peragenda munia desumpserunt, sed ad necessarios tamen vsus eorum ministeria tolerantes: Ita & huius mundi præsul ac Deus patitur tyrannos esse, seu quosdam carnifices, vt per eos ab impiis hominibus pœnas exigat, mox eos tyrannos supplicio traditurus: Ita puniuit filios Israel, per Assyrios. *Theodoretus, ser. 6. de Græcarum affectionum curatione.*

DEI CHARITAS ET LIBERALITAS ERGA HOMINES.

SIcut adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, dicit Dominus, vt essent mihi in populũ, & nomen, & laudem, & gloriam, & non audierunt. *Hieremiæ. 13.*

Sicut pastor visitat gregem suum in die quando fuerit in medio ouium suarũ dissipatarum: Sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerãt in die nubis & caliginis. *Isa. 34.*

Nonne ego vos rogaui vt pater filios, & mater filias, & vt nutrix paruulos suos, vt essetis mihi in populum, & ego vobis in Deum, & vos mihi in filios, & ego vobis in patrem? Ita ego vos collegi, vt gallina pullos suos sub alas suas. 4. *Esdr. cap 1.*

Si vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? *Math. 7.*

Deus ex multa benignitate, hominem retinet & complectitur: Sicut cum pullus è nido excidit, mater è nido aduolat. Si quando autem serpens deuoraturus inhiet, mater circum volat, natos charissima pignora deflens: Deus autem pater & suum quærit figmẽtum, & ei quod lapsum est medetur, & feram persequitur; & pullum rursus in nidum recipit, vt rursus aduolet, incitans. *Clemens Alexandrinus oratione ad gentes.*

Inuenies igitur, si omnes consideres, eos quoque vendere magis, quam donare, qui gratis largiri dicuntur, & quos putamus gratuitò accipere, eos re vera emere. Nam qui dando captant laudem aut honorem, dum quærunt reddi sibi gratiam, specioso donationis nomine venditionem prætexunt: quandò & venditores suarum rerum solent accipere pretium. Qui verò admittentes dona, cogitant reddere, & prima quaque occasione reddunt, idem quod emptores faciunt. Nam illi vt accipere norunt, ita & reddere. At Deus non venditor est, æquum pretium rebus suis statuens, sed donator omnium, perennes gratiarum fontes profundens, nullam permutationem cupiens. Nam nec ipse indiget, nec quisquam natus potest accepta rependere. *Philo, lib. de Cherubim.*

Si hominibus lætum est & glorioſum filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles succisiua respondeat, Quantò maior in Deo patre lætitia est, cum quis sic spiritualiter nascitur, vt actibus eius & laudibus diuina generositas predicetur? *Cyprianus de Zelo & liuore.*

In olympicis certaminibus, subsistit adornator & magister, sitque spectator tantùm vt cæteri, neque vlla in re adiuuare potest, sed expectat vt fiat victoria. Dominus autem noster non sic, sed vt nos eniti ad virtutis agones viderit, nutu statim suo nos adiuuat, simul nobiscum certat, manum porrigit, incitat, labores nostros alleuians, infirmitatem naturæ nostræ confirmans, & quasi vndecúmque aduersarium nostrum tradit, breuiter omnia facit, vt in certamine & duremus & vincamus. *Chrysost. Hom. 42. in*

Geneſin.

Apud homines ſi quem alius diligit, dilexeris, repugnabit illius amator: Deus verò ſui te amoris communione ita dignatur, vt non communicantem oderit. Humanus quidem amor zelo & inuidia plenus eſt, diuinus verò ab omni eiuſmodi affectuũ morbo liber eſt, & ideò quærit qui ſecum in amore communicent. *Idem Hom. 23. in epiſt. ad Romanos.*

Nihil fermè ita nobis vtile eſt, vt meminiſſe iugiter beneficiorum Dei, ſiue quæ communiter omnibus, ſiue quæ ſeorſim ſingulis tribuit. Si enim cum ex amico beneficium aliquod ſumimus, ſiue cum aliquid gratum placidúmque audimus, in amorem exardeſcimus: quantòmagis cum viderimus quibus periculis impliciti fuerimus, ex quibus omnibus nos eruit Deus, promptiores ad obedientiam erimus. *Idem Homilia prima ad Titum.*

Vide quanto nos afficit honore, huiuſmodi nobis poteſtate permiſſa. Feci ego, inquit, cœlum & terram: eadem conditionis facultate te dono, vt terram facias cœlum, potes enim. Ac veluti quiſpiam indulgentiſſimus pater pictura illuſtris, non ipſe ſolus eam gloriam vult, ſed filium quoque ad eandem gloriam cupit adducere. Feci ego, inquit, corpus pulchrum, do tibi præſtantioris officium: Fac tu animam pulchram. Dixi ego, produxi herbam fœni, & omne fructiferum lignum, dic tu quoque: producat hæc terra fructum ſuum, & proderit quodcunque operari volueris. Facio æſtatem & nebulam, firmo tonitruum, & creo ſpiritum, finxi draconem, & illudo ei, diabolo ſcilicet, neque tibi hanc inuidi poteſtatem. Illude illi tu quoque, ſi vis: potes enim eum vt paſſerculum capere. Oriri facio ſolem ſuper bonos & malos: imitare illum tu, bonáque tua bonis & malis communica. Accendi in cœlo luminaria, accende & tu clariora illis, nam & hoc potes: His qui in errore ſunt, lucem veritatis accende. Dominor angelorum ego, ſitidem in ſede regia ſede, & tu mecum per primitias ſede. *Idem hom. decimaquinta ad Timotheum.*

Diſſimilis eſt Dei hominumque conditio in fœneratio-

ne. Deus namque in occulto per pauperē accipit, & in propatulo reddit, coram vniuersis creaturis. Is verò qui palam accipit, occultè reddit si ad pinguiorem fortunam peruenit, erubescens prioris fortunæ statum. *Idem hom. 7. de pœnitentia.*

Si cui in paupertate manenti fœneratus fuerit, atque exinde ad diuitiarum splendorem venerit qui accipit, potens factus tibi debitum reddere, latebit multos, ac reddet, ne pudore confundatur de priori statu. Et gratias quidem agit, beneficium verò cælat, priorem erubescens paupertatem. Deus autem non ita: sed occultè mutuum accipiens, palam debitum reddit: tunc verò cum accipit clam per eleemosinam accipit: cùm verò reddit, in oculis vniuersæ creaturæ reddit. *Idem sermone quinto de pœnitentia.*

Sicut paruulus, siquid habeat puerile, idque rebus necessariis profert, pater ipsum puerilibus priuat, vt vel inuitum ad meliora traducat: Ita & Deus omnia facit, cunctaque molitur, vt vota nostra atque desideria, ad cœlestia transferat. *Idem hom. prima ad Timotheum.*

Infantulus cum aliquid puerile desiderat, cum omni festinatione abscondimus: vt puta sphæram & quæcunque talia, ne impediatur à necessariis: cùm autem ea contempserit, & non iam eorum desiderio detinetur, sine solicitudine ei damus, scientes quoniam multa læsio ei de cætero continget, illa cupiditate cessante, quæ cum à necessariis poterat auocare: Sic & deus cum viderit nos non cupientes quæ terrena sunt, tunc iam ipsa nobis ad vtendum largitur, & sicut liberi & viri, ea possidebimus, non sicut pueri. *Idem Hom. 25. ad Hebræos.*

Sponsum vocat Ioannes baptista Iesum Christū, sponsam Paulus ecclesiam: Ac sponsus quidem (homo) post primos dies remittit amoris vehementiam: Sponsus autē noster deus, perpetuò nos amat, & auget desideriū. Quod amicus Iesu Ioannes innuens, sponsam vocauit, quando summa sunt desideria. Spōsum Paulus paranymphus, quòd nos velit præ amore vnum esse corpus, & vnam animam, & instar sponsæ id vnum cogitantis, & omnia facientis, vt viro placeat, tales per totam nos esse vitam. *Idem in psalmum quintum.*

Deus suum nobis nostræ salutis amorem significaturus, gallinarum in nobis charitatem, patrum curam, matrum misericordiam, virorum profert amorē, non quia tantum duntaxat amet, sed his exemplis & regulis non alia apud nos amoris maiora signa vel argumenta. Nam quòd multo magis nos deamet. *Et si, ait, mater filiorum vsera sui obliuiscatur, At ego tui non obliuiscar. Esaiæ. 49. Et vir vxorem dimissam, & cum alio pollutam, reuersam non recipiet: peccatorem autem deus recipit. Idem in psalmum 14.*

Multi qui multis donant, præcipiunt ne aliis dicant, ne facta vni gratia, multos ei excitet petaces, quod minus excusare, aut subterfugium inuenire possit, qui vni dedit, quominus det & aliis. Hoc quidem merito curant homines, vt qui dando fiant pauperiores. Deus contrà clamat, & quæ aliis det, predicat vt aliis rursus ab eo petendi occasionem præbeat. Dando enim maiores ostendit diuitias, diues & super omnes eum inuocantes. Vidisti nouam diuitiarum naturam, eam imitare tu quoque magnificentiam. *Idem in psalmum. 43.*

Deus qui homines generat & inspirat, omnes æquos, id est, pares esse voluit. Eandem conditionem viuendi omnibus posuit, omnes ad sapientiam genuit, omnibus immortalitatem spopōdit, nemo beneficiis eius segregatur. Nam sicut omnibus æqualiter lumen suum diuidit, emittit omnibus fontes, victum subministrat, quietem somni dulcissimam tribuit: Sic omnibus æquitatem virtutemque largitur. *Lactantius lib. quinto cap. 15.*

Qui dignos vos fecit &c. Colossen. 1. Tanti, inquit, illius sunt munera, vt non modo opulentos reddiderit, sed & vires suffecerit, vt nihil immeritò videamur ab eo opes accepisse. Exempli gratia, Imperator aliquis tenui quidem, & fortunæ sordidioris, prouinciam credidit gubernandam, contulit quidem huic dignitatem, nihil tamen tanto magistratu dignum effecit, vt pro merito & dignitate hanc gubernaret, quò fit vt tantus illi delatus honos, ridiculum sese præstiterit. Deus verò & nos honore prouexit eumdemque ad promouendum idoneos fecit: geminatur ataque honor, cum ad munus accedat collata sufficentia. *Theophlactus in cap. primum ad coloss.*

Amor Dei comparatur virgæ Mosis versæ in serpentem coram Pharaone, & amores omnium aliarum rerum mundanarum virgis Magorum Pharaonis in colubros versis. Vnde serpens Mosis deuorauit alios serpentes aliarum virgarum, ad designandum quod amor Dei quasi ignis deuorat amorem omnium mandatorum. *Bernardus sermone de Ascensione.*

Agricola semen in quãcunque partem iacit, & qui plantat vineam desiderat, vt tota fructum afferat. Posthac ergo allata falce, si non reperiat fructum angitur: Eadem ratione Dominus verbum suum seminari vult in cordibus hominum. Et quomodo mœret colonus ob agrum inanẽ: ita molestè fert Dominus, si cor inane & fructibus vacuũ inuenerit. *Macharius hom. 32.*

Cùm Deus bona promittens contemnitur, idem fit quasi rex suos quidem hæredes, filij verò cohæredes, post alia quoque innumera beneficia, nos constituere volet, contemnatur. Diabolus verò quasi latronum princeps, qui nos parentesque nostros innumeris affecit incommodis, & infinitis plenus est malis, & nostram confundit gloriam, & salutem, vno tantùm obolo præterito, nobis adoretur, Diabolus gehennam ministrat, & honoratur. *Chrysostomus hom. 29. de diuersis.*

Misericors Deus à principio docens hominen, per viuũ tantum mandatum declarauit se dominum esse. Et quasi liberalis Dominus, magnam & amirabilem quãdam domũ, alicuius vsui donans, nec recipere vult, quod se decet: sed paruulam aliquam partem accipit, vt dominij ius saluum sibi maneat: vt ille interim sciat quod nõ ædificij dominus sit, sed gratia & misericordia domini fruatur huius vsu: Sic vtique dominus noster, cum visibilia hæc omnia homini cõcederet, & præstaret illi vt versaretur in paradiso & fruerur omnibus quæ in illo sunt: vt ne paulatim distracta mẽte, putet visibilia hæc per se esse, sentiatque aliquid supra se: iussit ab vno ligno abstinere magna definita pœna, si hoc transgrediatur: vt scire possit quod dominum habeat, cuius beneuolentia fruatur. *Idem hom 16. in Genesin.*

Quemadmodum reges in equorum cursu atque certamine, in ipso agone, coronas, vestes, cæteraque munera, ante certantium oculos ponunt: sic & Dominus in medio

stadio præmia locauit, & quasi multorum manibus per verba prophetæ ostendit. Et reges quidem isti quoniam mortales sunt sua facultas caduca & liberalitas facile potest exhauriri. Id circò vt multa videantur quæ donant, singulis, singula munera ministris, in medium producunt, rex verò noster è contra. Nam qui immortalis & ditissimus est, nihil facit ad ostentationé omnia, simul ante oculos collecta posuit, quæ si quis per singula diuidat, innumera erũt. *Idem hom. 55 in Matheum.*

Ne forte extendat manum suam, Genes. 3. Deus nequaquam inuidia motus sic alloquitur hominem: sed curam gerebat vasis infirmioris, per semetipsum infirmati, ne perpetuo in illa infirmitate hæreret. Quemadmodũ perit' figul' vas cõfractũ cõuertit iterũ in suã cõspersionẽ, scilicet in lutũ, seu terram: Sic hominẽ fractũ fraude diaboli, reducit in suam cõspersionẽ, scilicet terrã, eũq; in resurrectione vniuersali efformabit & refinget. Iustũ gloria immortali exornabit, vt possit frui æterno regno. Iniustũ sic cõpinget & finget, vt possit perpeti æternũ suppliciũ. Certè admodũ opportunè plãtauit arborẽ vitæ suo iussu, & se impulsore, cõcedens homini, indè decerpere fructus vitæ. At nũc hominem qui peccato se addixit, nõ vult manere in æterna vita, ne fortè in quibusdã fidelẽ existimet diabolũ, & inuidũ pronũciet Deũ. Nã cib' vitæ si ei concessus fuisset post præuaricationem, se Deum esse existimasset. *Procopius in cap. 3, Genesis.*

Quemadmodũ lux visibilis de solis claritate generata, eundẽ solẽ proximũ esse denunciat in ipso diei primordio: Ita & beneficiorũ dei propalata scientia, ad manifestã diuinæ honitatis prouehit notitiã: Sic quidẽ cõnexa sunt pariter, vt quãquã diuersa vocabula sortiãtur, vna tamẽ atque eadẽ sit lux. *Laurẽtius Iustinian', de spirituali animæ resurrectione,*

DEI CLEMENTIA ET MISERICORDIA.

Ecce consuetudo est, vt cum acceperit terra semen, vel nauem mare, vel vas aliquod escam, vel potum cũ fuerit exterminatũ id in quo seminatum est, vel in quo missum est, vel quæ susceptа sunt, exterminãtur, & susceptа iam non manent nos: Sed de nobis non sic factum est

Nec quidem qui legem accepimus, peccantes periuimus, & cor nostrum quod suscepit eam. 4. *Esdræ. ca. 9.*

Dei pietas & clementia hominis malitiam superat, Cogita scintillam si in mare ceciderit, num poterit stare aut apparere? Quantum scintilla ad mare se habet, tantum hominis malitia ad dei pietatem & clementiam, imòverò non tantummodo, sed è longè supra. Nam & pelagus tametsi magnum sit, mensuram recipit: Dei verò clementia & pietas mensuram nō habet. *Chrisost. hom. 3. de pœnitentia.*

O nouam rem & admirabilem? Prophetica denunciatio mortem Niniuitis minans, vitam peperit: Sententia vbi lata fuit, tunc inualida facta est, è contrario singulariter iudicantium. Apud hos enim causa profertur in medium, & rata fit lata sententia. In deo contrà proferre sententiā inualidam eam facit, Nisi enim prolata fuisset, non vtiq; peccatores audiissent: non audientes, neque pœnitentiam egissent: sine pœnitentia pœnam non repulissent. *Idem Hom. quinta ad populum Antioch.*

Iudices conseruos quidem nos, & eandem secum communem naturam habentes, per seipsos examinare non sustinent, sed ministrorum quempiam sibi medium proponentes, interrogationes ad eum suas proferre faciunt. & per ipsum quæcunque velint, dicunt & audiunt, dum reos examinant. Deus autem mediatore ad homines primos nullum opus habuit, sed ipse per seipsum eos vocans iudicauit & consolatus est. Nec hoc tantum mirabile, sed & quod commissa corrigit. Iudices enim cum latrones ceperint & sacrilegos, non quomodo ipsos meliores reddant, sed quomodo ab ipsis peccatorum pœnas exigant, considerant. Deus totum contrarium. Cum aliquem reperit peccatorem, non considerat quomodo supplicium sumat, sed quo eum modo corrigat & meliorem faciat, vt iudex examinat, vt medicus corrigit, vt magister docet. *Ibidem hom. 7.*

Dei clemētia neminem ad se currentium auersatur, sed manum porrigit, dicens: Hodie si vocem meam audieritis, nolite obdurare corda vestra. Si enim medicus contumelia affectus ab eo qui curatur, adiumenta non negligit, non ægrotantem vlciscitur, quantòmagis animarum medicus nostrarum. *Ibidem Hom. 22.*

Rex

Rex quidem si quem è carcere dimisit, pœnam donat nō peccata: Deus autem peccata dimittit, non pœnam. Si dixerit adultero, iā nolo vt adulter sis, verba statim vertuntur in opera. Si fornicatori, fornicari cessa, illicò mens eius mutatur in melius. *Idem hom. 2. in psalm. 50.*

Cohibui te ne tu pecc..res in me. Genesis. 20. In me, inquit, rediturum est peccatum. Nam sicut in hominibus quando quis aliquem in multo honore apud dominum suum iniuria quadam afficit, sibi iniuriam factam putat dominus, & dicit: mihi iniuriam fecisti, per ea quibus à te seruus iniuria affectus: ea enim quæ in illum committuntur, in me transibunt. Eodem modo & bonus dominus. Cohibui te, inquit, tu peccares in me. *Idem hom. 45. vbi eadem sun.*

Deus non decipit homines. Decipiens enim suauia prius proponit, & mox infert tristia. Tale quiddam dicā. Plagiarij pueruli sæpe paruos prædantes & furantes, nō plagas & verbera, neque aliud eiusmodi pollicentur, sed placentas & bellaria, & alia talia quibus puerilis gaudere consueuit ætas, prætendunt, vt his illi allecti, & libertatem suam prodentes, in extremum periculum delabantur. Auium verò piscium que venatores, ita quæ venantur, alliciunt, consuetam capiendis & iucundam prius escam prebentes, & sic contegentes laqueum. Diligentes autem contrarium faciunt. Nam & patres cum ad ludum puerulos mittunt, pædagogos præponunt, flagella minantur, timorem incutiunt, & cum priorem ætatem sic transegerint, tunc ipsis in habitu virili constitutis, honores, potentiasque & delitias, & omnes diuitias suas tradunt. Sic Deus quoque facit, non plagiariorum, sed patrum more curam gerens, prius iniecit tristibus, tanquam præceptoribus & pædagogis, præsenti tradens tribulationi, quò per hæc correcti & moderati, postquam tolerantiam omnem, omnemque disciplinam didicerimus, mox ad perfectionem deducti, cœlorum regnum hæreditate consequamur *Idem Hom. 16. ad populum Antiochenum.*

Sicut medicus ægrotum terrens ait, Ille frigida vsus, mortuus est: sic & ipse diuitem introducit, laborantem quidem & vitam sanitatemque concupiscentem, sed voti minimé compotem, eo quòd auaritiam sectatus fuisset, sed inanem repulsum. *Ibidem. Hom. 58.*

Sicut medici difficillimas ægritudines eligẽtes describũt, taliſque curationis viã voluminibus docent, vt in maioribus exercitati, minora facilè tranſigant: Ita Deus in medium peccatorum maxima produxit, vt in paruis offendentes, per illa facilem horum correctionem inueniant. *Ibidem hom. 77.*

Sicut cum quidam graui ægritudine vexatur, & multis modis indiget medicaminibus, & attenuatus eſt ſumptibus, ſi introierit medicus, & dixerit ad eum qui ægrotat: plures ſpecies ad confectionem medicaminis neceſſariæ ſunt. Reſpondeat verò ægrotus, Non habeo vnde tantas ſpecies emam, paupertate detineor. Dicat ad eum medicus: Illam & illam da mihi ſpeciem tantum, cætera de meo præſtabo. Sic & Deus dicit: Da mihi confeſſionem tuam & lacrymas pœnitentiæ, cetera autem pro miſericordia mea & humanitate tibi præſtabo. Idẽ *in pſalmum. 50.*

Sic delet peccata Deus, vt neque eorum veſtigium maneat. In corporibus quidem nõ eſt ita, ſed quanquàm millies conetur medicus, tametſi vulneribus medicinas addat, vulnus quidem euaneſcit: ſæpeque facie vulneratus quis, & vulnus quidem curauit, cicatrix verò remanet vulneris argumentum, faciei deformitatem habens. *Idem ſermone. 3. de pœntentia.*

Si quando homines exorare oportet, & ianitoribus prius occurrere conuenit, paraſitiſque hiſtrionibuſque ſuadere, & longam ſæpenumerò viam abire. In Deo nihil eſt tale. Sine mediatore exorabilis eſt, ſine pecunia, ſine impenſa precibus annuit. Et iidem homines deprecantes, ſæpenumerò formidamus, ne quis inimicorum perceperit, aut rem ex aduerſariis quiſquam intellexerit: alioqui prodit dicenda. In Deo autem nihil eſt tale ſuſpicari. Cum enim me volueris precari, ſolus accede, aſtante nemine: corde videlicet clama, neque labia tua mouens oſtium tuum claude, & honora patrem in occulto. *Idem ſermone. 4. de pœnitentia.*

Auerſati ſum⁹ vocanté, & vnde quaq; illectãté, ac ne ſic quidé de nobis pœnas ille ſũpſit, ſed accurrit ipſe, ac reſtitantes fugitantesq; inhibuit, ipſi tamẽ ab illius manib⁹ excuſſi, ad diabolũ trãsfugim⁹: ac ne ſic quidé deſtitit ille, ſed ſexcẽtos rurſus q nos hortãtur, miſit pphetas, angelos, pa-

triarchas. At nos legationē nō solū nō admisimus, sed & legatos nobiscū agētes, iniuria affecim⁹. Ille aūt nec per hoc quidē nos respuit, sed quod facere solēt ij qui vel vehemētissimè cū amant, negligūtur tamē, circuiēs ad oēs adiit, tū in cœlo, tū in terra sese manifestās, cōgressusq; nūc cū Hieremia, nūc cū Michea, paratus etiā, cū iis qui illi aduersārētur, postulās ad rationis reddēdę calculos descendere: tū aūt ad omnia surdos ad colloquiū secū trahēs: Populę mi, inquit, quid feci tibi. &c. *Idem hom. 5. ad Romanos.*

Proponamus duos milites: vnus furetur, appetat aliena: alius nihil horum operetur, sed benignitatem solam ostendat, virtutes plurimas operetur, in pręliis trophea multa constituat, dexteram suam efficiat ex hostibus cruētatam. Deinde tempore veniente, is qui ex militia est qua furerat ille, ad regale solium, & purpuram prouchatur. Ille quidē manet vbi erat, sed ex misericordia imperiali non luat pœnas eorum quæ gessit. Hic autem in loco nouissimo constitutus, sub Imperatore non sustinebit mœrorem. Dic mihi, cum viderit illum qui secum erat miles, ad summam ascēdisse dignitatem, & ita clarum factum, totum mundum obtinere: se autē in infimis perdurantem, & sine honore habētem, quòd non afficitur suppliciis, sed ex sola misericordia, & si dimittatur confusio, tamē manet, mirātur eum qui fecit misericordiam in eum, non eum. *Idem hom. 7. ad Hebræos.*

Quemadmodum corpora bene curata, non in bonam tantùm valetudinem, sed in bonum quamprimum habitum restituuntur: Itidem animas Deus, non à vitiis solum purgauit, sed ad ipsum mox virtutis cacumen extulit. *Idem hom. 22. ad Hebræos.*

Quasi gutta parua ad immensum abyssum, & infinitum pelagus comparata, si guttam è pelago acceperis, ea tamen pelagus, etsi visū percipi nequeat, diminuitur: de illo autem fonte hoc dici non potest, sed quantumcunque quis hauriat, nihil deficit. Afferamus aliud exemplum: nam hoc infirmum est. Constituamus nobis igneum fontem, quo innumeræ accenduntur lucernæ, & totidem & totidem: non huiusmodi fons ita plenus est ignis, quemadmodum nunquam ex eo quicquam sumeretur. *Idem homil. 13.*

Medicũ cum vrentem videris, nunc foue tem, nunc ferro vtenté nũc medicameto, & aliquãdo quidé ægrotũ à cibo potuque cohibentẽ, aliquãdo verò eũ in ista laxantẽ, & modo quidé cooperientẽ vndiq́ue, & vndiquè confouentẽ, nũc verò ipsi calefacto securi⁹ plenã frigidis aquis epotare phialã, nũc vtique super hac varietate, & frequẽti mutatione eũ culpabis, sed tũc præcipue suspicis artẽ, quãdo ea quæ cõtraria nobis videntur & noxia illũ cũ fiducia viderris offerentẽ. Hoc est enim veri artificis & periti: Ita deus. *Idem hom. quinta de laudibus Pauli.*

Medicus propter contumeliam mente captorum nõ dolet neque mordetur: sed omnia facit, omnia molitur, quæ ad sedandos illorum absurdos mores attinent non suam spectans sed illorum vtilitatem. Quod si tenuem ægrotus conicecturam temperantiæ & frugalitatis ostendit, continuo gaudet & lætatur multoque accuratius medicinam apponit. Non aliter Deus postquàm nos in externam cecidimus insaniam, non est vltor veteris flagitij, sed vt morbum arceat, omnia dicit ac facit. Nam quis est rege Babiloniorum sceleratior? nihilominus ipsum ad resipiscentiam exhortatur. *Idem epistola quinta ad Theodorum lapsum.*

Quemadmodum optimi medici difficili diuturnoque morbo decumbentes, variis medicinis ad sanitatem restituunt, non semper vtentes arte: interim enim nonnihil cupientibus diuersa obsecundant: Sic deus vehementer corruptos non impellit magna vi ad virtutem, sed mansuetè & sensim promouet. *Idem.*

Vt medicum non alentem solum educentem aut vngentem, sed fame quoque excruciantem, domi includentem, vrentem, secantem obseruamus & admiramur (nam licet quæ fiunt, contraria sint, vnum tamen finem respiciunt) ita etiam oportet Deum pro omnibus laudare, adeoq́ue multomagis, quatenus hic quidem Deus, ille autem homo: & quod medicorum quidé res aliter atque aliter euenit: quę aũt Deus facit, cũ summa cura & sapiẽtia fiant, siue puniat siue à supplicio eximat. *Idem in Psalmum.* 148.

Vtraque curationis res est, & diuinæ bonitatis. homines enim alterũ quidè faciũt propter bonitatẽ, alterũ verò per iram & improbitatem: Deus aũt vtrũq; propter clementiã.

Æq; igitur laudandus verbi gratia quod Adam paradiso

imposuerit & quod expulerit. Æ quam meretur gratiarum actionē pro regno & pro gehenna, vt quā minetur vt parcat fecerit, vt a vitio liberet. *Ibidem*

Si seruus alicuius vestrū, qui ista pponitis, persuadeatur, quęlibet in vos patrauerint, siue illi iugū dominationis excutiāt, siue corpora ipsorū dominorū effrenata ferātur audacia, siue asportēt omnia, siue singula moueāt loco, & vniuersa cōfundant, & deteriora etiam hostibus faciāt, illi nō intentabūt minas, nec cruciatus admouebūt, nec digna plectēt pœna. Nū ista bonitatis esse videantur? atq; ego summæ immanitatis esse mōstrabo. Vides ne vt pœnas repetere id tandē clemētiæ plerūq; sit opus? quanto magis id in Deo erit, quasi rationē factorū exigēte, oēs res humanas magna confusio inuolueret, euaderent homines peiores feris. *Idem hom 67. ad pop. Antioche.*

Fecit dominꝰ Ade & vxori eius vestes pelliceas, Sicut misericors pater filiū habēs bona indole præditū, & oī cura educatū, & fruentē omnibꝰ deliciis, & veste nitida & sericis amictū, & paternis opibꝰ secure vtentē, cū viderit eū nimia prospe ritate in malitiæ præcipitiū delapsum, priuat illis oībus, & sue potestati subiicit, & veste spoliat, & vilē seruilemq; togā illū induit, ne oīno nudus sit & turpis: Ita misericors Deus, quoniā Adā & Eua indignos sese exibuerūt indumēto glorioso illo & nitido, & quod tegēdo nullis corporalibꝰ cos necessitatibꝰ obnoxiòs esse sinebat: exuit nūc omni illagloria & fruitione, qua ante grauē hāc ruinam gaudebant: multāq; & erga illos declarauit mīam. *Idē hom. 18. in Genesin.*

Cui serpēti pœna infligitur? Est hoc ineffabilis misericordiæ Dei opus. Nā sicut clemētissimꝰ pater, puniēs eū qui filiū suū occiderit, & gladiū & ensem, per quæ filius suus occisus destruit, & in multas partes diuidit: eodē modo & Deꝰ egit. Quippe serpēs quasi gladius quidē Diabolicæ seruiuit malitiæ, vnde & perpetua ipsi pœna intētata est. *Idem hom. 17*

Pœnitentiā suā deus memorat ad pœnā, quia puniri desinerēt, qui esse impij destitissent. Vt ergo figulo promptū est, amissum vas ad eandēvel quā velit speciem, reformare: Ita deo facile est, post vitiorū casus volentes se erigi per doctrinæ suæ institutionē, ad pietatem ab impietate repara re. *Hilarius in psalmum. 2.*

Vt iustificeris in sermonibus tuis & vincas cum iudicaris, Dicere

enim ſolemus vt quid mihi ſic fecit deus: Quare hoc? Ecce iniqui regnãt, iuſti affliguntur, vincit cum iudicatur. Vt me dicus qui deſperatis iubet ad velle ſeruiri, & omnia quæ deſiderant, præcipit non negari, quos autem ſcit poſſe ſaluari, iubet eos arctari, amaris potionibus potari, ferro ſecari cauteriali. Sic fiet vt dum ſaluati fuerint abſtinentes, & mortui fuerint deſideriis propriis acquieſcentes, iuſtificabitur medicus in ſermonibus ſuis. Dicetur ei, Nos te iniuſtè culpabamus, dum ligares dum ſecares homines bonos, & malos nec ſecares nec affligeres inſuper etiam permitteres ſuis deſideriis frui. *Arnobius in Pſalm. 50.*

Quam beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum. &c. Excludere volens extollentiã humanitatis, voluntatẽ diuinitatis expreſſit. Nõ enim affectu Deus ducitur vt ab hominibus timeatur, ſed miſericordia totus dũ ſtudet homini, vult ex imperio timorisfieri, quod profuturũ ipſi homini pro certo cognoſcit. Sicut qui literas docẽt, timorẽ diſcentibus & terrorẽ inducũt, nõ vtiq; neceſſariũ magiſtris, ſed valde diſcipulis profuturũ. Et ſicut illos exhorrent qui ſine timore & ſpe ſunt: Sciunt enim eos ad eruditionem peruenire non poſſe: ita eos dilectionẽ ſe habere cõmemorant qui timent eos, & in eos qui ſperãt in eruditione eorũ. *Idem in pſal. 146.*

Vt benefacit medic⁹ etiã vbi corpori moleſtiã & doloré infert (cũ morbo nãq; bellũ gerit nõ cũ ægroto) Sic & bon⁹ deus ſaluté oĩbus per caſtigationẽ & pœnã tribuit. Tu verò nequaquã medico iraſcẽs, ſi ex mẽbris hæc incidat, illa vrat alia à corpore omnino amputat: ſed & pecuniã illi numeras, & ſeruatorẽ vocas, quod in parua corporis parte morbũ curet, priuſquã ad totũ corpus morbũ peruenĩat. Quãdo ciuitatẽ videris propter inhabitãtes cõcuſſam, aut nauigium vna cũ hominib⁹ in mari diſſolui, cõtra verũ medicũ & ſeruatorẽ blaſphemã linguã mouere nõ dubitas: cũ te intelligere oporteat, quod hi morbi laborantiũ hominũ ad curæ beneficentiã & vtilitatẽ aſſumũtur, qui & moderati ſunt & ſanabiles. Quando verò medicam curã ſuperat morbi malitia, neceſſaria eſt inutilis membri alienatio, ne morbi eius cõtinuatio, cætera corporis vitalia percurrat. Ex quo, inciſionis aut inuſtionis nõ medicus eſt cauſa, ſed morbus. *Baſilius hom. 9. quod deus non eſt auctor malorum.*

Vſquequo domine clamabo & nõ exaudies? Abacub. Quomodo

si ægrotus æstuans febribus, aquam frigidam postulet, & dicat ad medicũ. Vim patior, crucior, vror, exanimor, vsquequo medice clamabo, & nõ exaudies? Et respondeat ei sapiẽtissimus ac clementissimus medicus. Scio quo tẽpore dare debeã quod postulas, & non misereor modo, quia misericordia ista crudelitas est, & volũtas tua contra te petit: Ita & Deus noster sciens clementię suæ pondera atque mẽsuras, interdum non exaudit clamantem, vt eum probet & magis prouocet eum ad rogãdum & quasi igne excoctum iustiorem & puriorẽ faciat. Quod intelligẽs Apostolus secũdum id quod misericordiã consecutus est à Domino, ait. Sed nõ deficimus in tribulationibus. Et benedicit Dominũ in omni tẽpore. Et scit quod qui perseuerauerit vsq; in finẽ hic saluus erit, & gloriatur in labore & dolore, & cum Hieremia dicit, Tribulationem & miseriã inuocabo: Et quomodo alius inuocat Deum: sic sanctus vir ac bellator inuictus ad exercendum se & probandum tribulationem & miseriã inuenire desyderat. *Hier. lib. 1. comment. in Abacub. cap. 1.*

Sicut optimi ac peritissimi medici, dissimilibus morbis, curas dispares præstãt, atque aliis per dulcia medicamina, aliis per amara succurrunt, & quosdã curant cauteriorum adustione, quosdam malagmatum placabilitate, aliis adhibent duram ferri sectionem, aliis blandam infundunt olei lenitatẽ, & tamẽ diuersissimis licet curis, eadem salus quæritur: Ita Deus noster, si quando nos plagis austerioribus coercet, quasi cauteriis & sectionibus curat: quando autem rebus prosperis refouet, quasi oleo ac malagmatibus consolatur, per diuersam enim opem ad vnam nos vult perducere sanitatem. Solent quippè etiam nequissimos seruos quos supplicia non correxerunt, blandimenta corrigere, & quos dominis suis verba non submiserint, beneficia submittunt. Infantes quoque & omnes ferè paruulos cõtumaces, quos morigeros minæ ac ferulæ non efficiunt, interdũ χαριτησια atque blanditiæ ad obedientiam trahunt. *Salui. lib. 6. de prouidentia.*

Notum est omnibus quod & ferri acies, & ignis vstio, vel ad interitũ irrogãtur, quãdo pœnã puniendi exigit criminis qualitas, vel ad curã proficiũt, cũ sanandi gratia medicinaliter adhibẽtur: Ita Deus omnipotens, easdẽ plagarũ species, pro qualitatibus temperat meritorum: quosdam

quidem puniens, quosdam verò vel emendans a vitiis, vel emundans, vel certè ad ampliorem gratiam promouens. *Gaudentius, in præfatione ad Benuolum.*

An non sunt potiores qui sub pædagogis educantur, quàm qui peccantes à nullis cohibentur castigatoribus? nõ meliores itidem qui sub magistris discunt artes, quàm qui quoties aberrant obiurgantur á nemine? vel felicius proficiũt, qui sine curatore degũt, quàm qui parétes à natura institutores sibi additos Deo fortunãte nacti sunt? sin minus, saltem secundarios præfectos adepti, quos orbitatis miseratio conciliare solet, in omnibus commoditatibus genitores minus desiderant? Ergo quicunque peccatorũ sumus nobis conscij, precemur Deum vt puniat nos potius quàm incastigatos prætereat. præteritus enim non ipse propitius in seruitutem suam vindicabit, sed inclementis genituræ seruos faciet. Quòd sicut benignus clementer lenitérque puniet, errata nostra corriget, sermonem suum castigatorem immittens in nostram animam, per quæ in pudore admissorum incusso, ipsam in sanitatem restituat. *Philo. in lib. Quod deterius potiori insidiatur.*

Quemadmodum si quis transgressus legem humanam fuisset, pœnã non effugerit, ni rex mansuetus remissionem contulisset: Ita si quis accesserit ad natura Deum, audiet eum dicere, Ego sum qui induco iniquitates vestras, nec vnquam recordabor. *Procopius in Deuteron.*

DEI IRA ET VINDICTA.

QVid enim si medicum quidem dicas esse debere, ferramenta verò eius accuses, quòd secent & inurãt, & amputent, & constrictent, quando sine instrumẽto artis medicus esse nõ possit? Sed accusa male secantem, importunè amputantem, temerè inurentem, atque ita ferramẽta quoq; eius, vt mala ministeria reprehende: proinde est enim cum Deum quidem iudicem admittis, eos verò motus & sensus, per quos iudicat, destruis *Tertullianus lib. contra Martionem.*

Dic quæso, si quem haberes seruum qui cũ multa à seruis suis mala pateretur, nihil tamen aliud curaret, quam ne Dominum ad iram prouocaret, nunquid vel in hac vna re satis posset iram tuam mitigare? Quid autem si ex his quæ ante committeret, nihil sollicitaretur, sed caueret ne con-

seruos offenderet, nónne maiori supplicio eum afficeres? Hoc pacto Deus facit, quandoquidem eius iram contemnimus, vehementius irascitur, quando verò eius curam habemus, remissius, vel potius non amplius irascitur. Vult enim vt à nobis ipsis peccatorum supplicium exigamus. *Chrysost. hom. 8. in 1. Co inth.*

Tu quidem cum hominem prepotentem in te commoueris, & amicos & vicinos & domesticos rogas & pecunias erogas, dies multos patienter agis, humiliter astas, sæpius supplicas, semel & iterum millies, si repellit qui offensus est & infensus, nihilo quiescis, nihilo sollicitus es minus. Nobis verò eum indignetur omnium Dominus, oscitamus, recubamus, delitiamur, inebriamur. *Idem homil. 14. in Matthæum.*

Qui tuus non est, si tibi non obedit, nõ doles, de illo autem qui tuus est, doles, si contemnit, & aliis seruit: Sic Deus non tantum de alieno irascitur, quàm de suo Diaboli faciente voluntatem. *Idem hom. 19. [illegible]*

Quid igitur? Vt ego fiam melior, ille punitur? Non propter hoc, sed propter suum ipsius peccatum punitur. Cæterùm attentis ex abundanti fit occasio salutis, dum metu ex iis quæ aliis acciderunt, concepto, redduntur probiores. Idem & Domini faciunt, vno sæpe famulo flagellato, multos metu reddunt emendatiores. *Idem concione 3 de Lazaro.*

Quomodo facti sunt in desolationem, repente destituti sunt, perierunt propter scelera eorum, tanquam puluis qui disperditur à procella, tanquam arena vento disiecta, tanquam ros matutinus, tanquam sibilus sagittæ emissæ, tanquam ictus tonitrui, tanquam coruscatio perstringens. *Nazianzenus oratione 2. in Iulianum.*

Si quis habeat rem, domum, familiam, seruíque eius cõtemnentes patientiam Domini, omnia inuaserint, ipsi bonis eius fruantur, ipsos familia eius honoret, Dominus autem contẽnatur ab omnibus, derideatur, relinquatur. Vtrũne sapiens esse possit, qui contumelias nõ vindicet, suísque rebus eos perfrui patiatur, in quos habeat potestatem? Quę tanta in quoquam patientia reperiri, si tamen patientia nominanda est, & non stupor quidam insensibilis Sed facile est ferre contemptum. Quid si fiant illa quæ à Cicerone dicuntur? Etenim quæro siquis paterfamilias liberis suis à

seruo interfectis, vxore occisa, incensa domo, supplicium de seruo nunquam acerrimum sumpserit, vtrum is clemēs ac misericors, an inhumanus & crudelissimus esse videatur? Quod si eiusmodi facinorib⁹ ignoscere crudelitatis est potius quàm pietatis, nō est ergo virtutis in Deo ad ea quę iniustè fiunt non commoueri. Nam mundus tanquàm Dei domus est, & homines tantum serui, quibus si ludribio sit nomen eius, qualis aut quanta patientia est, vt honoribus suis cedat, praua & iniqua fieri videat & non indignetur, quod proprium & naturale est ei cui peccata non placent. Nam sicuti nos potestati nostræ subiectos coercere debemus: Ita etiam peccata vniuersorum Deus coercere debet, quod vt faciat irascatur necesse est, quia naturale est bono ad alterius peccatum moueri & incitari. *Lactant. de ira Dei cap. 27.*

Accipiam medicum, ostendens eum vni mēbro vno parcere, vt membris omnibus parcat. Accipiam ergò exēplum iudicis boni, pro vtilitate communi quibusdam non miserētis, vt perspicere possimus, quomodo multis parcēs, vni non parcat Deus. Verbi gratia, Habeat iudex propositum, quietem ciuitati, & pacem genti cui præsidet, prouidere. Huic si offeratur latro honesta forma, ætate satis integer, ex alio latere mater expansis crinibus deprecetur vt senectutis suæ misereatur. Ex alio vxor ne virum suū interficiat lacrymabili voce deploret. Circūstent & paruuli liberi, citò orbi futuri. Quid hic faciet iudex? Miserebitur latronis, an nō? Quid in commune expedit ciuitati? Si misertus fuerit, reuertitur homicida ad pristinū scel⁹, sin verò in iudiciaria seueritate permāserit, vnus homo interibit, & vniuerso populo prouidebitur. Sic Deus si pepercerit peccatori, & miserans eum voluerit eum proiicere pro scelere, quis nō accipiat licentiam? Quis malorū qui nunc saltē propter supplicia terrentur, non inuadet tempus, vt expleat quæcúque voluerit, & præceps feratur in vitia. *Orig. hom. 9. in Ieremiam.*

Quemadmodum ischiacis medici pollicem inurunt, & cum alibi doleat, alibi admouent remedium: Sic Deus nōnunquā vt patres sanet, sæuit in filios *Plut. in Moralibus.*

Vt medici quibusdam morbis occurrunt, priusquam appareant: Ita Deus quædam punit, ne fiant. *Ibid.*

Vt amnes quidam repētè se condunt sub terram, nihilo-

minus eò perferuntur, quò tendunt: Ita numinum iræ licet occultæ, tamen in extremas calamitates auferunt aliquando nocentes. *Ibid.*

Vt principem simul & metuimus, & amamus, vt infestum malis, bonis placidum: Sic & Deum. *Ibidem.*

Vt Deus irascitur, qui fulmen ac tonitrū imitatur, eósque in tartara præcipitat, vt Salmoneum: Sic superbis & elatis indignatur, qui magnitudinem æmulantur, non exprimunt bonitatem. *Ibidem.*

Tyrānum mutato solo licet effugere: qui Deū timet, non est quò fugiat, quādoquidem nusquā non est Deus: *Ibidem.*

Quemadmodum dolor quo mulier parturiens afficitur, eam vbicūque inuenerit, detinet, nec effugiendi locus est: Sic Ecclesiæ hostes vbi vbi sint, cùm Deo visum fuerit, diuinam vltionem experiuntur, omnísq; fugiendi adimitur potestas. *Folengius in Psalmum 48.*

Veluti terrificū est atque horrendum, nauem videre onerariam medio in freto hinc inde à ventis impeti, agitari, spondásque fluctibus operire, ingemiscere, rimísq; fatiscere, ac suo modo nautarū alioqui metu exanimatorū implorare subsidium: Sic etiam horrendum, imò horribilius id esset spectaculum, si humanis cerni posset oculis, cum Deus improborum corda multorum conscia, suo vehementi spiritu, in medio ipso vanitatis atque ambitionis pelago & æstu exagitare cœperit. *Idem in Psalmum Dauidu quadragesimum octauum.*

DEI PROVIDENTIA.

POtauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo paruulum gestare filium, in omni via per quam ambulastis donec veniretis ad locum istum. *Deuteron. 1.*

Sicut aquila prouocans ad volandū pullos suos, & super eos, volitans, expādit alas suas, & assumpsit eum atq; portauit in humeris suis. *Deuteron. 32.*

Quomodo sol non solū cœlū & totū mūdum illuminat, super terrā & mare resplēdēs, sed etiā per fenestrā & paruū foramē, vel in intima penetralia domorum lucem emittit: ita verbum vndiquaq; effusum, vel minima respicit, ex his

quæ in terra geruntur. *Clemens Alexand. lib. 7. Stromatum.*

Hæc in ecclesia sæpe accidentia possumus considerare. Peccauit quispiam, & post peccatum postulat communionem. Si ei conceditur quod rogat, in incommodum omniũ venia procedit, & laxatis frænis sceleribus panditur via. Sin verò cum rationabili deliberatione non vt misericors, nec rursum vt crudelis iudex, sed & quasi vnus prouidus, & de omnium salute pertractans, considerauerit populi damnum in vnius venia, haud dubium est, quin faciet eiici vnũ de ecclesia, vt multos seruet incolumes. Age nunc considera mihi & medicum, si cessauerit à sectione eius vulneris, quod secatum est, si non viserit id quod indiget cauterio, videlicet propter dolores qui ex talibus remediis consequuntur, quomodo crescat infirmitas, & in deterius vetus humor exuberet. Si verò vt ita dicam, temerarius ad vulnus sector accesserit, & inusserit plagam, curat eum qui secatur & vritur, quia paululum seueritatis assumpsit, licet visus fuerit ægrotanti, vniuersum curat orbem, cœlestia atque terrena, & omnia vbique dispensare, & cum hoc prouideat, quod vni commodum sit, multò magis prouidet, quod toti mundo conducat, & hominibus vniuersis. Prouidet quidem, & ea quæ vni expediunt, verùm ita, ne vnius vtilitas omnium damno sit. *Origenes, Hom. 9 in Ieremiam.*

Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis. 1. Cor. 10 Sicut enim hi qui agonibus præsunt, eos qui ad certamẽ veniunt, non vtcunque neque fortuita inter se sinunt inire certamina, sed diligenti examinatione, prout corpora viderint, vel ætates, æquissima comparatione iungentes illũ cum illo: verbi gratia pueros cum pueris, viros cum viris, qui sibi vel æui, vel roboris propinquitate conueniant: Ita intelligendum est etiam de diuina prouidentia, quod omnes qui in hos humanæ vitæ descenderint agones, iustissima moderatione dispenset, secundum rationem cuiusque virtutis, quam ipse solus, qui solus corda hominum intuetur, agnoscit: vt alius quidem pugnet aduersus carnem talem, & alius quidem in tantum tempus, alius verò in tantum: & vt alter instiget carnem in hoc vel illud, alius verò in aliud: tum verò vt alius resistat aduersus inimicam illã potestatem, vel illam, alius verò aduersus duas vel tres simul, aut nunc quidem aduersus aliam, nunc iterum aduer-

sus aliam, & certo tempore, quo aduersus illam, & certo quo aduersus aliam, vel post quæ gesta aduersus quas pugnet, post quæ verò aduersus malitias. *Idem, lib. 3, Pentateuchum, cap. 2.*

Vt anima in humano corpore non videtur inuisibilis existens, verum ex corporis motu cognoscitur: Sic nec Deus humanis & corporeis oculis videri potest: cæterum ex prouidentia, qua singula ordinat, fulsque operibus aspicitur & apprehenditur. Quemadmodum si quis cernat nauem suis armamentis instructam mare sulcare, & in portum appellere, certè credit aliquem, à quo gubernetur, in ea esse gubernatorem. Sic certè nemo adeò abiecti animi, quin credat Deum esse gubernatorem omnium quamuis carnalibus oculis eum non assequamur: quia nullo modo à nobis percipi potest. Nam si in solem, quod sane minimum est elemẽtum, homo oculos intendere nequit, propter caloris & potentiæ excellentiam, multominus gloriam Dei, quæ ineffabilis est homini, homo mortalis contueri potest Et quemadmodum malum punicum cortice velatur, qui interiora continet, habet & mansiones loculósque complures pellibus interceptos & distinctos, qui plurima grana intra se cõplectuntur. Sic vniuersa natura a Dei continetur spiritu. Spiritus qui vniuersam naturam consertam tenet, à Dei manu continetur. Quemadmodum granũ mali punici, quod cortice exteriore includitur, corticis exteriora cernere haud potest: Sic nemo mortalium qui tenentur manu Dei cum vniuersi natura, Deum cernere valet. *Theophilus Antiochenus, lib. 1. ad Autolycum.*

Verum quod dicebamus, mare arenæ terminos, sibi à Deo assignatos reuereri, neque audere eos transilire, eandem obedientiam præfert multo minori in re. Nam Alcyon marina auicula est, ac in maris litoribus nidificare consueuit, collocatis in ipsa arena ouis, idque in media hyeme, quo tempore, multis ac violentis flatibus mare ac terra perturbantur. Et tamen tandiu quiescunt marini fluctus, dum Alcyon fouet oua, septem videlicet diebus. Hoc enim spatio excludit pullos. Quoniam verò alimento est illis opus, & spatio quo crescant, septem alios dies ad pullorum educationem & incrementum munificentissimus largitur Deus, paruissimæ huic auiculæ. Quam rem & nautæ intelligẽtes,

dies illos Alcyonios appellant. Quo exemplo imitamur ad fidendum Deo, qui si tãtum pusilla animalia curat, quid non sperãdum nobis est, quos ad imaginem suam creauit, & quorum obsequio ac seruituti subiicit omnia? *Isidorus Clarius urat. 50. tomi primi.*

Sic mundum regi dicimus, vt à rectore prouinciam. Cuius apparitores nemo socios esse in regenda prouincia dixerit, quamuis illorum ministerio res geratur. Et hi tamẽ possunt aliquid præter iussa rectoris, per ipsius ignorantiã, quæ est conditionis humanæ. Ille autem præses mundi, & rector vniuersi, qui scit omnia, cuius oculis nihil septũ est, solus habet rerum omnium cum filio suo potestatem, nec est in angelis quicquam nisi parendi necessitas. *Lactantius, lib. 2. cap. 17*

Quis enim non sentiat mundum hunc tam mirabili ratione perfectum, aliqua prouidentia gubernari? Quando quidem nihil est quod possit sine vllo moderatore consistere. Sic domus ab habitatore deserta dilabitur. Nauis sine gubernatore abit pessum: Et corpus relictum ab animo defluit. Nedum putemus tantam illam molem aut cõstrui sine artifice aut stare sine rectore tandiu posse. *Idem, lib. 3. cap. 10.*

Si peritus architectus cum magnum aliquod ædificium facere constituit, primo omnium cogitat, quæ summa perfecti ædificij futura sit, & ante emetitur, quem locum leue pondus expectet, vbi magni operis statura sit moles, quæ columnarum interualla, qui aut vbi aquarum cadentium decursus, & exitus receptacula. Hæc, inquam, prius præuidet vt quæcunque sunt perfecto operi necessaria, cũ ipsis fundamentis pariter ordiatur. Cur Deum quisquam putet machinandis animalibus non ante prouidisse, quæ ad viuendum necessaria essent, quam ipsam vitam daret? *Idem lib. de opificio Dei, cap. 6.*

Denique idem quo ingenio temporum vices sic moderatur, sic dispensat, vt naturæ conuenienter aliæ decedant, aliæ accedant, perinde ac si in choro aliquo inuicem sibi cõnectantur, & nihilominus inter se certis spatiis distent. *Greg. Nazianz. lib. 2. de Theologia.*

Certè cum medicus contraria his, quæ nobis salubria videntur præcipit, siue algens membrum profluo fonti subii-

cere iubeat, siue alia huiusmodi facere, nonnunquam reluctamur, sed cum nobis antea persuaserimus, artis illum ratione cuncta facere, prompte ac libenter cedimus, idque cũ ille sæpius fallatur: Deum cuius viæ à nobis incredibiliter distant, qui est ipsa sapientia, qui nunquam falli potest, puniẽda curiositate perscrutabimur? Cúmque illi simpliciter cedamus, à quo facti rationem exigere iure nostro possemus, ab ipso cuius solum cedendum est nutui, eorum quæ gesserit, causas ac rationes requiremus, atque huiusmodi indignè ignorantiam feremus? *Chrysost. lib. 1. de prouidentia.*

Nullum tam malum dogma est vt illud quod de fato & natiuitatibus. Vbi enim blasphema, impia & pestifera hæc opinio deceptis pectoribus insita fuerit, persuadet vt talia de Deo dicantur, quæ nec de Dæmonibus oportebat: confunditur tota vita, dissoluuntur & superuacua, ostenduntur oĩa, quæ vel à Deo, vel à natura, vel à prophetis ad emendãdos instituédósque mores inuecta sunt. Fitque perinde, sicut cum æger corpore medicina indigens, persuadet medicis Pharmaca parãtibus, non esse sibi illis opus, ita vt nec morbo liberetur sed expectet sibi per ignauiam, socordiãque miserabilissimum interitum. An nõ ita loquitur fatum nemo vtilia admoneat, nemo admonentes audiat, frustra sunt leges & iudices, frustra disciplinę & admonitiones, frustra supplicij timor, frustra dignitates & honores, & præmia bona operantibus constituta. *Idem ser. 5. de fato.*

Quo pacto rationi consentaneũ fuerit, dic oro, quod tanta elemẽta, & tantus ornatus absque aliquo moderatore, & oĩa conseruãte gubernentur? Et nauis nunquã poterit absq; gubernatore maris fluct⁹ trãsire, & miles nihil strenuũ & egregiũ absq; capitanei ductu & auspiciis gerit: & dom⁹ nõ extruitur, nisi sit qui ædificet: mũdus autẽ ille immensus, & elementorũ illorũ ornatus, fortuitò & temere ferri poterit, nullo existẽte qui oĩa possit moderari, & per suam sapientiam sciat continere & conseruare? *Idem Hom. 3. in Genesin.*

Sicut paruul⁹ si quid habeat puerile, idq; reb⁹ necessariis præfert, pater ipsum puerilibus priuat, vt vel inuitũ ad meliora traducat: ita & deus oĩa facit, cũctaq; molitur vt vota nostra atq; desideria ad cœlestia transferat. Cur igitur, inquies, pessimos quosq; diuitiis permittit affluere. Quia scilicet non æqua illi ipsorũ atq; tui cura est. *Id. Ho. 1. in 1. Tim.*

Similis est Deus gubernatori. Sicut enim navigans gubernator nunquam manum suam à gubernandō: sic nunquam penitus curam suam tollit à mundo. At sicut ille & auras captans & saxa vitans & saxa suspiciens, totus sit simul tam corporis quā cordis officio operi suo deditus: Ita Deum nostrum ab vniuersitate omnium rerum nec munus dignantissimæ visionis auertere, nec regimen prouidentiæ suæ tollere, nec indulgentiam benignissimæ pietatis auferre. *Salu. in lib 1. de prouidentia.*

Si nauis sine gubernatore non potest subsistere, sed mox submergitur, & domus modica sine prouisore mundus quomodo constat tanto tempore, creatura sic magna, sic bona & mirabilis, sine gloriosa quadam & magnifica, atque mirabili gubernatione & sapientissima prouidētia? Ecce enim cœlum quantum tempus habet, & non denigratum est, terræ virtus non est lassata ex tanto tempore, fontes non desierunt fluere ex quo facti sunt, mare tot & tanta suscipiens flumina, non supergreditur mensuram, Cursus solis & lunæ non mutantur, ordines diei & noctis non perueruntur. *Damascenus in Historia Barlaam & Iosaphat ca. 17.*

Credendum est sicut in curru aurigam, aut in naui gubernatorem, ita in rebus omnibus superstare eum Qui est, corporibus, animabus, animantibus, mentibus, angelis, cūctis qbæ terra vel aere, vel cœlo continentur naturis tum visibilibus, tum inuisibilibus, totum enim mundum ex se pendentem regit. *Philo, lib. de Somniv.*

Prouidentia est, cuius beneficio si non negligentes simus, sed vtamur iis quæ ab ipsa habemus, omnino beati esse poterimus. Neque enim prouidentia instar matris est, modò in lucem editi infantis, quam occupari oportet in abigendis iis quæ adulare volunt, & affligere, cum inchoatus ille adhuc sit, neque à se aut intestinum præsidium habeat. Sed eius matris instar habet, quæ cum vires soboli & arma suppeditauit, vti his illam iubet, & mala propulsare. In his & philosophari semper debes, & horum cognitioni nihil esse homini præferendum, ducere. Qui enim pij sunt, & simul seduli homines, ij & prouidentiam esse statuent, & sese ipsi neq; negligent, neque existimabunt, dei aduersionē, & vsum virtutis, inter se dissidere & discordare. *Synesius, de prouidentia, lib. 1.*

Samius

Samius Pythagoras nonne sapientem dicit spectatorem esse rerum quæ sint & fiant? Profectum enim ipsum in mũdum, quasi ad sacrorum certaminum ludum seu celebritatem, vt spectet quid agatur. Ex eo igitur nos ratiocinemur, compositus spectator qui fuerit: nunquid manifestum (si tamen quod ante oculos est, commorari oportet) esse eum, qui suo loco expectet ea quæ exhibentur, prout singula ordine sese de auleo proferunt. Si quis verò in scenam vi irrumpat, & quod verbum de hac re vsurpatur, per proscenium omnia ποιτοφθαλμίζοιτο, id est, curiosè oculis lustret, quòd apparatum simul vniuersum spectare velit: aduersus talem præfecti ludorum in Græcia curationi, qui sunt Hellanodice, flagelliferos armant: & latitans ille nihil liquidò cognoscere poterit, cum vix videat & confusa & perturbata. Est autem in more, quædam in theatris præsignificare: & antequam producantur, oportet aliquem egressum populo narratione sua exponere, quid paulo pòst visurus sit. Is igitur nõ peccat, sed eius qui ludos facit, administer est, à quo & edoctus illa sit, non per curiositatẽ scire laborauit: aut vt cognosceret, mouit aliquid eorum quæ non moueri erat rectius: quæ verò cognouit, ea tacere oportet, vsque dũ publicandi tempus veniat. Quippe cum neque histriones semper actiones tẽpus scire, lex permittat, sed operari hos editum signum progressionis oporteat. Ita igitur, cum quo Deus abstrusos in natura vitæ & ingenij cõmunicauerit: is veneratus hunc honorem, nihilominus, vel aliquanto etiã magis, quã qui nihil inaudiuit, silẽtiũ præstet. Qui enim rei ignarus est, coniecturis vtitur. Probabile autẽ, quia plerunque cedit, & quasi in motu est, difficillimum est omnium ad deprehendendum, vt constituatur de hoc aliquid: & multiplices de hoc disputationes existunt. Sed veritatis & cognitio est determinata, & certa oratio: quæ tamen & sapiẽte celabitur, commendante hanc ipsi, & concredente Deo. Nã & apud homines in odio sunt disputatores de rebus diuinis: quem autẽ Deus voluerit ex initiatis esse, is ne prosiliens irruat, né ve auribus captet. *Theodoret. deprouiden. lib. 2.*

Vt hominũ membra nulla contẽtione, mente ipsa, ac voluntate mouentur: Sic numine deorum omnia finguntur, mouentur, atque mutantur. *Cicero, lib. 3. de natura deorum.*

QVęsiuerunt prisci quomodo numen intelleximus. Ex his qui optimè philosophari visi sunt, dixerũt quod ex mundo partibúsque eius & harum innatis viribus, Deũ vt causam animaduertimus. Nam sicut si quis videat domum affabrè factam, instructámque vestibulis, portibus, aulis virorum, mulierum conclauibus & id genus cæteris, cogitatione percipiet artificem: nec enim sine arte opificéque putabit domum esse absolutam: quod & de ciuitate aut nauigio & de quouis minore maioreve opere sentiendum est: Ita sanè etiam quiuis ingressus seu in maximam domum aut ciuitatem mundum hunc, conspicatus cœlum in orbem volui, contineréque omnia: erraticas verò fixásque stellas pariter moueri modulatè summáque cum harmonia, ad vtilitatem rerum vniuersarum: terram deinde meditullium sortitam, aquam aeremque latè vtrúmque fusum susque contentum terminis: adhæc animalia tã mortalia quam immortalia, stirpium fructuúmque varias species: certè ratiocinabitur hæc non sine perfectissima arte condita, sed fuisse essèque Deum huius vniuersitatis opificem. Qui ita colligunt, per vmbram Deum percipiunt, animaduertentes artificem per ipsius opera. *Philo. lib. 2. Legis allegoriarum.*

Sicut proprium ignis est, vrere: & niuis, refrigerare: Ita Dei quoque, operari. idque multò magis, eo quòd ipse aliis etiam rebus omnibus operandi author est. *Idem. lib. 1. legis allegoriarum.*

Quemadmodum annulis in æram impressis, similémve materiam, exprimuntur figuræ variæ, & quidem integræ omnibus sui partibus: Sic Deus immensa potestate sua sese hominibus ostentat, qualitates & formas rebus addit, qualitate & forma carentibus: absque vllo sempiternæ suæ detrimento. *Idem, de Monarchia lib. 1.*

Sicut sol occulta corpora detegit. sic Deus omnia creans non solùm in lucem produxit, sed omnia quæ prius non fuerant, condidit. *Idem, lib. de somnis.*

Quis est tam ineptus, vel tam ociosus vt aggrediatur facere aliquid frustra ex quo nullam vtilitatem, nullum cõ-

modum speret? Qui domum ædificat, non idcirco ædificat vt tantummodo domus sit, sed vt in ea possit habitari. Qui nauim fabricat, non ideò assumit operam, vt tantum nauis appareat, sed vt in ea nauigetur. Item qui vas aliquod instruit aut informat, non propterea id facit, vt tantum fecisse videatur, sed vt vas illud effectum capiat aliquid necessarium. Similiter cætera quæcunque fiunt, non vtique in superuacuum, sed ad vsus aliquos laborantur. Mundus igitur a Deo factus est, non vtique propter ipsum mundum. Neque enim aut colore solis aut lumine aut aspiratione ventorum, aut humore imbrium, aut alimonia frugũ, cum sensu careat indiget. *Lactantius, lib 7. cap. 4.*

Qui fundauit terram super aquas. Quæ humana ratio cõprehendere hoc potest? Nam cum homines domus ædificant, & fundamenta iacere volunt, prius fodiunt: & vbi ad profunda peruenerint, si vel paruum humorem viderint, omnia faciunt, vt omnem ipsum exhauriant, & sic fundamenta locẽt. Propterea opifex omnium omnia secus, quã homines facit, vt ex hoc discas ineffabilem potentiam. *Chrysost. Hom. 12. in Genesin.*

Mundum illum qui ex idæis constat, nefas est loco vllo dicendo cogitandóque circumscribere, sciemus tamẽ quo pacto consistat, si considerauerimus aliquam rerum nostratium similitudinem. Quoties condenda est vrbs cura regis pro fortuna magnifici, præsto est quispiam peritus architectonicæ, qui contemplatus loci oportunitatem, primũ inter seipsum partes futuræ vrbis propemodum omnes delineat, templa, gymnasia, curias, fora, portus, naualia, vias angiportúsque, mœniorum situm, & ædificiorum tam publicorum quam priuatorum. Deinde impressis velut in ceram in suum animum singularum rerum imaginibus, effingit vrbem intelligibilem, cuius effigiem innata retractans memoria, atque etiam impressis sibi symulacris, vt bonus artifex ad semel animo conceptum exemplar respiciens, aggreditur designatam suam structuram è saxis & materie, representans incorporeas illas idæas, singulis operis partibus. Eodem ferme modo de Deo sentiendum, qui vbi decreuit ingentem hanc vrbem condere, prius formas eius concepit, ex quibus postquàm intelligibilem mundum constituit, ad illius exemplar sensibilem hunc condidit.

Quemadmodum igitur illa in architecto præsignata verbs, locum extrà nullum habuit, tantùm impressa artificis animo: Eodem modo ne ille quidem ex idæis constans mundus, alibi locum habere poterat, quàm in Dei verbo, quod adornauit hæc omnia. *Philo Iudæus de mundi opificio.*

Sicut omnes homines naturaliter cognoscunt Deum, nõ autẽ videntur verè cognoscere quia nõ dignè colunt, sicut serui dominũ, sicut factura factorem. Sic & Deus naturaliter omnes cognoscit, sed non eos videtur verè cognoscere: quia non eos diligit, quasi factor facturam, quasi Dominus proprios seruos. *Chrysost.* Ho. 10. *operis imperfecti.*

Vt in arbore quamuis plurimos ramos producat, tamen omnium ramorum vna dicitur radix: Sic & in mundo quãuis homo hominem generet, tamẽ vnus est pater, qui omnes creauit. *Idem, Hom.* 43.

Quemadmodum cum condenda est domus, in opifice pendere omnia dicimus, tametsi ille id opus per se exequi nequeat. Sed & materia est ad structuram necessaria, & se iuuantium ministrorum indiget opera. Sed quoniam illi absoluenda est domus, fatemur illius esse omne id opus: Sic item dicere de Deo solemus, & in eius potestate cuncta cõsistere: qui nihil à nobis nisi animi exigat promptitudinẽ, & quoniam finem ille rebus imponit. & benemerentes coronat, damnátque fontes, dicimus vniuersa in eius potestate consistere. *Theophylactus, in cap. 9. ad Rom.*

Omnes artifices egent auxilio, quum quippiam suæ artis in medium proferendum iudicant: vtpote nautæ egent fabro, &c. Deus nihil. *Theodoretus, ser.* 3.

Quemadmodum Deus ipse non habet principium & finem: Ita nec eius actio, nec opera. Sunt enim eius actiones in eius operibus. Ita fiet, vt quemadmodum faciente non eget, sic nec ea quæ dicuntur eius opera. Erit & falsum dicere, Deum conditorem eorum quæ sunt secundum ipsum, & principio & fine carentia. *Iustinus, in Refutatione non rectæ responsionis gentilis, ad secundam quæstionem Christianorum.*

Quemadmodum quum facit nos Deus primùm infantes, deinde adolescentes, deinde senes, non facit mutatione potentiæ, nec actionis corruptione, nec quia concutia-

tur eius substantia, dum mutat ætates nostras secundum diuersa tempora, quæ inter se sic differant, vt sint alia aliis anteriora, alia posteriora: sed id facit, quia actionem vel adhibet, vel cohibet: Ita non mutatione potentiæ principium & finem habet eius actio, sed quia eam vel adhibet, vel cohibet. *Idem, in Refutatione non rectæ responsionis gentilis, ad 11. quæstionem.*

Sicut videmus quòd geniriua, vt homo quiuis, qui generatus ipse, genitiua facit, & omnino genitiua genitè genita, genitiua faciunt, & ex se faciunt: Eodem modo Deus quoque, cum sit ingenitus, ingenitè facit omnia, ita vt non gignantur, sed simul consistant: & potentiæ quidem infinitate diuersa. *Idem, in Responsione gentilis ad 3. quæst. Christianorum.*

Quemadmodum non potest dextrum esse, quin sit sinistrum: neque sinistrum, quin sit dextrum: Ita non potest opifex esse sine opificio, nec opificium sine opifice. Ergo si ingenitus est opifex, ingenitum est etiam opificium. Quòd si quis velit dicere prius fuisse opificem, deinde opificium, incidet in aliud absurdum. Inuenietur enim dicere, opificem esse potentia, non actione: quod nihil aliud est, quàm Deum dicere imperfectum. *Idem, in responsione gentilis ad quæst 4. Christianorum.*

Quemadmodum accusari non potest Deus infirmitatis potentiæ, quòd cum non plures, sed vnum fecisset mundum, desiit facere: Sic accusari non potest imperfectionis virium, quòd non simul ac fuit, mundum fecit, sed cum voluit. *Idem, in Refutatione responsionis gentilis ad 3. quæst. Christianorum.*

Verus sermo docet simplicem esse Deum, & vnam simplicem habere operationem, omnibus omnia operantem, instar solis radij: qui omnia fouet, & in vnoquoque secundum naturalem habilitatem, & quantum capere potest, operationis virtutem. *Damascenus. lib. 1. cap. 13. Orthod. fidei.*

Quodcunque genitum, à Deo genitum, hoc est, à bono, & ab eo quod omnia potest. Vide quomodo ille quidem facit, quo modo etiam illa fiunt. Quod si comprehendere velis, licet imaginem perpulchram ac similem intueri. Aspice precor agricultorem semina in terræ gremium diffun

dentem, alibi quidem triticum, hordeum alibi, alibi verò reliqui generis semina. Aspice eundem vites, malósque, & ficus repastinantem, atque amputantē. Eodem modo Deus ipse in cœlum quidem serit immortalitatem, in terram verò mutationem, in totum denique mundum vitam ac motum. *Trismegistus, in Pymandro.*

Diuinæ voluntatis organum hac potissimum ratione constructum, vt à Deo semina suscipiens vniuersa, cáque tuto sinu recondens, omnia quidem componendo producat, omnia rursus auferat diuidendo: Atque instar agricultoris periti, quodcunque minus adultum est, amputat, vt statutis temporum interuallis iterum reuiresca. *Ibidem, in Pymandro.*

Neque verò quemadmodum solis radius fulgore nimio corrumpit oculos, caligantésque reddit, fit ipsius boni eō spectio. Illustrat enim, atque oculi lucem eo magis exauget, quo quis capere magis potest intelligibilis splendoris influxum. Velocior est diuina lux, & acutior ad penetrandum, innocentia præterea & immortalitate singula complens. *Ibidem, in Pyman.*

Sicut veniente Sole, tenebræ eius præsertiam sustinere nō possunt, sed subitò subterfugiunt, nihil solem impediētes: Sic vndíque refulgente potestate Dei, quæ replet omnia bonis, perturbatio omnis, quæ solet à spiritibus malis accidere, nullum habet locum, sed repentè disperditur. Bonis enim numinibus omnino præsentibus, mali spiritus euanescunt, neque mouere se valent, neque splendorem obfuscare diuinum. *Iamblichus, de Mysteriis.*

Similiter & corporis sensus aperiūtur ad imperium eius videlicet visus ad rectè videndum: auditus ad audiendum Dei verba: gustus ad gustanda: odoratus ad odoranda: tactus ad tangenda: oculi quoque ad vigilandum & plorandum: os ad verum loquendum: manus ad rectè operandū: pedes ad ambulandum quò debent: Sícque vna sola volūtas postquam Dei voluntati est iuncta, tot virtutes generat, & opera bona. *Anselmus, in humilitudinibus.*

Deus ipse sic inimicitias exercet aduersus diabolū, quomodo rex quidam contra principem quendam inimicum suum. *Ibidem.*

Sic mundum regi à Deo dicimus, vtà rectore prouinciam. Cuius apparitores nemo socios esse in regenda prouincia dixerit, quamuis illorum ministerio res geratur. Et hi tamen possunt aliquid præter iussa rectoris, per ipsius ignorantiam, quæ est conditionis humanæ: Ille autem præses mundi, & rector vniuersi, qui scit omnia, cuius diuinis oculis nihil septum est, solus habet rerum omnium cum filio suo potestatem: nec est in angelis quicquam, nisi parendi necessitas. *Lactantius Lib. 2 cap. 17.*

Si Deus fecit mundum, fuit ergo sine mundo. Si regit, non vtique sicut mens corpus regit, sed tanquam dominus domum, nauimque gubernator, auriga currum: nec tamen misti sunt iis rebus, quas regunt. *Idem Lib. 7. De diuino præmio, cap. 3.*

DEI OPERA INSCRVTABILIA.

Sicut ignoras, quomodo anima iungatur corpori, & ossa compingantur in vtero prægnantis: Sic nunquam intelligere poteris rationem vllius earum rerum, quas Deus fecit tam multas & varias. *Eccli. 11.*

Quemadmodum si ex profundissimo & iugi fonte quantumuis aquæ hauries, nihil tamen is diminuitur: Ita in vnigeniti operibus, quodcumque ex his factum productúve credideris, nihilominus efficit. *Chrysost. Hom. 4. in Ioan.*

Sicuti qui omnes fluuij partes æquè transire vult, hic maximè fluminum proprietates ignorat, & sæpe dum nimis præsumit secreta penetrare, omissis planioribus locis, perit temeritate sua: Ita & in Deo qui scire omnia vult, & cuncta improba temeritate rimari, hic qui sit Deus, ignorat. Quemadmodum igitur in fluminibus maior pars tuta est, paucique sunt fluctus atque profunda · Ita in Deo pars maior occulta est, neque inuestigari possunt opera ipsius, Quid ergo teipsum præcipitare moliris? *Idem Homil. 8. De diuersis.*

Quemadmodũ per solarem radium solis, quamuis multũ distemus, coniungimur, & cum illo sumus, extremitatibus per medium radiũ connexis: Sic Deus per intermedium spiritum hominẽ ad se pertraxit, purissimæ naturæ

quasi radium emittens in Adæ vultum, Radius autem ille est immutabilis, & nulli exitio subiecti Spiritus sancti substantia. Verùm id accidit, vt in genito genitum, quatenus phas est, coniungatur Deo, videlicet mente percepto, vt nobis quàm proximè adest, & quomodo quàm longissimè abest, respectu habito eius erga nos iræ vel misericordiæ & beneuolentiæ, in faciem inspirauit: qui locus sensuum sedes agnoscitur, vbi, seu in turri aliqua excelsa, suum domicilium nacti sunt. *Procopius in Genesin capite primo.*

Quemadmodum rex aliquis qui in vrbe aliqua quid fieri præcipit, vbi factum est, id laude insigni ferre consueuit, postea id ad vsum, quem animo destinauit, accommodat: Simili ratione præcepit Deus, vt oriatur lux: exortam collaudauit. Postea eam dispositit ad eum modum, quo existimabat mundo vsui futuram. *Idem in Genesi cap. 1.*

Vt creaturam non in cœlo tantùm miramur, & terra, sole, oceano, elephantis, camelis, equis, bubus, pardis, vrsis, leonibus: sed & in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis, & istiusmodi genere, quorum magis scimus corpora, quàm nomina: eandemque in cunctis veneramur solertiam: Ita mens Christo dedita, æquè & inmaioribus, & in minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem. *Hieronymus ad Heliodorum, in epitaphio Nepotiani.*

Quemadmodum igne qui vult calefieri, sufficit si tangat illum: nam si interius mittat manum, pro eo quod potuit calefieri, comburitur: Sic & qui profundius vel altius de deo disputare præsumit, pro eo quòd gloriosius quid vult ostendere, in blasphemiam cadit, dum comprehendere altitudinem diuinorũ dogmatum non possit. *Ischius In Leuiticum lib. 1. cap. 6.*

Omnis vita prolem suam pene in seipsa prius generat quàm seorsum: & quo præstantior vita est, eo interiorem sibimet generat prolem. Sic vita vegetatiua, tam in arboribus quàm in animalibus, semen quasi arborem: & quasi animal in corpore proprio prius generat, quam aut iaciat extrà, aut arborem inde, aliud ve externum producat. Sic sensitiua vita, quæ est vegetatiua præstantior, per phantasiam in se simulachrum intentionemque rerum parit, priusquam membra moueat, & in externa materia fabricet. Sed

sicut fœtus phantasiæ, quia in ipsamet anima est, ideo propinquior est animæ quàm fœtus vegetatiuæ vitæ qui non fit in anima, sed in corpore: Sic vita rationalis, quæ est excellentior quam sensitiua, parturit in seipsa rationem tum rerum, tum suiipsius, quasi fœtum prius quam vel loquendo vel agendo promat in lucem. Primus ille rationis propinquior est animæ, quàm phantasiæ fœtus. Vis enim rationalis in fœtum suum, perque illum in seipsam reflectitur, actum suum, seque ipsum quærendo, cognoscendo, amando: quod non efficit phantasia. Sic angelica vita, excellentior quàm rationalis, notionis suiipsius, & rerum diuino quodam instinctu promit in se, antequam depromat in mundi materiam. Proles hæc inferior est angelo, quàm ratione sua: quia neque ab externis obiectis sigillatim incitata est, neque imitatur. Quamobrem diuina vita quia eminentissima est, & fœcundissima omnium, multo magis prolem sui simillimam quàm reliqua generat ac eam in se generat, prius quàm pariat extrà. Generat, inquam & in seipso omnia, perfectam totiussui intelligendo prout perfecte Deus intelligendo seipsum, & omnium notionem concipit in seipso: quę quidem æqualis, plenaque Dei imago est, & exemplar mundi super plenum. Hanc Palladem appellauit Orpheus, solo Iouis capite natam. Hunc Dei patris filium Plato in Epistola ad Hermiam, nominauit. In Epinomide nuncupauit Logon, id est, rationem ac verbum, dicens: Logos omnium diuinissimus, mundum hunc visibilem exornauit. Mercurius Trismegistus, de Verbo & filio Dei, ac etiam de Spiritu sæpe mẽtionem facit. Zoroaster quoque intellectualem Deo prolem attribuit. *Ficinus lib. de religione Christiana. cap. 13.*

Romæ & in plerisque vrbibus scimus esse quædã sacra, quæ aspici à viris nefas habeatur. Abstinent igitur aspectu, quibus contaminare illa non licet: & si forte vel errore vel casu quispiam vir aspexerit, primò pœna eius, deinde instauratione sacrificij scelus expiatur. Quid his facias, qui inconcessa scrutari volunt? Nimirum multò sceleratiores, qui arcana mundi, & hoc cœleste templum prophanare impiis disputationibus quærunt, quàm qui ædem vestæ, aut Bonæ deæ, aut Cereris intrauerint. Quæ penetralia, quamuis adire viris non liceat, tamen à viris fabri-

cata sunt. Hi verò non tantũ impietatis crimen effugiunt, sed quod est multò indignius, eloquentiæ famã & ingenij gloriam consequuntur. *Lactantius lib. 3. institutionum. cap. 20*

Quemadmodum in domo prudentissimi patris familiãs nihil iniussu eius agitur: Sic in omni mundo nihil iniussu Dei geritur, omnia potentis & scientis. Illi angelos, dæmones, homines, animantia, stirpes, lapides, cœlos & elementa, cuncta denique, curæ esse, ac parere Nihil fieri nihil moueri, nihil contingere, ac ne stipulam quidem attolli vllam, aut floccum volitare, extra illius præscripta iussa. *Ludouicus viues in introductione ad sapientiam. cap. 7.*

Vide curiositas.

DIABOLVS.

QVemadmodum qui pecora abigũt, frondes porrigũt: Ita dæmones, omnia fortunæ lucibria, & voluptates animabus protendunt, quo possint tandem eas inescare, & in seruitutem redigere. *Clemens Alexand. lib. 2. strom.*

Suppetit illis ad vtrãq; substantiã hominis lædendã subtilitas & tenuitas sua, multũ spiritalibus vocibus, licet & in uisibiles & insensibiles in effectu potius quã in actu suo appareant. Si poma, si fruges nescio quod auræ latẽs vitiũ in flore precipitat, in germine exanimat, in pubertate conuulnerat: Si cæca ratione tentatus aer pestilentes haustus suos effundit. Eadẽ igitur obscuritate cõtagionis, aspiratio dæmonũ & angelorũ mẽtis quoq; corruptelas agit furoribus, & amentiis fœdis, & sæuis libidinibus cum erroribus variis. *Tertullianus in Apologet. cap. 22.*

Sicut scorpij & serpentes qui in sicco prævalent, in aquã precipitati prævalere nõ possũt, aut sua venena retinere: Sic & spũs nequã qui scorpii & serpẽtes appellãtur, & tamẽ per nos data à domino potestate calcati, permanere vltrà non possũt in hominũ corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit spiritussanctus habitare. Hoc deniq; & rebus ipsis experimur, vt necessitate vrgente, in ægritudine baptizati, & gratiam consecuti, carent immũdo, quo antea mouebãtur, & laudabiles in ecclesia viuunt. *Cyprianus lib. 4. epist. 7.*

Quod si aliquis in illo mouetur, quod quidã ægri baptizãtur, spiritibus adhuc immũdis tentãtur, sciat diaboli nequitiã pertinacẽ vsq; ad aquam salutarem valere, in baptismo

vero omne nequitiæ virus amittere. Quod exẽplo cernim⁹ in rege Pharaone, qui diu reluctatus, ac in perfidia sua demoratus, tãdiu resistere potuit & prævalere donec ad aquas veniret quo nõ veniſſet, & vict⁹, est extinct⁹. *Idẽ epi. ad Mat.*

Diabolus dictus serpẽs, quia cũ latẽter obrepit, cũ per pacis imaginẽ fallens occultis accessibus serpit (vnde nomen serpentis accepit) ea est eius astutia, ea est circumueniendi hominis cæca & latebrosa fallacia, vt asserere videatur noctẽ pro die venenũ ꝓ salute, desperationẽ sub obtentu spei, perfidiã sub prætextu fidei. Antichristũ sub vocabulo Christi, vt dũ verisimilia mẽtitur, veritatẽ subtilitate frustretur. Nã transfigurat se in angelũ lucis. *Idẽ de simplicitate prælatorũ.*

Sicuti hamum esca conseptũ si piscis rapiat, non solum escam cum hamo non remouet, sed & ipse de profundo esca aliis futurus educitur: Ita & is qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Iesu, non sentiens in eo hamum diuinitatis inclusum, sed vbi deuorauit, hæsit ipse continuò, & disruptis inferni claustris, velut de profundo tractus traditur, vt esca cæteris fiat. *Idẽ in simb. Apost.*

Quomodo quasdam illecebras escarum aucupes proponunt, vt facilius aues capiant, per oblectamentum gulæ: Sic est quædam castitas Diaboli, id est decipula humanæ animæ, vt per huiusmodi castitatem & mansuetudinem, & iustitiam possit facilius capere, & falsis sermonibus irretire. *Origen. hom. 7. in Ezechiel.*

Quemadmodũ venter, cũ nõ sit Deus tamẽ voluptatib⁹ deditorũ, qui pluris faciũt voluptatem quam amorẽ Dei, à Paulo dicitur deus. Sic & qui non est Deus princeps huius seculi, de quo dicit seruator, princeps mundi huius iam iudicatus est, Deus esse dicitur eorum, qui recusant accipere spiritum adoptionis filiorũ Dei, vt fierent filij seculi illius, ac resurrectionis ex mortuis, & propter hoc perseuerarunt in conditione filiorum seculi huius. *Idem in cap. 15. Math.*

Videtur quæq; dæmonum species habere inter animalia quampiam speciem sibi similẽ. Et quemadmodum inter homines alij aliis sunt potentiores, non semper quia meliores: Ita fieri potest vt dæmones dæmonibus sint potiores in rebus indifferentibus, vtentes aliis animalibus alij, quo decipiant homines, iuxta voluntatem principis huius seculi, vt cum scriptura nominat

nunc hæc nunc illa mittentes prodigia. *Idem lib. 4. contra Celsum.*

Quemadmodum non optaremus nobis fauorem hominum ad malos suos mores pertrahere nos volentium, si nemini beneuoli essent ex factione sibi aduersaria: quia horum beneuolentia facit nos inimicos Deo, fortasse non futuro beneuolo habentibus tales beneuolos: Ita qui norunt dæmonum naturam, voluntatem, malitiam, nunquam optabunt eorum beneuolétiam. Nam etiamsi eis non bene velint dæmones, nullo tamen malo possunt afficere custoditos, propter pietatem à Deo suo & ouium Domino, mittente angelos suos ad præsidium eorum qui digni sunt ne lædantur à dæmonibus. *Idem lib. 7.*

Sic Diabol' obsessa semel corpora molliſſimis seductionibus decipit, hic diabolus calliditate veteris artificij condit blandimenta peccandi. Quomodo solent qui mortiferos herbarum temperant succos in condito aut in aliquo mellito poculo, nescientibus propinare virus amaritudinis, obscurant fraude dulcedinis: prouocat prius odor poculi, sed præfocat infusus sapor in virus, mel est quod ascendit in labia, fel est quod descendit in viscera: Ita diabolus per rerum carnalium concupiscentias & illicitas voluptates, extrinsecus blanditur, intrinsecus insidiatur, interficit spiritum, dum oblectat affectum. *Eusebius emissenus hom. 3. de Epyphania.*

Sicut mendacem quempiam non potest reum tenere falsarius, sicut nec adulterum accusare audet incestus, nec homicidam paterno sanguine cruentus: Sic Diabolum dominari in hominem sacrilegæ cupiditatis excessu, sequentis sacrilegij prohibuit magnitudo: Sic inquam in homine diabolus cœlestis regis offensam vltra exaggerare non potuit, postquam ipse cruci regem cœli per societatem carnis affixit. *Idem hom. 11. de pascha.*

Perdix fouit quæ non peperit. Perdix diabolus pro nequitia vel multarum rerum comparatione perhibetur. Hæc auis quocunque casu vel feræ alicuius incursu priuata fuerit ouis propriis, insidiatur alienis, & nidi habitatore depulso partus inuadit extraneos: quos cum vsque ad spem fœtuũ genitali lepore confouerit, parentem eum præda efficit nõ natura: interea verus pater vocanti ac lamentanti similis,

syluas quæstibus replet: tunc adulta iam soboles voce proprij genitoris audita, curam queruli clamoris intelligit, atque ita ad originariam sedem læta peruolant nutrimenta, generis sui consci a, & adulteri nutritoris oblita. Quid adhæc dicis ô homo prętiosum vas sapientiæ, imago diuinitatis, & possessor generosæ rationis? Quid de creatore tuo subtrahis? ecce etiam bruta cognoscunt quid proprio debeatur auctori: & quæ non habēt intellectum, habere probantur affectum. Callidum persuasorem captiua generatio derelinquit, remanet præda deceptus & raptor orbatus. Igitur & diabolus humanum genus quod non creauerat, occupauerat: Quod non genuerat mentito patris nomine possidebat, sed vbi vocem per Prophetas vel per semetipsum pius auctor emisit, vbi perditis salutifera charitas inclamauit dicens, venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, aduerte quod sub nomine oneris pondus indicat seruitutis. Ad paternos sinus cōfestim auidum cucurrit examen: tunc princeps mundi huius sub aduētu Domini saluatoris in dimidio dierum suorum perdidit, quos se in finem vsque seculi possessurum esse credebat, & in gremium redemptionis captiuitatem perditio inuita transfudit. *Ibidem.*

Sicut in negotiis gerendis quatuor modis homo causa cadere dicitur: id est, quatuor modis plus petendo subire periculum pro iuris ratione perhibetur: loco, tempore, genere, quantitate. Loco si alibi forte sibi debitum solui improbus fœnerator extorserit, quam vbi causatio designabat. Tempore, si citius. Quantitate si amplius petiuerit. Genere, si alterius rei ac melioris materiæ mercem quam scriptura cōtinebat exegerit. Videamus quo hic modo diabolus causa cadit. Genere sine dubio: homo enim ille debebatur per inobedientiam, ille Deum appetiit per superbiam. Sic ergò plus petendi periculum, humana specie seductus, & Deum in homine persecutus incurrit, & dum impiè appetit innocentem perdit debitorem. *Ibid.*

Quemadmodum triticū in cribro eius qui tractat illud, alliditur, & agitatum in ipso assiduè vertitur: ita princeps nequitiæ cunctos homines rebus terrenis occupatos tenet, & eiusmodi occupationibus eos agitat, turbat & commouet, efficitque vt vanis cogitationibus allidantur, dum ob-

scœnis desideriis, & terrenis atque secularibus laqueis vni uersum genus Adæ peccato obnoxium sine intermissione captiuat, agitat atq; decipit: sicuti Dominus nequam illum prædicebat in Apostolos insurrecturum. *Expetiuit Satanas cribarre vos sicut triticum. Macarius hom. 6.*

Qua enim ratione ventus vnus sufficit ad omnes plãtas & semina agitanda & concutienda: aut sicut noctis vnius tenebræ per vniuersam terram extenduntur: Ita princeps nequitiæ quiquidem se habet ad instar tenebrarum rationalium peccati & mortis, & est velut quidã ventus latés & agrestis, omne genus hominum quod est supra terram perturbat, & circum agitat volubilibus cogitationibus. *Ibid.*

Cum iniquitas transfiguretur in angelum lucis, & gratiæ similis sit, qui perspiciet homo semitas diaboli? Et quo pacto amplectetur & discernet semitas gratiæ? Quia quæ procedunt à gratia, lætitia prædita sunt, pace, charitate, ac veritate. Ipsa autem veritas compellit hominem indagare veritatem: quæ autem proficiscuntur ab iniquitate, turbatione plena sunt, nec habent dilectionem aut gaudium erga Deum. Quemadmodum intybus lactucæ similis est: hæc tamen dulcis, illa autem amara, licet inter se similitudinem habeant. *Idem hom. 7.*

Quemadmodum si fuerit in aliqua domo quidam adolescens, similiter & iuuencula, quæ ab illo blanditiis illecta, assentiatur illi, stuprum cõmittit, & fit dignus qui expellatur: Ita dirus ille serpens comitatur animam, alliciens eam & prouocans: quæ si assentiatur, communicat anima incorporea cum vitio spiritus incorporei, hoc est spiritus cum spiritu communionem habet, & fornicatur in corde suo is qui assentitur, & cogitationem nequissimi recipit. *Idem hom. 15.*

An Satanas ad certum modum lauatur, an pro libidine impugnet? *Responsio.* Impetus illius non solũ fertur aduersus Christianos, sed etiã in idololatras, ac vniuersũ mũdũ. Ideóq; si cõcederetur ille bellum inferre pro volũtate, omnes equidem deleret: Cur? Nempè quod in eo versatur eius opus ac desiderium. Itaque sicut figulus vasa missurus in fornacem, temperatè illam accendit, non intensè, ne cocta plusquam decet elidantur: nec remissè, ne cruda dissoluantur. Itidem si argentarius atque artifex ad certum modum

ignem mittit: si enim excedat ignis, soluitur aurum & argẽtum liquefit & perit: ſi deniq; mens humana nouit seruata proportione aptare onera iumento, camelo aut alij cuipiam animali, quatenus ea ferre potest: quantomagis Deus qui nouit hominum vasa, variis modis laxat aduersariam potestatem *Idem hom. 26.*

Velut sarmenta in ignẽ proiecta, facultati ignis resistere nequeũt, sed statim exuruntur: ita dæmones qui bellũ inferre volunt homini Spiritum sanctum adepto, vruntur & absumũtur ab ignis diuina potẽtia: modo homo semper Domino adhæreat, fiduciã & spem habens in eum. *Idem ho. 43.*

Veluti publicani sedent iuxta vias angustas, & retinent atque concutiunt prætereuntes: ita dæmones obseruant & detinent animas: quas nisi plenè fuerint expurgatæ, dum decedunt è corpore, non sinunt ad cœli mansiones ascendere, & occurrere Domino suo: quia deturbantur à dæmonibus aẽriis. *Ibidem.*

Vbi vidit hominem ad ipsius imaginem factum, quum non posset in auctorẽ ipsum, quem ante omnes lædere cupit, in eius imaginem suam exercuit malignitatem. Veluti si quis homo, quando regem inimicum attingere non valet, eius simulacrum cæderet. Vidi ego iam, partim audiui, res certa est, inter animalia hominibus inimicissima, pardalim quandóque in biuiis hominis oculos præ ira inuadentem. Qui feræ deludere furorem quærunt, hominis imaginem eis ex charta ostendunt. Illa statim furibunda eam concerpit atque dilacerat: hoc argumento satis ostendens, quanta sit eius aduersus hominem inimicitia. Sic item Diabolus in Dei imagine quo sit erga Deum odio ostendit, quando Deum ipsum attingere nequit. *Basil. in aliquot scripturæ locos hom. 21.*

Quemadmodũ peruersi quidã & subdoli homines, quorum studium est & propositum ex aliorum bonis ditescere, eam tamen potentiam non habent vt aperta violentia vtantur, vias insidiosè obsidere solent, & si locum aliquem circa illas aut conuallibus profundis interruptum, aut dumorum densitate obscurum viderint in illum sese abdũt, & huiusmodi velamẽto viatorũ circũquáq; conseptũ, ne prę uideãtur, amoliti ex inopino illos adoriũtur, ne quisquam eorũ laqueos periculosos videre prius queat, quam in illo

incidat: ita & Satan infensus nobis & antiquus hostis mundanarum oblectationum vmbris sese insinuans, quæ periculosæ circa vitæ huius viam latronem occulere solent, & latibula præbere insidiatori, inde improuisos nobis perditionis laqueos substernit. *Idem in hom, non esse adhærendum rebus secularibus.*

Diabolus à virgine repellitur, non secus ac machina à muro firmo & generoso, ob verba & orationes profugus. *Gregor. Nazianz. oratione in sanctum Cyprianum.*

Enimverò & diabolus tunc infestat vehemétius, & sicut piratæ nauigantes in mari, non tunc insidiatur, cum è portu vident egredientes. Nam quid prodesset inuadere nauem vacuam? sed tunc omnes artes mouent, cum onustę redeunt. Ita & malignus ille dæmon, cum nos viderit multa conuexisse, nempè ieiunium, preces, eleemosynas, continentiam, aliásque virtutes omnes, essèque nauim nostram gemmis pietatis plenam, tunc vndequáque sese obiicit, vt thesaurũ rapiat, & in ipso portus ingressu vincat & spoliet. *Chrysost. hom. 3. de Ozia. & hom 31. in Genesin.*

Quemadmodum canis assistens mensæ, si viderit hominem vescentem, subinde aliquid eorum quę in mensa sunt, ipsi proiicientem, manet assiduè. Quod si semel atque iterum sic astitit, vt discesserit nihil adeptus, protinus abstinet, veluti qui iam frustra & incassum assistat. Itidem & diabolus iugiter nobis inhiat, si quod blasphemum verbum ipsi seu cani proiiciamus, hoc accepto rursus aggreditur. Quod si perseueraueris gratias agere, iugulaueris illum fame, celeritérque abegeris, & aufugere coegeris. *Idem concione 3. de Lazaro.*

Quemadmodum fit in nauigiis, qui vacuam habent nauem, non metuunt piratarum insultum, non enim veniunt vt conterant nauem nihil vehentem, cæterum hi qui nauem habent onustam, metuunt piratas. Nam pirata illuc properat vbi aurum, vbi argentum, vbi lapides prætiosi: Sic & diabolus non facile persequitur peccatorem, sed iustum potius vbi multæ sunt opes. *Idem hom. 4. de verbis Isaiæ, vidi Dominum.*

Ne miremur quod spiritalibus instantes, multa patiamur aduersa. Quemadmodum enim latrones, non vbi Fœnum & paleæ & calamus, sed vbi aurum & argentum, ibi effodiunt

effodiunt, & continuò vigilant: Sic diabolus his maximè instat, qui spiritualia attingunt negotia. Ibi multæ insidiæ, vbi virtus: illic inuidia, vbi misericordia. *Idem hom.* 1. *ad pop. Antioch.*

Quemadmodum nos aduersus hostes illa exponimus arma, quibus eos dolore afficiamus: si vero eos minus dolere viderimus, recedimus quasi non habentes quo ipsos mordere possimus: Sic diabolus si viderit deridentem ac despicientem suos conatus, cedit ex via hac non tam vlterius propinquans. *Idem hom.* 5 *de patientia Iob.*

Vt audaces latronum duces, siue impij sepulchrorum effossores, si fortè dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, arma vel ornamenta imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi prædarum, tamen ita agnitis regis insignibus deterrentur vt fugiant, neque cominus accedere, vel attingere audeant: Ita profecto & dæmones, qui verè latronum & principes & magistri sunt, vbi armatorũ martyrum corpora viderint posita, longe illico à cõspectu eorum fugiunt, & absistunt. Non enim ad naturam eorum intendunt, sed in arcanam dignitatem & gloriam Christi, qui in agone certantium induta corpora martyrum suorũ, sicut arma portauit. *Idem hom. de Natiuitate* 7. *Machab.*

Quemadmodum hi qui parietes suffodiunt, noctis tempore, extincto lumine, & furari opes & earum Dominos cum omni facultate iugulare possunt: ita & hic per cæcæ noctis horrorem ac tenebras merorem effundens cogitationes omnes, quæ ad munimen nostrum esse possunt subducere prius ac furari nititur, vt desertam ac sine adiutorio animam inuadens, plagis eam innumeris confodiat. At verò cum quis summa & intentissima in Deum spe assurgens has tenebras diffecerit, atque ad solem iustitiæ confugiens, clarissimum illius iubar totis animæ sinibus haurire & recondere studuerit, protinus cogitationum suarum tumultum in latronem illum impurum transfundet. Nam & qui furta noctu aucupantur, cum quis illos deprehenderit, ac lumen ostenderit tremunt, fluctuãt atque perturbantur. *Idem lib.* 2. *de prouidentia Dei.*

Adducens draconem in hamo. Sicut in hamo escæ præda posita pisces illudimus, & decipimus, qui videntes escam hamum nõ considerant, & dum auidi prædam volunt rapere

hamo capiuntur: sic & diabolo contigit, dum tãtum corpus hominis in filio dei considerat, & Deum in corpore non agnoscit, quasi ad præparatam sibi prædã solita rapina festinat Sed dum vult auidus prædam rapere, ipse draco vt piscis adductus in hamo, præda Domini captus efficitur. Hunc diabolum nõ solum draconem hamo adducti, sed tãquam passerem ab infante illudi idem Iob in sequentibus declarauit, dicendo: Alligabis autem tanquam auem, & illudes illi, tãquam infantes passeri. In quibus & potẽtia filij Dei, & infirmitas diaboli demonstrata est. Quia sicut auem alligari facile est, & infãtibus de passeribus ludere, ita filio Dei facile fuit potentem Deum annullare, qui aduersus homines quidem semper potens fuit, sed aduersus Dominum miser & infirmus repertus est. *Idem ho. 5. ex variis in Mat. lacis.*

Si nautæ vnam stellam aspicientes, nõ dicam vnãquamque prouincią vel insulam, sed ad vnamquamque ciuitatẽ, & ad singula loca quæ petũt sine aliquo errore, aut diuagatione dirigunt cursum. Quãtomagis diabolus qui princeps aeris constitutus, totam terram non solum sciebat, sed etiã videbat. Poterat ergo Christo singula loca digito demonstrare, & vniuscuiusque regni honores & statum verbis exponere? *Idem hom. 5. operis imperfecti.*

Sicut pisces fortiores semper deuorãt infirmiores: ita Diabolus cum delectatione compellit homines in malaopera, vt alterutrum se comedant. *Idem. ho. 7.*

Sicut homo sine armis nõ potest aliquid facere cõtra hostẽ: Ita diabolus sine homine non valet aliquid contra hostes. *Idem hom. 14.*

Sicut homo malignus, si viderit aliquẽ orphanũ habere substãtiam paternã, ducit eũ frequẽter ad prãdiũ, donat illi interdũ aliq; speciosũ vestimẽtũ, loquitur illi dulces sermones, donec tollat facultates eius: Sic & diabolus videshominẽ habentẽ in se thesaurũ cœlestẽ, id est animã immortalẽ à Deo creatã, sapiẽte cœlestẽ in arca terrena positã, ideò ostẽdit illi aurũ & argẽtũ, & cõcupiscibilia ornamẽta, ostendit illi vestes ptiosas, & delitiosos cibos, & gloriosos honores, vt per hoc subiugãs cũ voluptatib' suis auferat salutẽ animæ eius, & corrumpat gratiam cordis ipsius. *Idem hom. 27.*

Quemadmodũ si rex in bello victus atq; fugatus ab alio rege, iudueret vestimẽtũ regis illius victoris, & in parte sua erigat simile signũ signo regis illius, vt ille popul' schema

sui regis aspicies, & signū partis ipsius, dū putat se ad proprium currere regem incurrat in manus aduersarij sui: Sic & diabolus subornat ministros suos sub nomine Christi, vt volentes homines ire ad Christum, similitudine nominis tenebricati, ad diabolum vadant. *Idem hom.* 48.

Deus diabolū habitare voluit, tanquā prędonē quēpiam ac tyrannū, qui nisi qué apprehendat inermē, & solitariū, in suas spelūcas descendentem, accedere sanè nō sustinet, nisi nos per desertum locū, iter faciētes viderit, appropinquare nō audet. Desertus autem locus diaboli nihil aliud est, nisi peccatū. Opus est ergò nobis fidei scuto, salutis galea, spiritus gladio, nō vt ne malū aliquod patiamur tantū, sed vt illius caput irruere volētis obtrūcemus. Serpētis formā gerit, deorsum trahitur, ab inferiore loco depugnat, ideſt, à reb' quæ infra nos sunt, à voluptate, diuitiis, à secularibus rebus: Si qué viderit volatu ad cœlū ferri, primo saltu eo vsque contingere haudquaquā potest, deinde id aggressus, celeriter labetur: néq; enim pedes habet, ne formides, nō alas, ne terreare, super terrā trahitur, his quę intra sunt adhærescēs. Igitur nihil sit tibi cū terra cōmune, & labore nullo egebis, neq; enim eā pugnam nouit, quæ aduersō vtrínque cornu geritur. sed veluti serpēs spinis occultatur, intra diuitiarū impostura assiduè latitās, quī si spinas incideris facilè aufugiet timidus redditus, si & in illū diuinas incantationes canere noueris, statim vulnerabitur. Sūt enim nobis incantationes spirituales, ipsum nomē Domini nostri Iesu Christi, atque ipsius crucis potētia. Hęc ipsa incantatio, nō solum draconē à spoliis abigit, atq; in ignē conijcit, sed & vulneribus quoque medetur. *Idem hom. octaua in epist. ad Ro.*

Sicut auceps auium, aut viſco aut reti in grano aliquo captum tenet passerē, & manu sua subtilissimo funiculo ligatū retinet, & quasi dimittens laxum de manu sua, dans ei liberā volandi potestatem: at ille auidus ad volandum euasúmque se putās, alacer altiora appetit: sed iste summum funiculum tenens, restringit eum cum volauerit, & ad se trahit à spe volandi & viuendi deceptum: Ita & diabolus versutus venator, & per spiritū prēsumptionis laqueo suo deceptū implicat hominem: qui semel hæserit, vult quidē abeo euelli sed vinculum velox venator tenēs, reuocat captū semel in laqueo, & reuolutum premit. Et quidem vinculū

fuxum est, ac facile potest disrumpi: sed desidia nostra & dilatio diuturna, facit vt robustum fiat, & non cito rumpatur. *Idem sermone de pœnitentia.*

Sicut catenas complicantes, si caput quidem retinentem habeant, facile & diligenter totam expediunt nodorum seriem: si verò faciens hoc auertit nemo, nec exordiũ aggredi possunt: Eodem certè modo diabolus quoque peccatorum nostrorum catenas nectens, nisi à lingua nostra principium caperet, nec aggredi quidem posset: si verò nos principium duntaxat fecerimus, velut manu, lingua, iuramentum nobis retinentibus, cum multa iam licentia malignam artem suam exercet, ex vno iuramento innumera componens. *Idem hom. 14. ad pop. Antioch.*

Vt pugiles atque luctatores, quibus nequaquam curæ sit incessus & habitus, verùm his omissis, vestem oleo madidã induant, atque ad vnam tantùm rem intenti sint, quo pacto & aduersarios feriant, & ipsi illorum ictus eludant: Stat ecce diabolus dentibus stridẽs, ac modis omnibus te prosternere cupiens, dum tu circa huiusmodi diabolicum prorsus ornatum aduersaris. *Idem Homil. 8. ad Hebræos.*

Sicut qui iugum suscipiunt Christi, Christus eos delectat in spiritu ne fatigentur in bonis operibus: Sic & qui iugum suscipiunt diaboli, diabolus eos delectat, & decipit, ne discedant à malo impij vsque ad mortem suam. *Idem hom. 23. operis imperfecti.*

Sicut Amalech restitit filiis Israel ne intrarent in terram promissionis: Sic nobis diabolus. Sed vincitur quando manus in crucis modũ extendit Moses, id est, Christus in cruce. *August. lib. 3. de Trinit. cap. 55.*

Sicut exercitus pugnaturi, ea loca per quæ venturas hostium turmas sciant, aut foueis intercludere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur, scilicet, vt etiamsi non in omnia ea quispiam incidat, nullus tamen penitus euadat: Ita etiam dæmones tam multas in vita ista humano generi illecebrarum insidias prætenderunt, vt etsi plurimas earum aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur. *Salustianus lib. 6. de Prouidentia.*

Quomodo Pharao ab Hebræis exigebat inexorabiliter laterum confectionem, non dabat autem paleas per quas fiunt: Ita diabolus ab his qui sibi seruiunt, necessario exigit

inquinamentum & immunditiam, eos ferociter intendens ad rabida desideria. Reddit autem rem paratu difficillimã, ne facilitate cito veniat in satietatem & contemptum. *Cyrillus Alexandrinus in collectaneis cap. 6.*

Martinus diocesim Candacensem visitaturus cum frequẽtissimo discipulorum comitatu, mergos in flumine cõspicatur, piscũ prædã sequi, & rapacem ingluuiem assiduis vrgere capturis. Forma inquit, hæc dæmonũ est, insidiatur incautis, capiũt nescientes, captos deuorant, exaturaríque non queũt deuoratis. *Sulpit. de Transitu D. Martini ad Basilam.*

Quemadmodum cum in vrbem quam expugnarit, rex inimicus ingreditur, ciues timore cõterriti passis manibus victori se dedunt. At ille statim deiectis alterius regis imaginibus legibúsque sublatis imagines suas & leges nouas constituit. Quod si ciues legitimo regi clam denuntiarint, vt sibi ferat auxiliũ, & iratus ille aduersus hostẽ exercitum duxerit, ciuésque re intellecta regi suo portas aperuerint, ingrediens ipse captum hostẽ interficit, statuásque suas & pristinas leges restituit. Sic anima post susceptũ Baptisma, à Diabolo fuit expugnata, qui eam pro libidine sua euertit atque vastauit, exturbaráque veri regis imagine suã erexit, fecítque vt misera anima seculi istius curis & solicitudinibus vacaret, & in omnibus vitiis volutaretur. Verum posteaquam sancti magníque regis Iesu Christi benignitas eam ad pœnitentiam reuocauit, læta regi suo fores aperuit. At ille ingressus aduersarium expulit, & turpem eius imaginem legésque nefarias aboleuit, animámque in pristinã libertatem reuocauit, & suam in illa imaginem instaurãs, sanctas ei leges dedit. S. *Isaias abbas oratione 25.*

Sicut qui tyrannidem cupiunt, regnum inuadunt, ac regiam sibi quidem speciem apparatúmque circumponunt, purpuram, coronam, sellã, currum, mores tamen qui regibus conueniunt, imitari nolunt, ideo sæpe expellũtur: Ita diabolus in oraculis edẽdis per statuas, passus est post Christi aduẽtũ. *Theodoret Serm. 5. de curatio. Græcarum affectionum.*

Quomodo au cupes facere solent, qui colũbas quas prius cœperint, exacerbant & surdas faciunt: vt dum ad illas reliquæ columbæ conuenerint, præparatis retibus capiantur: Ita etiam hostis antiquus de tepidis clericis & negligentibus monachis vel desidiosis virginibus exercere con-

sueuit: vt cum in eis oculos patientiæ claruerit, ignémque compunctionis vel flammam veræ charitatis extinxerit, & de solo habitu religionis persuaserit gloriari ad aliorum perditionem, velut indices eos in exemplum proponit ac præparat. *Cæsarius hom. 31.*

Quos tradidi Satanæ vt discant non blasphemare. dicet aliquis, si alios satan castigat, cur non seipsum emendat? Non enim vt castiget, dixit, sed castigandos, quippè qui nemini potest nisi Dei permissu obesse: sicuti & carnifices ipsi, & si nequissimi sint, morte tamen damnatos conficiunt, & multis vt rectè viuant, causam præbent. Verum quomodo Satanæ tradebantur? Qui enim contumax esset & minus obediens, extra Ecclesiam emittebatur, eiiciebatúrque à cætero grege, & nudus mox & desertus lupis dedebatur in prædam. Nam quemadmodum olim nubes tabernaculũ abducebat: Sic Christi Ecclesiam spiritus. Quicunque ergo ex Ecclesia fuerit eiectus, & Spiritu Sãcto priuatus erit hic miser, perfacilis in capturam, tanti est ab aliorum consortio & communione repelli. *Theophylactus in primum caput. 1. Timoth.*

Sicut Deus hominem ad vitam non nisi per virtutem ac laborem vocat: ita diabolus ad mortem per delitias ac voluptates. Et sicut ad verum bonum per fallacia mala, sic ad verum malũ per fallacia bona peruenitur. *Lact. lib. 7. cap. 4.*

Dæmones velut athletæ sunt robustissimi. In athletis autem is est mos, vt fiant inter eos cõparationes, & pro virium ratione inter se cõponãtur. Dedignaretur enim celeberrimus athleta cum eo decertare, qui longo interuallo, viribus sibi esset inferior. Simillimè dæmones nõ admodũ curant defatigari, cum cernunt inertes homines spõte sua ad vitia pronos ac tentationem præueniẽtes, & data opera peccandi occasiones sibi comparantes. Nam hos aut tẽtare non dignantur, aut leui motu eos impellunt ad ea quæ volũt. Vt si gygas aliquis vno digito quẽpiam è populo adterram deiiceret, indignum arbitratus toto vti corpore ad illum superandum. *Isidorus clarius oratione nona tom. 1.*

Quemadmodũ cũ cerneret Pharao populũ augeri, dedit operã vt masculi omnes interficerẽtur, & seruarẽtur fœminæ. Ita & diabol⁹ progressibus nostris inuidẽs, curat vt opti mi quiq; cogitatus tãquã masculi in ipso ortu extinguãtur

molles verò & tenerrimi veluti fœminæ nutriantur. Et quémadmodũ cum res non ceſſiſſet ex voto pharaoni, populúſque fieret fortior, tantùm abeſt, vt quicquam poſthac aduerſus Iſraëlitas Pharao poſſet, vt quo tempore experiri voluit omnes vires ſuas, eodem ipſo tempore cum curribus & equitibus ſuis in mare demerſus fuerit: Ita & cum robuſtior in via Dei euadit homo, nõ ſolũ nihil diabolicæ vires aduerſus hominẽ agere poſſunt, ſed ipſe cum exercitu ſuo omni fuſum fugatúmque conſpecturus ſit. Interea cauendum nobis eſt ne quod in Pharaone fuit figuratum, nobis ſit impedimento. Vbi enim audiuit populum Dei velle ex Ægypto diſcedere, vt Deo ſacrificaret, confeſtim grauioribus eum operum laboribus luti & laterum opprimere cœpit, dixitque, Abundant otio, ideircò dicunt, Ibimus & ſacrificabimus Domino: Simillimè aduerſarius noſter diabolus, intuens vos nouum vitæ genus arripere velle, tentabit ſuis machinis opus Dei impedire. *Idem, orat. 19. tomi. 3.*

Quemadmodum eſſe dæmones ab ipſis dæmonibus diſcebant homines: Ita & eorum nomina ab ipſis docti fuerunt. Primũ enim ſacrificarunt homines dæmonibus: deinde dixerunt diuinæ literæ: Sacrificarunt dæmoniis, non Deo. Et quemadmodum an ſint dæmones, nihil videntur dixiſſe diuinæ literæ: & tamen dicunt, ſacrificarunt dæmoniis, non Deo: ita de eorum nominibus cum nihil dixerint, dicunt nomina Dæmonum, Beelzebub, & Belial. *Quænam,* inquit, *concordia eſt Chriſto cum Belial?* Quibus enim vtebantur cantores nominibus ad opera ſibi propoſita, ea neceſſariò diſcebant ab eis. Nam qualis erat, curationis modus, tali eos nomine nuncupabant. *Iuſtinus martyr. In reſponſione ad quæſtionem 81. ad orthodoxos.*

Sicut carbonibus accidit, vt facilè ab admotis facibus inflammentur, quòd iam ante ad ignem concipiendum ſint idonei: Ita dæmonis natura cùm affectibus ſcateat, vel potius viua quædam ſit & motus compos affectio, vbi ad animum acceſſit propius, eam quæ in hoc eſt affectionem cõmouet, & producit facultatem in opus: impreſſione enim facit, quicquid facit. Quicquid autem actionem aliquam excipit, id ei aſſimilatur, à quo afficitur. Sic libidinem, ſic iracundiam, & quæcunque his gemina mala, dæmones

consuetudine sua in animis, per eas partes quæ ipsi congruentes sunt, accendunt: quæ partes & naturaliter præsentiam ipsorum sentiunt, & ab ipsis cùm agitantur, tum confirmantur, vt contra mentem insurgant, donec vel totum animum subegerint, vel ab expugnatione desperent. Hoc certamen omnium maximum est: neque enim vllo vel tẽpore, vel modo, vel loco, cessant impetere: & vnde minimè aliquis putet, ab ea parte adoriuntur. Vndique laquei, vndique insidiæ, nullam intestini à se belli contentionẽ omittunt, donec vel expugnent, vel deficiant. *Synesius, de providentia, lib. 1.*

Consueuerunt vt plurimum homines, quando difficilè aliquod aggressi sunt opus, cum ad id peragẽdum impares se viribus senserint, mox ab amicis ac domesticis subsidia quæritare, quatenus quæ propria nequeunt virtute perficere, alieno valeãt adiutorio. Hac malitiæ arte hoc sagaci ingenio vti etiam solet humani generis antiquus hostis, & seruorum Christi implacabilis inimicus. Cum enim ad debellandos atque exercendos piorum animos, ex superna dispensatione constitutus sit, tentare nunquam desinit: verum cum diuinitus prohibeatur ne obsit piis, eos tamen per suos amicos ac domesticos vexare nititur, & ad tẽtandum humano vtitur instrumento, & potissimum aduersus eos, qui Christo associati sunt. *Laurentius Iustinianus, de disciplina monastica, cap. 14.*

Vt Deus inuisibilis sui monumentum reliquit homini visibilem arborem: Ita serpentem, qui fuit organum inconspicui diaboli, prosternit maledictione, vt quamuis homo diabolum non videat, neque sciat quid passus sit, tum cum nouerit serpentem antea erectum incessisse, & nunc longũ corpus per terram trahere, ex illa visibili pœna, intelligat pœnas dedisse diabolum, qui per serpentem, seu organum, homini illuserit. Simile quiddam accidit in Euangelio porcis in mare præcipitatis, quos subierunt dæmones, rogãtes vt sibi potius in hos irruendi copia daretur, quã vt demergerentur in abyssum. Permisit Christus, vt inuisibiles dæmones inuisibilibus corporibus demergeret, vt & nos possemus intelligere pœnas de ipsis visibili modo esse sumptas. *Procopius, in genesim, cap. 3.*

Placitat Diabolus contra hominem, sicut improbus pla-

citator contra aliquem. Improbus placitator licet non habeat rectum, tamen propter improbitatem suam veniens ad placitum, hoc quod est iniustum, iustum, & quod est iustum, ostendere vult iniustum. Sed cum eum aliquis iurisperitus audit, & quòd non rectam causam habeat, agnoscit, iudicat esse iniustum quod ille dicebat, iustum, & esse iustum quod ille asserebat iniustum: sicque ille conuictus à placito, discedit, dolens quòd aliquid facere non potuerit. Sed aliquanto tempore transacto, postquam hoc iudicium putat obliuioni esse traditum, rursus suam incipit causam, dicens sibi fieri iniuriam. Quòd si aliquis sibi dixerit, hoc iam esse definitum, dicit non rectè esse iudicatum. Sed ille qui semel iam vicit, non attendat ad ea quæ dicit, sed tantùm dicat, quod semel est bene definitum, non esse iterum recipiendum. Sic enim sine labore semper ab inimico suo se liberare poterit. Similiter autem diabolus placitat contra hominem. Locus autem placiti huius est cor hominis alicuius. Ad hũc itaque locum, diabolus venit ad placitum. Et licet sciat quod rectum non habeat, tamen ibi asserit verum esse quod falsum est: & econtrà: ibi namque dicit cogitationem veram esse quam immittit, scilicet quŏd homo debeat mundum diligere, diuitias & honores appetere, desideria adimplere, hæc & his similia facere: quod quidem falsum est. Ex alia verò parte dicit verum esse falsum, quòd homo debeat mundum relinquere diuitias & honores cõtenere, desideria carnis abscindere, eleemosynis peccata sua redimere, monachatum demum accipere, hæc & alia plura facere. Quod totum verum probatur esse. Sed cum aliquis qui inter rectos, non rectósque cogitatus scit discernere, audit diabolum in corde suo hæc dicere, iudicat iniustum esse cogitatum, quem ille iustum esse dicebat, & esse iustum, quem iniustum vocabat: & hoc iudicio facto, abiicit iniustum, & sequitur iustum, contemnénsque seculum, accipit monachatum: sicque diabolus cõuictus à cordis placito recedit, contristatúrque quòd vincere non potuit, sed postquam sperat diabolus, quòd homo oblitus fuerit, quòd antea sic iudicauerat, putans eum in aliqua parte posse inuenire immunitum, ad eundem locum cordis reuertitur, renouatóque placito, quasi nõ rectè

diffinito conqueritur. Quòd si ille pro certo cognouerit, quòd rectum iudicauit in eo quòd seculum relinquẽdum esse censuit, diabolus statim non esse rectum respondet, vt eum tam citò, vel ita omnino desereret, adhuc posse sibi-ipsi remanendo in seculo indulgere, pauperibus vel suis ad eum respicientibus subuenire. Sed ille qui semel mundum, ipsumque diabolum rectè superauit, nõ curat ea quæ fraudulenter ille dicit, sed firmum tenet, quidquid semel rectè est stabilitum, non esse denuò destruendum: & quod rectè diffiniuit relinquendum, non esse iterum appetendũ. Sic enim facilè Deo subueniente diabolum poterit superare. *Anselmus, in similitudinibus, ca 80.*

DILECTIO DEI.

SIcut casta mulier quæ virum suum amat, nullum alium amat, si autem alium amauerit, iam non amat virum: Ita & homo si Deum amat, mundum non amat, si autem mundum amauerit, iam deum ex toto corde non amat. *Chrysost. Hom. 26. ex varijs in Matheum locis.*

Ecce si vir habeat vxorem, quomodo cognoscitur vxoris plena dilectio? Vxor neminem debet sapientiorem putare quàm virum suum, etsi sit alter sapientior, tamen sapientiorem esse alterum intelligere non debet. Vxor neminem fortiorem debet putare, quam virum suum, etsi sit alter fortior, tamen illa intelligere non debet esse alterum fortiorem. Vxor neminem debet formosiorem putare quã virum suum, etsi sit alter formosior, tamen coram oculis eius alter formosior non debet apparere. Perfectus enim amor & perfectum odium, verum iudicium non cognoscit: vt puta si perfectè odias aliquem, qualiacúmque fuerint, apud illum omnia tibi displicent, siue quæ loquatur, siue quæ agit: etsi sunt bona, tamen tibi mala videntur. Sic & si perfectè aliquem amas, quæcunque sunt apud eum, tibi placent quæ loquitur, siue quæ agit: etsi mala sunt, tamen tibi bona videntur. Ergo & vxor si videns aliquem dixerit, quàm sapiens vir, vtinam vir meus talis esset, iam amor eius minus habet de perfecto amore. Sic ergo & omnis anima Christiana, quæ sponsa est Christi, ita debet diligere Deum, vt nihil sit in mundo quod amplius amet quam

eum. *Ibidem.*

Pro amico sæpius & contumelias & inimicitias susci-pimus, Christi verò gratia nullus inimicitiam suscipit. Amicum fame confectum nunquam omnino despicimus, Christum vero quotidie venientem ad nos, neque pane dignamur: idque cum crapula distenti ructemus, ventríque omnino inseruiamus, & hesternum spiremus vinum, atque de litiis soluamur: plurimíque ex nobis meretricibus largiamur, alij parasitis, assentatoribus alij, alij item monstris, & fatuis & nanis: quippe & hi naturæ defect⁹ sunt quibus pro delectatione vtimur. Amicis nunquam inuidemus: at in Christo hoc patimur, plusque amicitiam valere, qui diligenter inspiciat, animaduertet, quam timorem Dei. Nam simulator & fascinator & inuidus homines pluſquam Deũ reueretur. Quo pacto? iam dicam, quod scilicet cum Deus inspiciat cor, fraudes concinnare non desinit: sin vero hominem se intueri peruiderit, pallet, erubescit atque confunditur. Rursus ad amicum cum aliqua affectione vexatur, solliciti pergimus: at si modicũ distulerimus, reprehẽsionem expauescimus. At verò cũ Christus sæpe in carcere in suis membris moriatur, eum ne visitamus quidem. Amicum peregre proficiscí cum cernimus, lugemus, ingemiscimus, illacrymamur: & si mortuum videre contigerit, plangimus, & quidem cum certé nouerimus ipsum non esse peruò à nobis separandum, propter resurrectionis sacramentum. At cum Christus quotidie separetur a nobis, imo cum ipsum diebus singulis a nostro arceamus ingressu, neque dolum, neque durum aliquid nos pati arbitramur.

Idem Hom. 3. in primam ad Timoth.

Discernis hoc iustũ & rectum esse domine deus, vt huius seculi noctis & tenebrarum, præstantiori desiderio virtute atq; studio diligũt, & quærãt perituras diuitias & fugitiuos honores, quam nos serui tui diligamus te Deum nostrum, per quem facti & redempti sumus. Si enim homo hominẽ tanta diligit dilectione, vt alter alterum vix patiatur abesse. Si sponsa sponso tanto conglutinatur mentis ardore: vt præ magnitudine amoris, nulla perfrui valeat requie, chari sui absentiam, non sine magno mœrore ferens. Qua ergo dilectione & quo studio, quo feruore anima quam desponsasti tibi fide & miserationibus, debet

diligere te verum Deum, & pulcherrimum spõsum, qui nos sic amasti & saluasti qui pro nobis tot & talia feciſti? Amor tuus suauis & quietus est. Nam pectora quæ possides, dulcedine & suauitate & tranquillitate reples. Et cõtra amor seculi, & carnis anxius est & pertubatur, animas certè quas ingreditur, quietas esse non patitur. Semper enim suspitionibus variisque tumoribus sollicitat eas. *Augustinus lib. 10. distinctionum cap. 35.*

Diligendo pulchri efficimur. Quid facit homo deformis & distorta facie, si amat pulchram? Aut quid facit fœmina deformis nigra & distorta, si amet pulchrum? Nunquid amando potest esse formosus? Quando in speculo videt, erubescit faciem suam leuare ad illam formosam quã amat. Quid facit vt pulchra sit? Expectat, & expectando se nectus additur, & turpiorem facit. Non est ergo quod des illi consilium, nisi vt compescat se, & non audeat amare impar imparem. Anima nostra fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur. Qualis amor qui reddat pulchram amantem? Deus semper pater est, amauitne fœdos, vt ex fœdis efficeret pulchros. Erimus pulchri amando eum qui pulcher est. Quantum in te crescit amor, tantò crescit pulchritudo, quia ipsa charitas animæ est pulchritudo. *Idem tractatu 9. in epistolam Ioannis.*

Quam rem aliquis amat, eamdem etiam omnibus modis amplectitur, & omnia quæ illi erga illam impedimento sunt, aut obstaculo, contemnit, ne re adamata priuetur. Ita qui Deum diligit, puræ precationis curam habet, & omnem affectum illi erga hoc obstãtem ex seipso eiectum abiicit. *Maximus lib. secundo de charitate.*

Quem amat aliquis, hunc omnibus modis studet & adproperat etiam reuerenter habere & colere. Itaque si quis Deum amat, omnino etiam ea quæ sibi maximè placitura sunt, festinat facere. Cæterùm si qui carnem amat, ea quæ carni voluptati sunt, facit. *Idem libro. 3 de charitate.*

DILECTIO ET CVRA PROXIMI.

ALter alterius commodis studeamus, & inuicem labores & opera nostra portemus. Quem affectum etiam feræ & aues inter se habere dicuntur. Nam quoties volu-

cres è partibus transmarinis australes ac meridianos relinquunt calores, & ad occidentalem temperiem admonente temporis qualitate transmigrant, cum mare magnum ac spatiosum præpeti transmigratione transmittunt, si qua forte de sociis aciem ordinati agminis atque distincti volatu lassescens humiliore turbauerit, continuò imbecillam suscipiunt fortiores, & quasi sedulam ac mutuam adinuicem curam etiam peregrinatio docet. Charo se oneri alarum remigio famulante subiiciunt, ac leuem sarcinam iunctis viribus ferunt, & lento volatu aerem prouocantes leues auarum flatus excitant, ac sic seruatam comitem lætæ, baiulo itineri atque altis nubibus reparato vigore committunt. Nonnulli autem frequenter experti & ceruorum greges ita facere asserunt. Cum vicina litoribus disposito natale insularum expetunt pascua, alter super alterum capita sua cornibus onerata componunt, & ita se vnusquisque ordinat agmine proiecta in alium ceruice sustentat, ac sic transfretandi labor mutuo subleuatur obsequio. Sed quia necesse est vt dum superandos longo ordine secant fluctus, vnus semper cæteros dux præcedat, & ante se alterum, super quē caput suum possit reclinare, non habeat: quædam sensu humanitatis mutatio fit laboris, & qui primus erat postremus efficitur, in eius locum eo qui sequitur succedente, ducatum de secundo prior factus aggreditur. Ille verò qui prior fuerat post omnes remanens, ab eo qui nouissimus erat sustentandus excipitur, & paululum immunis ab onere alio sequente suffertur. Ac sic inuicem laboribus suis animalia locata famulantur, & reddunt sibi mutuam seruitutē quæ nesciunt charitatem. Quid nos facere debemus, quib⁹ auctor rationis contulit intellectum quibus redemptor prebuit dilectionis exemplum? *Eusebius emissemus hom. de eo quod scriptum est, arundinem quassatam non confringet.*

Porro quod in ipsa corporis structura communio est necessaria dominus nos docuit. Cum enim hæc ipsa nostra mē bra respicimus, quod vnum non sibi ipsi ad functionem sufficis est, quomodo censebo meipsum mihi sufficere ad vitæ negotia obeunda, neque enim pes tutò ierit altero non subleuāte. Neque oculus sane viderit, nisi alterum habeat socium, & cū eo vnanimiter visibilibus se obiicit. Iam audiuus exactor est qui per-vrosque meatus vocem accipit.

Basilius. epistola. 68.

Eadem domo ac mensa vtebamur, cõtubernales, vnanimes, idem sentientes, semper inter nos desiderium feruentius & firmius augentes. Qui enim corpora amant, quoniã fluxa sunt, instar vernis diffluũt floribus. quin nec flamma permanet, cum materia est consumpta, sed cum illa accendente euanescit: Ita nec desiderium subsistit, cum marcet: feruor, modesti verò & qui secũdum Deũ viuunt, postquã rei sunt firmioris, ideo etiam stabiliores existunt, ac quantum pulchritudo plus ab eis imaginatione deprehenditur tantò illos magis sibiipsi colligat. *Gregorius. Nazianzenus orat. in laudem Basilij.*

Si quidẽ illud idẽ vobis propter nos accidisse videtur, quod ferro ob lapidẽ magneté, vi à me & inter vos quoque pendeatis, ac vnum sentiamus, deniq; simus omnes ex quo sunt oĩa. Proh catenã admirandã, quã spiritus sanct⁹ nectit vinculis indissolubilibus cõpaginatã. *Idẽ orat. de seipso.*

Nos aũt ne remittamus pro fratribus nostris sollicitudinẽ, neq; posthac existimemus vllã illorũ curã esse importunã. Sed quemadmodum faciũt milites, vbi cõmisso prælio verterint in fugã aduersarios ab insectatione redeũtes, nõ protinus currunt ad tabernacula, sed prius ad cõflictus locum profecti, tollunt eos qui exipsorũ numero cæsi sunt, ac vita quidẽ defunctos terra occulũt. Cæterum si quos viderint inter mortuos sperantes adhuc, nec lethale vulnus habentes, his in tentoria sublatis, multam adhibent curationem, extracto telo, acersitis medicis, absterso sanguine, pharmacis porrectis, reliquaque omni curatione admota, ad sanitatem reducunt. Et nos igitur, quoniam opitulante Dei gratia Iudæos persecuti sumus, armatis aduersus illos vndequaque prophetis, reuersi ad nos videamus, num qui fratrum nostrorum ceciderint, num qui à ieiunio inter cepti sunt, num qui illis in festo communicarint, ac neminem quidem tradamus sepulturæ, sed potius sublatos omnes curemus. Nam sub externis quidem hostibus, qui semel conciderit, animamq; efflarit, fieri non potest vt miles eũ recuperet, & ad vitã reuocet. Cæterũ in hoc bello prælioque etiãsi quis lethale vuln⁹ acceperit, fieri potest, vt auxiliãte nobis dei gratia, eũ ad vitã reducam⁹. Non enim hæc naturæ mors est, quẽadmodũ illa sed volũtatis ac ppositi

Voluntatē autem mortuā licet denuò ſuſcitare, animæque morti datæ, perſuadere licet, vt ad ſuā vitā redeat, ſummūque dominum agnoſcat *Chriſoſt. oratione. 5. aduerſus Iudeos.*

Sed quod dicebam (nam oportet ad id quod propoſitū erat reuerti) ſatis vobis ex his demonſtrauit ratio quod non oporteat fratres lapſos negligere neque contemnere, verum perſpicere quidem illis ante peccatum, cæterum etiam poſt peccatū multam erga illos præſtare curam: Itidem faciunt & medici, præſcribunt enim ac præcipiunt hominibus, quæ poſſunt illorum ſanitatem tueri, omnemque morbū excludere, ceterum vbi neglexerint præſcripta, & in valetudinem aduerſam inciderint, non negligūt eos ipſi, ſed tum maximè multam adhibent ſollicitudinē, quo illos morbo leuent. Et tu igitur cum videris aliquem egētem curatione vel corporis vel animi, ne dixeris apud teipſum, quare ille & ille non curauerunt, ſed à morbo libera. Ne petas ab illis excuſationes negligentiæ. Si inueneris aurum iacens, non dicis apud teipſum quare ille aut ille hoc non ſuſtulerunt, ſed feſtinas ante alios rapere: Itidem & de fratribus collapſis cogita, putatoque te theſaurum reperiſſe, occaſionem illis medendi. Etenim ſi inſtillaueris illi velut oleum, ſermonis doctrinam, ſi obligaueris humanitate temperantiaque vulneratum, ſi ſanaueris, ille te faciet ditiorem quouis theſauro. Qui enim eduxerit pretioſum, ex indignitate tanquam os meū erit, inquit ille. *Ibidem.*

Propterea Chriſtianus es, ideo hoc nomen accepiſti, vt Chriſtū imiteris, eiuſque legibus operum exhibitione pareas. Quid autem ille fecit? Non Ieroſolimis deſidens vocauit ad ſe ægrotos, ſed obambulabat ciuitates ac vicos, geminos curans morbos, tum animi, tum corporis: attamen poterat eodem in loco ſedens omnes ad ſe attrahere, non tamen hoc fecit, nobis prebens exemplum, vt obambulem⁹ & quæramus eos qui pereūt. An nō vides medicos quoque hoc ipſum facere? Non cogunt ægrotos lecto decumbētes, ad ipſorū ædes deferri, ſed ipſi accurunt ad eos. Hoc & tu facito dilecte, ſciens hanc præſentem vitam eſſe breuem, quodque niſi hæc lucra parauerimus, nullam illic ſumus habituri ſalutem *Idem.*

Chriſtus dei vnigenitus, cū inimici eſſemus nos patri reconciliauit irato medium ſe inferens & opponēs q & plagas

ſuſcepit & mortem. Studeamus ergo nos etiam eos qui affliguntur de malis innumeris liberare. Vides mutuis ſe contumeliis denotantes, atque alterna cæde multantes, ſcindentes veſtes, ora fœdantes & quietum aſtare te patiẽtis? Non vides ſæpe nautas, cum aliquod cernunt incidere naufragium, continuo vela tendentes, maxima intentione properare, vt eiuſdem artis homines, de periculo tempeſtatis eripiant. Si verò artis ſocij tantum opitulandi ſtudium ſuis ſimilibus oſtendunt, quantomagis fidei participes, hæc omnia implere conueniet? Nam hic quoque naufragium eſt, illoque quod diximus pernicioſius profecto naufragio. *Idem Hom. 15. in Matheum. & ſermone de cura proximorum.*

Qui fecerit & ſic docuerit hic magnus vocabitur. Non enim ſibi ipſi vnuſquiſque vtilis eſſe debet ſed aliis. Sicut enim docere abſque operibus condemnat docentem, Qui inquit alium doces, teipſum non doces? ita facere quidem, nec tamen aliis facienda ſuggerere, non parum de illa plena mercede decerpit. *Idem Hom. 16.*

Si mercator, vt rem familiarem amplificet, terroris plena maria nauigat: ſi opifices, vt rebus ſuis quicquam adiiciant, duros tolerant labores: & nos pariter ſaluti noſtræ ſalutem proximorum adiiciamus, præſertim cum qui ſua contentus negligit alienam, nec ſuam quidem conſequi poteſt. In prælio enim ac expedita acie, qui ſibi ſolũ conſulit miles, nec aliud reſpicit, quam quomodo poſſit fugiendo animam ſuam ſeruare, is cæteros quoque milites ſecum ad perniciem trahit: quemadmodum è contrà, generoſus miles, cum alios tutari conatur, ſeipſum defẽdit. *Idem Hom. 60.*

Si in rebus ſecularibus, nemo ſibi ſoli viuit, ſed tam opifex quam miles, tam agricola quàm mercator, ad communem vtilitatem proximi etiam omnes conferunt: multòmagis in ſpiritalibus id faciendum eſt: hoc enim maximè vita eſt, aliis prodeſſe. *Idem Hom. 78.*

Sicut in corporali ædificio, lapis ad lapidem cemento mediante conſtringitur, Sic in ædificio eccleſiæ, Chriſtianus ad Chriſtianum mediante charitate connectitur. *Idem Hom. 7. operis imperfecti.*

Non abs re Paulus charitatem bonorum, miraculorum, donorum

donorum omnium matrem appellat. Quemadmodum enim vestes licet aureæ sint, calceamenta aurea, aliud tamen quoddam indumentũ requirimus, vt regem agnoscamus: purpuram autem & diadema vbi primũ intuemur, iam regiæ maiestatis signum nullũ aliud expectamus: Ita sane cui charitatis diadema incumbit, iam nihil obstat quominus Christi discipulus verè existimari possit, non nobis solum sed & impiis. *In hoc enim inquit, cognoscent quod discipuli mei estis si dilexeritis inuicem. Idem hom. 32. in 1. Cor. Charitas non est fastidiosa.* Maiores natu videmus, sapientia præcellentes viros, cum liberis suis sæpe balbutire: & id cum faciant, nec reprehendit quisquam, nec ipsos rei illius pudet: sed digna laude adeo videtur, vt quanquam improbi sint qui instituuntur, perdurent tamen ipsi hortando, turpia castigando, horum illos nihil pudet non enim est fastidiosa charitas: sed alis aureis omniũ, quos complectitur, vitia tegit. sic Dauid amabat Ionathas, quãquam grauiter à patre increparetur. *Ibidem.*

Si præoccupatus fuerit homo, vos qui spiritales estis instaurate eũ. Considerans teipsum ne & tu tenteris: Quemadmodum enim diuites sportulas mittunt egentibus, quòd siquando in egestatem inciderint, eadem ab aliis consequantur: Sic & nobis faciendum est. *Idem in cap. 6. ad Galat.*

Quod si omnes fuerimus amici, nihil opus erit secretis. Quemadmodum enim nemo apud seipsum secretũ quid habet, neque seipsum celare qui quam potest: ita neque amicos: vbi vero nulla sunt secreta, ibi non potest esse ex secretorum reuelatione amicitiæ diremptio. Secreta siquidem non habemus aliunde, quam ex eo quod non omnibus fidem habemus. *Ibidem Hom. nona.*

Quemadmodum si manus fuerit à corpore diuulsa, spiritus è cerebro descendens, atque in illam sese effundere quærens, si non inuenerit in corpore extra illud vtique nec exilit, nec perforato illo ad manũ auulsam egreditur: sed quam in corpore positam non inuenit, non contigit etiam: ita nisi charitate colligati fuerimus, spiritus subministrationem non capiemus *Ibidem hom. vndecima.*

Nolite locum dare Diabolo. Quemadmodum quandiu lapides bene compacti sunt nihil vacuum inter se habent, firmi & infracti perstant: si vero vel foramen acus duntaxat

quod vtrinque penetret aut scissuram quæ capilli locum habeat fieri contigerit, omnia dissoluuntur ac pereunt: Ita & Diabolus donec compacti quidem ac bene compositi fuerimus, nihil suorum omnino poterit inferre. *Ibidem hom. decimaquinta.*

Super omnia autem hæc charitatem quæ est vinculum perfectionis. Quemadmodum in naui etiamsi magna sunt instrumenta, nisi fuerint subligacula, nihil proderunt. Et in domo nisi colligationes & contignationes, & in corpore etiamsi magna sunt ossa, si non fuerint vincula & compagines, nihil proderunt: Ita quæcunque quis habuerit rectè facta, inania erunt omnia, nisi sit charitas, *Idem hom. septima ad Colloss.*

Tanti est amicus bonus vt & loca & tempora illius gratia diligantur. Quemadmodum enim splendida corpora in vicino loco splendoris sui quasi vigorem emittunt: Ita & amici gratiam suam his locis quæ accesserint, induunt. Et plerũq; etiã sine amicis ad ea loca venientes illacrymamur, dierũ illorũ memores quibus illic vna cõueneramus, & ingemiscimus. Nequit sermone cõprehendi quantã voluptatẽ afferat amicorũ præsentia. Est enim re vera amicus ipsa luce iucũdior & ne mireris. Est enim nobis solẽ hũc extingui iucũdius, quã amicorũ cõsuetudine priuari, iucũdius in tenebris agere, quã sine amicis esse. Quia multi solẽ istũ vidẽtes in tenebris sunt, qui verò amicorũ copiã adepti sũt ne in afflictionibus quidẽ tristitiam habẽt. *Idem hom. secunda in 1. ad Thessalonicen.*

Si oculus omnẽ prouidentiã & curã quã prõ vniuerso corpore habet in solã manũ deriuaret, a reliquis mẽbris osbus cõtẽptis, vñi isti intẽderet, an nõ totũ perderet? Absq; dubio Ita & nos si charitatẽ quã in vniuersã ecclesiam extendere debemus, in vnũ & alterũ coartauerimus, & nobis ipsis & illis totiq; ecclesiæ perniciẽ inferemus. Ista nãq; non sunt charitatis sed dissidii, schismata nempe & scissuræ hiulcæ. Nam si ex integro homine diuulsã aliquã portionẽ ceperis, atq; ipsũ quidẽ schisma sibi ipsi vnitũ, continuũ & cõglutinatũ fuerit, nihilominus etiam hoc pacto schisma est. *Idem hom. 2. in 2. ad. Thessalonicen.*

Consideremus inuicem ad prouocationem charitatis. Sicut ferrum aliud ferrum reddit acutum: sic etiam cœtus charitatis facit augmentum: lapis ad lapidem contritus, ignem emittit:

quãtomagis anima animæ commixta. *Idem hom. 19 ad hebreos.*

Plenitudo legis charitas. Non enim labore opus habemus aut sudoribus si dilexerimus inuicé, spõtanea nobis via sternitur ducés ad virtuté. Sicut enim in via publica cõtingit, si quis initiũ eius aprehédat, recta via ducitur, & nõ habet opus vt deducatur: sic etiã in charitate, tãtũ arripe principiũ & statim manũ tibi prebens ipsa te deducit, & dirigit. *Ibid.*

Cum asinum cecidisse viderimus, omnes manum porrigere, & pariter erigere studemus, fratrum verò pereuntiũ curam nullam habemus. *Idem hom. prima ad pop. Antioch.*

Si in secularibus sibi viuit nemo, & artifex & miles & agricola, & mercator ad communem & proximorum vtilitatem omnes operantur multomagis in spiritualibus oportet hoc facere hoc enim est maximè viuere. *Ibidem hom. 34.*

Charitas est fortis vt mors, quia sicut mors est finis peccatorum. Ita & charitas, quoniam qui diligit deum peccare desinit. *Ambrosius lib. de Isaac & anima.*

De ceruis nonnulli scripserunt, cum fretum ad insulam tranfretãt, pascuorum gratia, sic se ordinant vt onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus superinuicem portent. Ita vt posterior super anteriorem ceruicem collocet. Et quia necesse est vnum esse qui præcedens cæteros, ante se non habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur vt lassatus sui capitis onere & ei succedat, cui ferebat caput dum ipse præiret. Ita inuicem onera sua portantes fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem. Istam fortasse ceruorum naturam intenderat Salomon. Ceruus amicitiæ & pullus gratiarum colloquatur tecum. nihil sic probat amicum sicut oneris amici portatio. *Augustinus lib 83. q. q. 78.*

Circulum fingite mundum esse, centrum autem circuli deum, lineas autem à circulo in medium diductas, vias credite varias negotiationesq; mortalium. Quo magis penetrant sancti viri ad interiora vt deo appropient per rationé ingressus, eo magis appropiant deo & sibipsis quantoq; sibi ipsis, tanto & deo, & quanto viciniores fiunt deo, tanto & sibiipsis quantoq; sibiipsis, tanto & deo. Considerate item recessum & ablongationem. Cum scilicet recedunt se adeo & ad exteriora, se effundunt. Quanto magis a Deo recedunt, tanto & à seipsis & quanto à seipsis absunt,

tanto à Deo. Hæc est enim charitatis vis & natura. Quo enim magis à Dei dilectione recedimus eo & à proximi amore distamus, quanto Dei amoris adhæremus, tanto & proximi, quantoque & proximo, tanto & Deo. *Dorotheus, doctrina sexta ne proximum iudicemus.*

Quemadmodũ qui ægrotantem vnguento vel alio pretioso oleo vult inungere, prior ipse vngẽdo particeps est vnctionis, & sic postea inungit laboranté morbo: Ita qui pro salute proximi adhibito studio aliquid facit primũ sibi deinde proximo prodest. *Damascenus de his qui in fide hinc migrarunt.*

Quemadmodum cum ferendo oneri accedit socius eum qui ferebat solus leuasse dicitur: ita & in huiusmodi aliis omnibus societas ex miseratione profecta, vim maximam alleuationis habet. At verò nunc peruerso ordine, si quis ex propinquis nostris defunctus fuerit, plurimi assident vt consolentur lugentes, lapsumque asinum sæpe erigimus, amicorum verò nostrorum lapsas animas plus quam asinum spernimus. *Chrisostomus hom. prima in 2. Timoth.*

Volentes domos aut palatia construere, primò studeant in imo supra petram, vel super stabile solum fundamenta locare, & postmodum reliquas ædificiorum partes suis locis & temporibus ordinare: quatenus firmato fundamento cætera ædificanda seruentur. Quale etenim fuerit cuiusque rei fundamentum, talis erit eiusdem perseuerantia, & latus. Hoc in materialibus, hoc in secularibus humanisque negociis contingit: nec minus in spiritualibus iudicandum est. Proinde quicunque in congregationibus militantium Christo cupiunt absque sui detrimento, & proximorum scandalo fratrum & domesticorum habere consortia: prius veræ charitatis conentur in se ipsis fundamenta iactare, atque demum poterunt seruatis congruis modis & temporibus, vtiliter conuersari. *Laurentius Iustinianus De disciplina & perfectione Monastica, capite. 22.*

Nonne videmus in mutis animalibus, in irrationabilibus, vbi non spiritualis charitas, sed carnalis & naturalis est, exigi tamen magno affectu de vberibus matris lac à paruulis? Et quamuis fugens impetum faciat in vbera, melius est tamen matri, quam si non fugat, nec exigat quod charitate debetur. Sæpe videmus vbera vacca-

uim etiam grandiusculis vitulis capite percuti, & prope ipso impetu leuari matrum corpora, nec tamen eas calces repellere, sed si desit filius qui sugat mugitu prouocari ad vbera. Sit ergo in nobis illa charitas spiritalis, quæ in Apostolo, qui ait, factus sum paruulus in medio vestri, tanquam nutrix fouens filios, tunc vos diligimus quando exigitis, pigros non amamus, quia languentibus formidamus. *Augustinus tractatu 9. in epist. Ioannis.*

DILECTIO INIMICORVM.

QVemadmodum siquis homo in os suum aliquid dulce dimittat, cum amaro permixtum, dulcedo illa non dat suum saporem: Ita qui mala non dimittit, & bona suscipit, bonorum suorum gratiam perdit. *Chrisost. hom. 15. operis imperfecti,*

Dit (oro) si rex aliquis terrenus legem tibi posuisset, vt vel inimicorum tuorum curam geras, vel morte puniaris an non metu mortis corporalis omnes accurrerent ad implendam legem? Quanta igitur accusatione dignus fuerit is, qui ob corporalem mortem, quam alioqui naturæ necessitas affert, omnia facere paratus (mortem iniquã quæ hic nullam inuenit consolationem) minus curat dominũ vniuersorum, si & ipse ponit legem. *Idem hom. 4. in Genesin.*

Ne dicas quoniam odio habeor, propterea non diligam propter hoc enim potissimum diligere debes. Non vides turpes illos amatores, alapas sputa, opprobria, innumeraq; alia incommoda, quæ fornicariæ illæ mulieres infligunt patienter ferre? Quid igitur amorem hunc eximet? illata conuitia? nequaquam: Imo magis inde accéditur. Et quãquam ista facientes mulierculæ preterquam quod fornicatur, obscuro etiam ac vili genere sunt, qui verò taliã ab illis patiũtur, illustres sæpenumero progenitores cõnumerare possẽt. An non erubescimus quod tantam erga deum dilectionẽ quantam habet potentiam Diabolicus ille amor, ostendere nequimus. *Idem. hom. 27. in Epist. ad Rom.*

Non videtis amatores quomodo tot damnis affecti nihilominus affixi teneantur & ardeant, ac mulierculas illas ante quarum ianuas integram subinde noctẽ contempti perdurent, plus diligant quam suas ipsorum animas?

Hinc ſumamus dilectionis exemplum, non vt tales diligamus (fornicarias mulierculas intelligo) ſed vt adhunc modum diligamus inimicos. Etenim dicas velim, an non contumelioſius illis abutũtur, quam ſi inimicæ eſſent? An non ſubſtantiæ inuolant? An non in faciem procaciter cõtumeliantur? An non illis pluſquam ſæpius imperant & tamen nihilominus non abſiſtunt ipſi, tametſi talem nemo habeat inimicum, qualem habet qui amicam diligit. *Idem Hom. 8. ad Epheſios.*

Vide admonitio, amicitia, pax.

DISCIPLINA.

IPſa bonarum diſciplinarum copia, eſt veluti quoddam condimentum, athletæ cibo permixtum, non delitias quidem captantis, ſed bonum appetitum ſumentis laudis amorem. *Clemens Alexand. lib. 1. ſtromat.*

Sicut res quæ in aqua pelluent, maiorem & clariorem oſtendunt ſui euidentiam: Ita diſciplina omnis, ſuis veluti tegumentis velata, clariorem oſtendit veritatẽ *Idem Lib. 5.*

Omne quod non fert fructum cibo vilem excides, & facies inde vallum oppido, ſiquis tibi bellum inferat. Huiuſmodi arbores ſunt ſimiles doctrinis comtemplationem ſolem habentibus; inter quas recenſenda eſt medicina iſta otioſa, non coniuncta cum actionibus ægros incolumitati reſtituentibus: & Rhetoricæ genus cauſidicum mercẽnariumque, non iu quærendo iure occupatur, ſed dolo captans aſſenſum auditorum. Huc accedunt & dialecticæ geometricæque partes, quæ momenti nihil ad morum correctionem afferunt, ſed intellectum ſolum acuunt, ne hebetior ſit ad ſingula de quibus ambigitur. *Philo lib. de agricultura.*

Non in hac cauſa cõtigit ſicut in diuitiis. illîc qui dinumerauit vicino, imminuit ſuã ſubſtãtiam: & quãto plus expẽdit, tãtominus poſſidet: hic autẽ ſecus agitur. Tũc enim facultatibus plus accreſcit, tunc ſpiritales hæ opes magis augentur, cũ audire volentibus doctrinã liberaliter profũdimus. Sic & nobis abundantius opes & ſubſtantiæ affluunt, & vos ſpiritualibus alimentis ſatiari non poteſtis, *Chryſoſtomus Hom. 8. in Geneſin.*

Sicut in itinere celerando nihil prodeſt viã noſſe, niſi conatus ac vires ſuppeditent ambulandi: Ita ſcientia

nihil prodest, si virtus propria deficiat. *Lactan. lib. 6. cap. 5.*

Quemadmodum maturitas rerum ita habet vt quæque suis temporibus colligantur, vere flores, æstate spicæ, autumno poma: ita & hyemis fructus sunt literæ. *Basil. epist. 172.*

Quemadmodum ignem & cibum ac ferrum necnon alia per sese nec vtilia aut noxia esse scimus, sed quemadmodum videtur vtentibus, quin ex reptilibus medicamenta etiam quædam theriacalia temperamus ad salutem: Ita & in illis si quidem indagationem & contemplationē susci pimus, cum autem ad dæmones & errorem perducit, nec non perditionis profundum, contemnimus. Nam licet nequaquam nobis ad pietatem prosint, ex deteriori tamen id quod est melius seligimus ac sermonem nostrum cum illo roboramus. Haudquaquam igitur disciplinæ sunt vituperandæ quemadmodum nonnullis videtur, sed rudes & imperiti, & qui ita habent, sunt negligendi, vellent enim omnes talia quales ipsi sunt, esse, quo in communi ignorantia latere & insciticæ argumenta effugere possent. *Gregor. Nazianz. orat. funebri in laudem Basilij.*

Quemadmodum canes venatici à longinquo ad feras perueniunt, odorem sequentes, cuius eximio sensu à natura sunt præditi: Eodem modo à iustitia, cæterisque virtutibus exhalantes suaues auras amator scientiæ vestigat, cupiens originem tantę voluptatis assequi, huc illuc cursitās, & vel ipso honestatis odore, tanquam sacro nidore se recreans. *Philo. lib. de somniis.*

Sicuti fontes salientes si multum aquæ auferatur, nō tantùm non diminuūtur, sed dulciores etiam multo reddūtur: Ita scientia non decrescit docendi officio, sed magis etiam magisque fit dulcior: nonnūquam etiam augetur, si in discipulos & familiares transfertur. *Idem lib. de somniis. & lib. de gigantibus.*

Quemadmodum fax etiamsi lucernas multas accēderit, semper manet eiusdem magnitudinis, & nequaquā ne tantillo quidem diminuitur: Sic etiam scientia in homine nequaquam diminuitur, licet docendi ratione in multos transfundatur. *Ibidem.*

Si imagines nobis amicorū absentium iucundę sunt, quæ memoriam renouant, & desiderium absentiæ falso atque

inani solatio leuant: Quanto iucundiores sunt literæ, quæ vera amici absentis vestigia, veras notas afferunt? *Seneca epist.* 40.

Crocodilus, inuictum alioqui & pernicioſum animal, tamen Tentyritas adeò metuit, vt ad vocem etiã expaueſcat: Ita tyranni cum omnes contemnant, tamen eruditorum literas timent. *Plinius lib.* 8. *cap.* 25.

Vt laurus tota viret perpetuò: Ita doctrinæ fama non seneſcit, neque marceſcit. *Idem lib.* 15. *cap.* 30.

Terra quæ gignit sale, nihil aliud gignit: Sic ingenia fœcunda in literis, in cæteris verò rebus non perinde valent. *Lib.* 31. *ca.* 7.

Quemadmodum mœnia ciuitatibus, ſic animis mẽs per diſciplinam exculta decus & munimentum præſtãt. *Democratus, Apud Antonium in Meliſſa part.* 1. *ſermo.* 50.

Vt equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere ſolent, vt iis facilioribus poſſint vti: Sic homines ſecundis rebus effrenatos, ſibi præſidentes in gyrum rationis & doctrinæ duci oportet, vt perſpiciant rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortunæ. *Cicero libro Officiorum.*

Sicut vinum non temperatum admixtione aquæ, mentem alienat: Ita & ſcientia ſuperbum facit, niſi fuerit charitate temperata.

Non vt pecuniæ, ſic & ſcientiæ conſeruatrix eſt auaritia: ſed qui literas ſuas magis abſcõdit, is eas magis adnihilat. *Plin.* Epiſt. 90.

Eruditio ampliſſima eſt ſupellex, & hæreditas principatu melior: opes & potentatus & huius honores ſeculi, bona fortunæ ſunt, fluxa, mutabilia, caduca, quæ vt fortuna vult, huc atque illuc ferantur. Illa enim mortale genus quaſi in ludo habet, & hunc deprimit hominem, illum extollit. Nec enim magnum, ex figulo regem, & rurſus ex rege figulum facere. At animi bona, quæ ſunt, continentia, caſtitas, fortitudo, iuſticia, moderatio, intellectus, ingenium, memoria, &c. ſtabili quodam nexu adhærent homini, nec auferri à nobis niſi cum vita poſſunt: hęc verè noſtra ſunt bona, hęc, dum luce inter mortales fruimur, vitam præſtant ſuauiorem, poſtquã migramus ex hoc ſeculo, ſpem dant felicitatis æternæ. *Idem, epiſt.* 195.

Sunt scientiæ sicut & lumina: qui de suo lumine lumen accendit, sed sibi retinet lucem, & accipienti tenebras aufert. *Idem libro, epist.* 120.

Vt agricolę lubentius vident spicas inclinatas, quàm erectas in altum: nam illas onustas fructu intelligunt, has inanes: Sic adolescentes priusquam profecerunt in Philosophia, tument: vbi doctrinæ fructum perceperint, submittunt sese. *Plutarchus in Moral.*

Quærimus nonnunquam eos, quibuscũ stamus: Ita quidam quod sciunt, se scire nesciunt. *Seneca.*

Luscinijs tantum est canendi studium, vt certantes emoriantur, spiritu citius deficiente quàm cantu: Ita nonnulli literarum immodico amore valetudinem extinguũt, & dũ à nullo vinci volunt eruditione, pereunt in ipso conatu. *Plinius lib.* 10. *cap.* 16.

Vt elephanti cùm nare non possint, tamen amnibus impensè delectantur, circáque illos vagari gaudent: Ita quidam cum literas nesciant, tamen inter eruditos versari gaudent. *Idem lib.* 8. *cap.* 5.

Vide artes liberales.

DISCIPVLVS.

Sicut procus nondum est vir, erit tamen: eodem modo, quicũque bona spe præditus, generosam castámque virginem ducturum se sperat eruditionem, móxque procũ eius agit. Profectus autem, ad plantationem possunt referri. Sicut enim huius cura est stirpium incremẽtum: Ita discendi studiosus dat operã, vt prudentiæ contẽplationes augeatur plurimùm. Postremò perfectiones ad ędificiũ dom⁹ absolutæ, sed nondum consolidatæ. Omnibus autẽ his tam perfectis, quàm incipientibus & proficiẽtibus conducit vitam sine contentione agere. *Philo. Iudæus lib. de agricultura.*

Neque ad discendum verecundũ esse oportet, nec ad docẽdum malignum. quod ab alio tute didiceris, nequaquàm clàm habendum: cuiusmodi facere mulieres improbæ solent, quæ ex aliis ipsæ quæsitos liberos viris suis tollendos subiiciunt, patrem ementiẽtes: authorem verò ipsum prodere grata commemoratione decet, verúmque ipsius sententiæ parentem. *Basilius ad Gregor. Theologum.*

Vasa ad accipiendum, quod infunditur, accommodant & inclinant sese: Sic qui discit, debet accõmodare sese, ne quid effluat eorũ quæ vtiliter dicuntur. *Plutarch. in Moralib.*

Vasorum malorum & putrium aures quibuslibet implentur potius, quàm necessariis: Ita quidam stultissima protinus discunt. *Ibidem.*

Vt priusquam assueuimus, multa nos offendunt in homine, quæ postea assuetis sunt etiam iucunda: Sic in literis, in Philosophia, prima illa tædia toleranda sunt, donec vsu fiant facilia, iucundáque. *Ibidem.*

Si quid in vtres velis infundere boni, ventum atq; aërem emoueas oportet: Sic fastum ac tumorem eximas oportet ab animo eius, quem velis docere. *Ibidem.*

Quemadmodum ignaui, cibíque auidi canes, domi ferarũ pelles mordent, ac villos vellunt, feras ipsas in venatu non attingunt: Sic quidam præposterè studiosi, de nugis agunt, caput disciplinæ non attingunt *Ibidem.*

Vt auis quicquid pabuli nacta est, in pullos trãsfert protinus. ipsi nihilo melius est: Ita quidam ideo discũt, vt statim doceant, ipsi nihilo meliores euadunt. *Ibidem.*

Vide auditor, Doctor.

DISCORDIA, INIMICITIA.

NOn credas inimico tuo in æternũ Sicut enim æramentum æruginat nequitia illius, etsi humiliatus vadat curuus, adiice animum tuum, & custodi te ab illo. *Eccl.* 11.

Quemadmodum in contagiis pestilentiarũ, etiam hi qui summa cura seruant victus ratione, tamen iisdem morbis quibus ægroti laborant, ob consuetudinem eorum, qui corrupti sunt, opplentur & ipsi: Itidem nunc omnes similes inter nos facti sumus, à cõtentione quæ nostros occupauit ad malorum æmulationem. *Basil. de Spiritu Sancto.*

Quẽadmodum eadem terra stat quidem sanis, & nõ ægrotantibus, mouetur autẽ vertiginosis, & qui se circũuoluunt cum videntiũ passio ad id quod cernitur, transmutatur, aut si mauis quemadmodũ eadem statura, maior quidẽ his qui propè sunt, & cõsiderant, minor verò distantibus apparet, cum aër suffunditur distãtiæ, visui verò dilatet crassiora: Ita & nos facilè decipimur propter inimicitias, vt in eisdem

equaquam iidem animi ſimus, nec nos cognoſcimus. *Gregor. Nazianz. orat. 3 de pace.*

Sumus velut in nocturno quodam prælio, perexiguo lieæ lumine vtentes: & ipſo interdum interuenientibus nubus offuſcato, ſociorum & hoſtium nulla agnitio, nulla iſcretio. Vel ſicut in nauali certamine, cum & ventorũ raies perurget, & fluctuum æſtus attollitur, impulſiones cũorum reſultant, clamor nauticus intonat, fragor nauium oncrepat, vulneratorum gemitus, & aeris ipſius confundit niuerſa mugitus, & nec virtuti tempus, nec conſilio locus ſt. Ita nos quoque (miſerum me) irruimus in alterutrum, t mordemus inuicem ac laniamus ſcilicet, vt ab inuicem onſumamur. *Gregor. Nazianz. in Apologetico.*

Latrones quos malitia colligauit, pacem inter ſe haent, & quidam in tyrannide ſunt concordes, aut furti parcipes, ſeu in ſeditione coniurati, vel adulterij adiutores, nſuper chori eſt conſonantia, & ordinis militaris, ac naium ſupplementi, vt interim referre omittam hęreditates x æquo diuiſas, & reſpublicas diſſidentes, ac ſucceſſiones niniſtrantiũ & principum ordine procedẽtes & lege, nec on decantantam illam ſophiſticam, ſeu grãmaticam, ne icam Philoſophiam, circa quam iuuenum eſt contentio, c ſolutius agitur & inſanitur, ſed obquam hac hora parum liſceptatur: vt plurimum verò pacem habet: nos verò diſcordes ſumus, idq; ſine vlla recõciliatione, ita vt nũquam, n vnum conuenire, néque aliquam rationẽ ad hanc ægriudinem curandã inuenire valeamus, ſed tanquã principes n ſacris & myſtæ ſumus malitiæ, & nequaquam virtutis, ſi quidem multa ſeditionis ſuſcitamus incendia, paruam verò aut penitus nullam de concordia curam habemus. *Idem ſermo: 3. de pace ad Amphilochium.*

Quẽadmodum ſi inſles ſcintillam ignis, excitas incendiũ: contra ſi inſuas, extinguis & vtrũq; tibi in manu eſt, quoniã vtrúmq; ex ore tuo proficiſcitur. Idẽ fit in inimicitia proximi, ſi inflatos ac vecordes ingeras ſermones, excitas ignẽ. llius, accendis carbones. Sin mites ac moderatos admoueas ſermones, priuſquàm exardeſcat, iram omnem extingeris. Ne dixeris igitur, hæc aut hæc audiui, cũ hæc omnia ſunt in tua poteſtate. Hoc enim pacto iram veluti ſcintilã, vel extinguere vel accendere, furorémque vel excitare,

vel contra sedare in te situm. *Chrysost. Hom. 3. de Dauid & Saule.*

Vereamini mensam eam cuius omnes participes sumus, Christum propter nos trucidatum, sacrificium eidem mensæ superpositum. Prædones salem eundem simul comedētes, prædones esse desinunt, præsertim aduersus eos quorū conuictu vsi fuerint, mēsa eoúsque illos immutante, vt qui feris immaniores essent, eos ouibus mansuetiores reddat. Ipsi autē eiusmodi mensæ ac cibi participes, aduersum nos mutuo armamur, cum hoc ipsum aduersum diabolum hostem nostrum facere conueniat, ob quod nos quidem infirmiores in dies, ille autem fortior euadit. *Idem, Hom. 8. in epistol. ad Rom.*

Neque ligna viridia quisquam componit ad comburendum, cum præsciat necesse esse multum & absurdum fumū exoriri, neque perturbatum populum in idem congregat prudens præses, nisi si qua maior necessitas incumbat. *Dion Niceus. orat. 47.*

Vt mare quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitari videmus, ac turbari: Sic populus sua spōte pacatus, hominum seditiosorū vocibus, & violentissimis tempestatibus concitari solet. *Cicero pro Cluentio.*

Vt tempestates sæpe certo aliquo cœli signo commouentur, sæpe improuiso, multa ex certa ratione, obscura aliqua ex causa concitantur: Sic in comitiorum tempestate populari, sæpe intelligas quo signo commota sit, sæpe ita obscura est, vt casu excitata videatur. *Idem pro Murena.*

Cybindus auis bellum internicinum gerit cum aquila, adeò vt cohærentes sæpenumerò prendantur: Ita fit aliquoties, vt dum mutuum inter se odium pertinaciter exercent principes, vtrique subuertantur, tertio quopiam inuadente. *Aristoteles. De natura animal. lib. 9. cap. 11.*

Vt si buboni accedat febris, nihil est periculi: verùm si sublato illo tamen morbus perseueret, videtur altius egisse radices: Sic fratrum dissensio, quæ cessat lite finita, causa erat, nō ipsorū: at si manet etiam dū negotio infecto, iam negocium prætextus erat, non causa, sed exulceratus animus in causa fuit. *Plutarchus, in moralibus.*

Vt conuenit amantibus diuersas amicas, in eandem depereuntibus malè conuenit: Sic dissident, qui eadem ex

gloriam affectant. *Ibidem.*

Vt macula ſtatim eluenda, ne inhæreſcat, & difficilius extimatur: Ita diſſenſio fratrum illicò tollenda, ne gignatorium. *Ibidem.*

Vt aqua in locos hiantes ac diductos influit, ac magis eos diuellit: Ita quidam irritant fratrum diſſidia. *Ibidem.*

Vt ſingula haſtilia facilè frangas, coniuncta non poſſis: Ita diſſidentes facilè ſuperantur, concordes haud facilè. *Ibidem.*

Vt periculum ſit, ſi omnes in idem inclinent latus nauis, ſed aliis alio inflectentibus, nauis optimè libratur: Sic ſeditio & diſſenſio inter Rhetores, tutiorem reddit ſtatum ciuitatis: item diſſenſio poëtarum inter ſe facit, vt minus inficiant opinionem lectoris. *Ibidem.*

Inter Agathallos & Acanthylides tantum eſt odium, vt ſi ſanguis eorum immiſceatur, cõtinuò ſeparent ſe rurſum & diſſiliant: Sic inter patritios & plebem, etiam ſi quando pro rerum vſu coniunguntur, durat tamen vſque odium naturale. *Ibidem.*

Lynceus per quercum videt, inimicus etiam per famulũ, per amicum perſpicit, quid agas. *Ibidem.*

Vt cupimus cloacas quàm longiſſimè ab ædibus noſtris abeſſe: Ita in inimicos vitiorum purgamenta reiicere profuerit. *Ibidem.*

Vt Onomademus noluit omnes tolli, qui diuerſarum fuiſſent partium: Ne ſublatis inimicis omnibus cum amicis, inquit, incipiamus digladiari: Ita conſumptis in hoſtes huiuſmodi affectibus, magis comes ſumus erga amicos. *Ibidem.*

Vt priſcis ſatis erat ſi à feris non læderentur, poſteriores etiam in ſuum commodum vertere cœperunt, pellibus veſtiri, carnibus veſci, felle mederi. Sic nobis agendum eſt, vt ab inimicis non ſolùm non lædamur, verumetiam adiuuemur. *Ibidem.*

Vt agricolæ iuxta allia & cæpas, ſerunt roſas, quòd quicquid eſt in illis moleſti odoris, in hæc tranſeat: Sic inimicus, ſi quid eſt in nobis mali animi, id totum in ſe recipiẽs, ac conſumens, reddit nos amicis iucundiores. *Ibidem.*

Vt vultures ad extincta corpora odore feruntur, ſana nõ ſentiunt: Sic inimicus, ſi quid deliqueris, ſtatim olfacit, atq;

eò confestim accurrit, ad rectè facta stupidus. *Ibidem.*

Dionysiaci sæpe negligenter inter se canunt in theatris, verùm cum certatur, tum multo diligentius agunt omnia: Sic accuratius gerit rem, qui scit vitam suam ab aduersario obseruari. *Ibidem.*

Vt inter animantium genera occulta quædam sunt dissidia, cùm nulla appareat dissidij ratio, velut aranex & serpenti, formicis ac soricibus, trochilo & aquilæ, aliisque compluribus: Ita sunt qui illam aut illam oderint gentem, cum nesciãt, quamobrem oderint. Quidam odere rhetoricem, aut Græcas literas, cùm hoc ipsum ignorent quod oderunt. *Plinius, lib. 10. cap. 74. & Aristot. lib. 9. cap. 1. De natur. animal.*

Vt vultures ad extincta corpora odore feruntur, sana non sentiunt: Sic inimicus, si quid deliquerit statim olfaeit, atque eò statim accurrit, ad rectè facta stupidus. *Idem, lib. 10. cap. 6.*

Tyrheus lapis quamuis grandis innatat, comminutus sidit. Ita concordia sustinemur, discordia pessum imus. *Idem lib. 2. cap. 106. & lib. 36. cap. 17.*

DISPVTATIO.

IN aliis certaminibus laureas referunt, qui victores redeunt: At in disputationibus diuinis, solis debetur corona, qui se rei magnitudine victos fatentur. *Chrysost. in dictum Apostoli, cum subiecta et fuerint omnia.*

Sicut per gymnasticam corporis vires firmiores fiunt: ita in hac literaria palæstra animi vires & fortiores longè & vegetiores euadunt. Nec crediderim ego aut poëtas aliud per decãtata Palladis arma, aut Hebræos cum ferrum symbolum sapientum esse dicunt, significasse nobis quàm honesta hoc genus certamina adipiscendæ sapientiæ oppido quam necessaria. Quò fortè fit, vt & Caldæi in eius genesi qui philosophus sit futurus, illud desiderent, vt mars Mercurium triquetro aspectu conspiciat, quasi si hos congressus, hæc bella sustuleris, somniculosa & dormitans futura sit omnis philosophia. *Picus Mirandula, in Apologia propositionum suarum.*

Vt in certaminibus inspicere est, qui imbecillum obti-

nt corpus,& inconsultis viribus, tamen in certamen ob
em victoriæ descendunt, eos paulo post sub labore defi-
re: partes verò virtute præstãres, fortiter sustinere certa-
en, ac pro assequenda victoria ad extremum vsque pu-
are: Sic etiam certantibus professionibus vitæ, alias qui-
m omnes reprobare, ac pellere de stadio oportet. *Tyrius*
atonicus ser. 5.

Vt apud Homerum Vlysses ridetur à Procis, quod panis
istula peteret, non enses neque lebetes: Ita magis ridẽdi
nt, qui differenti minutulas ac friuolas quæstiones obii-
int. *Plutarchus in moralibus.*

Quemadmodum veratrum crassiusculè sumptũ, purgat,
llionem verò læuigatum suffocat: Sic minus anxia sub-
ísque in disputando philosophia. *Stobæus ser.* 80.

DIVINATIO.

Icut fieri solet vbi somnia aliqua viderint homines, & ni
hil certi intelligunt, cum aliquis occurrerit exitus rerũ,
ne ad ea quæ acciderunt, aptant etiam somnij visum:
a est & mathesis, antequam aliquid fiat, certi nihil pro-
iciatur. Postea verò quàm aliquid acciderit, rei iam ge-
e colligunt causas. *Clemens, lib.* 10. *recognitio.*

icut vites bonæ quæ negliguntur, ab herbis & spinis pre
untur & necantur: Sic & homines qui diuinis seu ariolis
ediderint, in negotiis & actionibus inciderunt, & eua-
antur a sensu suo, & nihil omninò intelligunt de diui-
s cogitantes. Sed si quãdo audierint à domino, sensus co-
m in negotiis ipsorum est. *Hermas seu Pastor.*

DIVITIÆ.

Vbstantiæ iniustorum sicut fluuius siccabuntur, & sicut
tonitruum magnum in pluuia personabunt. *Eccl.* 40.
lactantius diuitiarũ quid contulit nobis? Sap. 5. Trãsierunt omnia
a tanquã vmbra, & tanquã nuntius præcurrẽs: & tanquã
uis quę pertrãsit fluctuantẽ aquã: cuius, cũ præterierit, nõ
t vestigiũ inuenire, neque semitam carinæ illius in flucti-
: aut auis quæ trãsuolat in aere, cuius nullũ inuenitur ar-
umẽtũ itineris, sed tãtũ sonitus alarũ verberãs leuẽ vẽtũ,
scindẽs per vim itineris aerẽ, cõmotis alis trãsuolauit, &

post hoc nullum signum inuenitur itineris illi⁹. Aut tanquã sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aer continuo in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius. Sic & nos nati continuo desinimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra cõsumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt, quoniam spes impij tanquam si lanugo est, quæ a vẽto tollitur, & tanquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis. *Sap. 5.*

Glorietur autẽ frater qui est humilis in sublimitate sua. cõtra qui diues est, in humiliatione sui, quoniam veluti flos herbæ præteribit. Exortus est enim sol cum æstu, & exaruit herba, & flos illius decidit, & decor aspectus illius periit: Sic & diues, in viis suis marcescet. *Iacob. 1.*

Diuitiæ sunt serpenti similes, quem si quis nescit inoffense eminus accipere, bestiam sine periculo, summa cauda apprehendens, ea manu circumplicabitur, & mordebit: Ita & diuitiæ, si ab imperito viro apprehenduntur, inhærent & mordent. Sed si quis so magnificum prebens, recte & scienter eis vtatur, illæsus permanebit. *Clemens Alex. lib 3. pedag. cap 6.*

Vitis fructifera est, vlmus autem lignum sine fructu est. Sed vitis nisi applicata fuerit vlmo, non potest fructũ multum facere, iacens enim in terra malos fructus dat. Sed si suspensa fuerit super vlmum, & pro se & pro vlmo fructũ dat. Vlmus ergo non minorem fructum dat quam vitis, sed potius maiorem. Hæc igitur similitudo posita est in seruos Dei, in pauperem & diuitem. Diues enim habet opes, à Domino verò pauper est. Distrahitur enim circa diuitias suas, & valde exiguam habet orationem ad Dominum, & quam habet, inertem habet, & non habentem virtutem. Cũ igitur diues præstat pauperi, quæ illi opus sunt, pauper orat ad Dominum pro diuite, & Deus præstat diuiti omnia bona, quia pauper diues est in oratione, & virtutem magna habet apud dominum oratio eius, Sint ergò ambo cõfortes bonorum operum suorum. *Hermas seu Pastor.*

Quemadmodum fluuius ex alto ruens loco, ita subito exuberat, vt stantes in ripa quandóquè attingat: simul verò vbi attigit mox succedit: Sic & opum lubrica deciuitas perniciſſimam

ernicissimam exhibet,& prolapsiore leuissimam sui præ-
entiam, aliud ex alio natum permutare. Hodie huius est
ger, cras erit alterius & paulo post ad alium perueniet.
asil. in Psal. 61.

Putei qui exhauriuntur, melius fluunt, quibus si suas a-
quas intactas relinquas, fœtorem contrahunt: ita etiam di-
itiarum quies inutilis, motus & transgressus publicè vti-
is est, & fructuosus. *Idem Hom. in ditescentes.*

Sicut quæ à radice quadantenus recedit terra, alimentum
fit plantæ: quæ autem radici adiacet proximè, eam compri-
mit & degrauat. Sic & ambitus opum, si quando ditescere
cupientibus ingruerit: animas quidem eorum in imum tar-
tari demergit, alienata autem ea substantia à suis detento-
ribus, & distributa in indigentium vsum, tunc eorum pro-
pria fit possessio. *Idem, in cap. 5. Esaiæ.*

Qui fieri possit vt bestia non sit bestia? Equidem possum
illam immutare si vos velitis. Quo pacto igitur à sua feri-
tate mutabitur? Si didicerimus quomodo fiat sæua, more
leonum, more pardorum, more vrsorum, qui dum includú-
tur coercentúrque in tenebris, erigunt animos acuúntque
iras. Itidem & diuitiæ, dum includuntur & defodiuntur, acrius rugiũt quã leones, perturbántque omnia. Quod
si eas è tenebris eduxeris, & in egenorum ventres disse-
mines, ex feris bestiis fiunt oues, quæ fuerant insidiosæ duces,
pro scopulis fiunt portus, pro naufragio trãquillitas. Quã-
doquidem hoc & in nauigiis videre licet, si quando onus
est iusto grauius, demergit cymbam. Rursum cum est mo-
deratum, prospero fertur cursu. Idem vsueuit in nostris
ædibus. Cum vltra quam vsus postulat congeris pecunias,
ex igni venti procella & quiuis rerum inexpectatarum in-
cursus, demergit cymbam. At si tantum reponas quantum
postulat necessitas, etiamsi vehemens turbo ingruat, facile
percurris vndas. Noli igitur plus concupiscere quàm exi-
git necessitas, ne totum amittas. Noli quæ superant vsum
congregare, ne perdas etiam necessaria. Noli præfinitos
terminos prætergredi, ne facultatibus vniuersis exuaris:
sed quod sup ereſt reseca, vt necessariis ditescas. An non vi
des quod agricolæ vitem putant, ne vim omnem in pampi-
nis & palmitibus, sed in radice proferat? Idem & tu facito.
Amputa folia, omnéque studium huc intende, vt quam-

plurimũ fructus ferat. Quod si facere recuſes, rebus proſperis, expectes aduerſas. *Chryſoſt. Hom. 14. de Auaritia.*

Si ſtellæ quæ ſunt in cœlis perpetuoque lucent, recipiũt nonnullam mutationem, ſol deficiens, luna interiens, an non extremæ dementiæ eſt, terrena pro ſtabilibus fixiſq; ducere. *Ibidem.*

Sicut videri nequit in rota, quæ continuò verſatur, aliqua pars eius, eo quod crebra circunferentia ſemper ſumma fiunt ima, & ima ſumma: Ita & noſtrarum rerum impetus dum continuo vertuntur, ſumma facit infima, vt videre licet in diuitiis, potẽtiis & aliis. *Idem, ſer. de hab. cur. proxi.*

Quemadmodũ eum qui perpetuò ſitit, non dixerimus recte valere, etiamſi copia rerum affluat, etiamſi iuxta fluuios ac fontes accumbat. Quid enim prodeſt illa aquarum copia, cum affectio maneat inſedabilis? Itidem & in diuitibus faciamus, eos qui perpetuò concupiſcunt, ſitiuntque aliena, ne putemus vnquam eſſe ſecuros, nec vlla frui rerum copia. Et enim qui ſuam ipſius concupiſcentiam non poteſt ſiſtere, etiamſi cunctorum opibus vallatus ſit, quomodo futurus eſt is vnquam in proſperitate? Eos vero qui quod habent ſuum, boni conſulunt, quiq; ſua ſorte contenti ſunt, nec alienas circumſpectant facultates, etiamſi fuerint omnium egentiſſimi, omnium opulentiſſimos dicere oportet. *Idem concione 2. de Lazaro.*

Quemadmodũ conſpiciẽtes in pariete pictũ diuitẽ ac pauperẽ, nec illi inuidemus, nec pauperẽ deſpicimus, eo quod quæ videmus, vmbra rerũ eſt nõ veritas: Sic & diuitiarũ & paupertatis, gloriæ & ignominiæ, aliarúmq; rerũ omnium ſiue triſtium ſiue lætarum naturam ſi pernouerimus, liberabimur à perturbatione, quæ ex harũ vnaquaq; in nobis gigni ſolet. Hæc enim oſa quauis vmbra fallaciora, neque quicquã habent ſublime, neque præclarum, neque ſplendida glorioſaque attollere, neque humilia contemptáque attollere poterunt. *Idem, concione 4. de Lazaro.*

Sicut pueri ſæpe quãdo cultellos & gladios arripiunt, eo quod neſciũt bene illis vti, periclitãtur (vnde matres nõ permittũt illis eos impunè attingere): Ita profecto & iuuenes, qui pecuniarum abundantiam ſuſceperint, cum nolunt eis bene vti, in periculum certum ſeſe precipitant, ſarcinã peccatorum ſibi inde colligentes, naſcuntur enim inde luxus, delitiæ & abſurdæ voluptates. *Idem, Hom. 66. in Geneſin.*

Hæc sciens esse superflua, amputa, facque pauperibus supplementum. Nam si calceamenta quis supra mensuram pedibus adegerit, itinere certe prolixiori impedimēta sentiet, & vestimentum induens corporis staturam excedens, pari modo implicabitur. Atq; superfluū vbique in eo quod satis est, ad opportunitatē inutile est: In pecunia multo fortius id euenit. Et qui supra quod satis est habent, nō modo in ipsa sufficiētia, sed & in necessariis quibusdam impediūtur. Nam qui deforis in agone currunt, & ipsa exuunt vestimenta, viamvero in cœlum ferentem, & eandem arctam & arduam tot cum impedimentis quomodo poteris ambulare? *Idem, Hom. 7. de pœnitentia.*

Nemo in casura vrbe ædificat. Dic, inquā, si quis tibi prænunciaret post annum ipsam casuram vrbem; num fortasse in casura vrbe ædificares? Id itaque nunc fac. Nequaquam in hoc ædificemus mundo. Cadet enim paulo post, & cuncta peribunt. Quid in arena ædificamus? Ædificemus supra petram, quantumcunque impetus fiet, inconcussa quidem erit illa ædificatio, eamque emoliri nihil poterit. Hic non domus modo, sed & mancipia, atque vniuersa sæpe hæreditas ad inimicos deuoluitur, eiusmodi enim humana sunt bona. In cœlis vero nihil timendum est tale: neque vt morientis superueniat hostis, hæreditatique succedat. *Ibidem.*

Si terrenus forte rex diceret, non posse diuitum quenquam in ipsius fulgere regno, aut aliquo honore decorari, nunquid nō certatim omnes abiicerent inhonoratas repulsasque diuitias? Si igitur apud terrenum regem honorē nobis auferrent opes, continuò despicabiles fierent: Rege verò cœlorum inclamante nobis ac dicente, quia difficile sit nos cum diuitiis diuinæ illius habitationis intrare vestibulum, non impendimus omnia? *Idem Hom. 9. in Math.*

Qui thesaurum suum terræ defodiunt, ne illum custodiendum transferant in cœlum, tale quiddā faciunt, quale si agricola, accipiens frumentum terra fertili seminādum, vberem quidem agrum relinquat, in lacum verò frumentū omne demergat, vt eo nec ipse potiatur; & frumentum sui corruptione depereat. *Ibidem.*

Nullo modo præsens vita videtur differre à carcere. Sicut enim cum triste illud introimus habitaculum, circundatos videmus ac vinctos catheneis: ita nunc si vniuscuiusque ani-

mam ingrediamur, videbimus eam durioribus ferro vinculis alligatam, & maxime si in diuitum intremus animas. Sicut enim cum aliquem videris, vinctum, & ceruice, manibus pedibúsque ferratum: propterea illum maximè miseraris. Sic etiam cum videris diuitem cunctis rebus omnino circundatum, noli eum propterea putare locupletem, propter quæ debes infœlicem vocare. Præter illa quidem vincula, habet custodem carceris sæuiorem, amorem pecuniarum, qui semel à se vinctum, nequaquam de hoc carcere exire permittit, sed mille illi imponit catenas & ostia & seras atque custodias, in interiorem illum coniiciens carcerem, etiam delectari his vinculis facit. *Idem, Hom.* 14.

Pecuniæ certè χρήματα Græca lingua dicuntur, quia nō suffodere, sed vti propriè eis debemus, cum χράομαι Græce, latine vtor dicamus. Et quemadmodum artificum vnusquisque propriam artificij sui scientiam nouit, sic diuites non fabricare, nec ædificare, nec texere, nec gubernare, nec aliud eiusmodi sciunt, nec scire debent. Illud suum artificium est, vt diuitiis rectè vti non debeant ignorare. Non est enim certe ars illa contemnenda, qua discunt opulenti conferendum indigentibus. *Idem, Hom.* 50.

Qui diuitias non sibi sed aliis quærunt, his similes sunt, qui metallorum operi traditi sunt. Nullum enim illi emolumentum, nullas opes inde consequuntur, sed magno periculo atque detrimento suo aliis laborant, nihil prorsus de sudore, labore, & morte quam plerunque obeunt, ad fructum suum inde conuertentes. Imòvero & his multò miseriores sunt, quoniam mors doloris finem his, illis autem quos gehenna expectat, veræ afflictionis initium affert. *Idem, Hom* 56.

Quemadmodum medicus ossibus, neruis, dentibus obesse frigidum asseuerat: Sic Paulus breuius quidem quoniam breuitatis magister est, clarius multò atque vehementius, omnium malorum radicem auaritiam affirmat. Ad hæc quemadmodum medicus exemplo terret, quia ille atque ille inquit, aqua frigida vsus, perit: sic etiam Christus vt moderatiorem te faciat, diuitem vitæ ac sanitatis cupidum inducit, quem auaritia impeditum, non fuisse optata consecutum ostendit. *Idem, Hom* 75.

Anima affectibus implicita, nequit profecto magnum a-

liquid aut generosum intueri, sed tanquam lippitudine quadam perturbata, in tenebris versatur. Mentis igitur oculos à tã grauissimo morbo liberemus, nolimus inter spinas semen iacere. Quænam hæc spinarum copia nostis, etsi tacemus, sæpenumero audistis Christum præsentis vitæ sollicitudines & diuitiarum fraudes, spinas appellasse & merito, Nam quemadmodum spinæ steriles sunt: ita & diuitiæ. Quemadmodum illæ quæ tangunt lacerant: ita harum cupiditas: Quemadmodum facile igni comprehenduntur ita & odio habentur agricolis: ita huius seculi negotia. Postremò vt inter spinas feræ, viperæ, scorpij delitescunt: ita in fraudibus diuitiarum. *Idem, Hom. 23. in Ioan.*

Diabolus diuitibus insilit, canis exemplo offulam aut placentam de manibus pueruli auferre volentis. Vsque adeò in presentia diuites nulla re differũt à puerulis his, quibus canes infesti esse solent. *Idem, Hom. 7. in epist ad Rom.*

At me inquis, liberorum chorus circumsistit, atque ego illos diuites relinquere aueo. Illis si omnia reliqueris, incertæ custodiæ tua omnia committis: quod si illis Deum relinquis cohæredem ac curatorem, infinitos thesauros relinquis. Quemadmodum cum de nobis vltionẽ sumimus, nobis tum Deus non opitulatur, cum autem illius arbitratui rem permittimus, tum expectationem nostram rei exitus superat: Sic & in pecuniarum ratione vsuenit. Si nostram in eis cogitationem fixerimus, desinit ille de illis curam habere, sin illi negotium totum commiserimus, fiet vt & illas & liberos item in omni securitate collocet. *Ibidem.*

Quemadmodum sol & terra & alia omnia, vt & corporis ministerium, & totius corporis est, & singulorum membrorum, & cum vnius tantum est membri propriam operationem amittit. Idem in pecuniis vsuenit. Et vt manifestius quod dico ostendam, cibus corporis membris cõmuniter distributus, si in vnum mẽbrum venerit, ab illo quoque alienus fit, cum digeri nequeat, neque præbeat nutrimentum: si autem cum aliis communicauerit, & illius & omnium proprius erit. Sic in pecuniis. Si tu solus his frueris, etiam tu eas amittes, nõ enim earum fructum accipies: si cum aliis possederis, tunc longe magis tuæ erunt, tunc accipies vtilitatem. Nónne vides quod manus ministrat, os mandit, venter accipit? Nunquid venter dicit postquã ego

recepi, omnia mihi seruare debeo. Noli igitur & tu hoc de pecuniis dicere, *Idem, Ham.* 10. *in* 1. Cor.

Diuitum verba, porcorum verba & canum, & luporum & aliarum ferarum sunt. Siquidem alij de ipsis mensis, obsoniis, cibis, & omnifario vini genere, vnguentis & omni luxuria disputant. Alij de vsuris & mutuis tabulas fingentes, & grauissimum æris alieni onus adiicientes, ac si à patribus & auis principium acceperit, huius quidem domum illius agrum, alterius seruum, & omnem auferunt possessionem. *Idem, Hom.* 13. *in* 1. *Cor.*

Quis hostis tam crudelis est quam opes? Viuentium animas perdunt, mortuorum corpora indignè tractant, ne terra quidem condi permittentes, quod concedi damnatis etiam, & nefandorum scelerum reis solet. In illos enim simul ac mortis pœnam exoluerunt, nihil amplius iudices permittunt: in hos vero post mortem etiam auaritia grauissimè animaduertit, nudos insepultos, graue & miserandum spectaculum proponens. *Ibidem. Hom.* 31.

Quæ est fœlicitas in pluto: nisi forte qui cum belluis cõgrediuntur fœlices dicas, quod rarasillas bestias includẽtes, sibi quidem seruant & spectaculo proponunt, accedere tamen non audeant aut attingere: horreant magis, & contremiscant. Tale quiddam diuites patiuntur. Plutum vt truculentã bestiam includunt, & sexcenta quotidie vulnera ab illo accipiunt, sed contrario belluis modo. Hæ enim si producas, in obuios ruunt. Ille si includas, si serues, possessorẽ inuadet, perdétque. Hanc nos belluã mansuefaciamus. Erit autem si non includatur, sed hominum manibus permittatur: quibus attrectatus, mansuetus esse discet. *Ibidem.*

Sicut radix in pingui plãtata solo, quæ nobis singulis annis tempestiuos affert fructus: Sic pecunia in manibus pauperum plantata, non solum in singulos annos, sed & in singulos dies spirituales nobis fructus affert, fidentiam scilicet in Deum, peccatorum abscessum, cõscientiam bonam, lætitiam spiritualem, spem iucundam, aliaque bona quæ præparauit Deus diligentibus se. *Ibidem.*

Quemadmodũ actores in scena regum ac ducum personas, item medicorum ac rhetorum, sophistarum ac militum assumentes, ingrediuntur, cum ipsi nihil horum

sint: sic sane & in præsenti vita paupertas ac diuitiæ nihil aliud sunt quam personæ. Sicut igitur in theatro sedens si quem videris ex his qui extra scenam pedibus ingrediuntur, personam gerentem regis, non iudicas eum beatum, neque regem esse credis, imo nec ipse optas esse talis, sed cum scias quod sit quispiam ex his qui cõuersantur in foro, funium opifex, aut faber ærarius, aut aliud quicquã tale, non iudicas illum beatum ob personam, aut ob vestẽ ad talos demissam, neque ex his rebus estimas illorum vitam, sed despicis illum potius ob aliam vilitatem: Sic sane & hic velut in theatro videlicet mundo sedens, & in scena ludentes spectans, vbi videris complures diuites, ne putes veré diuites esse sed diuitum obtectas personas. Nam quemadmodũ ille qui in scena regem aut belli ducé agit, frequenter est famulus eorum qui ficus aut botros vendunt in foro. Itidem & hic diues crebrò pauperior est omnibus. Quod si detraxeris illi personam, si cõscientiam explices, & ingrediaris animum, multam illic offẽdes virtutis inopiam, comperiesque omnium hominum abiectissimum. Quemadmodum enim instante vespera, digressisque qui considerant, vbi fuerint è theatro egressi, habitumque tabulæ deposuerint, qui prius reges ac duces esse videbantur; post apparent hoc quod sunt: ita sane & nunc: postquam mors aduenerit, theatrumque dimissum fuerit, cum diuitiarum paupertatisque personas deposuerint omnes illuc profecti sunt, atque ex solis operibus iudicati, declarans qui vere sint diuites qui vere pauperes, qui honorati & qui humiles. *Idem Hom. secunda de Lazaro.*

Dic mihi, si te amicum quendam habentem omnes illius gratia honore afficerent, simul tamen ingenuè fatererentur, nullo te prorsus honore dignum esse, cogique se propter illum amicum tuum honorare te, quomodo non magis ignominia te afficerent isti? Itaque diuitiæ nobis ignominiæ causa sunt, maiore præditæ honore quam qui possident. Et siquis tibi diceret, Te quidem nullo arbitror honore dignum, verum propter seruos tuos honore te afficio: an hac ignominia quicquam peius esse posset? Si verò turpe est honorii esse propter seruos, qui tandem eiusdem animæ nobiscum & eiusdem naturæ

sunt participes: multo magis propter ista quæ viliora sunt, parietes dico ædium, & aulas & vasa aurea & vestimenta ridicula verè sunt ista & turpia Animum turpem faciunt diuitiæ. Quid isto inhonestius? Etenim dic quæso: Si formoso quodam existente corpore, cunctosque pulchritudine sua superante, accedentes diuitiæ denunciarent ac iuberet illud pro formoso reddere turpe, & pro sano ægrotum, & pro sedato inflatum, omniaque membra intercute replerent, tum facerent quoque faciem atque vndique inflarent, item & pedes, trabibus etiam grauiores eos redderent, rursus tumefacerent & ventrem, & quouis dolio maius exhiberent: & post ista neque curare volentibus veniam & indulgentiam promitterent (nam hoc facit potestas) sed tantum libidini licentiam darent, vt si quis accederet nocumenta illa ablaturus, illum etiam punirent: dic queso, quando diuitiæ ista faciant & infligant animæ, quomodo bonum est esse diuitem? Sed potestas illa licentiosa peior est morbo. Ægrotum namque ne medicorum quidem acquiescere legibus peius est quam simpliciter ægrotū esse, Id quod in se habent diuitiæ, vndique animum intumescere facientes, medicorumque accessum & operam prohibentes. Itaque non existimemus illos licentiæ ac potestatis gratia beatos esse, sed miseream̃r potius. Neque enim si videro iacentem hydropicum, & neminem prohibentem quominus potando se quantum voluerit, carnibusque nociferis ingurgitet, libertatis & potestatis huius gratia beatum illum reputauero. *Idem, hom. septima ad Colossenses.*

Spinæ sunt diuitiæ nullum afferentes fructum, & aspectu deformes, & vsu iniucundæ, lædentes eos à quibus cõtinguntur: non solum ipsæ fructum non habentes, sed & nascentem fructum impedientes. Tales sunt diuitiæ. Non solum ipsum fructum non afferunt æternum, sed & fructificare volentes impediunt. Irrationaliũ camelorũ cibus sũt spinæ, alimonia sunt ac sumptus ignis, ad nihil vtiles. Tales sunt diuitiæ. nulli sunt vsui nisi ad incendiũ camini, adincendiũ ei' diei qui ardebit velut clibanus ad alimoniam affectionũ irrationaliũ, vt pote iniuriarũ memoriã & iram: Talis est etiam camelus spinis vescens: fertur etiam ab his qui talia viderunt, nullum esse ex omnibus iumentis quod ita iniuriam acceptam tenaciter contineat, ita difficilis iræ

fit, ita malum illatum recordetur, vt camelus. Tales sũt diuitiæ, irrationales animi affectiones pascunt: rationales verò pungunt ac vulnerant, quemadmodum spinæ faciunt. durum quid est & scabrum hæc planta, vltro nascitur sua sponte. videamus quomodo nascatur, vt ipsam excudamus. in locis præruptis nascitur, in saxosis, in aridis, vbi nulla est humiditas. igitur ficubi quisquam scaber est & præruptus, hoc est immisericors, nascuntur in illo spinæ. Quod si quando istas volunt excidere agricolæ non ferro hoc faciunt sed quomodo? Ignem illis immittunt atque ita vniuersam telluris malitiam auferunt. Quoniam enim non satis est supernè illas excidisse, manantibus adhuc infernè radicibus, imò ne radices quidem euulsisse. Manent enim etiam sic in terra, per malitiam ex ipsis contractam, & quasi peste quadam corpus occupãte, ita manent adhuc reliquiæ. Vniuersum verò telluris humorem ex spinis conceptum, quasi quoddam venenum, ignis supernè per calorem suum ex ipsis telluris lumbis exhaustum eximit. Quemadmodũ enim ficus imposita omnem ad se malitiã extrahit: ita & ignis omnem telluris malitiam ex spinis contractam exhaurit, & mundam tellurem reddit. *Idem hom. tertia in 2. ad Thessalo.*

Quemadmodum eos qui nudi fugiunt, nemo facile tenere potest: qui verò vestimenta post se trahit, eum quilibet cito apprehendit: eadem ratione & pauper & diues. Nam ille quidem etiãsi capiatur, diffugere facillimè poteret: hic autẽ & si non teneatur, suis cõpedibus irretitur, curis innumeris, desideriis, ac pertubationibus reliquis, quippe omnia ista obruunt animum. *Idem hom. sexta ad Titum.*

Intuere quanta fiant mala propter pecunias, quod affectione & passione quadam tenemur circa eas, verbi gratia, Si perdit aliquis pecunias, vitam ducit omni morte peiorem. Quid doles ô homo? quid lacrymas? quia te à cura custodiendi super sua liberauit deus? quia non sedes tremens & metuens? Dic itaque si te quisquam alliget ad thesaurum precipiens vt illi semper assideas, & vigilem curam alienis impendas, nonne doleres & difficulter ferres? Tu teipsum alligaueras vinculis pessimis, & quia illa seruitute liberatus es, doles. *Idem hom. 10 ad hebræos.*

Propterea Deus abstulit tibi diuitias, vt te liberet à pes-

sima seruitute. Nam & pater optimus cum viderit filium amore meretricis alicuius deperire, si admonitiones eius audire neglexerit, illam meretricem de medio auferens, in exilia longinqua detrudit. Talis est etiam abundantia diuitiarum. Curam igitur de nobis gerent verus pater & optimus Dominus, volens nos ab hac læsione liberare, aufert nobis pecunias quarum amore mens nostra corrumpitur. *Idem hom. trucesima tertia.*

Sicut plerumque, meretricis vultus, cum turpis & fœdus est per naturam, fucis & coloribus pigmentatus prostituitur ad decipiendos eos qui ignorant quæ fœditas sub velamine fuci illius contegitur: ita & diuitiæ faciunt, cum adulationem honorem volunt videri. *Idem hom. quod nemo læditur nisi à seipso.*

Diuitiæ dum includuntur & defodiuntur, acrius rugiunt quam leones, perturbantque omnia. Quod si eas è tenebris eduxeris, & in egenorum ventres dilleminis, ex feris bestiis fiunt oues quæ fuerant insidiosæ duces, pro scopulis fiunt portus, pro naufragio trãquillitas. Quando quidem & hoc in nauigiis videre licet, si quando onus est iusto grauius demergit cymbam. Rursum cum est moderatum, prospero fertur cursu. Idem vsuenit in ędibus nostris. Cum vltra quam vsus postulat cõgeris pecunias, exigui venti prolati, & quiuis rerum in expectatarum incursus demergit cymbam. At si tantum reponas quantum postulat necessitas, etiamsi vehemẽs turbo ingruat, facile percurris vndas. ergo quod super est, reseca, vt necessariis diteseas. An non vides quod agricolæ vitem putant, ne vim omnem in palmitibus & pampinis, sed in radice proferat? Idem & tu facito. Amputa folia, omneque studium huc intende vt quamplurimum fructus ferat. Quod si facere recuses rebus prosperis, aduersas expectes. In tranquillitate tempestatem expecta, in sanitate morbum, in diuitiis paupertatem ac mendicitatem. *Idem hom. de auaritia tom. 5.*

Tanquam canis, ita Diabolus diuitibus insilit, tanquam bucellam vel placentam tenenti puerulo volens auellere. Demus igitur ea patri. Et si Diabolus factum hoc viderit, omnino recedet: cum verò recesserit, tunc ea pater omnia dabit in tuto, cum ille non poterit infestare in futuro seculo. Nunc enim à paruis infantibus qui à canibus ve-

xantur, nihil differunt diuites, omnibus circa eos latrantibus laniantibus, trahētibus, non hominibus tantum, verū & illiberalibus passionibus, ingluuie ventris, ebrietate, assentatione, & omni intemperantia. Et si fœnerare quidem suppetat multum dantes conquirimus, & gratos consideramus: hic autem contrarium facimus. Gratè suscipientem Deum, & non centesimam partem, sed centuplum prebentem dimittimus ac ne sortem quidem nobis redditurus quærimus. Quid enim venter nobis reddet, qui plurima consumit? stercus & corruptionem. Quid autem inanis gloria? liuorem & inuidiam. Quid verò auaritia? curam & solicitudinem. Quid intemperantia? gehennam & veneniferum vermem. Hi namque sunt diuitum debitores, has sorti ingentes vsuras, præsentia mala pœnasque futuras. His igitur queso, ad tantam mutuabimus vltionem, & nostra Christo non credemus, cœlum prætendenti, æternam vitam, & arcana bona? Et quam inueniemus excusationem? Cur enim non das illi qui proculdubio daturus est, & plura daturus, fortassé ne quoniam post multum dat temporis? Atqui & hic præbet. Non mentitur enim qui dicit. *Quærite regnum Dei, omnia adijcientur vobis.* Præterea post longum recipere tempus tibi talentum multiplicat, fœnus enim efficitur maius. Nam & in mutuantibus hoc facientes videmus fœneratores, post multum temporis libentius redimentibus, libentius fœnerantes. Qui namque statim totum reddit, vsuræ cursum interrumpit: qui verò diu retinet, maiorem facit operationē. Itaque in hominibus quidē dilationē nō ægrè ferimus, verū studemus vt maior fiat: apud deum vero tam pusillanimiter nos gerimus, vt propter hoc torpeamus, & retro cedamus. Idem *Hom. 53. ad pop. Antioch.*

Qui cœlorum regna permutant pecunia, idē faciunt, vt si qui regno exact' amplissimo, stercoris cumulo glorietur. Nihil nēpe pecuniarū aceruus, à stercoris cumulo distare videtur, imo verò multo præstantior hic quam ille. Nam tum ad ædificanda balnea perutilis, tū ad colendos agros necessaria est stercoris exaggeratio, aurum vero suffosum nihil penitus prodest, neq; non prodest solum, sed quasi fornax ardentissima, nisi quis opportunè vtatur, habentē exurit. Adeo multa mala hinc, adeo magnæ afflictiones

scaturiũt, vt malorum omnium arx ab auctoribus auaritia sit vocitata, quam B. Paulus significantius multo omnium malorum radicem appellauit. *Idem homil. sexagesima quarta in Matthæum.*

Quemadmodum meretricantium mulierum formæ fricationibus & fucis compositæ, pulchritudine quidem ipsa carent, verum turpem ac deformem faciem pulchram ac formosam, seductis ab illa videri faciunt: Ita diuitiæ quoque contemptum, honoris loco habendum exhibent. *Idem oratione de diuitijs & paupertate.*

Terrenarum opum instabiles diuitiæ fluuiatilium vndarum imitantur cursum: modicum enim affluunt his qui habere se eas arbitrantur, mox verò refluentes ad alios accedunt solus autem beneficentiæ thesaurus stabilis est possidentibus eum: bonarum enim actionum meritum ad auctores retorquetur. *Agapetus Diaconus in expositione capitum admonitoriorum.*

Nolite Thesaurizare vobis Thesauros, &c. Sicut de vestimento tinea, rubigo de metallo, de necessitate fures nascuntur: Ita de diuitijs auaritia, cupiditas de quæstu, de habendo habendi ardor acquiritur. *Petrus Chrysol. sermone. 7.*

Arbor vlmea significat hominem diuitem in hoc mundo. Sicut enim arbor illa sublimis est & amœna & humida, & tamen fructibus vacua: ita & quicunque diues seculi huius, quamuis sublimetur honoribus, in multis facultatibus iucundus & amoreus esse videatur: tamen si ad vitem id est ad pauperem Christi, eleemosynarum suarum brachia quasi ramos piissimos non expandit, à fructibus æternæ vitæ vacuus remanebit. Vitis autem significat seruos Dei abbates, monachos vel clericos spirituales Deo vacantes, & doctrinæ iugiter insistentes. Hoc ergo expedit fieri vt quomodo arbor vlmea extendit ramos suos & erigit vel sustinet vitem: sic diues seculi huius porrigat ramos suos, id est, manus plenas fructibus agri sui, & sustentet pauperes Christi. *Cæsarius arelatensis hom. 17.*

Multis parasse diuitias non finis miseriarum fuit, sed mutatio, nec hoc miror. Non est enim in rebus vitium sed in animo. Quemadmodum nihil differt vtrum ægrum in ligneo lecto an in aureo colloces, quocunque illum transtuleris morbum suum secum transferet. Sic nihil refert

vtrum animus æger in diuitiis an in paupertate ponatur malum suum illum sequitur. *Seneca epistola 17.*

Vt vestes talares corpora, sic opes immodicæ animas impediunt. *Antonius in Melissa par. 1 sermo 31. & Maxim. 12.*

Diuitum & prodigorum bona fico arbori positæ in loco præcipiti & abrupto comparabat Diogenes, de qua homines nihil accipiant, sed corui & milui, quemadmodum ab illis scorta & adulatores. *Maximus Sermone 12.*

Quemadmodum conuiuium nullam habet omnino gratiam, nisi adsint conuiuæ: Sic quoque diuitiæ nullam habent voluptatem, nisi adsit virtus. *Antisthenes apud Stobæum serm. 1. De prudentia.*

Quemadmodum ex his qui idem vinum biberint, alij bacchantur, alij furiunt, alij mitiores redduntur: Sic etiam qui pares habent diuitias, non tamen pariter afficiuntur. *Aristonymus apud Maximum ser. 12.*

Non quemadmodum calceus maior ineptus est ad vsum, ita & possessio copiosior. Calcei enim magnitudo superflua vtentem impedit. Opibus autem vel vniuersis, vel ex parte aliqua suo tempore vti licet. *Aristippus. apud Stobæum sermo. 92.*

Quemadmodum vilia marsupia, etsi nullius pretij fuerint, tanti tamen æstimantur, quantum in se numismatis continent: Ita diuites etiam homines vani & nihili, bonorum quæ possident, æstimatione ac precio fruuntur. *Bias apud Stobæum serm. 89.*

Quemadmodum aurum Lydio lapide probatur: Sic homo qualis sit, ostendunt diuitiæ, si affluant. *Chilo apud Laertium.*

Quemadmodum nolles in longa naui, & onusta auro natigans submergi: Sic etiam non desiderare debes in ampla magnificáque domo sedens, curis & negociis obrui. *Cleobulus apud Stobæum serm. 3. De Temperantia.*

Quēadmodum viperam, aut aspidem, aut scorpium in eburneo, aureóue scrinio inspicies, nō propter materię precium ipsa diligis, aut magnifacis, tanquā felicia animalia, sed potius propter naturę ipsorum exitialem vim abhorres ac detestaris: Sic etiam in diuitiis & fastu fortunę malitiam videns inesse, non ad materiæ splendorem obstupesce, sed morum prauitatem contemne. *Epictetus apud Stobæū serm. 3.*

Vt aurum trementi manui impositum, tremit etiã: Sic & diuitiæ ab animo metu curísque detento accumulatæ, vnà concutiuntur, & eodem modo afficiuntur. *Hypseus apud Stobæum serm. 90. De Temperantia.*

Vinum immutatur cum vasis quidem: Diuitiæ verò pro moribus possidentium semper variant. *Socrates apud Stobæum serm. 92.*

Quemadmodum equus si freno caret, non vsui est hominibus: Sic quoque diuitiæ, nisi ratione recta gubernentur. *Idem apud Stobeum serm. 3. De Temperantia.*

Vt qui febri laborant, è diuersis diuersa capiunt, hoc est, è calidis frigescunt, è frigidis calescunt: Sic & diuitiæ molestiam adferunt stultis, & paupertas gaudium sapienti. *Plutarchus in Moralibus.*

Vt floridum aulæum aliquando multa tegit sordida: Sic splendor & strepitus potentum, multas obtegit calamitates. *Ibidem.*

Vt lõgiore via potius vtendũ est, si modò sit tutior, quàm breuiore & periculosa: Sic ad opes, ad gloriam enitẽdum, vt serius contingant tutò potius, quàm statim cum periculo. *Ibidem.*

Qui viro malo addit opes & gloriam, is febricitanti ministrat vinum, bilioso mel, cœliacis opsonia, quæ morbum animi, hoc est, stultitiam augeant. *Ibidem.*

Vt vestes videtur addere colorem homini, cũ per se sint frigidæ: non addunt autem, sed eũ, qui est in corpore, tuentur: Sic opes videntur dare iucundam vitam, cùm ea proficiscatur ab animo, non à rebus externis. *Ibidem.*

Ocioſi diuitiis luditis, nec peruidetis illarum periculum. Sicut barbari plerúnque inclusi & ignari machinarum, segnes laborem obsidentium spectant, nec quò illa pertingant, quæ ex longinquo instruuntur: Idem vobis euenit. Marcetis in vestris rebus, nec cogitatis quot casus vndique immineant, iam iámque preciosa spolia laturi. *Seneca de Vita beata, cap. 26.*

Diuitias ego (Hierace) neque cupio maximas: neq; si mihi darentur, medius fidius aspernarer. Nam illud auariſſimi esse, hoc pusillanimi vitium puto. Neq; ego is sum, qui opibus credam virtutes impediri, aut suggeri vitia, si viro bono, & rerum non cupido gubernentur. Nam hæ quoque

cum hominibus inter malum bonúmque mediæ sunt: & quasi earum rerum instrumēta homini data, ad alterutram viam capessendam. Quæ, si quis rectè, ita vt decet, vtatur, conducunt: si malè, non earum culpa, sed malè vtentis, nocent. Quis (nisi vesanus aliquis) ignem accusabit, quòd vrbes, quòd segetes, quòd vineta deuorat? quando ad id negocij datus sit, vt epulas coquat, tenebras fugiat, vitæ auxilietur? Sic diuitiæ sunt virtutum adiumenta sapienti: stulto verò, non nisi vitæ exitium. *Elisius Calentius in epistola ad Hieracum.*

Bucephalus Alexand. magni equus, quoties nudus esset, equisonem in tergum admittebat, ornatus regiis phaleris neminem ferebat, nisi regem ipsum, in reliquos omnes ferociebat: Ita quidam tenues, quemuis ferunt, diuites facti despiciunt vulgares. *Plinius lib. 8. cap. 24.*

Scombri in aquis sulphureum habent colorem, extra aquas, similem cæteris: Ita diuites in suo regno diis pares, & exteris longè præstantiores videtur, in morte nihil ab aliis differunt. *Idem lib. 9. cap. 15.*

Polypus stupidum alioquin animal, in captandis conchis incredibili vtitur solertia: Ita quidam ad solū quęstum suum sapiunt, alibi pecudes merę. *Idem lib. 9. cap. 29.*

Vide, Auaritia, Eleemosina, Paupertas.

DOCTOR.

QVi autem docti fuerunt, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Daniel 12.*

Quemadmodum quorum corpus ægrotat, his medico opus est: Ita quorum æger est animus, hi pædagogo opus habent, vt animi nostri morbis medeatur, deindè verò doctore, qui nostram animam deducat ad cognitionem. *Clemens Alexand. lib. 1. pædagogi. cap. 1.*

Age igitur iam & ipse perinde atque ij factitare solent, qui eos quibus nulla vnquam interceſſit vrbium consuetudo, prædensa circunducunt manu: itidem ego vos ad huiusce eximia magnitudine vrbis occulta miracula visenda circunducam. *Basil. hom. 6. exameron.*

Optabile namque est, & mihi percharum, vsque ad vltimam discere senectutem, quoniam quidem nulla ætas ad perdiscendum sufficere potest. Docere verò alios affectare eum, qui non sufficienter instructus est, res mihi videtur antiqui prouerbij, in dolio discere artem figuli, hoc est, in periculo animarum doctrinam discere pietatis: quique aut stulti mihi satis videntur, aut temerarij. Stulti, pro eo si intantum bruti sunt, vt imperitos se esse non sentiant: Temerarij, si intelligunt quidem, audent tamen adire negotiũ. Hebræorum seniores tradunt, quod fuerit apud eos quædam talis antiquitus laudabilis obseruatio, vt non omni ætati, omnis scriptura vel legenda vel discenda committeretur, pro eo quod non expediret omnes omnia cito discere: quia nec cauere possunt omnes omnia: & idcirco lædi eos potius quam iuuari, si nõdum capaces ea quæ sunt profundiora, cognouerint. Sed cætera quidem omnia quorum historica narratio improbabilis non est, à puero statim discunt. Eas verò scripturas quæ vili indumento literæ, prætiosa intrinsecus contegunt sacramenta, nulli ante vigesimum & quintum annum discere, vel etiam scire cõmittitur: quod scilicet sit hoc velut munus quoddam propositum exercitio virtutis, his in quibus ad illud ætatis & vita probabilis, & ornatus morum & intelligentiæ capacitas apparebit. Qui vtique iam valeant bene & confidenter aseẽdere ab inferioribus literæ ad superiora spiritus excelsa. Quid ergo? apud nos inter doceri & docere nulla erit differentia? nulla discretio? *Greg Nazianz. in Apologetico.*

Spiritualium mercedem quam heri pollicebamur, hodiè dinumerabimus. Doctrinam dico quæ potest meam eum dinumerauero, augere substantiam: & vos qui recipitis ditiores efficere. Hoc enim modo se habent spiritalia. Id quod in rebus sensibilibus non est. Nam in illis qui pecuniam dinumerant, suam imminuunt substantiam, & locupletiores fiunt qui recipiunt: hic autem non sic, sed qui dinumerat, suas facultates magis auget, & recipientium diuitiis nonnihil accedit. *Idem hom. 15. in Genesin.*

Agricola quando videt terram fœcundam & feracem, parat etiam ipse vt maiori studio illam colat. Eodem modo & doctor si viderit auditoris profectum maiorem, postea docendi laborem adhibet. *Idem hom. 54.*

Agricola

Cauendum est ne audientis memoriã rerũ multitudine cõfundamus. Id quod in lucernis accẽsis accidere solet. Nam si paulatim elychnio instillaris oleum, satis alimonię dederis igni. Sin simul totum infuderis oleum, non solum non alueris ignem, verumetiam flammam quæ erat, extinxeris. *Idem hom. 3. de Oꝛa.*

Si pueros tradentes magistris, cum nihil eos proficere viderimus, acerrimi continuo efficimur accusatores magistrorum, abductósq; ab eis discipulos, ad alium doctorem sæpe transferimus: qua possumus satisfactione defendi, qui ne tantum quidem studiũ virtuti tribuimus, quantũ terrenis istis exiguísque rebus solemus impendere? sed vacuas semper domum tabulas reportamus? *Idem ho. 11. in Math.*

Quemadmodum homo vbicúnque fuerit, cæteris animalibus præstat: Ita doctorem decet, siue loquatur, siue sileat, siue in conuiuiis, siue alibi sit, cęteris hominibus excellere, adeò vt in incessu, aspectu, & habitu, omnibúsque simpliciter aliis præstantior esse videatur. *Idem hom. 73.*

Si medico opprobrium est, qui nec alterius sanitatẽ habet in manu, nec suã, si velit alios curare, & ipse debilis sit, quasi testimoniũ imperitiæ suæ portat in corpore suo propriam passionem. Quomodo doctori sit opprobrium, alios velle eruere à peccato, & ipsum in maioribus esse peccatis, dum possit amplius seipsum eruere à peccatis, quam alios? *Idem hom. 17. operis imp.*

Sicut pluuia irrigat terrã, vt fructũ proferat: Sic doctrina hominẽ irrigat, vt iustitiam operetur. *Idẽ ho. 10. operis imperf.*

Sicut ædificatores nodosos lapides, & habentes torturas ferro dolant, postea vero ponũt eos in ædificio, alioqui nõ dolati lapides, lapidibus nõ cohęrent: Sic ecclesię doctores vitia hominum quasi nodos acutis increpationibus primũ circũcidere debent, & sic in ecclesiæ ædificatione collocare, alioqui vitiis manentibus, Christiani Christianis cõcordare non possunt. *Idem hom 40.*

Magnum est ad aliorum consolationẽ, à doctoribus audire quæ futura sunt. Nam quẽadmodum ægrotis, si quãdo à medico, vel hoc vel illud futurum audierit, non admodũ turbatur. Si verò ex inopinato quicquã euenerit, itavt medicus hæsitet, & morbus artis victor euadat, animo deiicitur ac perturbatur. *Idem ho. 3. in 1. ad Thessalonicen.*

Quemadmodũ medici multas molestias obire cogũtur, dum & ægrotos & victus rationem, & pharmaca curant & parant, voluptatem quidem nullam habẽtia, plurimã verò vtilitatem, & quemadmodum filiis vbique molesti sunt: ita & præceptores ac doctores, & multò etiam amplius. Medicus enim etsi ægroto inuisus ac exosus est, erga cognatos tamen eius, qui eo libenter vtuntur, amicè habet & commodè, erga ægrotum etiam ipsum sæpenumerò. Et pater tam naturalibus quam externis legibus munitus multa libertate principatu suo erga filium vtitur, etsi inuitum erudierit & percusserit, nemo est qui prohibeat, neque ipse filius respicere audebit. Sacerdotem verò multa grauat difficultas. Primum enim voluntariis præesse debet, & à quibus principatus sui gratiam referat. Hoc autem non potest statim cõtingere. Qui enim alios arguit & increpat, quãlis tandem sit, amissa omnino gratia, exosus redditur. Eodem modo habebit qui hortatur alios, & admonet & ad bona prouocat. Si dixero itaque pecunias tuas in egenos effundito: inuisum quid & molestum dico. Si dixero iram castigato, furorem extinguito, absurdam concupiscentiam sedato, omnia grauia & iniuisa. *Ibid. hom. decima.*

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus sumere. Quẽadmodũ agricola non suiipsius curam habens, sed fructuũ ac terræ, non absque vtilitate laborat, verum ipse primò ante omnes laborum suorũ percipit fructus: ita & doctorẽ frui laboribus suis consentaneũ est. *Idẽ ho. 4. in 2. Timoth.*

Oportet doctorem esse patientem. Si enim piscatores cum sæpe die tota frustra iactauerint retia, non tamen desistũt, neque desperant: multo magis nos id re conuenit. Et vide quam id vtiliter fiat. Sæpe fit vt dũ assiduæ doctrinæ fructus illabitur animo, vitium quo ille perturbatur excidat. Prorsus enim qui millies audierit aliquid, patietur: nam fieri nõ potest vt qui iugiter cœlestis doctrinæ excipit verba, nihil patiatur. Interdum igitur is, cui persuadere persistendo poteramus, desperatione nostra totum perdit. Non secus quam si quis imperitus agricola, vbi plãtauit vitem, priore illam anno diligenter curet, & fodiat: secundo verò ac tertio fructum se percepturum speret: idque nisi obuenerit desperans, quarto iam anno quo laborum suorum præmia percipere poterat, curam vitis omittat. *Ibidem hom. sexta.*

Non sicut artes reliquæ ita docendi vis. Argentarius qualecúnque vas recuderit & repoſuerit, tale poſtridie reuerſus inueniet. Sic & ærarius & marmorarius, & artificum quiſque quale proprium opus diuiſerit, tale rurſum reperiet. Non ita nos ſed omnino contrarium: quia non inanimata vaſa, ſed animas cudimus rationales: ideo non tales vos reperimus quales relinquimus, ſed poſtquam ſuſceptos reformauerimus egreſſos vos negotia vndíque circunſtantia peruertunt, & maius nobis faceſſunt negotium. *Ibidem hom. 13.*

Narrant quod apiculæ leuibus pennis, arborum & herbarum floribus inſident, latentémque in floſculis liquorculum innocua deprædatione auchunt, vt tandem dulciſſimos mellis fauos inde confectos hominibus præſtent: ita & Eccleſiæ doctores, ſuper amœna vernantiáque ſcripturarum viridaria leui mentis ala reſidétes, & inſitum literæ ſuccum ſpiritus haurientes, ſolliciti ſunt, vt dulciſſimum mel fidei, auditorum cordibus planè inſtillét. *Idē in Pſalmum centeſimum decimum quintum.*

Efficiamur ſecundā præceptū Domini probabiles trapezitæ. Quorū ſumma peritia eſt ac diſciplina probare, quod nā ſit aurū puriſſimū & vt vulgo dicitur obrizum, quodue minus purgatiōne ignis excoctum, æreo quóq; vilíq; denario, ſi pretioſum numiſma ſub colore ſeu indumento auri fulgentis imitatur, prudētiſſima diſcretione nō falli, & non ſolum numiſmata tyrannorū vultum exprimētia, ſapienter agnoſcere, ſed etiam illa quæ ſunt veri quidem regis imagine, ſed nō legitimè figurata, peritia ſagaciore diſcernere, deinde ne quid illis à legitimo pondere diminutum ſit, cenſura trutinæ diligenter inquirere. Et nos explorare conueniet, ne auro puriſſimo ſcripturarum, praua interpretatio coaptata, metalli pretioſitate nos fallat, in quo Satan Chriſto tentauit imponere. *Caſſianus collatione prima capit. 20.*

Alia eſt ratio declamatorū & doctorum. Illi elucubratæ declamationis pōpam totius facundiæ viribus concupiſcūt: iſti ſobrio vſitatoque ſermone Chriſti gloriam quærūt. Illi rebus inanibus pretioſa verborum induunt ornamenta, iſti veracibus ſententiis ornant & commodant verba ſimplicia. Illi affectāt ſuorū ſenſuum deformitatem tanquam

velamine quodam phalerati sermonis abscondere: isti eloquiorum suorum rusticitatem studeant pretiosis sensibus venustare. Illi totam laudem suam in fauore vulgi. Isti in virtute Dei constituunt. Illi plausibiliter dicunt, & nihil auditoribus suis dicendo proficiunt. Isti vsitatis sermonibus docent, & imitatores suos instituunt. *Prosper lib. 1. de vita contemplatiua cap. 24.*

Sicut stimuli boues pungunt, vrgéntque aratro sulcum proscindere: Ita Theologorum verba excitant nos, qui spe bona aramus, proscindere sulcum spiritualem, vt cum purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros in eo virtutis surculos conferamus. Similia quoque sunt clauis ignitis atque candentibus qui altius ac facilius lignis infiguntur. Ita & sapientum verba Theologorum in penitissimos sinus intellectus nostri altius figuntur. *Olympiodorus in commentariis in Ecclesiasten cap. 20.*

Lux mundi sunt Apostolici doctores, quia sapienter & fideliter tractando & retractãdo sacram legis & Prophetarum scripturam quicquid in ea quasi carnaliter sonat, ita sermone viuẽdo cõdiunt, vt spiritaliter sapiat, & quod erat clausum patescat. Quod obscurũ & tenebrosum videbatur lucidũ & clarum fiat. Quã magna & ampla ciuitas, quam is quem cœlum & cœli cœlorum capere nequeunt, inhabitat. Qui in monte nisi altitudine cœli, iuxta illud, cõuersatio nostra in cœlis est, non potest abscondi, non patitur ratio consilij diuini vt abscondatur & incognita sit, quæ ad hoc ædificata est, ad hoc mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, vt omnes qui inter aduersarios periclitantur, inter Iudæos, hæreticos, pro fide agonizantur, recurrere sciant ad ciuitatem istam, & in ea communiri, de ea sumptis suis armari, vt habeãt vnde animam pro qua illi res est, defendere possunt. *Rupertus lib. 4. in Math.*

Vt salicis semen ante maturitatem abiectum, non solùm ipsum nihil gignit, verumetiam fœminis sterilitatis est medicamentum, hoc est, efficit ne concipiant: Ita sermones istorum qui prius docent, quàm verè sapiant, non solùm ipsos non reddunt meliores, verumetiam auditores suos inficiunt, & reddunt indociles. *Plinius libr. decimo sexto cap. 27.*

Vide concionator, pastor.

VT fornax inter tingendum, probat ferri aciem: Sic vinum cor superborum. *Clemēs alexand. lib. 2. pedag. cap. 1.*

Mihi videtur is qui à Mathematicis, acephalus dicitur, qui ante stellam errantem, enumeratur capite in pectus compresso, significare homines helluones, & voluptuarios, & adebrietatem propensos. *Ibidem.*

Ebrietas ad lasciuiam inducit, ad ieiunium frugalitas. Athleta ante certamen exercetur, ieiunator ad ieiunādum temperantia præparatur. Stultè siquidem facis, si corpus quidem conficis, nec tamen solatium esuritioni admoues. Ista infida penus cella est, in pertusum hauris dolium. Fit enim vt vinum perfluat ad suam recurrēs viam, peccatum verò maneat in dolio. Famulus profugit ab hero verberāte: tu verò non recedis à vino, quod quotidie contundit caput tuum. Ebrietas vt somnum adfert mortis germanū: ita vigiliam habet somnis adsimilem. Ebrietas non recipit Dominum, ebrietas Spiritum Sanctum propellit. Fumus quidem abigit apes, dona verò spiritualia fugat luxus. *Basilius hom 1. de ieiunio.*

Quemadmodum qui longinquam profectionem adornant, componunt sarcinas & commeatum parant, ita nonnulli vecordes hodie aduersus quinque dierum ieiunium vino indulgent. *Idem hom. 2.*

Velut nauigia quādo fluctibus procellæ acceptis grauātur necessario cōmeatus vacuatione ac proiectione vacuanda sunt: Sic ebriis rerū stomachū grauātium vacuatio necessaria, ex quo & vomitione & deiectione frequenti leuari vix possunt, tanto naufragio deteriores, quanto illi res causantur externas ventos & mare: hiverò sponte periculū adeūt, & ex ebrietate sibi volentes tempestatem pariunt. Lymphatus & malo dæmone captus, misericordia quidem dignus: ebrius verò cadē fere & ipse patiens, minimè misericordia dignus, qui spontaneo seruit dæmoni. *Idē ho. de ebrie. & luxu.* Sicuti visum id quod summè splēdet hebetat atq; vastat, & magni sonitus ac strepitus ob excessum auditū tollūt: sic & isti ob assiduā & immodicam voluptatē sese vastant atque corrumpunt, & à delectationis via omninò auertuntur. *Ibidem.*

Sicuti valles donec torrentibus inundantur, plenæ esse videntur: vnda verò desinente statim siccæ vacuæq; remanent: Sic & vinolentorum ora vino ac potatione durãtibus exaturantur ac madescunt: paulò post continua siccitate laborant, ex quo ad frequenter bibendum inuitantur, vnde humor naturalis amittitur. *Ibidem.*

Quemadmodum valles influente quidem torrente pleni esse videntur: mox autem vt præter lapsus est & efflux it, pro derelictis habentur sicci, glareosi, & sticulosi: ad eundem modum temulentorum corpora excauata & effosa conspiciuntur per intemperantiam vini, humorem insuper naturalem adse trahunt, qui totum diem immanent exhauriendis calicibus vsque ad vesperam. *Idem in cap. 5. Esaiæ.*

Quemadmodũ cum febris cessauerit, debilitas tamé inde facta, diutius remanet, sic ebrietate trãsacta, effectus tamé eius tã corpus quam animã diutius exagitat. Iacet enimplerúnq; tanquam tempestate conquassata miserũ corpus, anima verò detestabili cupiditate compulsa, vehementer incenditur: & cũ iam ab ebrietate resipuerit, tũc multo magis quam prius insanit, vinũ, dolia, calices, cyathos, & crateres plenos cõfringẽs. Et quẽadmodum quamuis trãquillitas ex tẽpestate facta sit, detrimẽtum tamen quod inde factum est non restituitur, si semel iactura facta sit: Sic omnium pene bonorum iacturam patiuntur ebrij. *Chrysost. ho. 58. in Matt.*

Quemadmodum Scylla & hydra apud poëtas, sic & ebrietas multis capitibus armatur: Hĩc enim fornicatio, hinc ira hinc mollitus. Hinc turpes amores oriũtur: hæc igitur omnia superata ibi, prostratáq; sunt, quib⁹ seculares hi milites, etiãsi multa bella cõfecerũt, facile superantur. Nulli enim enses, nullæ hastæ, nihil aliud eiusmodi aduersus ea capita temulentię poterit obsistere: sed gygãtes ipsi, ac fortes viri, quimille præclara gesserũt facinora, absq; vinculis, vino & somno ligati, sine vulnere quasi confossi iacent: imo vero peius etiam quam confossi. Nam illi quidem etsi progredi non possunt, vident tamen atque intelligunt: isti verò etiam mente capti omni sensu carent. Nec vt in aliis pugnis aut hostibus, qui saucius aut vulnere ab aliis accepto ceciderit, iam aliis grauis & infestus esse nequit: ita hic fieri solet, sed opus est vt ab omnibus hac bellua ebrietas feriatur: vt quam qui non percusserit atq; deiecerit, impetum illius vitare nequeat. En præclaram & dissimilẽ aliis

victoriam: vt quale simul collecti exercitus, & totius orbis armati milites trophæum non possint erigere, hoc eorum singuli statuant, & horum quilibet. *Idem, Hom. 71.*

Quid ebrietate miserabilius? Mortuus est animatus, ebrius, dæmon est voluntarius, morbus veniam non habés, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium. *Idem, Hom. 1. ad pop. Antioch.*

Sicut in Scylla fabulis decantata & hydra, itidem & in ebrietate multa possunt capita reperiri, hinc fornicatio, illinc ira, aliunde mollities, aliunde amores nefarij nascentes. *Ibidem, Hom. 57.*

Sicut febre præterita, febris manet detrimentū: ita ebrietate sublata ebrietatis tam in anima quam in corpore, versatur tempestas: & miserum quidem corpus solutum iacet sicut ex naufragio scapha. Hoc autem infœlicior anima, etiam hoc soluto procellam suscitat, & accendit libidinem: & cum continens esse videatur, tunc præsertim insanit, vinum & dolia, phialas & crateres mente concipiens. Et sicut in tempestate sedata procella, tempestatis tamen remanet nocumentum, itidem & in ista: sicut enim illic mercium fit iactura, similiter & hic omnium ferè bonorum efficitur: siue modestiam inueniat, siue pudorem, siue prudentiam, in iniquitatis pelagus omnia proiicit ebrietas. Sed quæ sequuntur nō adhuc similia. Illic enim post iacturam scapha leuis efficitur, hic autem magis grauatur. *Ibidem, Hom. 71.*

Quanto melior ebriosis est asinus & canis. Nam quodlibet horum animalium & omnium bonorum, seu sit opus bibere, necessitatis terminum nouit, nec vltra quod est opus progreditur, licet sint infiniti qui cogant, in immodestiam procedere nō patitur, vos ergo brutis deteriores estis. *Ibid.*

Corpora nostra terrena sunt. Quomodo pluuia nimiū grādis & diuturna si fuerit, terra cōfunditur, & in lutū resoluitur, vt nulla in ea cultura possit fieri: Sic & caro nostra quādo abundantiori potu fuerit inebriata, nec spiritalē culturam accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere. Et ideo quomodo omnes homines sufficientem pluuiam in agris suis accipere desyderant, vt & culturā valeāt exercere, & de fructuū vbertate gaudere. Ita & in agro corporis, tantū deberent bibere, quantū oportet, ne per nimiā ebrietatem ipsa corporis terra velut in paludem conuersa,

magis vermes & serpentes vitiorum generare, quam fructus bonorum operum possit afferre. Omnes ebriositates sunt quales paludes esse videntur. Quod enim in paludibus nascitur, fructum non habet. Nascuntur ibi serpentes & diuersa vermium genera, quæ magis horrorem possunt generare quam victum. Tales sunt ebriosi ad nullam vtilitatem apti, quia frequenter in ipsa ebrietate nec seipsos nec alios recognoscunt, nec ambulare, nec stare, dicere aliquid quod ad rationem pertinet, non possunt. Ebriosi deinde peiores sunt animalibus. Cum enim hæc amplius quam eis opus est, bibere nolunt: isti & duplum & triplum, & vnde trium aut quatuor dierum potuerunt rationabilem refectionem habere, vno die cum grandi peccato contendunt perdere potius quam expendere. *Augustinus sermone de ebrietate vitanda.*

Ebrietas est quasi puteus inferni, quoscunque susceperit, iam si digna subuenerit pœnitentia, & emendatio subsecuta, ita fortiter sibi vendicat: vt eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo, ad charitatis vel sobrietatis lucem redire non permittit, sine pœnitentia. *Ibidem.*

Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur & omne quod in imo iacet in summam partem vis caloris eiectat: Sic vino exæstuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur & prodit in medium. *Seneca epistola 84.*

Quemadmodum difficiles faciunt animos diutini morbi etiam ad minimam radij solis offensionem: Ita ebrietates continuæ efferant animos. *Ibidem.*

Ignaui canes apud mensam audent, in venatu minimè: Sic ingeneroſum est cum sobrius loqui nequeas, inter pocula id facere. *Plutarchus in moralibus.*

Lysimachus ob sitim coactus se dedere Scythis, deinde cum frigidam bibisset aquam: Dij boni, inquit, quàm breuis voluptatis causa quantam deposui fœlicitatem? Ita nobis cogitandum postquàm ob potatiunculam intempestiuam aut venerem, in longum morbum incurrimus. *In apopthegmatis.*

Vide, Delitiæ, Gula, Voluptas.

QVemadmodum in vno corpore multa membra habemus, membra vero omnia nõ eundem habent actum: Sic multi vnum corpus sumus in Christo, singulatim autẽ alij aliorum membra, sed tamen habentes dona iuxta gratiam datam nobis, varia. *Rom.7.*

Similis est ecclesiæ status naui magnæ, quæ per vndosum pelagus, de diuersis locis & regionibus viros portat ad vnam potentis regis vrbem properare cupientes. Sit ergo nauis huius portus dominus deus, gubernator verò Christus. Tum deinde proretæ officiũ Episcopus impleat, presbyteri, nautarum, diacones, dispensatorum teneant locum. Hi qui catechisant, nautologis conferantur, epibatis autẽ, totius fraternitatis multitudo sit similis. Ipsum quoque mare hic mundus habeatur, ventorum verò varietates & turbinum, diuersis tentationibus conferantur: persecutiones ac tribulationes & pericula fluctibus exæquentur. Terreni verò spiritus, vel de torrenribus, vel de conuallibus spirãt, pseudoprophetarum & pseudodoctorum improbæ doctrinæ verba ducantur. Promontoria vero & loca confragosa, hi qui in potestatibus seculi sunt iudices, & pericula minantur ac mortes. Bithalassa verò loca, quæ duplicibus vndæ fallacis æstibus verberantur, dubiis mente, & de promissionum veritate nutantibus conferantur, atque his qui irrationabili fidem nostram ratione discutiunt. Hypocritæ vero & dolosi, piratis similes habeantur. Iam verò rapidus vortex, & tartarea Carybdis, & saxis illisa naufragia, ac mortiferæ submersiones, quid aliud æstimãda sunt? Restat igitur quo hæc nauis cursu prospero, tuta possit portum desyderatæ vrbis intrare, ira Deo precem fundere, nauigantes, vt mereantur audiri. Audiri autem à Deo ita demũ merebuntur, si operationes ipsæ, bonis moribus & operibus adiuuentur. Sed ante omnia cum quiete & silentio epibatę, id est laici in suis vnusquisque resideant locis, ne forte per inquietudinem & incõditos inutilésque discursus, si passim vagari cœperint, vel ab officio suo nautas impediant, vel in alterum latus per inquietudinem eorum nauis pressa demergatur. Nautologi de mercedibus commoneant, & nihil omnino quod ad diligentiam vel disciplinam pertinet,

diacones negligant. Presbyteri velut nautæ aptent singula ad instructionem nauis diligenter, & instruant quæ in suo tempore requirenda sunt. Episcopus tanquam proreta, vigilâter & sollicitè gubernatores, verbo custodiat Christi. Saluator dominus gubernator ecclesiæ suę, diligatur ab omnibus, & ipsius solius præceptis ac iussis credat, & obediat omnis ecclesia. Deo quoque indesinenter supplicetur à cũctis de prosperitate ventorum. Nauigantes omnem tribulutionem & omne periculũ sperent, tanquã immane profundum mundi istius, & vitæ humanæ pelagus nauigantes, in quo & esuriendũ sit, & sitiendũ, nuditatem quoque ferendã, morbos etiam corporis, & ægritudines tolerandas. Insuper & hominum insidiis ac dolis sæpe laborãdum, quippe qui & dispergendos se nonnunquam nouerint, sed aliquãdo etiã congregandos. Vomitus quoque & sugillationes ferẽdas, cũ ex confessione peccatorum, & reiectione criminũ, velut male congregati in visceribus fellis, iactura facienda est, & abiicienda prorsus è corde, omnis intrinsecus latens amaritudo peccati, si qua fortè ex desideriis iniquis, velut ex cibis noxiis congregata est. *Clemens Rom. epist. 1. ad Iacobum.*

Cæterum ecclesiæ eminentia, sicut principiũ constructionis est ex vnitate, omnia alia superans, & nihil habens sibi simile vel æquale. Ex hæresibus autem, aliæ quidem appellantur ex noïe, vt quæ appellatæ sunt ex Valentino, Martione, & Basilide, etiamsi glorientur se Mathiæ opinionẽ adducere. Fuit enim vna omniũ Apostolorũ sicut doctrina, ita & traditio. Aliæ autem ex loco, vt Peratici. Aliæ ex gente, vt Phrygũ hæresis. Aliæ ex operatione, vt Encratitarũ: Aliæ ex propriis dogmatibus, vt Docitarũ. Alię autẽ ex positionib⁹, & his quæ ipsæ honorarunt, vt qui appellantur Caianistæ & Ophiani. Aliæ ex his quæ nefariè ausæ sunt, & perpetrarũt, vt qui ex Simonianis vocantur Eutychitæ. *Clemens Alex. lib. 7. Stromatum.*

Quid enim si in mari portus aliquis munitionibus suis ruptis infestus & periculosus esse nauibus cœperit, nonne nauigãtes, ad proximos portus naues suas, dirigunt, vbi fit tutus & salutaris introitus & statio secura? Aut si in via stabulum aliquod obsideri & teneri à latronibus cœperit, vt quisquis ingressus fuerit, insidiantium illic infestatione ex-

piatur, nonne commeantes hac opinione comperta ſtabula illa appetũt in itinere tutiora, vbi ſint fida hoſpitia, & receptacula commeantibus tuta? Quod neceſſe eſt apud nos eſſe frater chariſſime, vt fratres noſtros qui iactati Martiani ſcopulis, petunt Eccleſiæ portus ſalutares, & ſuſcipiamus prompta & benigna humanitate, & ſtabulũ commeãtibus præbeamus, quale eſt in euangelio, quo à latronibus ſaucia ti & vulnerati, ſuſcipi & foueri, & tutari à ſtabulario poſſunt. *Cyprianus, lib. 3. epiſt. 13.*

Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extẽditur, quomodo ſolis radij multi, ſed lumẽ vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum. Et cum de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur, exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frãge ramum, fructus germinare non poterit. A fonte præcidituum, præciſus areſcet: Sic & eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur, ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit, vnum tamen caput eſt & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſſibꝰ copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu eius animamur. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica. Vnam domum nouit, vnius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc nos Deo ſeruat, hæc filios regno, quos generauit, aſſignat. *Cyprianus de ſimplicitate prælatorum.*

Gratulandum cum lupi, beſtiæ de eccleſia ſeparantur, ne columbas, ne oues Chriſti ſæua ſua & venenata contagione prædẽtur. Cohærere & coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas. Nemo putet bonos de eccleſia diſcedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactantur, inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur. *Ibidem.*

Si maritus peregrè proficiſcens, amico ſuo commendet vxorem ſuam cuſtodiendam, commendatam ſibi illi quanta poſſet diligentia, conſeruet, ne ab aliquo ſanctitas & caſtitas adulteretur. Chriſtus Dominus & Deus noſter ad patrem proficiſcens, ſponſam ſuam nobis commendauit, vtrúnne cum incorruptam & inuiolatam cuſtodiemus, an integritatem eius & caſtitatem Mœchis & corruptoribus prodemus? *Idem ex ſententiis Epiſcoporum concilij Carthaginenſis.*

Si duo veſtrum conſenſerint, ſuper terram &c. Sicut muſicis niſi fuerit conuenientia vocum non delectat audientem: Sic & eccleſia niſi conſenſum habuerit, nō delectatur deus in ea, nec audit voces eorum. *Origenes tractatu 6. in Math.*

Similis eſt ſancta Dei eccleſia naui. Nauis autem non ex vno ligno conſtat, ſed ex diuerſis. Et carinam quidem ex vno ligno habet, ſed non vno modo. Ancoras autem ex alia materia. Mali item & tabulata, & puppis partes, parietumque ac tranſtrorum, velorum item ac temonum, gubernaculorumque ac aliorum omnium ex diuerſis lignis compactionem habent. Vnaquaque verò hæreſis velut ex vno ligno conſtat, & eccleſiæ formam non oſtendit. Sancta autem Dei eccleſia nuptias quidem habet reuerendas, & colit eas: nam venerabiles ſunt innuptiæ & lectus pollutus. Habet continentiam in admiratione, & laudat talem: quoniam certat certamen & contemnit vitam velut adhuc potentior. Habet virginitatem, & magnificat talem velut virtuoſam, & penna leuiſſima ornatam. Hic & ſancta Dei eccleſia non admittit ſcortationem, non ſuſcipit adulterum, non abnegationem Dei. Suſcipit autem alium in magna negociatione, alium in experientia nauigãtem alium gubernatorem & ſcientem alium in prora, alium in puppi habentẽ ſpeculationis experientiam, aliumqui partem aliquam nauis, aut impoſitarum mercium habet, alium vt tranſeat ſolum, & non ſubmergatur in mari. *Epyphanius hæreſi 6. contra Apoſtolicos.*

Sicut frumentum quod ſolita purgantis ſollicitudine purgatum in candidam ſpeciem molarum labore perficitur ac per aquam & ignem in vnius panis ſubſtantiam cõgregatur: Sic variæ gentes diuerſæque nationes vnam fidem conuenientes vnum de ſe Chriſti corpus efficiunt: &

Christianus populus quasi tritici innumerabilia grana à sacrilegis nationibus fide purgante atque cribrãte discernitur, & in vnum, quasi infidelium lolio pertranseunte colligitur, & duorum testamentorum institutione, velut frumentum gemino molarum opere curatum molescit, & in illam primæ originis dignitatem natiuo candore mutatur, ac per aquam baptismi, vel per ignem spiritus sanctiæterni illius panis corpus efficitur. Sicut ergo separari grana ab illius confecti panis adunatione non possunt, & sicut aqua ad propriam redire substantiam vino permixta iam non potest: Sic & fideles quique qui redemptos Christi sanguine se cognoscunt, ita debent quasi inseparabilia membra capiti suo fidei conseruatione, & ardentissima religione sociari. *Eusebius emissenus hom. 5. de pascha.*

Ordo in Ecclesia ita statuit, vt alii sint oues, alii verò pastores, ita vt hi imperent, illi verò obediant, sitque homo tanquam caput, illud pedes, istud manus, hoc oculi, illud vero aliud corporis membrum, quo omnia rectè inter se conueniant, commodumque tam ad perfectos quam ad subditos redũdet. Et quemadmodum in corporibus membra nequaquã à se dissident, sed cuncta corpus vnum ex diuersis sunt conposita, nec idem omniũ est officiũ ac vsus, ad mutuã necessitatis beneuolentiam, neque oculus graditur, sed ducit, quẽadmodũ nec pes cernit, sed vadit, nec lingua excipit voces, id enim ad auditum pertinet, sicut nec auditus loquitur, nam linguæ est officium, nasus verò odoris est instrumentum, at guttur cibum gustat, inquit Iob, manus autem dandi & accipiendi est instrumentum, mens verò cunctis hominibus dux est, penes quam est sentire: Ita & apud nos qui commune corpus Christi sumus, omnes enim corpus vnum in Christo, ac per vnum Christum inter nos membra sumus, hoc enim imperat ac præsidet, istud verò obedit & dirigitur, nec amborum idem est officium, quemadmodum nequaquam eorumdem imperare est & subesse, sed ambo vnum fiunt in vnum Christum, ab eodem composita & conglutinata spiritu, licet imperantes à subditis rursus, tanquam medium & doctrina, & exercitatione & ætate distent. *Grego. Naziaz. de modestia in disputationibus.*

Sicut corpus neruorum debita habitudine carens, mul-

tas gignit ægritudines, & vitam facit non diuturnam: Ita Ecclesia non circundata forti & vehementer vrgente catena, plurima parturit bella, iram Dei auget, & multarũ tẽtationũ est occasio. *Chrysostom' homilia in Aquil. & Priscil.*

Ciuitas quandiu muro vndique cincta est, eos irridet à quibus obsidetur, præsidio illo tutissima, vbi verò quis murum diruerit, ac portulæ tantum magnitudinem, tum longè illi obest septi præsidium, etiamsi firmum alioqui, ac tutum illud maneat. Haud aliter igitur & Dei ciuitas, dum ipsam vndecumque pro muro pastoris solertia atque prudentia cingit, aduersariis suæ omnes machinæ artesque in opprobrium, risumque cedunt euaduntque qui eam incolunt indemnes atque illæsi, si eam autem parte aliqua demoliri quis possit, vt vniuersam non diruerit, à parte totum vt sic dicam labefactatur. *Idem Lib. 4. de sacerdotio.*

Prata & nemorosa loca diuersos habent flores: & quædam quidem sunt visu delectabilia, quædam bene olentia, quædam verò ad curam corporum necessaria. Et hæc omnia congrua sunt homini, Sic enim ecclesia est, lectiones habet diuersarum scripturarum, euangelj videlicet, & apostolorum & prophetarum institutiones quæ omnia apta sunt, & conuenientia Christo. Sed super prata oritur sol, & marcescunt flores, & decorem suum amittunt. In hunc verò agrum, vel pratum mittitur sol iustitiæ, & alium quidem corripit, alium autem sanctificat, alij verò miseretur. *Idem hom. 27. ex variis in Matheum.*

Sicut in horto sunt multæ arbores fructum inutilem facientes, in siluis autem non inuenitur bonum faciens, si autem faciunt, aut insipidum faciunt, aut acerbum: Sic in ecclesia quæ hortus est Christi, multi sunt boni. In ecclesiis autem hæresum, quæ sunt siluæ desertæ, nemo est bonus, quia & si aliquis est bonus, proprer homines est bonus & non propter Deum. *Idem hom. 19. operis imper.*

Sicut vxorem quocunque modo contra voluntatem viri agentem, dignum est repellere, non autem est iustum quantũ ad grauitatẽ viri nisi ob causam fornicationis. Sic ecclesia quocũque modo cõtra volũtatẽ egerit Christi, digna est abiici, nisi causa sola transgressionis. *Idem. hom. 32.*

Sicut artifex ex omnibus lapidibus eligit meliores, & ponit a foris in facie ædificij, cæteros autẽ lapides qualcs-

cunque intus mittit: Sic ecclesia meliores christianos eligit, & ponit in facie ecclesiæ id est, alios facit sacerdotes, alios dyaconos, cæterosque ecclesiæ ministros, mediocres autem proficiunt in medio ecclesiæ, id est, ædificii, propter misericordiam dei. *Idem hom.* 40.

Sicut oīs res quæ percutit lapidem, ipsa quidē colliditur, lapidem autē nō lædit: sic & omnis qui cōtra christianitatē agit, se quidē corrūpit, christianitati aūt nō nocet. *Ibidē.*

Quemadmodum gallina habens pullos, non solum suos calefacit, sed etiam cuiuscunque volatilis filios exclusos à se diligit quasi suos: Ita & ecclesia non solū suos christianos studet vocare, sed siue gentiles, siue Iudæi, si suppositi illi fuerint, & oēs fidei suæ calore viuificat, & in baptismo generat, & in sermone nutrit, & materna diligit charitate. *Idem hom.* 46.

Sicut omnis mulier quandiu non admonetur à malis hominibus, non bene cognoscitur, vtrum sit casta, si verò ad monita cōscientiam vel fidem viro seruauerit, nunc meritò casta laudatur: Sic ecclesiæ fides non bene cognoscitur, nisi antichristi venerint ad eam. *Idem hom.* 48.

Quemadmodum apud ipsos reges, omnes quidem vniūs regnantis imperium agnoscunt, subseruiunt aūt nō omnes iisdem in rebus, sed illius munus est exercitibus imperare, huius vrbes regere ac dispensare, illius rursus pecunias eas asseruare, quæ in thesauros reconditæ sunt: Ita & in ecclesia hic quidem suam in deum seruitutem ac cultum ostendit in fide ipsa, in recta vitæ propriæ dispēsatione, Illi autem sit suscipienda hospitum cura, alij pertractanda rerum necessariarum præfectura. Quemadmodum & inter ipsos Apostolos, Stephani munus erat, viduarum præsidiū & patrocinium. Alius porro euāgelici sermonis curam susceperat, cuiusmodi erat Paulus. *Idem hom.* 2 *in epi. ad Rom.*

Sicut in structura domus, non omnes lapides eundem habent locum, sed hic quidem in angulum est accommodus, ad fundamenta non item, ille contra ad fundamenta commodus est, non item ad angulum: Itidem sane est in corpore quod est ecclesia. Quin & in nostra carne licet idem cernere, attamen aliud membrum ab alio toleratur, nec ab omnibus omnia requirimus. Nā ex communi facta collectio, & corpus & ædificiū constituit. *Idem in cap.* 6. *ad Gal.*

Dico & obtestor ecclesiam scindere nō minus esse peccatum quam in hæresin incidere. Respondeo quoso, Siquis regi cuidam subditus, nemini quidem præterea addictus fuerit, nec alij se regi cuipiam tradiderit: huius vero purpuream præhensam purpuram, ab ipsa fibula ad imum vsque totam sciderit, & in multas partes ruperit: an minus puniendus fuerit, quam qui ad alium desciuerunt? *Idem Hom. vndecima ad Ephesios.*

Corpus illud mysticum pluribus tum morbis tum insidiis quam nostrum hoc naturale obnoxium est, celerius item corrumpitur & ægrius sanatur. Humana arte corpora curantibus, diuersa suppetunt medicamenta, apparatus instrumentorum varii cibi ægrotantibus congrui, & sola plerumque aëris natura satis fuerit ad sanitatem laboranti restituendam. aliàs somnus opportunè obrepens, medicum omni labore leuat liberatque. At hic tale comminisci nihil licet, sed vna quædam post operum præstationē ars ac curationis via tenenda sequendaque, per euāgelicum nempe sermonem doctrina. Hoc demum instrumentum est, cibus, aëris temperamentum optimum. Hoc medicamenti instar, ignis loco, ferri vice, quo si vel vrere vel secare opus, vti necesse est. quod si nihil profuerit, reliqua quæ ad animæ conferunt incolumitatem, euanida pereant oportet. *Idem Lib. sexto de sacerdotio.*

Velut nauis in mari posita est hæc ecclesia, portat epibatos, portat credentes in vna charitate in vna modulatione, in vno remigio sanctitatis, in funibus charitatis, in velo orationis, in arbore crucis, in pice pœnitentiæ, in stupa castitatis, in tabulis pacis, in ancora fidei. *Idem hom. 1. in symbol. Apost.*

Ecclesia est veluti paradisus imo, paradiso illo melior. Ibi quidem serpens erat insidians: hic autē Christus mysteria celebrans. ibi erat Eua seducens: hic coronans ecclesia. ibi Adam seducebatur: hic populus adhæret Deo: ibi arbores diuersæ: hîc autem donationes variæ. In paradiso arbores marcescentes in ecclesia arbores fructificantes. In illo paradiso vnum quodque genus sementis in suo perseuerat statu: in isto verò paradiso si inueniatur labrusca vitis vberior efficietur, si oleaster, vera oliua. *Idem hom. de eius regressu ex Asia Constantinopolin.*

In

In torcularibus animaduertimus quædam tria, preſſurã, & de preſſura quædam duo, vnum recondẽdum, alterum proiiciendum. fit ergo in torculari cõculcatio, tribulatio, pondus, & in his oleum eliquatur occulte in gemellariũ, amurca publicè & per plateas currit. Putatio quia preſſuræ abundant, tu oleum eſto. Nigra tenebris ignorantiæ amurca inſultet, & illa tanquam per plateas proiecta, publice inſultet, tu liquare in gemellarium. Oliua in arbore quibuſdam quidem tempeſtatibus agitur, non tamen preſſuris torcularibus atteritur, ideo vtrumque ſimul pendet ex arbore, & quod proiiciendum eſt, & quod recondendum. At vbi ad torcular & preſſuram ventum fuerit, vtrúque diſcernitur, dirimitur & aliud appetitur, aliud reſpuitur. Torcular poſſumus accipere eccleſias, eadem ratione qua & aream intelligimus eccleſiam. Quia ſiue in area, ſiue in torculari nihil agitur, niſi vt fructus ab integumentis purgentur, quæ neceſſaria erant, & vt naſcerentur, & vt creſcerent, atque ad maturitatẽ vel meſſis vel vindemiæ peruenirent. His ergo vel integumentis, vel ſuſtentaculis, id eſt, paleis in area frumenta, & vinarius in torcularibus exuuntur. Sicut in multitudine ſecularium hominum, quæ ſimul cum bonis congregatur, quibus vt naſcerentur & apti fierent verbo diuino, neceſſaria erat illa multitudo, id agitur, vt ſpiritali amore per operationem miniſtrorũ Dei ſeperantur. *Auguſtinus in pſal. 40.*

Si aliter nõ meruit pacẽ habere domus Dauid niſi Abſalon filius eius in bello quod contra patrem gerebat, fuiſſet extinctus, quamuis magna cura mandauerit ſuis, vt eum quantum poſſent, viuum ſaluumque ſeruarent, & eſſet cui pœnitenti paternus affectus ignoſceret, quid ei reſtitit, niſi perditum flere, & ſui regni pace acquiſita, ſuam mœſtitiam conſolari? Sic ergo catholica mater bellantibus aduerſus eam quid aliud quam filiis ſuis, quia vtique ex ipſa magna arbore, quæ ramorum ſuorum porrectione toto orbe diffunditur, eſto in Africa ramuſculus fractus eſt, cum eos charitate parturiat, vt redeant ad radicem, ſine qua veram vitam habere non poſſunt, ſi aliquorum perditione cæteros tã multos colligit, præſertim quia iſti non ſicut Abſalon caſu bellico, ſed ſpontaneo magis interitu pereunt, dolorem materni cordis lenit & ſanat, tan-

torum liberatione populorũ. *Idem Lib. de correctione Donatistarum ad Bonifacium cap.* 20.

Sicut arca de lignis cedrinis constructa: Ita ecclesia de sanctis construitur. Quadratum in quacunque parte posueris fortiter stat, & sancti quibuslibet tentationibus stabiles permanent, non aduersitatibus, non prosperitatibus cedunt. *Idem quæst.* 52. *ad Orosium.*

Est vnitas ecclesiæ quæ late patet in sacramentorum omnium societate & communione, quæ complectitur cum granis etiam paleas, quando eas corporaliter mixtas ita patitur, vt neque illas iustè vitent neque ab illis iustè vitentur. Sic sunt in ecclesia homines mali, vt in corpore humano humores mali, qui interdum exeunt è corpore. *Idem Lib. de baptismo.*

Nauicula, id est, ecclesia turbatur fluctibus in profundo, sed quia Christus erat in monte, non potest mergi. Turbulentum mare hoc seculum cogitate. Vnda ascendit super nauiculam, cum persecutio venit. Sed in his tentationibus erigantur antennæ, id est, crux Christi, simplex conuersatio & pura confessio, tanquam candentia vela religentur. Et hæc vela nostra fluctibus abluantur, vestisque tendatur, vt sine macula & ruga inueniatur. Quantũlibet mare sæuiat, ventus incumbat, inter fluctus nauis ista turbetur, tantum non mergatur, & curret. Deniq́ue postquam nauis hæc ædificata est in Hierusalem, atque inde in medio pelagi huius emissa est, æstuantium volui vndarum, & furentium flabra ventorum, dum eam huc atqui illuc circunferunt, omnium gentium littoribus appulerunt, perigrinas merces quascunq́ue inuenit, aduexit. Quid enim tam peregrinum in terra nostra, quam per pœnitentiam remissio peccatorum & cœlorum regnum. *Idem sermone* 14. *de verbis Domini ex Matthæo.*

Quemadmodum ex multis granis vnus conficitur panis, & ex racemis multis vnus calix exprimitur: Sic ex multis fidelibus vnum corpus mysticum integratur. Enimverò sicut ex multis membris & partibus vnum quodque corpus consistit: Ita ecclesiæ vnitas ex diuersis personis conficitur, videlicet, ex præscitis, prædestinatis, iustificatis & glorificatis. *Idem tractatu* 46. *in Ioannem.*

Quemadmodum in mari insulæ quædam prominent

habitabiles frugiferæ & quibus est aqua salubris nec non naualia & portus commodi, quo se naufragi receptent: Sic Deus dedit mundo, qui peccatorum tempestatibus & naufragiis, iactatur, synagogas, quas ecclesias nominamus, in quibus veritatis doctrina feruet, ad quas confugiunt veritatis studiosi omnes quotquot saluari, Deique iudicium & iram euitare volunt. Vt verò sunt aliæ insulæ saxosæ, aqua potabili vacuæ steriles efferatæ & inhabitabiles, quæque plurimum damni tum nauigantibus, cum naufragiis afferunt. In his etiam naues ateruntur, & quotquot ad eas appellunt, extrema pericula subeunt. Ita sunt doctrinæ erroris, dico autem hæreses quæ suos sectatores perdunt, non enim à veritate præuia ducuntur, verum quemadmodum pyratæ, vbi impleuerunt suas naues, penetrant ad prædicta loca vt exitum afferant: Sic accidit his qui relicta veritate in hæreses abeunt, à quibus tandem perduntur. *Theophilus Antiochenus libro secundo ad Autolycum.*

Scindi non potest vnitas, nec corpus vnum dissidio compaginis separari, diuulsis laceratione visceribus, in frusta d iscerpi. Quicquid à matrice dicesserit, seorsum viuere & spirare non poterit, substantiam salutis amittit. *Cyprianus de simplicitate prælatorum.*

Hi ædificant ruinosum parietem. Domus Dei vna est, Qui foras exeuntes partem facere voluerint, parietem fecerũt, non domum: quia non est alter Deus, qui alteram domum inhabitet. Ideo parietem fecisse dicuntur falsi vates, in quo si ianua fuerit collocata, quicunque intrauerit, foris est. Nec lapidem habere angularem vnus paries potest, qui lapis est Christus, duos in se suscipiens populos: vnum de gentibus, alterum, de Iudæis: qui modo pacis iungit vtrumque parietem. Nam quot commoda habet domus, tot incommoda habet paries. Domus inclusa custodit, tempstatem retundit, pluuiam diffundit, latronem aut furem aut bestiam non admittit. Sic ecclesia catholica omnes filios pacis gremio & sinu suo complectitur. Contra paries qui est ædificatus ruinosus nec lapidem angularem sustinet, & ianuam sine causa habet, nec inclusa custodit, pluuia vndatur, tempestatibus cæditur, nec potest arcere latronem, nec venientem prohibet

furem. Paries enim res de domo est, sed domus non est: Et pars vestra quasi ecclesia est, sed catholica non est. *Optatus mileuitanus libr. 3. contra Parmenianum.*

Aquila præ cæteris auibus cognoscitur altius volare, viso tamen eminus cibo, indigentia naturali subacta, mox ad ima descendit: Sic ecclesia in spiritalibus membris cum ea quæ sursum sunt, mente petat & sapiat, infirmitate tamen corporis aggrauata, necessitatibus subiacet indigentiæ corporalis, pro quibus ingemiscit & parturit vsque adhuc. *Primasius libr. 3. in Apocalypsi.*

Sancta mater ecclesia hortus delitiarum, & paradisus spiritalis est charismatum videlicet superiorum fluentis irriguus. Ponamus autem vt sacerdotes mali quodammodo sint lapidei canales. In lapideis autem canalibus aqua nil germinat, donec per eos decurrens in fœcundas areolas se fundat. *Petrus Damianus de institutione ecclesiastica cap. vndecimo.*

Sicut Dauid licet rex & vnctus patienter expectauit & mansuete cum Saul egit donec Deus regem Saul de medio tolleret, postea verò regalia omnia exercuit: Sic ecclesia principio quidem gladij materialis potestate non est vsa in suos subditos, sed cum omni mansuetudine expectauit, donec Deus iugo suo suaui colla regum terræ subderet. *Latomus libr. de lege humana.*

EDVCATIO ET INSTITVTIO PVERORVM.

EQuus indomitus euadit durus: & filius remissus euadet preceps. *Eccl.* 30.

Quemadmodum bene nutrita corpora, si nuda sunt, vires ac vigorē apertius inducūt: Ita etiam pulchritudo morū, si ineptis nugis non inuoluatur, magis inducit animi magnitudinem. *Clemens Alexand. lib. 2 pedag. cap.* 10.

Quamobrē animus dū tener est adhuc, & ritu ceræ quæ ipsa impressas in se formas quascūq; facillimè recipit molliſſimè cedit, confestim ab ipso initio, omni rerum bonarū imbui exercitatione debet, quò videlicet, vbi postea rationis vsus accesserit, & habitū illū rerū diiudicandarū ætas maior attullerit pietati iam ab incunte ætatē assuetus, nullo impedimento, cursu vtatur faciliore cum & ratio quid

expediat, admoneat, & ad id assequendum facilitatem prebeat consuetudo. *Basilius in regulis fusius disputat. interrog. 15.*

An non absurdum est nos domum veterem, ruinam minitantem fulcire, pecunias impendētes, fabros arcessētes, deniq; nihil non facientes, domū autē Dei (nam dei domus esse debet adolescentis anima) ne vulgari quidem dignari cura? Vide ne idem audias quod olim audiēre Iudæi. Nam illi posteaquam è captiuitate templū materiale conspiciētes neglectum, priuatas ædes suas exornarunt, adeò Deum exasperarunt, vt mitteret eis prophetā, qui famem minitaretur, magnāq; rerum necessariarū penuriam, atq; hanc cōminationis causam eloqueretur. Vos quidem in domibus vndiq; habetis māsiones, domus aūt mea deserta est. Quod si illius templi neglectus tantam excitauit iram numinis, multomagis huius templi neglectus ad iracundiam prouocabit Dominum. Siquidem hoc teplum tātò est illo honoratius, quo plura habet sanctimoniæ symbola. *Chrysostomus hom. de Anna & Samuelis educatione.*

An non videtis frequenter, quod qui in vrbibus versantur, pueros nuper à lacte depulsos, faciunt Thallophoros, aut agonothetas, aut certaminum præfectos, aut chorearū magistros faciunt? Idem & nos faciamus, à primis statim annis inducamus eos ad disciplinam Reipubli. cœlestis. Si quidem hæc terrena, cum impendium adferat, fructum tamē nullum habet. Nam quesote, quis fructus esse possit è populari applausu? Simul vt vespera nos occuparit, illico plausus ille toruſq; tumultus emarcescit, ac festo peracto, perinde quasi in somnis fuerint deliciati, ita omni voluptate destituti consistunt, dum nec à corona nec à magnifica veste, nec à reliquo fastu vniuerso conceptam voluptatem si quærant, inuenire valeant, quod omnia illa quouis vento celerius prætercurrant. Cæterum in cœlesti politia omnia secus habent, citra impendium lucrum afferunt, & copiosum & stabile. *Ibidem.*

Quemadmodū industrij agricolæ primum semen in terrā deponunt, cupressi aut aliorū arborū similiū, deinde vbi conspexerint è semine factam arborem, non relinquunt in eadem terra, sed inde reuulsam plantulam, in aliud transferunt solum, vt terra in recens gremio suo exceptam illius radicem, puram & integram vim suam proferat ad mouē

educationem. Ita & Anna filium præter spem proseminatũ in templum transtulit è domo, vbi sunt perpetuæ fontium scatebræ & irrigationes spiritales. *Ibidem.*

Quemadmodum ager diu nõ proscissus siluescit ac passim innumeras vepres producit: ita iuuentus neglecta. *Idem hom. 5. in Math.*

Si burdonibus atq; asinis agaso nobis præficiendus est, non parum vigilamus, ne dementem, aut temulentum, aut furem, aut rei eius imperitum præficiamus: sin verò ad colendum filiorum ingenium pædagogus sit nobis inueniẽdus, qui casu oblatus fuerit, eum recipimus, nec consideramus vllam artem hoc artificio sublimiorẽ inueniri. Quid enim maius, quam animo moderari, quàm adolescentulorũ fingere mores? Omni certè pictore, omni statuario, cæteriscque huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuuenum animos fingere non ignoret. *Idem hom. 60.*

Doce te & admonete vos inuicem psalmis & hymnis. Nunc verò satanicas cantiones præferunt pueri vestri, quemadmodum coci & obsonatores & chorearũ ductores, psalmũ aũt nemõ nouit vllũ. Quin & res ista turpis esse videtur, ludicra & redicula, hinc mala cuncta vigent. Qualemnam plantula terrã sortita fuerit, talẽ quoq; fructũ afferet: si renosã falsã, talẽ si dulcem & pinguẽ rursus cõsimilem: ita fons quidam est doctrina. Doce ergo puerum tuum psalmos illos canere Philosophia plenos. *Idem hom. nona ad Colossenses.*

Magnũ habemus pretiosumq; depositũ filios, ingenti illos seruemus cura, atq; oĩa faciamus, nè fur id nobis astut' auferat. At verò nũc cõtra penitus facimus. Nam vt fundus quidẽ sit optimus, cuncta molimur, leumq; fideli viro magno cũ studio tradimus, & agazonẽ atq; mulionẽ, procuratoreq; atq, dispensatorẽ, qui nobis magna beneuolẽtia afficiatur inquirimus: cæterũ quod nobis omnium charissimũ est omnino negligimus, neque curamus, quo pacto filiũ nostrum fideli cuipiam viro permittamus, qui ipsius seruare pudicitiam possit *Idem hom. nona in 1. Timoth.*

Vndè & tibi maximè prouidẽdũ est, ne ineptis blãditiis fœminarũ, dimidiata dicere verba filia cõsuescat, & in auro atq; purpura ludere, quorũ alterũ linguæ, alterũ morib' ofticit, ne discat in tenero, quod ei postea dediscendum est Graecchorum eloquentiæ, multum ab infantia sermo ma-

tris cõtuliſſe ſcribitur. Hortẽſij oratio inter paternos ſinus coaluit. Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberũt. Lanarum conchylia quis in priſtinum candorem reuocet? Recẽs teſta, diu & ſaporem retinet & odorem quoprimum imbuta eſt. Græca narrat hiſtoria, Alexandrum potentiſſimum regem, orbíſque domitorem, & in moribus & in inceſſu, Leonidis pædagogi ſui nõ potuiſſe carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuit infectus. *Hieronymus epiſt. ad Lætam de inſtitutione filiæ.*

Vt aqua in areola digitum ſequitur præcedẽtem: ita ætas mollis & tenera in vtrámque partem flexibilis eſt, & quocunq; duxeris trahitur. *Idẽ epiſt. ad Gaudẽtiũ de spacatulæ educat.*

Vidiſtis quæſo vnquam artificem ex lamina auri vel argenti follis percuſſionibus imaginem ſpecioſam formaſſe? Non puto. quid tunc? quatenus aptam formam ex lamina formet, nunc eam ſuo inſtrumento leuiter premit & percutit, & poſtmodum planat, nũc etiam leuamine leuius leuat & informat: ſic & vos ſi pueros veſtros cupitis moribus ornatos eſſe, neceſſe eſt vt eum depreſſionibus verberũ impendatis, eis paternæ pietatis & manſuetudinis leuamen atque ſubſidium. Tenera quidem teneris, ſicut & ipſi teneri ſunt lac ſcilicet non ſolidum cibum præbentes eis necdũ ad perfectam ætatem prouectis. *Anſelmus lib. de ſimilitudinibus cap. 178.*

Iniecto in oculos ſago, leo ſine vllo negocio capitur, alioqui inexpugnabilis: Ita facillimum eſt, potentiſſimum etiam domare, modò cognitum ſit illius ingenium. *Plinius lib. 8. cap. 16.*

Vrſus informes gignit catulos, eos lambẽdo format: Ita rudem ingenij fœtum diutina cura expoliri conuenit. *Idem lib. 8 cap. 26.*

Coccycis pullus vbi adoleuerit, cum ſit nothus, tamẽ legitimos deuorat, vnáq; matrem ipſam: Ita quidam magna indulgentia, ſtultóque amore quorundam educati, ſubuertunt eos. *Idem lib. 10. cap. 9.*

Adamas vna re molleſcit, ad ictus ferri aliàs indomitus: Ita nullum eſt ingenium tam ferum, quod non aliqua ratione queat expurgari. *Idem lib. 37. cap. 4.*

Arbor per ſe infrugifera tamen inſitione diſcit ferre fructus: Ita prauum ingenium inſtitutione ad bonam frugem

potest demutari. *Idem lib. 17. cap. 14.*

Fœnum græcum quo tractatur peius, hoc prouenit melius: ita liberi quidam, quanto habueris indulgentius, tanto minus valent: neglecti verò & vexati, euadunt in viros. *Idem lib. 18. cap. 16.*

Gypso madido statim vtẽdum, quòd celerrimè siccetur: Ita statim fingẽda literis ac moribꝰ ætas rudis, prius quàm durior non admittat fingentis manum. *Idem lib. 36 cap. 24.*

Simia catulos fere complexu necat: Ita nonnulli parentes immodico erga liberos affectu & indulgentia corrumpunt illos. *Idem lib. 9. cap. 54.*

Sicut in agrorum cultura, bonam esse imprimis tellurẽ oportet, tum serendi peritum agricolam: deinde bona semina: Eodem modo telluri naturam, agricolæ præceptorẽ, seminibus studiorum institutiones ac præcepta conferes. *Plutarchus de liberis educandis.*

Vt curruum rotę vi inflexæ nunquam ad pristinam rectitudinẽ queunt reuocari, itidem histrionũ baculi: Ita quædam ingenia sic consuetudine & institutione deprauãtur, vt corrigi non queant. *Idem in Moralib.*

Vt terra quo melior est natura, hoc magis corrumpitur, si negligatur: Ita ingenia nisi rectè excolantur, quo sunt fœliciora, hoc pluribus vitiis obducuntur. *Ibidem.*

Nulla ferè est arbor, quę non sterilescat, ac tortuosa fiat, si cultura desit: Ita nullũ tam felix ingenium, quod non degeneret, citra rectam educationem. *Ibidem.*

Nullus equus rectè sessori paret, nisi arte domitus: Ita nullum ingenium non ferox, nisi præceptis cicuratur, & educatione. *Ibidem.*

Qui equos rectè alunt, eos docent parére fræno: pueros qui volet instituere, primùm assuefaciat vt dicto sint audientes. *Ibidem.*

Nulla tã fera bellua, quæ non mansuescat curã: Ita nullũ tam agreste ingeniũ, quod institutione non mitescat. *Ibid.*

Vt multa agrestia subnascentia in agro, mala quidẽ ipsa sunt, sed tamẽ signa felicis atq; vberis soli, si quis excolat: Sic animi affectus per se mali arguunt ingenium non malum, si accedat recta institutio. *Ibidem.*

Vt molli materiæ facilè sigillum imprimitur: si durescat, non item: Ita puerorum ingenia facilè quamuis recipient

disciplinam, sin ætate durescant, non item. *Ibid.*

Frustra suber appenditur retibus, vt natent, si plumbum annexũ deorsum trahat, & in æquo teneat: Ita frustra præceptis beneviuendi instituitur, si malicia addita non sinit è stultitia emergere. *Ibidem.*

Vt plures vrbes præternauigasse pulchrum est, sed expedit vnam incolere optimam: Ita quàm plurima sunt cognoscenda, sequenda retinendáque optima. *Ibidem.*

Vt ager, si non colatur, non solùm infrugiferus manet, verumetiam multa syluestria producit: Ita adolescẽs rationis capax, nisi præceptis honestis exerceatur, non solùm nõ euadet bonus, sed ad multa vitia delectetur, *Ibidem.*

Vt agricolæ vallos apponunt arbusculis, quo rectè crescant: Ita qui instituit, addit monita & præcepta ingeniis sa lubria, ne deuarient in vitia *Ibidem.*

Vt agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur: Sic animi non omnes culti fructum ferunt. *Cicero lib. 2. Tusc. quæst.*

Si agricolam arbor ad fructum producta delectat, si pastor ex fœtu gregis sui capit voluptatem, si alumnum suum nemo aliter intuetur, quàm vt adolescentiam illius suam indicet: Quid euenire credis his, qui ingenia educauerunt, & quæ tenera formauerunt, adulta subito vident? *Seneca lib. 2. epist. 34.*

Quemadmodum agricola vehementer exultat, vbi generosos fœtus ex arbore ipsa legit, quam suis quondam manibus conseuerat, ac diu multa cura produxerat: Ita præceptores atque parentes potissimùm cùm illorum fructus, industriam, morúmque honestatem intuentur eorum, quorum ingenia atque mores ipsi à prima iuuentute fœliciter formauerunt. *Politianus lib. 6. epistolarum, epistola ad Franciscum Puccium.*

Vt rami & furculi praui, tortuosiq; natura, minimè vnquã redigi ad rigorem suum possunt, quamuis manu tractẽ tur & emolliantur, sed ad naturalem illam statim prauitatẽ recurrunt: Sic ij qui parum nati honestè, parũ educati ingenuè sunt, continuò ad humum spectant: hoc est, vilissima quædam ministeria adamant, nec in sublime animos attol lunt, nec recti vnquam, nec liberi sunt. *Idem in Lamia.*

Quemadmodum vberi in solo, cui nondum manus agricolæ accessit, rubi innascuntur, & sentes: Ita sæpe generoso

animo, nisi educatio ingenua accesserit, vitia virtutibus admixta pullulant. *Idem de ira.*

Quemadmodum agricolæ noxias frugibus plantas herbásque conuellere atque extirpare solent, quod fœcũdi soli ingenium ex illis animaduerterint: Ita profectò parentes ac magistros nihilo magis teneris adhuc adolescẽtum vitiis indulgere oportet, quòd ea optimæ ingenuæq; naturæ documenta præbuerint. Principiis enim obstandum, & quæ eminent, retundenda sunt, antequam ad maturitatem veniant. *Ibidem.*

ELEEMOSYNA.

IGnem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. Quemadmodum quicunque putei scaturiũt, ex hausti in pristinam mẽsuram reuertuntur: Ita etiã largitio, quæ est bonus fons benignitatis, potum sitiẽtibus cõmuni eans, rursus augetur & repletur, quemadmodum ad vbera quæ suguntur vel mulgentur, solet lac accedere. *Clemens Alexand. lib. 3. pædagogi. cap. 7.*

Quemadmodum frumentum in terram cadens, lucrum proiiciẽti parit: Sic & panis in esurientẽ proiectus, multam in posterum tibi reddet vtilitatem: *Basil. hom. in diuescentes.*

Qui ex his quæ supersunt offert, ingratus est. Si tu nobilem hospitem domi exciperes, eius mensæ reliquias apponeres? Quomodo igitur existimas ex repotiis Deum placari? *Idem in diuites auares. hom. 7.*

Sicut male edendo, maléque cibo vtendo Adam peccatum incurrit. Sic in fame laborantibus per cibos opitulando à peccatis soluemur. *Idem. hom. 8.*

Omnis qui nauigat naufragio est proximus, & tãto plus quantò nauigat audacius, ac omnis qui corpore est circundatus, proximus est corporis malis, quantò elatius pertran sit, & ante se iacentem non respicit. Quandiu vento nauigas secundo, manum naufrago præbe. Quandiu recte vales & diues es afflicto succurre, nec expecta donec ex teipso discas quantum malum sit inhumanitas, & quantũ bonum viscera aperire indigentibus. *Gregor. Nazianz. orat. de paupertate fouenda.*

Erga fratres calamitosos benignus esto. Quod vẽtri sub-

trahis, tribue esurienti. Exæquet omnia iustus Dei timor. Duas inter se contrarias affectiones, tuam videlicet satietatem, & fratris famem, modesta continentia tempera atque moderare. Sic enim faciunt & medici alios exinaniunt, alios replent, vt accessione, decessionéque, vniuscuiusque sanitas conseruetur. *Idem in Orat. De pauperib. amandis.*

Si agricolæ penu suum euacuãt & semina terræ concredunt idque cũ voluptate faciunt, spe maiora recipiendi se solantes: & quamuis sciant quod aëris intemperies, nõnun quam & terræ sterilitas, & alia multa accidentia, vt locusta rum exercitus & rubiginis insidiæ, spe excidere faciãt: atta men bona spe sese alentes, ea quę in promptuariis collecta, terræ concredunt: Multo magis nos quæ absque vsu recondita sunt, dispergere in pauperum vsus conuenit. *Chrysost. hom. 55. in Genesin.*

Huic multa cum facultate aperiuntur cœlorum portę. Ac velut regina ingredięte, nullus custodũ ipsis in portis positorum, audet interrogare quæ sit, aut vnde iter agat: magis verò illico suscipiũt omnes: Sic & eleemosyna regina omnino est cum Deo similem faciens. Estote, inquit, misericordes, sicut pater vester cœlestis, pennata est enim & leuis, aureas habens alas, ipsos supramodum delectans angelos. Ibi inquit, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius pallore auri. *Idem hom. 7. de pœnitentia.*

Audi Prophetam dicentem: Ego quasi oliua fructifera in domo domini. Eiusmodi simus. Neque enim satis est oliuam fieri solum, at fructiferam. Sunt qui miserantes parua dant ipso anno labente, aut omni heddomada parum quid exhibentes, hi oliua quidem non fructifera & vera, sed arida: quod quidem miserantur, oliuæ: quod autem nõ prom ptè, aut ex animo, non fructiferæ. *Ibidem.*

Agricolæ si frumenta domi concluſa tenent, vermium in esca emittent: si verò dispersserint in terras, nõ modo custo diunt, sed etiam augent: Sic & opes stantes quidem in arca, atque sub sera & vecte defossæ, citò tranſfugiũt, si verò eas in vẽtres dispersseris pauperum, non modo nõ fugiunt, sed & maiores inde resurgunt. *Idem.*

Studeamus egenorũ mãgnã curam habere, idq; cũ alacri tate & hilaritate. Etenim agricola terræ cõcredens semina

non hoc tristi facit vultu, sed gaudens & lætabūdus, & quasi iam spe manipulos videns in terram seminat. Et tu dilecte ne solum respexeris ad eū qui recipit: sed cogita quod ipse quidem est visibilis qui à te accipit, alius autem quæ in illum fiūt, sibi facta dicit: neque ille vulgaris quispiam est, sed omnium Dominus. *Idem, Hom. 42. in Genesin.*

Vbi semen est, ibi etiam multiplicatio fructum consequitur. Tu verò si terram quidem pinguem ac fertilem coleres, & quæ plurimum esset opportuna seminibus, non tantum illam propria horrea vacuando seminares, verumetiam mutuareris aliunde quod fereres? Maximum namque detrimentum putares, in re tali diligere parcitatem. In cœlo vero operans, atque ibi fructum requirens, vbi nulla aëris inæqualitas, corruptio nulla ventorum est, sed plurimo vbique cum fœnore semina iactā proueniunt cunctaris atque dissimulas, nec intelligis quia possimus & parcendo perdere, & spargendo colligere. Sparge ergo ne perdas: noli retinere vt magis congreges. *Idem, Hom. 5. in Math.*

Sicut vlmus infructuosa, dat humorem viti, vt vitis pro se, & pro vlmo proferat fructum: ita tuæ res proficiant ad pauperis sustentationem in hoc seculo, vt & illius sanctitas proficiat ad tuam sustentationem in illo. *Idem, Hom. 12. operis imperf.*

Omnis homo qui aliquod opus facit, cuius causa facit id quod facit, in corde suo aspicit illius personam. Ecce facis epistolam vt aliquem salutes amicum, quandiu scribis, semper in corde tuo vides illius personam amici, propter quē scribis epistolam. Item artifex tenens opus in manu, semper eum præ oculis habet, qui ei opus commisit faciendū, dum cogitat quomodo illud facere mādauit: Sic & qui propter deum eleemosynam facit, neminē videt in corde suo, nisi personam Dei tantummodo, propter quem facit. *Idem, Hom. 13. operis imperf.*

Qui egenorum misereri cogitat, statim auaritiam exuet. Qui in dando pauperibus perseuerat, mox iram deponet & superbiam. Quemadmodum vulneratos frequenter curando, medicus facile in aliorum calamitatibus commouetur, cum humanam intelligat naturam: ita si ad opitulandum inopes conueniemus, omnia contemnemus. *Idem, Hom. 80.*

in Ioan.

Quamobrem non das Deo qui tibi plura daturus est? Foe tasse ob id quod multo pòst tempore dat. At qui debitum longo post tempore redditum, opes tibi tuas auget, nã fœnus maius fit. Etenim infœneratitiis pecuniis id vsuenire videmus, vt fœneratores libẽtius his expensum ferant, qui quod acceperint mutuo, multo post tempore soluturi sint. Nam qui protinus resoluit, is fœnoris cursum interrumpit, qui autem in soluendo serus est, is quæstum maiorem efficit. Itane vero obærandis hominibus moram non egreferimus, sed& modis omnibus maior illa vt sit, excogitamus, obærando autem Deo sic nos pusillanimes gerimus, vt hoc nomine cunctemur, atque tergiuersemur? *Idem. Hom. 7. in epist. ad Rom.*

Qui miseretur in hilaritate. Rom. 12. Quis regnum accipiens mœstus est? Quis peccatorum remissionem recipiens, in mœrore manet? Noli itaque pecuniarum respicere sumptum, sed magis eum qui ex illo sumptus est, prouentum. Si enim qui seminat gaudet, tametsi in incertum seminet: multomagis qui cœlum quasi agrum colit. *Idem, Hom. 21. in epist. ad Rom.*

Eleemosyna & fides te non deserant; sed appende illas collo tuo. Pro. 3. Quemadmodum diuitum filij ornatus gratiæ, aureũ monile gestant in collo, nec id vnquam deponunt, veluti nobilitatis signum circumferentes & ostentantes: Itidem & nos oportet semper beneficentia indutos esse, declarantes quod filij simus eius qui misericors est, eius qui solem suũ oriri facit super bonos & malos. *Idem, Hom. 1. ad Philippen.*

Donec sumus pueri, ne spoliemus nosipsos isto monili. Quemadmodum enim ista ornamenta pueris detrahũtur, posteaquam facti viri feruntur ad aliud ornamentorum genus: itidem & in nobis, non iam erit eleemosyna, quæ pecuniis erogandis constat, sed alia quædam multo præstantior. *Ibidem.*

Deus nobis mysteria tantæ excellentiæ credidit, nos ei nec pecunias credimus, cum hortetur & dicat, Vestra mihi omnia seruanda permittite, nemo diripiet: non demolietur tinea, non latro suffodiet, & centuplum pollicetur se daturum, nec sic quidem obtemperamus. Atqui si quid apud alium deponimus, nihil amplius accipimus, gratiásque agi-

Sed etiam vincula peccatorum ipsa dissoluit, fugat tenebras, extinguit ignem, mortificat vermem, expellit stridoré dentium. Huic portæ cœli aperiuntur, & veluti regina intrante nullus ianitorum, nullus custodũ qui portis assistunt audet dicere, Quæ tu es? vel vnde? sed omnes eam è regione suscipiunt. Sic etiam misericordia. Regina namque est, vere regina, similes faciẽs homines Deo. *Estote*, inquit, *misericordes, sicut pater vester misericors est.* Pennata namque est & valde leuis, habens alas aureas & volatum qui angelos deceat. Scriptum est enim: *Pennæ tuæ sicut pennæ columbæ deargentatæ, & collum eius in fulgore auri.* Sicut columba quædã nitens, & aurea venustate decorata, mites & affabiles oculos habens per cũcta peruolat: sic & misericordia nitet magno decore festiua, nihil est illis oculis melius. Pulcher quidem est pauo, sed in illius comparatione deformis apparet. Ita enim & auis quædam pulchra est & mirabilis, ab ipso initio per tempora cuncta perdurans, & multa diuina gratia decoratur. Virga est habens alas aureas, circumspecta per omnia, venustéque succincta, vultum habens candidum atque mansuetum, pennata est leuis & semper ante soliũ regale consistit. Quando iudicamur, repente subuenit, & nos à suppliciis liberat imminentibus, alis suis nos contegens. Hanc amplius desiderat Deus quam sacrificia immunera. *Ibidem, Hom. 22.*

Cogita quibus te Deus insigniuerit ornamentis pro subleuanda pauperum inopia. Si quispiam tibi casurum cœlum subleuandi traderet potestatem, nonne id tibi honori duceres, perinde ac conditionem & vires excedentem? Ecce nunc maiore quodã honore te dignatus est Deus, si quidem quod cœlo ipso maioris facit, tibi subleuandum concessit. *Idem, sermone de misericordia.*

Artiũ quidẽ secularium vnaquæque vnũ habet quod accepit meritũ. V. G. Agricultura pascit, textoria vestit, imo vero nec hoc vlla potest à semetipsa nobis conferre. Nã nisi agricultura cusoriam habuerit, à qua ligonem, vomerem, falcem, securim, & alia plura mutuetur: & carpentariam, vt aratrũ pangat, & iugum paret & plaustrum, vt spicas excutiat: & coriariam vt & lorũ faciat: & ædificatoriã, vt & arantibus tauris stabulũ ædificet, & serentibus agricolis domum, &c. Cum autem oporteat misereri, sola voluntate opus est. *Idem, Hom. 33. ad pop. Antioch.*

Sicut mare non potest nauigari portubus & stationibus obrutis: ita nec hæc vita constare, si misericordiam tollas ac humanitatem. *Ibidem.*

Si circa terram laborantes horrea exhaurientes, terræ semina mandant, & congregata dispergũt, & hoc faciunt cũ voluptate, se ampliorum spe consolantes: & hæc cũ sciant, quod frequenter aëris inæqualitas, & sterilitas terræ, & alij multi incursus, vel locustarum exercitus, vel rubiginis impetus ab expectatione decidere facit, bonis tamen se pascentes expectationibus, in horreis congregata terræ committunt: multomagis nos inaniter reposita in cibos paupe rum dispergere congruum est, vbi nunquam accidit aberrare, nec infortunium quod in terra sit, vereri: ait enim, dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum. *Ibidem, Hom.* 34.

Dic mihi, si quis te senio confectum, & viuentem in paupertate subito iuuenem se facturum promisisset, & in ipsum ætatis florem reducturum, & super omnes prævalidum, & speciosum redditurum esse, & regnum in mille daturũ annos, regnum, inquam, pacem firmissimam possidens, quid pro hac promissione non eligeres tam facere, quam pati? Ecce autem Christus non hæc, sed his multomaiora promittit. Non enim quantum est iuuentæ & senectutis mediũ, tantum est corruptionis & incorruptionis interuallum, neqüe quantum est regni & paupertatis, tantum est gloriæ præsentis & futuræ: sed quantum somniorum & veritatis. Pacis autem illius tantum est medium ad præsentem, quãtum pacis & belli discrimen: & incorruptionis, quanto gleba lutea melior est margarita. Propter hæc itaque nónne & corpora & pecuniæ sunt impendendæ? Imo verò quot animas exponere dignum non fuerit? Nunc verò si quis te in regiam deduxit, & vt omnibus præsentibus regem alloquereris, effecit, & illi te reddidit conuersalem conuiuam, omnium te dicis esse beatissimum. In cœlum autem ascensurus, & omnium regi assistere, & perennem cum angelis habere splendorem, & illa frui ineffabili gloria: dubitas an erogare pecunias oporteat, cum opus esset, etiamsi vita fuisset exuenda, gestire & exultare, & per voluptatem efferri? Tu verò vt magistratum quidem acquiras, qui furtorum tibi præbeat occasiones, etiã quæ possidés, erogas, & aliena mutuatus,

mutuatus, etiamsi sit opus, vxorem & liberos obnoxios cõstituere non torpes: at regno cœlorum proposito, principatu nullum habente successorem, cum Deus præcipiat non terræ partem aut angelum, sed totum accipere cœlum, torpes & hæsitas, & solis inhias pecuniis. *Ibidem, Hom. 55.*

Sicut diuitum liberi monilia circa collum aurea gestãt, nec vnquam ea deponunt, sed tanquam nobilitatis insigne circunferunt: Sic & eleemosynam charissimi nosipsos semper oportet induamus, ostendentes quod misericordis patris sumus filij, qui facit hunc solem oriri super bonos & malos. Donec sumus pueri, ne nos hoc exuamus monili. Sicut enim circa pueros geritur, vt cum viri facti fuerint, hæc auferantur, & ad alium traducantur ornatum: sic & circa nos, non amplius per pecunias eleemosyna remanebit, sed altera quædam multo maior. *Ibidem, Hom. 36.*

Multos ego video diuites, cum pauperi dandum fuerit, pauperrimis pauperiores redditos. Sed frequens eorum sermo habet, commune bonum ecclesiæ. Et quid hoc ad te? Nec enim si ego dedero, saluaberis ipse: neque si ecclesia dederit, tu peccata tua deleueris. Nam si propterea non erogas, quod egenis ecclesia dare debeat: quoniam orant sacerdotes tu nunquam orabis. Et quoniam alij ieiunant, iugiter ebrius eris: Nescis quod non tam propter pauperes eleemosynam Deus, quam propter impendentes instituit. *Ibidem, Hom. 37.*

Vt acceptis muneribus iudices non ita cito proferunt sententiam & satagunt si possunt concordare partes: ita dominus facit cum his quorum munera dantur pauperculis. *August. ser. 146.*

B. Martinus ouem recens tonsam cum conspexisset, Euangelicum, inquit, mandatum ista compleuit, Duas habuit tunicas, vnam earum largita est non habenti: ita ergo & vos facere debetis. *Sulpitius in vita Martini, lib. 3.*

Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna resistit peccato. Hoc est, sicut aqua baptismatis salutaris extinguit flammam gehennæ per gratiam: ita eleemosynarum fluuio omnis ille coaceruatus post acceptam fidem, peccatorum ignis extinguitur, si tamen post conuersionem non iterum renouatis criminibus exardescat. Is enim qui eleemosynis reme-

dium peccatorum pœnitens quærit, debet iam non agere pœnitenda, ne quod vno latere extinguitur, alio succenda-tur. *Gaudentius de natali Domini. tract. 13.*

Vendite quæ possidetis & date eleemosynam. Est consuetudinis, est animi fœlicis, vt adscitus ad regnũ, quod fuit propriũ, quod priuatum, mox parentibus, mox propinquis, ciuibus indigentibus, liberaliter eroget, ne sit mendicus animo, qui censu functus & honore. Tali ergo prouidentia Dominus, consilio tali, vilia & caduca iubet vt vendamus, vt largiamur, vt donemus, qui in cœlesti regno omnia quæ in cœlo & quæ in terra sunt, volumus possidere. Sed si vis seruare tuorum pretia prædiorum, & sacculorum fortè con dita te delectant, fac tibi sacculos quales ille præcepit, qui iam cupiditatis tuæ custos est & prouisor. *Petrus Chrysol. ser. 23. de terrenorum cura despicienda.*

Quomodo eleemosyna mundat: sic luxuria sordidat. Nam si aliquis frequenter stolam suam abluat, & iterum atque iterum in lutum demergat, nescio qua fronte eam induere in aliqua festiuitate possit. Aptauit sibi ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Si cum macula & ruga intrare in vitam æternam nemo poterit, qua conscientia capitalibus criminibus oppressus aliquis intraturum se esse in eam confidit, nisi se emendando & eleemosynas dando mundauerit: Prodest quidem eleemosyna, sed ea conditione, vt qui eleemosynas pro peccatis suis erogat, crimina capitalia exercere iam desinat, & eleemosynam faciat, iubente Domino, vt dedignetur seruire peccato. Rogo vos fratres, nunquid aliquis nostrum vult vt seruus suus sic illi mercedem pro opere reddat, vt tamen inimicis suis iugiter seruiat, & nunquam de illorum societate discedat. Certum est, quod hoc nescio si vllus homo sustinere præualeat. Quod ergo non vis pati à seruo tuo, non est iustum vt facias Domino tuo. Et ideo quando pauperibus erogamus pecuniam, Deo offeramus animam nostram, vbi est & cor nostrum. *Cæsarius Arelatensis, Hom. 9.*

Neque vero si semel ac iterum dederimus, existimemus nos totum beneficentiæ munus expleſſe. Sed perpetuo id facere oportet. Neque enim satis est semel cum lau-

de rem gerere, sed perpetuo. Etenim qui postquam decem dolichos cucurrit, si post deficiat, totam laudem perdidit. Et nos si semel aggressi bona opera, postea defecerimus, totum amisimus, totum perdidimus. *Chrysost. Hom. 1. in epist. ad Philip.*

Tu quidem cum aurum das vt equum compares, animo non angeris: cum verò corruptibilia exponis, vt cœlorum regnum accipias, lacrymandum tibi putas. *Basilius, Hom. de diuite.*

Si deorum cultores simulachra insensibilia excolunt, & quicquid precioſi habent, in ea conferunt: quibus nec vti possunt, nec gratias agere, qui acceperint: quanto iustius est & verius, viuentia Dei simulachra excolere, vt promerearis inuenire viuentem? Quæ sicut vsui habent, quicquid acceperint, & gratias agunt: Ita Deus, in cuius conspectu bonum feceris, & probabit, & mercedem pietatis exoluet. *Lactantius, lib. 6. cap. 13. De vero cultu.*

ELOQVENTIA.

CVm ex infantibus loquentes non fiant, nisi locutione discendo loquentium, cur eloquentes fieri non possunt, nulla eloquendi arte tradita, sed elocutiones eloquẽtium legendo & audiendo, & quantum assequi conceditur, imitando. *August. lib. 4. de doctr. Christ. cap. 3.*

Sicut cuius pulchrũ corpus est, & deformis animus, magis dolẽdus est, quam si deforme haberet & corpus: ita qui eloquenter ea quæ falsa sunt dicunt, magis miserandi sunt, quam si talia deformiter dicerent. Quid est ergo non solũ eloquenter, verumetiam sapiter dicere, nisi verba in summisso genere sufficientia, in temperato splendentia, in grãdi vehementia, veris tamen rebus, quas audire oporteat, adhibere? *Ibidem. cap. 28.*

Iam abs te didiceram (ô bone Deus) non eò debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur, nec eo falsum quia incompositè sonant signa labiorum. Rursus nec ideo verum, quia impolitè enũciatur, nec ideo falsum quia splendidus sermo est, sed perinde esse sapientiã & stultitiã, sicut cibi vtiles & inutiles. Verbis autẽ ornatis & inornatis,

sicut vasis vrbanis & rusticanis vtrósque cibos posse ministrari. *Idem, lib. 5. confessionum, cap. 6.*

Sicut qui voluptatibus eneruati sunt, & quorum in pectore libido dominatur contemplantes corporum venustatem, non quærunt morum pulchritudinem sed membrorum, sensúsque eorum prægrauatus fere terrena nihil altius intuetur: Sic qui structa verborum compositione ducũtur, & capti eloquentiæ sono non intuentur dogmatum veritatem, erubescunt errorem pristinum confiteri & arrogãtiæ tumore cæcati, nolunt esse discipuli, ne postquam correcti fuerint, prius errasse videantur. *Theophylus Alexandrinus, epist. 2 Paschali.*

Sicut medicorum quidam gnari curationis omnium fermè vitiorum, morborum, languorúmque, nullius eorum rationem veram aut verisimilem possunt reddere: alij cõtrà vehementer facundi, signorum & causarum, remediorúmque ex quibus ars constat, interpretes optimi, in tractãdis ægrotorum corporibus sunt ignauissimi, ne minimum quidem remedium adhibere idonei: Ita qui se exercent in operibus sapientiæ, plerúnque verba negligunt: qui verò dicendi artes callent, nullam bonam disciplinam habent reconditam. *Philo, in lib. quod deterius potiori insidietur.*

Vt non satis est clauus, neque frenum, nisi adsit qui arte moderetur: Ita non sufficit eloquentia ad moderãdum populum, nisi accesserit sermonis moderatrix ratio. *Plutarchus, in Moral.*

Philosophus etiam eloquens, perinde est quasi si bonus gubernator etiam formosus sit. *Seneca.*

Damnatur bombicina vestis seu multitium, quòd pellucens non tegat corpus, cum in hunc vsum sit reperta vestis: Ita ridenda facundia, quæ rem non explicat, sed inuoluit, cùm in hoc repertus sit homini sermo. *Plinius, lib. 11. cap. 22.*

Vt buxus semper quidem viret, sed alioqui & odore noxia, & semen habet omnibus inuisum animãtibus: Ita quidam præter orationis gratiam, nihil afferunt non fugiendum. *Idem, lib. 16. cap. 17.*

Tilia cum habeat calicem ac folia dulcia, tamen fructum eius nullum animal attingit: Ita quorundam collatio

blanda, gratáque & compoſita, ſententiarũ nullus fructus. *Ibidem, cap. 15.*

EPISCOPVS.

SIcut vir non debet adulterare vxorem ſuam: ita nec epiſcopus eccleſiam ſuam, id eſt, vt illam dimittat, ad quã ſacratus eſt, abſque ineuitabili neceſſitate, aut Apoſtolica, aut regulari mutatione, neque alteri ſe ambitus cauſa coniungat. *Euariſtus, epiſt. 2. ad Epiſcopos Aegypti.*

Quamobrem enim fit, vt de militia, de mercatura, de agricultura, cæterarúmque ad humanum victum pertinentium rerum ratione deliberatio mouenda cum ſit, neque agricola nauigationem, neque miles agriculturam, neque gubernator militiam ſuſcipiat, etiamſi mortẽ illis millies cõmineris. Nẽpe propterea vnuſquiſque proſpicit fore, vt periculum ſibi ab imperitia artis incognitæ immineat. Itane ſi diuis placet, vbi modicis in rebus periclitamur, tanta ipſi vtemur prouidentia, neque cogentium nos violentiæ parendum eſſe putabimus, vbi verò æternum illos induit ſupplicium, qui epiſcopatus adminiſtrationem iuſtè præſtare neſcierit, temere atque vt caſus tulerit, in tantum nos coniiciemus malum periculum, alienæ violentiæ cauſam opponentes. *Chryſoſt. lib. 4. de ſacerdotio.*

Quemadmodum qui principatum affectant filij, moleſto animo intuentur longam patrum ſuorum ſenectutem: Sic ex his nonnulli cum viderint futurum, vt Epiſcopus ad lõgum aliquod tempus dignitatis ſuæ munere fungatur, quãdoquidem interficere nefas, deturbare illum imperio ſatagunt: omnes in deturbati locum ſuffici cupientes, ac ſinguli honorem illum ad ſe deferri ſpectãtes. Epiſcopus ſi rem recta ratione ac iudicio aggredi volet, inimici protinus Epiſcopo aduerſantur, donec illum eiecerint, vel ſuos candidatos intromiſerint. Perinde eſſe videas, vt ſi qui gubernator, piratas habeat eadem naui vnà ſecum nauigantes: qui quidem tum ipſi, tum nautis, tum vectoribus aſſiduè horiſque ſingulis inſidias ſtruant. *Idem, lib. 2. de Sacerdotio.*

Vt ſal omnem cibum condit, nec eſt aliquid tam ſuaue, quod abſque eo guſtum demulceat: Ita mũdi totius & propriæ Eccleſiæ condimentum Epiſcopus eſt: qui ſi infatuatus

fuerit, siue per negationem, siue per hæresim, siue per libidinem, & (vt semel dicam) per vniuersa peccata, à quo alio poterit condiri, cum ipse fuerit omnium condimentum? *Hieronymus contra Luciferianos.*

EVANGELIVM, EVANGELISTAE.

SIcut fructus separatur à semine, cum sit fructus ex semine: Sic & euangelium separatur à lege, dum prouehitur ex lege. Aliud ab illa, sed non alienum, diuersum, sed non contrarium. *Tertul. lib. 4. contra Martionem.*

Maior est euangelicæ doctrinæ quam externi iudicij ludus. Illic enim qui peccant, castigati pœnas luunt: hic autẽ fiunt omnia vt non puniantur qui peccarunt, sed peccatum pœnitentia corrigant. *Chrysost. in Psal. 49.*

Euangelium speculũ est veritatis, nemini blanditur, nullum seducit, talem se quisque reperiet, qualis fuerit, vt nec ibi timore trepidet, vbi non est timor, nec lætetur cum malefecerit. *Bernard. ser. 1. de septem panibus.*

Sicut ex diuersis itineribus venientes, ad vnam mansionem contendunt: Sic & euangelistæ ex diuersis occasionibus loquentes, in vnum sensum ingrediuntur. *Chrysost. Hom. 18. in Math.*

Vide lex.

EVCHARISTIA.

QVemadmodum ignis sensibilis, ea quibus insederit, in suum traducit officium, omnibúsque quomodolibet sibi propinquantibus sui consortium tradit: Haud aliter dominus noster, & Deus, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum in sui traducit effigiem deiformésque reddit. *Dionysius de cœlesti hierarch.*

Quomodo ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur antè & prematur, sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi Christus calcatus prius fuisset & pressus, & calicem prior biberet, quem credentibus propinaret. *Cyprianus, lib. 2. epist. 3.*

Sicut panis communis, quem quotidie edimus, vita est

corporis : Ita panis iſte ſuperſubſtantialis vita eſt animæ, & ſanitas mentis. *Idem ſermone de cœnæ Domini.*

Dixerit quiſpiã in hũc incidens locum, quod ſicut quod ingreditur in os non polluit hominẽ, etiamſi putetur à Iudæis pollutum : Ita quod ingreditur in os non ſanctificat hominem, etiam ſi à ſimplicioribus credatur ſanctificare nimirum is qui vocatur panis Domini. Et eſt (ni fallor) oratio non contemnenda, eaque deſiderans dilucidam expoſitionem, quæ mihi quidem talis eſſe videtur. Quẽadmodum non cibus ſed conſcientia cum hæſitatione veſcentis polluit edentem, eo quòd qui hæſitat, ſi veſcatur, iudicatus eſt quia non ex fide. Et quemadmodum nihil eſt impurũ per ſe polluto & incredulo, ſed propter ipſius immunditiam & incredulitatem : Ita quod ſanctificatur per verbum Dei, & per obſecrationem, non ſuapte natura ſanctificat vtentem. Nam ſi id eſſet ſanctificaret etiam illum, qui comedit indignè Domino, neque quiſquam ob hunc eſum infirmus aut ægrotus fuiſſet, aut obdormiſſet. Nam tale quiddam Paulus demonſtrat, cum ait, *Propter hoc inter vos infirmi & malè laborantes, & dormiunt multi.* Proinde etiam in pane diuitum vtilitas eſt veſcenti, cum impolluta mente, puraq; cõſcientia, particeps eſt panis illius : Sic quod ad eſum per ſe attinet, nec ex hoc quia nõ edimus de pane verbo dei & per obſecrationem ſanctificato, fraudamur aliquo bono, nec ex edendo abundamus aliquo bono. Si quidem cauſa defectus eſt malitia, peccataque, & abundantiæ cauſa eſt iuſtitia ad recte facta, vt tale ſit quod dicitur apud Paulum his verbis, Neque ſi comederimꝰ, abundamus, neq; ſi non comederimus minus habebimus. Quod ſi quiquid intrat in os, in ventrẽ abit, & in ſeceſſũ eiicitur, & ille cibus qui ſanctificatur per verbum Dei, perque obſecrationem, iuxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in ſeceſſum eiicitur. Cæterum iuxta precationem quæ illi acceſſit, pro portione fidei fit vtilis, efficiens vt perſpicax fiat animus ſpectans ad id quod vtile eſt. Nec materia panis, ſed ſuper illum dictus ſermo, eſt qui prodeſt non indignè Domino comedẽti illum. *Origenes in cap. 15. Math.*

Caue autem ne quid inde tibi excidat: quod enim amittas, hoc tanquam ex proprio membro amiſeris. Nam ſi

quis tibi ramenta aurea daret, nonne cum magna diligentia illa teneres, cauens ne quid ex illis periret damnumq; sustineres? Et non multo magis & diligétius de hoc, quod auro gémisque pretiosius est, ne mica aliqua ex illo cadat, prouidebis. *Cyrillus Ieros. mist. catech. mystagog. 5.*

Sicut quicunque qui ad fidem veniens ante verba baptismi, adhuc in vinculo est veteris debiti, his vero commemoratis, mox exuitur omni fece peccati: Ita quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam inuocatione sacri nominis consecretentur substantia illic est panis & vini, post verba autē, Christi corpus. *Eusebius emissenus hom. 5. de Pasca.*

Inuisibilis sacerdos, visibiles creaturas in substantia corporis & sanguinis sui, verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens, Accipite &c. Ergo sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia pœnitentiæ in spiritualibus sacramentis verbi præcipit virtus, & seruit effectus. *Ibidem.*

Quid agis Moses? Sanguis ouis rationabilem hominem liberare consueuit? Valde, inquit: non eo quod sanguis est sed quia dominici sanguinis per eum demonstratur exemplum. Nam sicut regnantium statuæ, quæ sine causa sunt atque sermone, nonnunquam ad se confugientibus hominibus anima, atque rationibus decoratis subuenire consueuerunt: Non quia sunt ære confectæ, sed quia retinent imaginem principalem: Ita & sanguis ille qui irrationabilis fuit, animos habentes homines liberauit, non quia sanguis fuit, sed quia huius sanguinis ostendebat aduentum. *Chrisostomus hom. 3. ad Neophytos*

: Videte quemadmodū sponsam sibi Christus coniunxit, videte quo nos cibo satietatis enutrit. Ipse nobis cibi substantia est & nutrimentum. Nam sicut mulier affectione natura cogente, genitum alere sui lactis fœcunditate festinat: Sic & Christus quos ipse regenerat, suo sanguine semper enutrit. *Ibidem.*

Sicut qui præclara veste vestitus est, fugit omnē rem sordidam ne forte coinquinet eam, & perdat gratiam cādoris eius: Sic qui suscipit Deum in corde suo & spiritu suo sollicitus esse debet, ne fortè contaminet eum, sciens quia si

contaminatus fuerit in nobis, ipse quidem in sua natura incontaminabilis manet, tamen contaminationis suæ iniuriam grauiter nostro vindicabit interitu. *chrisostomus hom. 14. operis imperfecti.*

Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat, Nam si qui regiã purpuram coinquinant, haud secus quam qui scindunt puniuntur: quid mirum si qui immunda conscientia, Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clauis cruci affixerunt. *Idem hom. 45. in. Ioan.*

Parentes sæpenumerò liberos aliis alendos transmittũt. Ego, ait Christus, de sacrorum participatione mysteriorũ, non ita sed mea vos alo carne, meipsum vobis appono, bonam ita vobis de futuris expectationem spemque præbens, qui in hac vobis me vita trado, multo magis in futura, frater esse vester dignatus, & quam propter vos carnem communicaui & sanguinẽ, ita cognatus vester effectus, ea rursum vobis vicissim hic exhibeo. *Ibidem & hom. 61. ad pop.*

Ex cibis quidẽ sanguis in nobis enascens, non à cibo statim hoc efficitur, sed potius aliud quiddam: Hic autẽ sanguis Christi misticus non ita, sed quam primum ac repente animam irrigat, eamque vi quadam magna imbuit, nutrit iugiter, eiusque nobilitatem langueſcere aut tabescere non permittit. *Ibidem & hom. 61. ad pop. Anthioch.*

Nemo sit Iudas in mensa: hoc sacrificium cibus spiritalis est. Nam sicut corporalis cibus cum ventrem inuenerit aduersis humoribus occupatum, & amplius lædit, magis nocet, & nullum præstat auxilium: ita & iste spiritalis cibus, si aliquem repererit malignitate pollutum, magis eum perdet, non sua natura sed accipientis vitio. *Idem sermone de proditione Iudæ.*

Centum sexaginta octo horas habente hebdomada, vnam & solam horam sibi ipsi segregauit Deus, & hanc in opera secularia, & in ridicula, & in conuenticula insumis: cum qua postea fiducia ad misteria accedes? Num si stercus manibus haberes, auderes appropiare fimbriæ regis? Num vides panem, nun vinum? Num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit. Ne sic cogites. Quemadmodum enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia. *Idem sermone de Eucharistia.*

Præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Etenim si puer regius purpura & diademate ornatus tibi se rendus tradereur, nonne omnibus humi abiectis, eum susciperes? Verum nunc cum non regium hominis puerum, sed vnigenitum Dei filium accipias, dic queso, non horrescis, & omnem secularium rerum amorem abiicis, & eo te solo ornatum reddis, sed adhuc humum aspicis, pecuniæ incumbis, terræ deditus es, & quamnam veniam consequeris, quam excusationem? *Idem hom. 24. in 1. Cor.*

Non sicut in veteri lege partem quidem sacerdos comedebat, partem populus, & non licebat populo eorum esse participem, quorum particeps erat sacerdos: sed nunc non sic: vnum enim omnibus corpus proponitur, & poculum vnum, cuncta vobis & nobis paria, bonorum etiam principalia. Non enim nos abundantius, & vos minus de sacra mensa participamus, sed æque illam vtique & pariter degustamus. Nec verò si ego primus, ergo magni aliquid fuerit, cum & apud pueros senior primus in conuiuio manũ mittat. Nihil tamen huic prærogatiuæ. omnia nobis paria, eadem salus, eadem vita, cum eodem vtrinque honore datur. Non de alio ego, alio vos, sed de eodem agno participamus. Eumdem vtique baptismum habemus, eodem spiritu dignati sumus, Christi ex æquo fratres: ad idem regnum luctamur & properamus, breuiter omnia nobis sunt communia. Vbi ergo est in quo vos excellam, vobis dissimilis? In curis scilicet ac laboribus, sollicitudine ac dolore, quo vestri gratia premor. At nihil hoc dolore suauius. Nam & mater pro filio dolens, dolore delectatur, sollicita gaudet. Cura in se amara licet sit, pro liberis impensa voluptatis multum habet. *Idem hom. quarta in. 2. Thessa.*

Non est audaciæ sæpius accedere ad dominicam mensam, sed indigne accedere, etiamsi semel tantum quispiã toto vitæ tempore accedat. At nos adeo stolidi, adeo insensati sumus, vt cum innumera per totum annum scelera perpetramus, nihil ea curemus exuere: cæterũ satis esse arbitramur, si non assidue præsumamus atque contumelioſe Christi corpus attingere: neque intelligimus miseri, quod hi qui cruci Christum affixerũt, semel tantum id fecerunt. Non igitur quia semel crucifixerunt, minus id circo delictum est, & qui Christum prodidit, semel tantum prodidit:

nunquid ergo hoc illum supplicio eripuit. *Idem hom. quinta in 1. Timoth.*

Tu cum carnalem cibum sumpturus accedis, os antea ac faciem lauas: cũ verò ad spiritualem mensam accessurus es, animam lauare dissimulas, atque immũditia plenus accedis. Sed non sufficiunt, inquies, quadragesimæ sanctæ ieiunia sordem illam nostrorum diluere peccatorum. Et quænam obsecro vtilitas est, cum quis voluerit vnguenta deponere, si prius emundet locum, deinde cum parum aliquid odoris iniecerit, etiam stercus adiiciat? Nonne fragrantia illa omnis abscedit? ita profecto & nobis contingit. *Ibidem.*

Plurimi ex hoc sacrificio semel accipiunt in toto anno, alij bis, alij sæpius. Quos ergo magis acceptamus? Eosne qui semel, an illos qui sæpius, an illos qui raro accipiũt? neque illos qui semel, neque qui sæpius, neque qui rarò: sed eos qui cum munda conscientia, qui cum mundo corde, cum vita irreprehensibili, isti semper accedant. Qui verò tales non sunt, neque semel. Quid ita? quia iudicium sibi accipunt. Et ne mireris. Sicut enim cibus naturaliter nutritorius existens, si in eum qui prauis cibis corruptus est, incidat, omnia perdit & corrumpit & efficitur occasio morbi: sic etiam ista quæ ad hæc terribilia pertinent sacramenta. frueris mensa spirituali, mensa regali, & iterum polluis cœno os tuum? perungis vnguento pretioso, & iterum fœtoribus illud imples? Dic mihi, rogo, cum demum annuo reuoluto tempore cõmunices, quadraginta dies putas tibi sufficere ad mundationem peccatorẽ totius temporis? & iterum septimana transeunte tradis teipsum sordibus primis? Dic enim mihi, si saluus factus quadraginta diebus ab ægritudine longa, iterum te illis morbificatoribus cibis tradas, nonne & primum laborem perdes? Si enim naturalia sic mutantur, quanto amplius voluntaria? Vt puta naturaliter videmus, sanos habemus oculos secundum naturam: sed aliquando ex mala quadam affectione læditur noster obtutus. Si igitur naturalia mutantur, quanto amplius quæ ad voluntatem pertinent? Quadraginta tantũ dies tribuis saluti animæ tuæ: arbitror autẽ quia neq; quadraginta dies, & speras propitiari deũ? Iocarisne dic quæso? hæc dicens põ ab vna in anno perceptiõe

vos veto, sed volo sempervos accedere: sanctis hæc cõcessa sunt. Hoc etiã diaconus insonat in illa hora, sanctos vocans & per hanc vocem veluti maculas insipiens. Sicut enim in grege vbi multę quidẽ sanę sunt pecudes, multę autẽ scabie plenæ sunt, necesse est vt hæ prohibeantur á sanis: sicetiã in Ecclesia, quoniam aliæ sunt sanæ pecudes, aliæ autẽ vitiatæ: per hanc vocem prohibentur hæ ab illis, penetrans vbique per vocem illam tremendam, sacerdos sanctos vocans & attrahens. Vox enim illa in auditum irruens nostrum, alios quidem expellit, alios autem introducit. Dic enim rogo, in Olympicis certaminibus nõne stabat preco, & magnum atque altum clamans, & dicens: Si quis hunc accusat, ne forte seruus est, ne forte fur, ne forte malignorum morum, quamuis certamina illa non sunt animæ, neque morum sed fortitudinis corporalis. Si itaque illic fit inquisitio voluntatis, quantomagis hic vbi certamen totum gerit anima? Stat enim hic preco, non quidem dicens, si quis hunc accusat, sed si quis seipsum accusat, si quis non est sanctus, non accedat. Non simpliciter dicit à peccatis mundus, sed sanctus. Sanctum enim non mundatio peccati tantum facit, sed etiam præsentia spiritus, & bonorum operum opulentia Non enim inquit, volo vos à cœno mundos esse, sed etiam albos esse & pulchros. Si enim rex Babylonius ex captiuitate honestos iuuenes forma, & decoros facie elegit: multo amplius & nos astantes mensæ regali honestos specie animæ esse oportet, ornatum habentes aureum, stolam mundam, calceamenta regalia, vultum animæ formosum, oportet eam ornatu aureo circundatam esse, cingulum veritatis habere. Talis accedat, & calicem tangat regalem. Si autem quis pannis est sordidis obsitus, & illuuie plenus, & ingredi mensam regalem voluerit, attende quanta patietur, non sufficientibus quadraginta diebus mundare illum, ab his quæ in toto tempore deliquit. *Idem ho. 17. ad Hebræos.*

Vt alimentum natura alendi vim habens, si in eum qui male concoquit, incidat, omnia destruit atque corrumpit, & morbi occasionem præbet: Ita sanc & horrenda illa mysteria. *Idem hom. de non contemnenda Dei Ecclesia.*

Pascha mecum in votis facere habebatis cum essem absens. nemo prohibet vos hodie mecum facere pascha. Sed forsitan dicetis. Nunquid duo pascha facturi sumus? Non,

sed vnum, & ipsum multipliciter. Sicut enim semper Sol exoritur, & non dicimus multos soles, sed est sol quotidie oriens: sic & pascha semper consummatur, & cum semper celebretur, vnum est solennitatis vestræ. Iudæorum similes non sumus, non seruimus loco, nec subditi sumus necessitati temporis Dominica voce firmati, *Quotiescunque*, inquit, *manducaueritis panem istum, &c. Idem hom. de reditu eius Constantinopolim ex Asia.*

Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris: quod angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos vnimur & facti sumus vnum Christi corpus & vna caro. Quis pastor oues proprio pascit cruore. Et quid dico pastor? Matres multæ sunt quæ post partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus: Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat. *Idem hom. sexagesima ad pop. Antioch.*

Siue quis dux militiæ sit, siue præfectus, siue princeps diademate coronatus: indigne autem accedat, prohibe, maiorem illo potestatem habes. Tu verò si tibi quidem aquæ fons traditus fuisset purus gregi custodiendus, & pecudem multum ore fimum habentem vidisses, deorsum inclinari non permisisses, & fluentem turbare: Nunc verò non aquæ sed sanguinis, & spiritus fontem habens creditum, & cœno fœdius habentes peccatum videns accedentes, non indignaris, nec arces, & quam consequeris veniam? *Ibid.*

Quomodo Christi assistes tribunali, sceleſtis manibus & labiis ipsum corpus impetens? Et fœtēte quidem ore tuo regem osculari non eligeres: regem verò cœli fœtente anima deoscularis? Factum hoc est contumelia. Dic mihi immundisne manibus ad sacrificium eligeres accedere? Non vt ipse puto sed nec omnino malis accedere, quam manibus illotis. Ita in paruo quidem es tam reuerens, sordidam autem habens animam, accedis & audes tangere? Quid verò non cernis vasa tantum vndique tersa, sic refulgentia? His nobis animas oportet esse puriores, his sanctiores & splendidiores. Quare vero tandē quoniā illa propter nos talia fiunt, illa non eius qui ineſt partem capiunt, nec sentiunt: nos autem certè: sed nunc sordida quidem vt vasa nō eligeres, anima verò sordida accedis. *Ibid. hom. 61.*

Sicut ad mensam veniente Domino, seruos qui Dominum offenderunt adesse non oportet, sed procul arcentur: & hic dum profertur sacrificium, & Christus immolatur, & ouis Dominica: cum audieris, oremus omnes communiter: cum vela videris retrahi, tunc supernè cœlum aperiri cogita, & Angelos descendere. Sicut itaque prophanorum fas est adesse neminem, ita nec vllum sacrorum quidem ac sordidorum. Dic mihi, si quis in conuiuiũ vocatus, manus ablueret, & recumberet, & mensæ paratus adesset, postmodum nihil gustaret, num afficit contumelia vocantẽ? Nónne melius huiuscemodi nec venisset? Ita scilicet & tu venisti, cecinisti Deo laudem, cum omnibus es confessus de dignis esse, cum indignis non secedendo: quomodo mansisti, neque participas de mensa? *Ibidem.*

Sicut cibus cum sit nutritiuus, si à crudo sumatur, omnia perdit & corrumpit, & fit morbi causa: ita scilicet & horrenda mysteria. Mensa spiritali frueris, mensa regia, & rursum luto contaminas, vngis vnguento, & fœtore rursum imples. Dic mihi quæso, post annum communionem sumens, quadragintane dies ad totius temporis peccatorum purificationem tibi satis esse putas? & hebdomade lapsa rursum ad priora reuerteris. Dic enim mihi, si post longam ægritudinem quadraginta dies valens, rursus temetipsum illis cibis morbum inducentibus traderes, nónne pristinum amisisses laborem? Nam si naturalia transferuntur, multomagis quæ in voluntate consistũt. Naturaliter enim videmus, & sanos habemus oculos per naturam, sed frequenter ex habitudine mala, visiua virtus nostra læditur: itaque si naturalia transeunt, multomagis voluntaria. *Ibidem.*

Si rex Babylonius ex captiuitate deligens adolescentes pulchros specie, & decoros aspectu sumpsit: multomagis & nos sanctæ mensæ assistentes regiæ, species pulchros esse decet, aureum animæ mundum habentes, vestem puram, calceamenta regia, decorum animæ multum, aureum ipsius ornatum, esse indutos cingulum veritatis: talis accedat & regios tangat calices. *Ibidem.*

Sicut si quis disrumpat regiam purpuram siue luto contaminet, ex æquo contumelia regem qui eam induerit

affecerit: Ita & qui peremerunt corpus Domini, & qui impuro animo id acceperunt ludibrio habent regium indumentum. *Idem hom. de non contemnenda Dei Ecclesia.*

Si regem quis non inconsiderate acciperet: quid dico regẽ, imo ne regiũ quidem vestimẽtum immundis manibus tangeret, quamuis & solo loco solus esset. Atqui nihil aliud vestimẽtum est quam vermium filum. Quod si tincturam admiraris, etiã ipsa mortui piscis sanguis est. Verum id nemo immundis manibus auderet tractare. Quonam igitur pacto omniũ Domini corpus purum & immaculatũ quod diuinæ illius naturæ particeps est, propter quod & sumus & viuimus, propter quod portæ inferi fractæ sunt, & cœlorum apertæ tanta cum ignominia accipiemus? *Idem hom. 24. in 1. Cor.*

Singuli accipiunt Christũ Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis. Sed quomodo impossibile videatur vt caro verbi Dei quæ multo spiritualior & potẽtior est verbo nostro, sit tota & integra in ore omniũ sumentiũ: cum verbum nostrũ idémq; totum integrum sit in auribus omniũ audientium? Quod enim euidentius Christus in seipso manifestans in cœna corpus & sanguinẽ suum discipulis suis distribuit, & cum in se à singulis sumptus comederetur & biberetur in Sacramento, ipse tamen viuus & integer mansit in seipso. Sed quid mirũ si Christus comeditur, & integer manet cum Sareptanea vidua nõ minus oleum comederit, quia testante sacra historia, lechytus olei non est imminutus, cum eadem scriptura dicat: Abiit & fecit iuxta verbum Eliæ, & comedit ipsa & domus eius. *Ambrosius Dominica quinta post Epyphaniam.*

Vt panis hic terrestris facit, imbecillitatẽ carnis nostræ sustinens & conseruans: Ita & ipse per Spiritum sanctum, spiritum nostrum viuificat, & corpus ipsum à corruptione liberat. *Cyrillus Alexand. lib. 3. in Ioan. cap. 34.*

Quamuis naturaliter aqua frigida sit, aduẽtu tamen ignis suæ frigiditatis oblita, æstuat. Hoc sane modo nos quamuis propter naturam carnis corruptibiles simus, participatione tamen vitæ ab imbecillitate nostra reuocati, ad proprietatem illius ad vitam reformamur. *Cyrillus Alexand. lib. 4. in Ioan. cap. 14.*

Sicut Iudas cui buccellam tradidit Dominus, nō malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se diabolo prebuit: Sic indignè quisque sumens Dominicum sacramentum, non efficit vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accepit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat illis quibus dicebat Apostolus, Qui enim manducabit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. *Augustinus lib. 5. de Baptismo.*

Sicut siquis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit alteram cum altera per totum commisceat necesse est: Ita siquis carnem & sanguinem Domini recepit, cum Christo ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. *Cyrillus Alexand. lib. 4. in Ioan. cap. 17.*

Si verbum Dei viuens est & efficax, & omnia quæcúmque voluit Dominus, fecit: Si dixit fiat lux & facta est, fiat firmamentum & factum est. Si verbo Dei cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Si cœlum & terra, aqua ignis & aër & omnis ornatus eorum verbo Domini perfecta sunt, & homo ipse vbique diuulgatum animal. Si volens ipse Deus verbum factus est homo & ex purissimis & illibatissimis sanguinibus, in seipso sine semine carnem sustentauit, non potest panem corpus suum facere, & vinum & aquam sanguinem? Dixit in principio, producat terra herbam virentem & vsque nunc pluuia facta producit germina, diuino coadiuta & vigorata præcepto. Dixit Deus, hoc est corpus meum, & hic est meus sanguis, hoc facite in meam commemorationem, & omnipotēti eius præcepto donec veniat, efficitur. Et quemadmodum omnia quæcunque fecit Deus, Spiritu sancto operante fecit: Sic nunc Spiritussancti operatione, hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides. Quomodo fiet istud, dicit sancta virgo, quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel Archangelus, Spiritussanctus superueniet in te. Et nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi? Respondeo tibi & ego. Spiritussanctus obumbrat, & hæc operatur super sermonem & intelligentiam, panis autem & vinum transsumuntur. Nouit enim Deus humanam infirmitatem: quod complura vsu non trita auersetur, molestè ferens. Assueto igitur condescensu vsus, per consueta naturæ ea facit quæ sunt supra naturam. Et quemadmodum

modum in Baptismate, quia consuetudo hominibus est, aqua lauari, & oleo vngi, coniunxit oleo & aquæ gratiam Spiritus sancti, & fecit illud lauacrum regenerationis. Hūc in modum quia mos hominibus est panem manducare, & vinum & aquam bibere, coniunxit his ipsis suam diuinitatem, & fecit hæc suum corpus & sanguinem, vt per assueta & quæ sunt, secundum naturam, in his quæ sunt super naturam collocemur. Corpus enim secundum veritatem cōiunctum est diuinitati, quod ex S. Maria virgine opus est, non quod ipsum corpus assumptum de cœlo descenderit, sed quod ipse panis & vinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei. *Damascenus lib. 4. de fide cap. 14.*

Si fortè esum panis esuriētibus apponeremus, nō ex toto peruenirent ad singulos, quia particulatim & minutatim portionē suā vnusquisque præsumeret. De hoc vero pane cum assumitur nihil minus habent singuli quam vniuersi. Totum vnus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt: quia benedictio huius sacramēti scit distribui: nescit distributione consumi. *Cæsar. arelatensis ho. 5. de pascha.*

Sicut quicunque ad fidem veniens ante verba Baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti: his verò commemoratis mox exuitur omni fece peccati: ita quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponūtur, antequam inuocatione sancti nominis consecrentur, substantia illic est panis & vini: post verba autem Christi corpus & sanguis Christi. Quid autem mirū est si ea quæ verbo potuit creare, possit verbo creata conuertere? Imo iam minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius mutare valeat. *Ibidem.*

Vere ignorat quantum boni in celebrandis missis agitur, qui de Ecclesia festinus egreditur. Cum tamen istos tales si aut rex aut aliqua potens persona vocasset ad prandium, velim scire si præsumerent discedere, nisi prius totum prādium compleretur, etiamsi persona non teneret, gula tenerentur. Quare de conuiuio hominis, nisi per expeditū fuerit, non discedimus: nisi quia & ventrem forte plus quam expedit, implere volumus, & hominē lędere formidamus. Quare de spiritali & diuino conuiuio cito discedimus, timeo discedere, ne forte aliqui irascantur, sed tamen tam

propter meum quam propter vestrum periculum dicturus sum. Hoc ideo facimus, quia nec de cibo animæ curamus, nec Dominum timemus nec hominem reueremur. *Ibid.*

Quomodo si figulus mihi daret vas fictile, ante fornacē crudum & infirmum, post fornacem vero redderet coctum & firmum & humanæ vtilitati commodum, quam vtilitatem habere non posset, nisi prius coctum esset. Sic corpus Christi ante passionem quale erat datum est discipulis passibile, quod per passionem transiturum erat ad impassibilitatem. Nec vnquam profuisset ad salutem infirmitas illa passibilis corporis, nisi subsecuta fuisset gloriatio impassibilis & immortalis. Quomodo enim posset mihi dicere, figulus, vas quod tibi do ante ignem inutile & infirmum, hoc statim reddam post ignem vtile & robustum: Ita Dominus signanter dixit. Hoc corpus quod pro vobis tradetur accipite, & subsequenter adiunxit, hoc facite. *Ino beluacensis tractatu, vtrum in cœna datum sit corpus passibile.*

Quemadmodum peregrè proficiscens pignus amoris sui quē diligit derelinquit, vt quotiescunq; illud viderit, possit eius beneficia & amicitias memorare, quem ille si perfecte diligit sine ingenti desiderio, non potest videre, vel fletur: Ita Dominus passurus in cordibus nostris suæ passionis memoriam cōmendauit perseuerantem. Si in lintheū imo nec in vas sordidum quis illud mittere audet, quanto magis in cor & corpus pollutū? Nam & ille iustus ideo sindone mūda inuolutum in sepulchro nouo corpus Domini sepeliuit præfigurans corpus Domini accepturos, tam mundam mē tem habere debere, quam nouam. *Beda serm. de cœna Domini.*

Inuenietis puerum pannis inuolutum. Videte veritas ne offendat aut perturbet obtutum vestræ fidei, veritatem reuerendi corporis sub aliis rerum formis intuentis. Sicut enim materia quibusdam assumentis pannorum inuoluit infantem: Sic mater gratia dispensatoriis speciebus rerum eiusdem sacri corporis nobis obtigit veritatem. Sic etiam mater sapientia ænigmatibus & figuris arcanam diuini verbi cōtegit maiestatem, quatenus & ibi simplicitas fidei, & hic exercitium studij meritum sibi cumulet ad salutem. *Cæsarius abbas sermone 5. de Natiuitate Domini.*

Sine sanguinis effusione non fit remissio. In veteri quidem lege corpus extrinsecus mundabatur: corporalis quippè erat

mundatio. In nouo verò quia spiritalis est mundatio, non simpliciter aspersus sed velut fons emanans in animabus nostris (sciunt quæ dicuntur qui imbuti sunt) & in illis quidem superficiem aspergebat, & iterum abluebatur aspersus. Non enim cruentatus semper deambulabat. In anima verò non ita est, sed ipsi essentiæ commiscetur sanguis fortem illam faciens & mundam & ad illam inenarrabilem pulchritudinem perducens. *Chrysostomus hom. 16, in epist. ad Hebræos.*

Quemadmodum vox illa qua dictum est. *Crescite & multiplicamini & replete terram*, semel quidem dicta est, semper autem fit, operi nostræ naturæ vim prebens ad generandum: Ita hæc quoque vox, *Hoc est corpus meum*, semel dicta in singulis ex eo tempore vsque in præsentem diem, & vsque ad Christi aduentum, hoc Sacramétum integrè perficit. *Idem hom. de prodstione Iudæ.*

Est sacramentum hoc tanquam cellarium quoddam omnium aromatum, in se continens pretiositatem & virtutem. In ipsum qui ingrediuntur, refocillantur ab omni fatigatione, nec deficiunt, donec præsentis vitæ terminus finiatur. Est etiam mysterium hoc, quasi ingens arbor virentibus referta foliis, sub quam quicunque fugiunt laborantes & peregrinantes, protegũtur in ipsius vmbraculo ab æstu diei, à turbine quoque & pluuia. *Laurentius Iustinianus, de disciplina & perfectione monastica.*

Sicut in mysterio panis Christi corpus accipitur, in mysterio membra populi credentes in Christum intimantur. Et sicut non corporaliter, sed spiritualiter panis ille credentium corpus dicitur: Sic quoque Christi corpus nõ corporaliter, sed spiritualiter necesse est intelligatur. *Bertramus De corp. & sang. Domini.*

Quemadmodum in Eucharistia, vel cœna Dominica panis exterius aspicitur, accipitur atque comeditur corporaliter: Ita interius quod multo preciosius atque excellentius, atque quod diuinum est, non sensibus carnis, sed animi fidelis contuitu aspicitur, accipitur, atque fide comeditur. *Ibidem.*

Vt in cœna Domini vinũ quidem substantialiter conspicitur, quod labiis gustatum sapit, & vinũ redolet: Sic in anima liquor sanguinis Christi credentium mentibus, & sapit

dum gustatur, agnoscitur dũ conspicitur, & probatur dum adoratur. *Ibid.*

Consideremus fontem sacri Baptismatis, qui fons vitæ non immeritò nuncupatur, quia descendẽtes in se melioris vitæ nouitate reformat, & de peccato mortuis viuẽtes iustitiæ donat. Num secundum quod aquæ cõspicitur esse elementum, istam potentiam obtinet? attamen nisi sanctificationis virtutem obtineret, labem vitiorũ nequaquam diluere posset, & nisi vigorem vitę contineret, nullo modo mortuis vitam præstare valeret: mortuis autem non carne, sed anima. In eo tamen fonte si cõsideretur solummodo, quod corporeus aspicit sensus, elemẽtum fluidum conspicitur, corruptioni subiectũ, nec nisi corpora lauandi potentiam obtinere: Sed accessit S. Spiritus per sacerdotis cõsecrationem virtus, & efficax facta est non solùm corpora, verumetiam animas diluere, & spirituales sordes spirituali potẽtia dimouere. Ecce in vno eodémq; elemẽto duo videmus inesse sibi resistentia: id est, corruptioni subiacens incorruptionem præstare, & vitam non habens vitam contribuere. Cognoscitur ergo in isto fonte, & inesse quod corporis sensus attingat, & idcirco mutabile atque corruptibile: & rursus inesse quod fides sola conspiciat; & ideo nec corrũpi posse, nec vitã discrimen accipere. Si requiras quod superficietenus lauat, elementum est: si verò perpendas quod interius purgat, virtus vitalis est, virtꝰ sanctificationis, virtus immortalitatis. Igitur in proprietate humor corruptibilis, in mysterio verò virtus sanabilis. Sic itaq; corpus christi & sanguis superficietenus considerata, creatura est mutabilitati corruptelæq; subiecta. Si mysterij verò perpẽdis virtutẽ, vita est, participantib. se tribuens immortalitatem. Non ergo sunt idem quod cernuntur & quod creduntur. Secundũ enim quod cernuntur, corpus pascunt corruptibile ipsa corruptibilia: secundum verò quod creduntur, animas pascunt in æternum victuras, ipsa immortalia. *Ibid.*

EXCOMMVNICATIO.

SIcut priuatus homo regiam sibi ipsi purpuram circumponens, vna cum omnibus qui se iuuant, punitur vt tyrannus: Ita & qui dominicam fert sententiã, & hominẽ facit

anathema Ecclesię, abducit seipsum in extremam pernicię, vsurpando dignitatem filij Dei. *Chrysost. serm. de anathemate.*

Nemo contemnat vincula Ecclesiastica. Non enim est homo qui ligat, sed Christus qui nobis hanc potestatē dedit, & dominos fecit tanti honoris. Non tamen contingat quenquam eorum qui in Ecclesia sunt, ad necessitatē horū vinculorum venire. Sicut enim bonum est non delinquere: ita correptionē ferre vtile est. Toleremus itaq; increpationē, & festinemus quidem nō peccare: si autē peccauerimus, toleremus correptionem. Sicut enim bonum est non vulnerari, si autem contingat, medicamentum imponere vulneri necessariū est: Sic & hîc, sed non contingat quenquam egere talibus medicamentis. *Idem ho. 4. ad Hebræos.*

Veluti pastores dum oues scabie oppletas à sanis segregant, vt misero morbo leuatæ, denuò tutò ad sanas reuertantur, potiusquàm ægrotæ gregē vniuersum suo illo morbo inficiant: Sic verbi diuini precones manifestissimis peccatis infectos, à congregatione fideliū seperant, vt resipiscentes denuò recipiantur. *Idem hom. de Dauid & Saule.*

Pax vera tunc præstatur, cū quod tabo vel sanie corruptū est, abscinditur atque proiicitur, quādo factiosa & improba pars repellitur, vel omnino destruitur: sic certè cœlis terra coniungi potest. Nam & medicus hoc modo reliquū corpus cōseruat facilè, si quod reduci ad sanitatē nequit, cæciderit atq; abiecerit: & militiæ dux ad soluendam militum conspirationē, alterum in alterū concitat: Sic illius quoque tempore turrim factam videmus, quando pernicioſa illa pax, per probatam discrepantiam dissoluta, trāquillam atque laudabilem reddidit. Sic Paulus qui contra se conspirabant, diuidebat. *Idem hom. 36 in Matthæum.*

Patres filios delinquentes frequenter ex ædibus exigūt, & à mensa submouent: non vt semper illinc exulent, sed vt hac correptione redditi meliores, cū debita laude in paternum redeant contubernium. Idem sanè faciūt & pastores, dum oues scabie oppletas, à sanis segregāt, vt misero morbo leuatæ, denuò tutò ad sanas reuertantur, potius quàm ægrotæ, gregem vniuersum suo illo morbo impleant. *Idem homil. 3. Periculosum esse adire spectacula.*

Mala bestia est peccatum, non quidem in cōserua corpora malum proferens, sed in ipsam Domini gloriā effundēs

malitiam. Propter vos, inquit, nomen meum conuiciis afficitur inter gentes. Eóque peccatorem tanquã è sacra patria abegit Propheta, & vltra fines ac pomœria submouet. Atq; vti musicus optimus è cithara bene modulata chordã dissonã resecat, ne reliquarũ vocum harmonia vitietur: Sic & peritus artis medicus, membrum putrefactum amputat, ne hæc lues ad cætera membra sana transiliat. Eundem ad modum Propheta fecit, dum veluti chordam dissonam, ac veluti membrum ægrũ, ab vniuerso creaturę corpore resecat. *Idem homil. 4. cum presbyter esset designatus.*

Nollemus quidé tanquã à proprij corporis iũctura præcidi: sed quando tabescẽs vulneris putredo pestifera plus habet in abscissione solaminis, quàm in remissione medicaminis, inuenta est causa salubrior, ne per cuncta mẽbra pestilens irrepat virus, vt cõpendioso dolore natum decedat vulnus. *Augustin. Contra Cresconiũ grammaticum lib. 4. cap. 4.*

Imperitus est medicus, qui tumẽtes vulnerũ sinus, manu parcẽte contrectat, & multis recessibus viscerũ, virus incẽsum, dũ seruat, exaggerat. Aperiẽdũ vulnus est, & secãdum & putredinibus amputatis, medela fortiore curandũ: vociferetur & clamet licet, & cõqueratur æger, impatiẽs per dolorem, gratias aget postmodũ, cum senserit sanitatẽ. Sic oportet Dei sacerdotẽ non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus prouidere. *Cypr. serm. 5. De lapsis.*

Nescitis quòd modicum fermentum totam massam corrumpit? Ita peccatum vnius, quod cognitum non arguitur, multos contaminat, imò omnes qui norunt, & non deuitãt, aut, cum possint arguere, dissimulant: non enim sibi videtur peccare, quando à nullo corripitur aut vitatur. *Ambros. in 1. ad Corint cap. 5.*

Ecce autem crimina si ipsis criminibus cõfiteri nolẽtibus vndecunque claruerint, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento sanata, velut igne quodam piæ increpationis vrenda sunt & curanda. Quod si nec sic quidẽ æquanimiter sustinentis, ac piè increpantis medela profecerit in eis qui diu portati & salubriter obiurgati corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debeat ferro excõmunicationis abscindi, ne sicut caro morbis emortua si abscissa non fuerit, saluté reliquæ carnis, putredinis suæ contagione corrumpit: Ita isti qui emendari despiciunt, &

in suo morbo persistunt, si moribus deprauatis in sanctorũ societate permanserint, eos exemplo suæ perditionis inficiant. *Prosper, lib. 2. de vita contemplatiua, cap. 7.*

EXEMPLVM, SIMILITVDO.

CVm proferuntur exempla, non per omnia similitudinẽ seruare possunt rei illius cui præbere putantur exemplum, sed vnius alicuius partis, pro qua videntur assumpta, similitudinem tenent. Verbi gratia, vt cum in euangelio dicitur: Simile est regnum cœlorum fermento, quod abscondit mulier in farinæ mensuris tribus. Nunquid putamus regnum cœlorum sic per omnia simile esse fermento, vt & substantia illa palpabilis sit ac fragilis, vt acida fieri possit & corrupta? an ad hoc solùm exemplum istud videtur assumptum, vt ostenderetur ex parua prædicatione verbi Dei, humanas mentes fidei fermento posse coalescere? Similiter & cum dicitur: Simile est regnum cœlorum reti misso in mare, quod ex omni genere piscium attrahit: & in hoc nunquid putandum est, quòd naturæ lini quo rete aptatur, ac nodis quibus maculæ nectuntur, regni cœlorum substantia per omnia conferatur? An ad hoc solùm videtur assumpta comparatio, vt ostenderet, quia sicut rete de profundo maris pisces adducit ad littus, ita de profundo huius seculi errore, humanæ animæ regni cœlorum prędicatione liberantur? Ex quibus constat, exempla non in omnibus his quorum exempla sunt, esse similia. Alioquin si eadem essent similia, iam non dicerentur, sed ipsæ potius res de quibus agitur, viderentur. *D. Cyprianus. in Symb. Apostol.*

Quemadmodum in imaginibus ac statuis, similitudines non omni ex parte respondent iis ad quæ conferuntur, sed in plano quidem ligno, vt exempli causa loquamur, cera depicta imago, superficie tantùm cum colore similitudinẽ habet, verùm non seruat depressiones atque eminentias, sed harum rerum significationes tantùm. In fingendis verò statuis, similitudinem quæ est secundum eminentiam ac depressionem, seruare conatur ars, in colore verò nequa-

quam. Quòd si cerea fiat effigies, conatur quidem vtramque seruare similitudinem, nimirum & iuxta colorem, & iuxta depressiones ac prominentias, cæterùm in profunditate nõ est imago. Similiter mihi cogita de similitudinibus quæ sunt in Euangelio: regnum cœlorum dum simile dicitur rei cuipiam, simile dici non secundum omnia quæ adsunt illi, ad quod confertur similitudo, sed ad quædam dũtaxat, quæ conducunt ad assumptam rationem. *Origenes, in Math. cap. 2.*

Per se semper sibi diuina sufficiunt, sed ob hoc hominibus humanis frequenter insinuantur exemplis, quia cœlestis prouidentia non quid ipsa dicere, sed quid auditor capere possit, attendit. Sic fons per tenues venarum primitus erumpit meatus, atque angustis sensim serpit in riuulis, donec digno successu, in totam se fluuiorum latitudinem prorumpat & valenter effundat. Et vt vobis de nobis loquar: nato paruulo, mox, coæuum præparat succum natura, escã commutat in potum. & stupentes adhuc fauces, torpentesque internorum meatus, ad vsum solidioris cibi, longa lactis infusione componit: Sic nos Dominus ad capienda diuina vernaculis erigit, & informat exemplis. *Petrus Chrysol. serm. 39.*

Si dicta vel facta Christi, passim carnalib⁹ sensibus subiicerentur, torpesceret animus, mens vacaret, dormiret ingenium, cor tabesceret, extingueretur quicquid humani vigoris est & caloris. *Proposuit*, inquit, *illis parabolam.* Sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro, ipse tamen ignis ferri ac lapidis collisione flammatur: Sic obscurum verbum, verbi ac sensus collatione resplendet. *Idem, serm. 96. de parabola Zizaniorum.*

Sicut facultas aliqua liberalis regulis suis vtitur, quibus multa in compendium redigat, vt rudes & impoliti sensus facilius capiant, & certius teneant: Sic diuina doctrina pro regulis quasdam assumit parabolas, sententiarum multiplicatione grauidas ac fœcũdas, quibus auditores suos persuadeat, dociles reddat & capaces, quatenus ex paucis multa, ex breuibus prolixa excitari valeant & inueniri, & commentari, *Volcuinus Abbas, Hom. in Euangelium Zizaniorum.*

SIcut cœli luminaria ac sydera, in firmamẽto cœli à Deo collocata, cũctis indesinenter quæ sub cœlo sunt fulgẽt, atque omnibus quæ super terram sunt, per tempora, ac tẽpora per generationes & generationes mirabiliter relucent, alia quidem per noctem, vt luna & stellæ, alia nihilominus per diem, vt solis speciosissimi radij: Sic & sanctorũ virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones, omnibus in perpetuo singulariter fulgent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole pietatis exemplum ostendunt. Quod autem syderibus atque luminaribus comparentur omnes sancti, demonstrat Apostolus dicens: Stella differt a stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum, proculdubio sanctorum. Sed & angelus ad Danielem, Tunc iusti effulgebunt vt luminaria cœli, & tanquam sol, & luna & tanquam stellæ in secula. Sic itaque effulgent atque emicant omnes sancti, non solum in tempore restitutionis, sed & nunc in tempore præsentis seculi. Alius fide fulget vt Abraham, alius castitate, vt Ioseph. Alius nihilominus mansuetudine, vt homo Dei Moses. Item verò alius constantia, atque tolerantia vehementium dolorum, vt admirabilis Iob. *Origenes, lib. 1. in Iob.*

Sicut quando aliquis peccat sub conscientia ac destructione plurimorum, de pluribus incurrit reatum, & quantum per vnius membri vitium serpit latè diffusum reliqua per membra contagium, tantum in auctorem suum multiplicis mali, recurrit augmentum, & quantos destruxerit, de tantis sibi materiam damnationis congregabit, commisso enim pessimo opere contristantur boni, subuertuntur mali, vtinam nõ etiam boni. Nimis enim penetrabile telum est imitatio deteriorum. Ita autem è contrario, quãdo quisque de ecclesiæ filiis aliquod bonum profitetur in publicum, crescit deuotio meritorum corda mirantium, ac de tantis acquiruntur bonorum operum fructus, quantorum velut balsami snauitate condiuntur affectus. *Eusebius Emissenus, Hom. de initio quadrages.*

Quemadmodum pictores cum imaginem ex imagine pingunt exemplar identidem respectantes, lineamenta eius transferre conantur magno studio ad suum opificium;

ita qui ſeſe meditatur omnibus numeris virtutis abſolutũ reddere, veluti ſymulachra quædam ſpirantia & actuoſa, ſanctorum vitas reſpicere oportet, probáque opera illorũ ſua imitando facere. *Baſil. epiſt.* 1.

Non in ſolis hominibus videmus ſimilium imitationem ſed in brutis. Nam & columbæ ſæpe viſa vna auolante, ſtatim ſequũtur omnes Et pullus generoſus in equorũ armẽto exiliens ſecum rapit omne armentum. Et inter vos vt in armento Chriſti, bonus eſt pullus Ioſeph continentiſſimus cœleſtibus exultationibus ad ſui imitationem nos conſeruos vocans. *Chriſoſt. ſer. de continentia Ioſeph.*

Athletam in certamen impellit erecta victori ſtatua. Armigerũ in prælium prouocat decreta fortibus gloria: Chriſtianos autem confirmant in patientia, eorum qui ſtrenuè certarunt preconia. *Idem ſer. in beatos Iob & Abraham.*

Imitatores mei eſtote ſicut, &c. 1. *Cor.* 4. Videamus quomodo ipſe imitatus eſt Chriſtum. Imitatio ipſa non eget temporibus, non arte, ſed ſola voluntate. In pictoris quidem domum ingreſſi, non poterimus imaginem imitari quamuis frequentius eam inſpiciamus: hunc autem ſolo auditu imitari vobis licebit. *Idem, Hom.* 13 *in* 1. *Cor.*

Quemadmodum qui laborant ab oculis, ſi ſpongias ac veſtigium cyaneo colore pannos tenentes frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullũ capiunt morbi leuamẽ: Sic ſi hominis clementiſſimi & humaniſſimi imaginem præ oculis habeas, & in hunc aſſiduè oculos defigas, etiãſi milies abundet ira, mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar reſpiciens, perfectam conſequeris ſanitatem, purámque animi Philoſophiam ac tranquillitatẽ. *Idem, Hom.* 2. *Periculoſum eſſe adire ſpectacula.*

Quomodo in theatralibus ſcenis, vnus atque idem hiſtrio, nunc Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem: Ita & nos (qui ſi de mundo non eſſemus, odiremur à mundo) tot habemus perſonarum ſimilitudines, quot peccata. *Hieron. ad Marcellam.*

Sicut pauperes cum theſauros ſuos aſpiciunt ſuam paupertatem amplius agnoſcunt Ita magnificas patrum vitas relegens, mẽtem ſuam amplius humiliat. *Climachus de diſcretione gradu.* 26.

Vt zeuxis picturus Iunonem, Agrigentinis omnibus virginibus inſpectis, quinque præcipuas elegit, ex quib⁹ quod eſſet in vnaquaque præcipuum, imitaretur: Ita è plurimis optimi nobis ad exemplum vitæ, proponendi ſunt. *Ibidem.*

In facie plus offendit næuus aut verrucula, quàm in reliquo corpore grandes maculæ aut cicatrices: Sic exigua delicta, magna videntur in principe, cuius vita in conſpicuo eſt. *Plutarchus, in Moral.*

Olim ediſcebant nomina digitorum, iiſque aduerſus terrores veluti remedio vtebantur, ſingulis lentè recitatis: Sic aduerſus omnes animi perturbationes, exempla quædam optimorum virorum habenda ſunt in promptu. *Ibidem.*

Erungiũ herbã ſi vni capræ in os inſeras, cùm ipſa ſiſtitur, tũ oẽs conſiſtunt, donec paſtor herbã eximat: Ita principis mores mira vi in populum transfunduntur. *Ibidem.*

Vt qui ſe comunt, adhibent ſpeculum: Sic geſturus negocium proponit ſibi laudatorum virorum exempla. *Ibidem.*

EXERCITATIO.

PVtei qui exhauriuntur, emittunt aquam magis perſpicuam, corrumpuntur autem hi, quorum nullus eſt particeps. Ferrum quoque vſus ſeruat purius, vſus autem defectus, ei generat rubiginem: Sic exercitatio ſalubrem habitum ingenerat & ſpiritibus & corporibus. *Clemens Alexand. lib. 1. ſtromatum.*

Qui nauali prælio dimicaturi ſunt, antè in portu & in tranquillo mari flectunt gubernacula, remos trahunt, ferreas manus & vncos præparant: diſpoſitúmque per tabulata militem, pendente gradu, & labente veſtigio ſtare firmiter conſueſcunt, vt quod in ſimulachro pugnæ didicerint, in vero certamine non perhorreſcant: Ita & ego qui diu tacui (ſilere quippe me fecit, cui meus ſermo ſuppliciũ eſt) prius exerceri cupio in paruo opere, & veluti quandam rubiginem linguæ abſtergere, vt venire poſſim ad latiorem hiſtoriam. *Hieron. in vita Malchi monachi.*

Cato ingeniũ hominis dicebat ferro eſſe ſimile, quod ex vſu ſplendeſcit: at in ocio rubigine obducitur, & exeditur. Exercẽdũ ſemper ingeniũ: ocia enim feraſciſ. vitiorũ ſeminariũ. Sed honeſto aliquo & pulchro opere, velut eruditio-

ne & virtute. Nam flagitiosis aut turpibus exercere, hoc verò non exercere est, sed corrumpere. *Franciscus patritius, libr. 1. de repub.*

Quemadmodum quæ in vsu sunt, & manum quotidie, tactumque patiuntur, nunquam periculum situs adeunt. Illa quæ ad oculos non reuocantur, sed extra conuersationem vt superuacua iacuerunt, sordes ipsa colligunt vetustate: Ita quicquid frequens cogitatio exercet ac renouat memoriæ nunquam subducitur, quæ nihil perdit, nisi ad quæ sæpe non respexit. *Seneca libr. 3. de beneficiis.*

Vita humana propriè vti ferrum est: ferrum si exerceas, conteritur, si non exerceas, tamen rubigo interficit: Item homines exercendo videmus conteri, si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti adfert, quã exercitatio. *Gellius lib. 11.*

Quam expeditissima quãque efficax sedulitas pariter ac labor existat, cõpluribus in reb⁹ facile, si aduerteris, discès. Aquarum guttæ lapides cauant: ferrum & æs manuum tactibus obteruntur. Carpentorum rotæ summis inflexæ viribus, haud vllo pacto pristinam reparare rectitudinem possunt. Curuatas histrionum virgas nullo dirigere modo licet. Estne quispiam infœcundus & supra modum asperior ager? At cultus statim generos edidit fructus. Quænã arbores sunt, quæ datæ neglectui, non simul & tortæ pullulent, & steriles perstent? quum eædem rectum assecutæ patrocinium fructuosæ sint & magnopere fertiles. Quæ corporis fortitudo non obtunditur, & propter incuriam mollitiem, ac malam habitudinem, nõ perit? quæ autem imbecilla adeò natura, quæ per exercitationes atq; certamina ad maximas non augeatur vires? Qui verò equi à primis bene domiti annis, suis non obsequuntur sessoribus? qui autem indomiti perstiterunt, nonne ceruice duri, & animo feroces euaserunt? *Plutarchus de liberis educandis.*

EXORCISMVS.

Vt rude infectumque aurum vel adulteratum, multisque aliis commixtum mineris, vti cum ære, stanno, ferro plumbo, si cupimus aurum tantum habere, non poterit illud sine igne à diuersis à se metallis purgari: Sic absq; ex

orciſmis anima progredi non potetit. Diuini enim ſunt ex diuiniſque ſcripturis collecti. *Cyrillus Ieroſolimitanus præfationis cathecheſeon.*

Quemadmodum aurifabri per quædam ſubtilia inſtrumenta, ſufflantes ventulum igni, & aurum in fornace cōflantes, excitāteſque propoſitam flammam, id quod quærunt reperiunt: Sic cum exorciſtæ per ſpiritum ſanctum incutiunt timorem, & in corpore tanquam in fornace, animā accendunt, fugit tunc inimicus dæmon, adeſt autem ſalus & ſpes vitæ æternæ aſſiſtit, denique anima repurgata ſalutem conſequitur. *Ibidem.*

FAMA.

QVemadmodum noctu lux ex igne claritatem lucens, maioré oſtentat eo, qui pariter interdiu apparet, propter ea quod noctu profunda obſcuritas circumfuſa, eius auget ſplendorem. Interdiu verò quaſi certamine tenui ac debiliſſimæ luci cum valentiſſimo ſolis fulgore ſuſcepto obſcurari magis minorem claritatem oportet. Sic etiam tenuis notæ bonum, ſi per contentionem cum malis ex aminari contingat, fit vt optimum maximum excellentiſſimum eſſe videatur, quemadmodū tenebris profundis parua aliqua ſcintilla, aut obſcuriſſima nocte minima lux ſplendorem clarè oſtentat: At ſi ei cum ſuis ſimilibus bonis curſum contentionemque proponas, tunc optimè diſpicies id quod vere eſt optimum, cum ſi aliter feceris ordinem prorſus perturbes atque confundas. *Tyrius platonicus ſermon. 14.*

Quid improbius, quàm infamiam non vereri? quam qui non vereatur, hic (quòd longiſſimè diſceſſit à fortitudine) impudentiſſimus ſit, neceſſe eſt. Nihil autem tam eſſe poteſt alienum ab eo viro quem iure omnes non ſolum probant, verumetiam admirantur (cuius etiam proprium eſt, agendis honeſtis decus aſſequi) quàm impudentia atque improbitas: quæ labes totius eſt honeſtatis. Quotus etiam pater eſt, qui filio grauius ægrotāti, aut manum in acie cum hoſte conſerenti, non timeat etiam quàm graviſſimè? Quod quidem humani atque amantis patris eſt, non imbecilli & fracti hominis. Quis rogo niſi impuriſſi-

mus, idemque abiectissimus, filiarum atque vxoris pudicitiam securus neglexerit, de qua probatissimus quisque maximè solet esse solicitus? *Iouianus pontanus de fortitudine lib. 2. cap. 5.*

Vt vmbra aliquando antecedit aliquando sequitur: Sic quibusdam statim contigit fama, quibusdam post mortē: deniq; ea quo longius sequitur, hoc maior esse solet. *Seneca.*

Studiosi discipuli, quicquid præceptor dicit aut facit, laudare solent, ac imitari. Tibi verò sunt negligenda omnia, quæ temerè dicunt: amplectenda, quæ rationibus probantur. *Lucianus in epistola ad Philopatrem.*

Deliacum nauigium, dum subinde sarcitur, & reconcinnatur, veluti perpetuum in multa secula redditur. Sic famæ semper aliquid adiiciendum, ne collabatur. *Plutarchus in Moralibus.*

Ignis semel accensus facilè seruatur, extinctus haud facilè reaccenditur: Ita famam tueri facilè est, extinctam nō facilè est restituere. *Idem.*

FESTVS DIES.

NObis quoque sabbata extranea sunt & neomenia & feriæ aliquando dilectæ, Saturnalia & Ianuariæ & brumæ & matronales frequentantur, munera cōtinuant, strenæ consonant, lusus, conuiuia perstrepunt. O melior fides nationum in suam sectam, quæ nullam solennitatem Christianorum sibi vendicat, non dominicum diem, non Pentecosten, etiamsi nossent, nobiscum communicassent, timerent enim ne Christiani nominarentur, nos ne ethnici nominemur, non veremur. Si quid & carni indulgendum est, habes non dicam tuos dies tantum sed & plures. Nam ethnicis semel annuus dies festus est. *Tertullianus lib. de idola.*

Sane & Iudæus festiuitatem peragit, verum secundum literam, peragit & festiuitatem gentilis, sed vt placeat dæmonibus: nos autem vt omnia sint spiritalia, opera, motus, consilia, sermo, ad incessum vsque & amictum, quin & ad nutum tenus, ita vt ratio in omnibus dominetur, & homo secundum Deum dirigatur. *Nazianzenus oratione habita in præsentia Gregorij patris.*

Legimus hominem qui ligna collegerat in die Sabbati, oblatum Moſi, iuſſu Domini lapidibus obrutum. Alio itē loco narratur grauiter peccaſſe eos qui contra mandatum Domini profecti fuerant ad colligendum manna in die Sabbati. Quantò ergo magis putandum eſt eos grauiſſimē peccare, qui negotiationibus, ſpectaculis, ludis, aleæ, tripudiis, ſaltationibus, & choreis incumbunt, qui comeſſationibus, colloquiis prauis & impudicis cantilenis diem feſtum conſpurcant? *Iſidorus clarius oratione. 31. tomo primo.*

FIDELITAS.

REpromiſſio nequiſſima multos perdidit dirigentes, & commouit illos quaſi fluctus maris. *Eccli. 29.*

Promiſſorum ſuorum nobis chirographum fecit, non debendo, ſed promittendo debitorem ſe fecit Deus, id eſt, non mutuò accipiendo. Non poſſumus ergo ei dicere, Redde quod accepiſti: quoniam quis prior dedit illi, & tribuetur ei? Non poſſumus dicere, Redde quod accepiſti: ſed, Redde quod promiſiſti. Inde eſt quod audemus dicere: Adueniat regnum tuum. Promiſit patribus: ſed cautionem fecit, quam legeremus & nos. *Auguſtinus De verbis Domini ſecundum Lucam ſerm. 13.*

Si is, qui in hac terreſtri militia regi ſuo fidem ſeruat in aliquo egregio facinore, ſi poſtea vixerit, acceptior fit & charior: ſi perierit, ſummam conſequitur gloriam, quòd pro duce ſuo mortem occuberit: Quanto magis imperatori omnium Deo fides ſeruanda eſt, qui non tantùm viuentibus, ſed & mortuis poteſt præmium virtutis exoluere? *Lactantius Lib. 5. cap. 15. de iuſtitia.*

Vt locus in mari ſine portu nauibus eſſe non poteſt tutus: Sic animus ſine fide ſtabilis amicis non poteſt eſſe in iis rebus, quæ ſub eandem rationem cadunt. *Cicero Lib. 1. de Inuentio.*

Quemadmodū luna à ſole, ac ſidera ſtellæque omnes lumen accipiunt: Sic omnes etiam virtutes fulgent à fide, ſi ſanctè colatur. ſine ea enim omnes regum virtutes obſcuriores fiūt. *Franciſcus patritius De inſtitutio. regis lib. 1. cap. 20.*

Quemadmodū cupreſſus arbor ſublimi compoſitoq; in eonū vertice, procul egregiū quiddā polliceri videtur: ac

vix vlla sterilior est: Tales sunt illi, qui splendida ac magnifica oratione aureos pollicentur montes, nil tamen horum prestant quicquam. Hac similitudine irrisit Phocio Leosthenem. *Plutarchus in Grecorum Apophth.*

Sapientia moro arbori comparatur, quæ dicitur prouerbialiter sapientissima arborum. nam vltima flores producit, prima verò vel in primis fructus: Ita non est diu antea ostentandum, quid possimus, vel velimus: tardè promittendum, & maturè tunc præstandum. *Gulielmus peraldus In summa virtutum.*

FIDES, FIDELIS.

SI frater aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis, illis: Ite in pace, calefacimini, & saturamini: non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa *Iacob* 2.

Sicut corpus sine spiritu mortuũ est: ita & fides sine operibus mortua est. *Ibidem.*

Sicut is qui acceperit sub se milites, etiamsi ipse inferior & illi superiores sint viribus, tamen dicit huic vade, & vadit, & alij veni, & venit, & alij fac hoc, & facit. Hoc autẽ potest, non propria virtute, sed Cæsaris metu: Ita & fidelis quisque dæmonibus imperat, etiamsi videantur illi multò esse hominibus fortiores, non propter suam virtutem, sed propter Dei, qui eos subiecit potestati. Nam & quod diximus, vt Cæsar apud omnes milites, & in omnibus castris, atque in omni regno timeatur, cum sit vnus & fortasse exiguis viribus, non nisi potestate Dei agitur qui timorem dat omnibus, vt vni optemperent. *Clemens lib. 4. recognitio.*

Quemadmodum sine literis, fidelem posse esse dicimus: ita quæ in fide dicuntur, posse intelligere eum qui non didicit, confitemur. *Clemens Alexand. lib. 1 stromat.*

Vt absque elementis non licet viuere: ita nec absque fide licet assequi cognitionem. *Idem lib. 2.*

Quemadmodum qui in mari ab anchora stabiliuntur, trahunt anchoram, non autem ad se, attrahunt, sed seipsos ad anchoram: Ita qui per vitam quæ proficiscitur à cognitione,

gnitione, deum attrahunt, imprudentes, & inadueten-tes, seipsos ad Deum adducunt. *Idem lib. 4.*

Sicut homo cum impleuerit amphoras bono vino, & inter illas paucas semiplenas, & posuit, & venit vt tentet & gustet amphoras, non tentat plenas. Scit enim quia bonæ sunt, semiplenas autem gustat, sint ne acidæ factæ. Citò enim semiplenæ acescunt: Sic et qui pleni sunt in fide, resistunt Diabolo, & fugit ab eis quia non habet locum intrandi, sed in semiplenas intrat, & quæque vult, facit illis, & fiunt famuli eius. *Hermas seu Pastor.*

Si tibi vir grauis & laudabilis aliquid pollicereturr, haberes vtique pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque actibus scires, Nunc Deus tecum loquitur, tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedenti, immortalitatẽ pollicetur atque æternitatem, & tu dubitas? Hoc est Deum omninò non nosse, hoc est Christum credentiũ magistrũ, peccato infidelitatis offendere, hoc est in ecclesia constitutum fidem in domo fidei nõ habere. *Idem serm. de mortalitate.*

Episcopus sacer tẽplum consecrans, pueros confirmans, non consecratur his ipsis tẽporibus in episcopum, imò nisi ante esset consecratus episcopus, nullum istorum quicquã valeret, essentq; puerilia, stulta & ludicra: Ita Christianus per fidem suã consecratus, bona facit opera: sed nõ per hæc magis sacer aut Christian⁹ efficitur: hoc enim soli⁹ fideiest imò nisi ante crederẽt, nihil prorsus valerẽt omnia opera, essentq; verè impia & damnabilia peccata. *Cyprianus, de zelo & liuore.*

Sicut nauem quis nõ ingreditur, & liquido ac profundo vitam cõmittit elemento, nisi se credat prius saluari? Nec agricola semina sulcis obruit, & pro frugibus spargit in terram, nisi crediderit venturos imbres, affuturũ quoq; solis tẽporem, quibus terra cõfossa, segete quoq; multiplicata, frugem producat, & ventis spirantibus inebriet. Sic nihil est quod in vita geri potest, nisi credulitas ante præcesserit. Et sicut matrimonia contrahũtur, quia creditur successura posteritas. Et pueri discendis artibus traduntur, quia magistrorũ in discipulos transfundenda creditur disciplina. Imperij quoque insignia vnus susçipit, cũ credit sibi vrbes populos ac armatum exercitum parituros. Quod si hæc fun-

gula nisi prius crediderit futura, nullus aggreditur, quomodo non multomagis ad agnitionem Dei credendo veniatur. *Idem in symbolum Apost.*

Sicut sol nisi vibrauerit super faciē terræ, nullus ex fructibus eius crescit, neque adolescit, neque matureſcit. Similiter nisi per fidem veritas refulserit in animabus hominum, nunquam erunt acceptabiles coram Deo, absque fidei lumine. *Origenes lib. in Iob.*

Et sicut nihil est delectabile hominibus sine luce: Ita nihil est delectabile neque acceptum Deo absque fidei lumine. *Ibidem.*

Quemadmodum in rebus corporalibus, nec agricolatio per se sufficit ad conuehendos fructus nisi cœlum quod terræ circūfunditur, opituletur: imo potius nisi opituletur is qui cœlum gubernat, faciens id qualecunque vult, neq; cœlum vel potius ille penes quem est rerum prouidentia, fecerit vt exoriantur è terra ea quæ solēt exoriri sine agricultura. Semel enim hoc fecit in hoc quod dixit, Producat terra herbam graminis, seminans semen iuxta genus & similitudiné: Sic neque virtutum operationes absque fide illorum qui sanantur, perfectum opus præstet ad sanitatē conferendam, neque fides qualiscunque fuerit absque diuina virtute. *Ibidem.*

Omnis enim iustitia eius similis est humano corpori caput non habenti, in quo tametsi membra omnia, & locis suis constent & figura, & habitudine, inde quoniam deest, id quod est omniū principale, & vita & omni sensu caret. Itaq; membra illa formā tantummodo membrorū habent vsum non habent, tā scilicet quàm caput sine corpore, cui similis est, qui cum Deū non ignoret, viuit iniustē. Id enim solum habet quod est summum sed frustrà, quoniam virtutibus tanquàm mēbris caret. Itaque vt sit viuum ac cōsibile corpus, & agnitio Dei necessaria est, quasi caput, & omnes virtutes quasi corpus. Ita fiet homo perfectus ac viuus, sed tantum summa omnis in capite est, quod quamuis constare non possit sine omnibus, sine quibusdam tamen potest. Et erit quoddam vitiosum ac debile sed non viuet. Sicut & is qui deū nouit, & in aliqua re peccat. Dat enim veniam peccatis Deus. Itaque sine membris aliquibus viui potest, sine capite nullo modo. *Lactantius lib. 6. cap. 9*

Vt quædam medicamẽtorum genera sunt ita comparata, vt non in singulis tantum ægritudinibus vtilia sint, sed omnibus in commune medicantur, habentque in se virtutem generalis auxilij: Ita & fides catholica non aduersus singulas tantum pestes, sed contra omnes morbos opẽ medelæ impertit non infirmanda genere, non vincẽda numero, non diuersitate fallenda, sed vna atque eadem aduersus singula omniaque consistit. *Hilarius libr. de Trinitate.*

Sed fortè dices: fidelis sum, non me apprehendet cõcupiscentia, etiamsi aliquid cõcupiuero obscurius. An ignoras quod etiam in petra quandoque radix agitur, & sæpe manet? Ne suscipias semen, quoniam perdet tuam fidem: priusquam floreat, radicitus erue malum: ne si ab initio neglexeris, postea nequicquam incidas, & ignem magis excites. Lippitudinem incœptantem tempestiuè cura, ne cum excæcatus fueris, tum demum frustra medicum quæras. *Cyrillus Hierosolymit. catheches. 2.*

Magnũ quiddam est vir fidelis, omniq; diuite ditior. Fidelis enim viri est vniuersus mundus diuitiarum, qui possit contemnere ipsas, & conculcare. Nam qui ad apparentiam diuites sunt, multaque possident, in anima pauperes sunt. Quantò plura enim congregant, tanto magis eorum, quæ desunt concupiscentia tabescunt. Fidelis autem vir, quod est maximè paradoxõ, in paupertate diues est. Sciens enim quod tantum habere necesse est, quibus tegamur & vescamur, & his contentus spernit diuitias. *Idem catechesi. quinta.*

Neq; verò apud nos tantũ, qui sic appellamur, magnum quid fides est: verũ etia omnium quæcunque in mundo gerũtur, & quæ ab his, qui sunt extra ecclesiam peraguntur, in fidẽ consistunt. Fide sunt leges nuptiales, quæ diuersos in idẽ copulant & homo alienus, per eã quæ est in contracti b^a spõsalitiis fidẽ, corporũ & pecuniarũ particeps efficitur. Fide etiã cõsistit agricultura, nisi enim crederet vsũ fructũ se percepturũ, nõ sustineret eos labores. Fideles & hi qui nauigãt in mari, exiguo em̃ ligno credẽtes, instabilẽ fluctuũ agitationẽ seuissimi eleméti, pro terra cõmutãt, & incertæ spei sese exponũt, & oĩ ancora tutiorẽ circũferũ fidẽ. Per fidẽ itaq; pleraq; oĩa cõsistũt humana negotia, idq; nõ tantum apud nos sic creditur, verumetiam apud eos qui sunt extra. Quamuis enim non recipiant scripturas, sed suas

quasdam proferant ordinationes, fide etiam illa recipiuntur, Quomodo continebit puella, & iuuenis sibi temperabit, si non crediderit immarcessibilem esse castitatis coronā? *Ibidem.*

Quemadmodum semen sinapis in paruo grano multos continet ramos: Sic & fides in paucis verbis omnē tam veteris quā noui testamenti pietatis cognitionē inuoluit. *Ibi.*

Fides religionis catholicæ, lumen est animæ, ostium vitæ fundamentum salutis æternæ. Quicunque hac derelicta, velut pessimum ducem proprium sequitur intellectum, sic facit quomodo si absque fundamento ædificet domū, aut si prætermisso ostio velit introire per tectum, vel si nocte sine lumine inferat gressum, totum se clausis oculis vrgeat in profundum. *Eusebius Emissinus hom. 2. de symbolo.*

Sicuti pusillus seipsum curare vel ornare non nouit, sed flens duntaxat oculos in matrem conuertit, donec misericordia motā excipiat illum: ita fideles animæ soli domino perpetuò fidunt, omnem illi tribuentes iustitiam, quia sicut sine vite palmes arescit: eodem etiam modo qui citra Christum vult iustificari. *Macarius hom. 31.*

Perinde atq; in illis quæ oculis conspicua sunt, potior visa est experientia quam rationis redditio: ita & in super excellentibus fidei nostræ dogmatis, potior est fides quarūvis ratiocinationum complexione. *Basil. epist. 43.*

Nil fide nostra iniustius esset, si in sapientes solum caderet, & eos qui sermonibus & logicis præstant demonstrationibus, opoteret enim vt multi hanc, non secus ac aurum & argentum, necnon alia quæ apud multos rerum infernarum studiosos censentur preciosa, pertingere possent, Deo placeret & esset acceptum, quod verò propinquius foret, & à multis consequi valeret, despiciendum esset & vile, si quidem nec hominibus modestis accideret ne pro viribus expeterent honores, sed solum gauderent his quæ antea haberent. *Gregor. Nazianz. de modestia in disputationibus.*

Vt in creaturis primaria dona non aliquorum nostri sunt sed omnium, & vnius creaturæ communis est gratia: Ita & in fide, quæ saluant non eorum tantum sunt qui magis possunt, sed & eorum qui volunt. *Ibidem.*

Quemadmodum nullum opus sine fide est approbatum

quomodo multi gloriæ gratia ei quod honestum est dant operam, aut etiam instinctu naturæ aliquid boni agunt: ita & fides sine operibus est mortua. Ne quis vos decipiat in anibus verbis ex his qui promptè omnia concedût propter vnum, nempe vt impiè agatur in dogmatis, & mali operis mala persoluatur merces. Ostendite igitur ex operibus fidem, religionis vestræ fertilitatem, num in vanum laborauerimus? Num manipuli vestri vim habeant ad faciendam farinam? & digni sunt vt reponantur? quò promptius vos excolamus, quisnam fructum faciat centenarium, quis sexagenarium, quis demum vel tricenarium, aut rursus nû quis ex tricenario ad sexagenariû excrescat? Si quidem ordinem hunc in euangelio habemus, qui in centenarium desinat, vt progrediens sicut Isaac magnus fiat, procedens à virtute in virtutem, cãtilenas decantans, ascensionemque in corde reponat. *Idem in oratio. cum reuerteretur ex a. vo.*

Enimuero si vt adamantina & incorruptibilia nobis corpora essent, neque scorpios neque serpentes, neque ignem manibus formidaremus complecti: ita cum animas nostras fide Christus armauit, non est quod timeamus etiam hostium tenentes venena. Nobis enim concessum est ambulare super serpentes & scorpios, & omnem diaboli tyrannidem, multo magis & super teredines, ac scarabeos. Tam procul est ne qua parte nos offendant insidiæ Diabolicæ. *Chrysostomus in Babilam Martyrem.*

Enimuerò sicut plantæ rigatæ magis crescunt: Ita & fides nostra oppugnata magis floret, & seditione agitata incrementa maiora sumit. Neque horti aquis irrigati ita germinant, & fœcundi sunt, vt ecclesiæ si martyrum irrigentur sanguine. *Idem sermone in Iuuentinum & Maximum matyres.*

Estote prudentes vt serpentes. Nam quemadmodum serpens totum seipsum tradit, nec minimum curat, si corpus inciditur, donec caput suum integrum seruet: Eodem tu quoq; modo, præter fidem cætera perdere non cures: profundas vniuersam tuam pecuniam, tradas corpus, vitæ si opus est minime parcas, dum modo fidem serues, quæ caput est & radix, qua seruata, etiamsi omnia perdes, omnia tamen rursus maiore cũ magnificentia recuperabis. *Idẽ ho. 24. in Mat.*

Sicut lucerna non quidem ex oleo accenditur, sed per oleum nutritur: Sic fides non quidem ex opere nascitur, sed per opera nutritur. *Idem hom. 18. operis imperfecti.*

Sicut qui audit quia mel dulce est, nec gustat de illo, nomen quidem mellis cognoscit, gratiam autem eius naturæ ignorat: Sic & quid audit, quia Christus filius Dei est, iustitia autem eius non fuerit vsus, tantummodo nomen Christi cognoscit, gratiam autē naturæ eius ignorat. *Ibidē.*

Sicut domus quæ habet validū fundamētum, si pars aliqua parietis vel tecti ceciderit, ruina eius magna nō erit, quia potest fieri vt itererum reparetur. Si autē fundamentū eius casum fuerit passum, tunc est ruina magna, quia tota venit deorsum, Sic & Christianus, si aut fornicatus fuerit aut adulteratus, aut homicidiū fecerit, cecidit quidem, tamen ruina eius magna non est, quia pœnitentia iterum potest surgere, sicut Dauid. Si autem de fundamento fidei aliquid fuerit passus, id est, si præuaricatus fuerit, & ad gentiles aut hæreticos transierit, tunc est ruina eius magna quia totus funditus ruit. *Ibidem hom. 10.*

Sicut quandiu radix est viua, necesse est vt aut ramos producat, aut folia: si autem non produxerit, sine dubio intelligis, quod radix eius in terra siccata est: Sic quandiu fides cordis intra est, semper germinat confessionem in ore: si autem confessio non fuerit oris, intellige sine dubio, quia fides cordis eius iam ante siccata est. *Ibidē hom. 5.*

Sicut in turri consistentes duo bona consequuntur, & hostium irruptionem ipsi non facile patiūtur, & hostes de terri facile conterunt: Sic & qui in fide Christi consistunt, vel in lege Dei, & dæmones super irruere non sinunt, & spiritualibus bonorum operum sagittis eos facile vulnerant. *Ibidem hom. 40.*

Sicut gallina congregat pullos. Sicut pulli gallinarum pastum suum querentes, per diuersa vagantur, & maternis vocibus congregantur ad ipsam, & iterum simpliciter pascātes dispersguntur, & itērum maternis vocibus congregantur: Sic populus Dei carnalem voluptatem, & mundalem concupiscentiā sequentes, per diuersos sequūtur errores, quos ecclesia mater per sacerdotes modo increpationibus, modo blandimentis, quasi quibusdam vocibus congregare & allectare festinat. *Idem hom. 46.*

Sicut inter duos lapides molares teritur triticum, & separatur à cortice sua, & fit similago mũda: sic fideles in medio desuper quidem vrgente se verbo Dei ad fidem & iustitiam, inde autem verbo impio compellente se adinfidelitaté atque peccatum, conteruntur, & carnalia sua vniuersa deponunt & spirituales effficiuntur. *Idem hom. 50.*

Sicut lucerna nisi subministraueris oleum, extinguetur: Sic verbum fidei nostræ, quod credentes accepimus, nisi assiduis nutriatur doctrinis, aut meditationibus scripturarum extinguitur, & non satis illuminat animam. *Idem homilia 52.*

Venerunt obuiam sponso. Sicut qui obuiam vadit alicui, in via stat & expectat eum quandiu veniat: Ita qui credit in Christum, sic debet in hoc seculo viuere, quasi peregrinus & nõ in suis, sed in transitu positus. Propterea & Iudæi exituri de Ægypto expediti & præcincti agnum iussi sunt mãducare, & ad exeundum parati, ostendentes nobis quomodo quicunque nostri agni Eucharistiam manducant, ita debẽt esse expediti quasi quotidie exituri de mundo. *Ibidem.*

Sicut qui seminandi causa accipiens semen tẽpore seminationis non seminauerit, damnum facit Domino suo, etsi non perdiderit semen, est tamen tantum damnum, quãtum poterat damnũ facere si opportuno tẽpore seminasset: Sic qui accipit fidẽ Christi, & in hoc seculo seminationis non fuerit operatus iustitiam, etsi fidem suam nõ perdiderit, tamen tantum videtur peccasse quantum potuit iustitiam facere, si non neglexisset. *Idem hom. 53.*

Sicut pecunia hæc corporalis quidem, si sit in sacculo inclusa, ipsa est semper sola, si autem fuerit agitata de manu in manũ, vsu ipso multiplicatur, vnde vsura dicitur ab vsu: Sic & fides Christi, siquidem otiosa teneatur in corde, non solum ipsa manet, quæ fuit, sed adhuc minoratur in otio, & torpescit, & segnis efficitur, & paulatim per actus carnales examinata ad nihilum vadit: si autem exercitata fuerit scripturis, & locutionibus assiduis suscitata, operibus bonis viuificata, non solum dico multiplicabitur, sed nũquam desinet crescere, donec viuet homo. *Ibidem.*

Quemadmodum ignis naturam talem esse videmus, vt si quis multas in vnum lampades coegerit, splendidã red-

Quę fides profitetur ſola, ſuccedēs quæſtio neq; oſtēdit, neq; permittit intelligi. Neq; enim ſi qui clauſis oculis quę rat, inuenire quid poterit: ſicut item ſi apertis illis ſeipſum humo obruat, auerſatúrque ſolē ibi inquirat, inuenire aliquid nequaquā poterit. Adeo ſine fide nihil inuenire poteſt eáque abſente pugnas naſci neceſſario cōtingit. *Ibid. ho.* 17.

Sicut in elemētis vniuerſum apex primus, hoc eſt alpha, & fundamentum ædificium totū continet: ſic & vitæ munditiam certa fidei perſuaſio. Sine iſta enim non poteſt eſſe Chriſtianus, ſicut nec ſine fundamento ædificium, nec ſine elementis peritus literarum fieri poteſt. *Idem: hom. nona ad Hebræos.*

Quam ſicut ancoram habemus animæ tutam. Sicut enim ancora iacta de naui, non permittit eam circumferri, licet innumeri venti commoueant, ſed iacta firmam facit: ſic & fides: Non enim dixit fundamentum, quod diſſonaret, ſed ancoram. Quod enim in fluctu marino eſt, & non valde videtur ſupra mare fixum eſſe, ſicut quod ſupra terram ſtat & mouetur & non mouetur. *Ibid. hom. vndecima.*

Eſt lapis quidam, quem Chryſaconion vocant, quo probatur aurum adulterinum & nothū, ſi illi alteratur, oſtēditúrque purum & immixtum, incorrúptúmq; numiſma. Hūc indicem ego fideliſſimorum hominum cor dixerim. Nā vt qui de fide rationes orthodoxorum & aduerſariorum accipiunt, & in gnomone cordis quaſi atterunt & probant, inueniunt fidem orthodoxorum ſinceram & puram, prauámque aliud ſentientium opinionem, & fidem eſſe adulterinam. *Idem ſermone aduerſus hæreticos.*

Sicut granum ſynapi prima fronte, ſpecie ſui eſt parū, vite deſpectum, non ſaporem præſtans, non odorem circūferens, non indicans ſuauitatem. At vbi teri cœperit, ſtatim odorem ſuum acrimonia exhibet, cibum flammei ſaporis exhalat, & tanto feruoris calore ſuccenditur, vt mirum ſit in tam friuolis granis, tantum ignem fuiſſe concluſum. Cuius etiam ſeminis cibum homines hyemis tempore præcipuè, magna pro ſuauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viſcerum interna calefaciant. Sæpe etiam capiti ex hoc adhibent medicinā, vt ſi quid inualidum, ſi quid ægrotum fuerit ſynapis igne curetur: Ita & Chriſtiana fides, prima fronte videtur eſſe parua vilis,

tenuis, non ostendens potentiam suam, at vbi diuersis tentationibus teri cœperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ credulitatis aspirat, & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipsa feruear, & participantem sibi ardere compellat: Granum synapis membrorum viscera calefacit, fidei autem vigor cordium peccata comburit illud quidem asperum algorem frigoris remouet. Hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Synapi iniquos humores corporum decoquit, fides autem libidinum fluenta consumit. Per illud medicina capiti procuratur, per fidem autem spirituale caput nostrum, quod est Christus sæpius reseruetur, fidei iuxta comparationem synapis odore sancto perfruimur. *Ambrosius sermone primo.*

Sicut cum synapi succum sumimus vultum cõtristamur, fronte contrahimur, ad lacrymas promouemur, & ipsam salubritatem corporis nostri, cum quodã fletu austeritatis accipimus. illinc enim nos amaritudo exasperat, acrimonia penetrat, hinc calor ignei saporis accendit, & toto perturbati corpore tũc magis sani efficimur, cum amplius deploramus: Ita & cum fidei Christianæ mãdata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lacrymas promouemur, & ipsam nostram salutem cum quodam fletu ac mœrore consequimur, inde iciunia nos exasperant, illinc peccatorum cõscientia macerat, hinc patrimonij iactura perturbat, & toto contristati habitu, magis salutem consequimur, si amplius defleamus sicut Dominus ait, *Vos plorabitis*, &c. Beati qui lugent. Quod succus synapi in corpore, hoc fides Christiana operatur in anima. *Idem sermone secundo.*

Tale est vt sine vera fide quisque velit Deo per contemptum seculi placere, quale si quisquam tẽdens ad patriam, in qua se scit beatè esse victurum, relinquat itineris rectitudinem, & improuidus sectetur errorem, quo non ad beatam ciuitatem perueniat, sed in precipitium cadat, vbi non gaudium peruenienti datur, sed cadenti interitus inferatur. *Augustinus in prologo de fide ad Petrum.*

Eleganter dictum esse narratur, quod huic rei satis aptè conuenit. Cum quidam ruisset in puteum, vbi aqua tanta erat, vt eũ magis exciperet ne moreretur, quàm suffocaret

ne loqueretur: accessit alius, & eo viso, admirans ait: Quomodo huc cecidisti? At ille: Obsecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes: nō quomodo huc cecidierim quæras: Ita quoniā fatemur, & fide catholica tenemus, de reatu peccati tanquam de puteo, etiam paruuli infantis animā Christi gratia liberandam, satis est ei quòd modum quomodo salua fiat nouimus, si etiam nunquam quomodo in malum illud deuenerit, nouerimus. *Idem lib. secundo de senten. B. Iacobi Apostoli ad Hiero. cap. 1. De eo quod scriptum est: Qui totam legem seruauerit, &c.*

Quemadmodum in ipsis corporibus quæ inferiora sunt, sicut terra & aqua, & ipse aër, meliora fiunt participatione melioris, id est, quum luce illuminantur, & feruore vegetantur: Sic incorporeæ naturæ rationalis ipsius creatoris fiunt participatione meliores, quum ei cohærent purissima & sanctissima claritate. *Idem libro de gratia noui Testamenti.*

Sicut euenire assolet, vt malū medicum expertus, etiam bono timeat se committere: Ita erat valetudo animæ meæ: quæ vtique nisi credendo sanari non poterat, & ne falsa crederet, curari recusabat: resistens manibus tuis, qui medicamenta fidei confeciſti, & sparsisti super morbos orbis terrarum, & tantam illis authoritatem tribuisti. *Idem lib. 6. Confess. capit. 4.*

Infans natus si possit verba loquentis intelligere, cū ipse loqui non possit, nec ambulare, nec aliquid agere, sed sicut eum videmus infirmum, iacentem, indigum opis alienę, tamen modò intelligere possit eum qui sibi loqueretur, & diceret ei: Ecce sicut me vides ambulantem, operanté, loquentem, post paucos annos talis eris: attēdens se & illū, quamuis quod promitteretur, videret, tamen suam considerans infirmitatem, non crederet, & videret tamen quod promittebatur. Nobis autem tanquam infantibus in hac carne atque infirmitate iacentibus, & magnum est quod promittitur, & non videtur, & erigitur fides qua credimus, quod nō videmus, vt mereamur videre, quod credimus. *Idem de verbis Domini secundum Ioan. serm. 64.*

Opinor hominē fideliter Deo credere, fidelem Deo esse, hoc est, fideliter Dei mandata seruare. Sicut enim seruii hominum diuitum, vel procuratores quibus vel supellectilis

vel cellaria creditur; fideles proculdubio dici non queunt, si res traditas deuorarent. Sic profecto etiam Christiani homines fideles non sunt, si bona sibi à Deo assignata corrumperent. *Salmanticenses, lib. 3. de prouidentia.*

Quemadmodum ignis recordatio corpus non calefacit: Sic fides sine charitate non operatur in anima cognitionis illuminationem. *Maximus, lib. de charitate.*

Non animaduertis actiones omnes antecedere fidem? Quis cedo, agricola metere potest, nisi prius semen credat sulcis? Quis mare poterit traiicere, nisi prius semetipsum credat nauis gubernatori? Quis morbis implicitus sanitatem recuperare poterit, nisi semetipsum prius credat medico? Quam artem, quam sciétiam quis discere poterit, nisi prius semetipsum tradiderit & crediderit præceptori? Si igitur agricola credit telluri, nauigaturus naui, infirmus medico, tunc refugies temetipsum credere Deo, à quo tot fidei arrabones recepisti? Primum quidem cum non fores te creauit, &c. *Theophilus Antiochenus, lib. 1. ad Autolycum, item & Damascenus, lib. 4. de fide, cap. 12.*

Sicut arbores suis radicibus innituntur, & ab eis alimenta percipiunt, & iterum rami, folia fructus ornant radicem, & radix inutilis esset, nisi hæc adessent: Ita fides semper ornanda est operibus. Sicut corpus indiget sensibus & membris, scilicet, pedibus manibus, &c. truncus absque his posset viuere, sed non ornatè. Sic fides operibus. Sicut qui picturam vel sutoriam artem perdiscunt, non solum vt earũ rationem teneant, dant operam, sed vt multo manibus suis eas exerceant. Sic moralis philosophia, hoc est euangelica doctrina, non tantum discenda est vt eam sciamus, sed verbis, moribus, & vita exprimamus. *Theodoretus ser. 10. de Grec. affectionum curatione.*

Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum processu, numeros suos euoluant & explicent eadem tamen quæ erant, permanent. Multum interest inter pueritiæ florem, & senectutis maturitatem, sed iidem ipsi fiunt, senes, qui fuerant adolescétes. Vt quamuis vnius eiusdémque hominis status, habitúsque mutetur, vna tamen nihilominus eadémque natura, vna eadémque persona sit. Parua lactantium membra, magna iuuenum eadem ipsa sunt, tamen quot parunlorum artus, tot virorum & si qua

illa sunt, quæ ætui maturioris ætate pariuntur, iam in seminis ratione proserta sunt, vt nihil nouum postea proferatur in senibus, quod non in pueris iam ante latitauerit. Vnde non dubium est hanc esse legitimam & rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem, si eas semper in grandioribus partes ac formas numerus detexat ætatis, quas in paruulis creatoris sapientia præformauerat. Quod si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur, necesse est vt totũ corpus vel intercidat vel prodigiosum fiat, vel certè debilitetur. Ita etiam Christianæ religionis dogma, sequatur has decet profectuum leges, vt annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptũ tamen illibatúmque permaneat. Et vniuersis partium suarum mensuris, cunctísque quasi membris ac sensibus proprijs plenum atque perfectum sit, quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem. Exempli gratia, seruerunt maiores nostri antiquitus in hac ecclesiastica segete triticeæ fidei semina, iniquum valde & incongruum est, vt nos eorum posteri pro germana veritate frumenti subditicium zizaniæ eligamus errorem. Quin potius hoc rectum & cõsequens est, vt primis atque extremis sibimet non discrepãtibus, de incrementis triticeæ institutionis tritici quoque dogmatis frugem demetamus: vt cum aliquid ex illis seminum primordijs accessu temporis euoluatur, & nunc lætetur & excolatur. Nihil tamẽ de germinis proprietate mutetur, addatur licet species, forma distinctio, eadem tamen cuiusque generis natura permaneat. Absit etenim vt rosea illa catholici sensus plantaria, in carduos spináque vertãtur. Absit inquam vt in isto spiritali paradiso, de cynamomi & balsamĩ furculis, lolium repente atque aconita prouenant. *Vincentius Lirinensis aduersus prophanas hæreseon nouitiones.*

Fidem quam credimus & docemus non attramento, sed spiritu, committamus pectori, non chartæ, demus memoriæ, non libro, ne diuinum munus violent res humanæ, ne cœleste secretum arbiter prophanus assumat. Sol lippientibus oculis nõ lucem tribuit, sed tenebras, vinum febrẽtiũ

vires non reparat, sed eneruat: sic perfidis pernicioſum eſt ſine fide fidei ſacramentum. *Petrus Chryſol. ſer. 60.*

Cum autem creuiſſet herba & fructum feciſſet, apparuerunt Zizania. Mat. 13. Quod latet in herba, manifeſtatur in ſpica, & quod celatur in gramine, aperitur in fructu: ſic quos credentes putamus pares, fide diſpares inuenimus: ſic iudicij prodit meſſis, quod eccleſiæ germen occultat: iuxta illud dictum dominicum, ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Flores multi multitudinem fructuum pollicentur, ſed examinati ventorum flabris, ad fructum pauciſſimi perſeuerãt: Sic credentes in Chriſto multi eccleſiæ videntur in pace, vbi autem perſecutionis procella perflauerit, pauci martirij reperiuntur in fructu. *idem. ſer 97.*

In hoc quod innumeroſis tritici granis confici nouimus, vnitatem conſtat aſſignari populorum. Sic enim frumentũ ſolita purgantis ſolicitudine præparatum, in candidam ſpeciem molarum labore perficitur, ac per aquam & ignem in vnius panis ſubſtantiam congregatur. Sic variæ gentes diuerſæque nationes in vnam fidem conuenientes, vnum de ſe Chriſti corpus efficiunt, & Chriſtianus populus quaſi tritici innumerabilia grana à ſacrilegis nationibus fide purgante atque cribrãte diſcernitur, & in vnum quaſi infideliũ ſolio pertranſeunte colligitur, & duorum teſtamentorum inſtructionem velut veſtimentum gemino molarum opere curatum niteſcit, & illam primæ originis dignitatem natiuo candore mutatur, ac per aquam baptiſmi vel per ignem ſpirituſſanĉti æterni illius panis corpus efficitur. Sicut ergo grana ſeparari ab illius confecti panis adunatione non poſſunt: & ſicut aqua ad propriam redire ſubſtantiam in vino permixta non poteſt: Sic & fideles quique atque ſapientes, qui redẽptos Chriſti ſanguine & paſſione cognoſcunt, ita debent quaſi inſeparabili membra capiti ſuo conſeruatione & ardentiſſima religione ſociari. *Cæſarius Arelatenſis, Hom. 5. de Paſcha.*

Quoniam ita natura fieri compertum eſt vt hominũ genus rationis non expers nullam vnquam rem aggrediatur niſi ſuaſione inductum credat ſibi profuturã nõ temere ad noſtra confugientes ac maxime rudiores quando ad verã religionem introducimus, fidei remedium adhibemus. Nã & medico à quibus cauendum, & quibus vtendum conſu-

lenti, nisi quis credat, parum peritia ipsius sibi conferre poterit: nec plus doctor discipulis qui non credunt utilitatem quandam à doctrina se consecuturos, nec philosophiæ sectam vllam quispiam vnquam susciperet nisi antea credidisset commodo sibi futuram: Ita diuersa suasione ac fide ducti, alius Epicureorum attrahitur voluptate, alius Cynicæ vitæ duritiem admiratur, alius Platonem præponit, nonnulli Aristotelem. Sic artes quoque alij alias meliores sibi crediderunt. Itaque videbitis rei militaris ab aliis, ab aliis mercaturæ, aut ædificandi studium esse propositum. Agriculturam alius exercet, ac semen sulcis agrorum commissum, & mortuum reuiuiscere posse non desperat. Cur igitur admirantur, cum sic vniuersa vita hominum duobus his fide & spe gubernetur, si nostra etiam quæ sola animis conducunt multis, fide tantum traduntur, qui ratione altiora consequi non possunt? *Eusebius Cæsariensis, lib. 1. de præparat. Euang. cap. 3.*

Quanto in castis sibique temperantibus fœminis pulchritudo est meretricia præstabilior: tantò fidei nostræ sermones præcellunt ad externorum dogmata collati. *Basilius, Hom. 3. exameron.*

Eodem modo, quo matrimonium dici non potest, vbi mulier viros multos habet, sed hæc aut meretrix, aut adultera nominabitur: à qua enim pudor, castitas, fides abest, virtute careat necesse est: Sic & religio deorum impudica est, & incerta, quia fide caret: quia honor ille instabilis, & incertus caput atque originem non habet. *Lactantius. lib. 4. de vera Sapientia, cap 3.*

Hilaris pupilla lucidè speculatur: Fides est pupilla oculi tui. Quomodo pupilla oculi est subtilissima, nisi impigrè ac sollicitè custodiatur à palpebris, leuissimi ac tenuissimi pulueris tactu confunditur: Sic acies fidei: nisi peruigilem semper habeat custodiam, nihil citius conturbatur. *Drogo hostiensis. lib. de sacra. Dom. passionis.*

Vos, inquit, estis sal terræ. Itaque sicuti sales cum operatur in carne qualibet, corruptelam non admittunt, fœtores auferunt, sordes expurgant, vermes non sinunt generari: Ita & cœlestis gratia ac fides, quæ per Apostolos data est, simili exemplo in nobis operatur. Aufert enim carnalis concupiscentiæ corruptelam, peccatorum sordes expurgat

odorem malæ conuersationis excludit, vermes delictorum non sinit generari, id est, de corpore libidinosas & mortiferas voluptates exurgere, conseruans corpora nostra etiam ab illo immortali verme, qui indefessa pœna peccatores excrutiat. de quo scriptum est: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et sicuti sales à foris quidem apponuntur, intrinsecus verò operantur per virtutem naturæ suæ: Ita & cœlestis gratia exteriora hominis atque interiora perpenetrat, & totum hominem integrum à peccato incorruptúmque conseruat. *Chromatius, in 5. cap. Math.*

Lucerna corporis sensus mentis & fides cordis intelligitur: quæ si in nobis pura & lucida fuerit, sine dubio omne corpus nostrum illuminat. Idcirco autem lucerna in comparatione fidei ponitur, quia sicut lucerna incedentium in nocte gressus illuminat, ne aut in foueas, aut in offendicula quæque ambulantes incurrant: Ita in hac seculi nocte, splendor fidei omnes vitæ nostræ gressus, præeunte lumine veritatis illuminat, ne aut in foueas peccatorum, aut in offendicula diaboli incidamus. *Idem, in cap. Math.*

FIDEI PERSEVERANTIA.

MAnere debet apud nos frater fidei robur immobile, & stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petræ obiacentis fortitudine & mole debet obsistere. *Cyprianus. lib. 1 epist. 3.*

Quemadmodum si princeps aliquis imperatoris videns ciuitatem Romanam ab hostibus expugnari, cum posset liberare eam, & neglexit defendere, ipse videbitur tradidisse, quam potuisset liberare si voluisset: Ita & tu videns veritatem ab impiis expugnari cum eam potuisses defendere, si loqui voluisses, tacés expugnasti, per hoc ipsum quod compassus es expugnari. *Chrysost. Hom. 21. operis imperf.*

Graues viros & semel super petram robustam, solida stabilitate fundatos, non dico aura leui, sed nec vento, nec turbine commoueri, ne animus dubius & incertus variis opinionibus, velut quibusdam ventorum incursantium flatibus, frequenter agitetur à proposito suo, quadam leuitatis reprehensione

reprehensione mutetur. *Cyprianus, lib. 4. epist. 2.*

Fertur coluber cũ vrgetur periculo, caput semper abscõdere, & in orbem se colligens, obiecta reliqua parte corporis, hoc solum tueri: quòd illæsa, feratur membra cætera, saluo capitis vigore, reparare: Hoc & tu moraliter serua caput, hoc seruato mysticè, hoc caput, quod Christus est, seruati humani serpentes, etiamsi omnia membra cædantur, totum vratur corpus incendiis, mergatur profundo, euisceretur à bestiis: hoc tamen capite custodito, vitæ salus integra est. *Ambrosius, ser. 20.*

Cum rex Gensericus ad Arianorum factionem cuius fautor erat, Sebastianum comitem blandis sermonibus allicere tentaret: Huic Sebastianus acutè ita respondit. Queso domine Rex, vt mihi panis mundissimus ac similaceus afferatur. Quem, cum ignorasset Gẽsericus Sebastiani victoriã, afferri iussit. Apprehendẽs itaque Sebastianus mundissimũ panem, ita effatus est. Hic panis vt ad tantum decorẽ splendoris veniisset, & mensæ regiæ necessarius haberetur, discussa spuria furfuris, ex massa similaginis consperſus, per aquam trãsiuit & ignem, idcirco & aspectũ clarus, & suauis habetur. Ita ego mola catholicæ matris commolitus, & cribro examinationis, vt simila munda purgatus, rigatus sum aqua baptismatis, & igne sancti spiritus coctus. Et vt hic panis de furno, ita & ego per officia diuinorum sacramentorum artifice Deo de fonte mundus ascendi. Sed fiat si velis, vt ipse propono. Iste panis confringatur in frusta, madidetur aqua & iterum conspergatur, mittatur in furnũ, si melior exierit, faciam quæ hortaris. Quam propositionem Gensericus cum omnibus qui aderant, cum audisset, ita ligatus est, vt se soluere omnino nõ posset. *Victor Vticensis, lib. 1. de persecutione Vandalorum.*

FILIVS, PROLES.

QVemadmodum corporis animíque forma, habitu, gestu, consiliis, actionibus, prognati, maiores suos referunt: Eodem modo probabile est, in ipso semine principum delineari quandam habilitatem dignam principe. *Philo, de legatione ad Caium.*

Vt regula est humanæ naturæ, vt omnis homo nascatur

duos oculos habens & quinos digitos: aliquando tamen vt manifestentur opera Dei, nascitur homo aut sex digitos habens: Sic & homo extra regulam naturæ rarò procedit, vt dissimilis nascatur filius parentibus. *Chrysost. Hom. 45. in Math.*

Vt scorpius non tantummodo putandus est habere aculeum, cum ferit, sed semper est obseruandus: Ita malis prognati, etiamsi non peccent, tamen venenum habent. *Plutarchus, in Moral.*

FILIVS ADVLTERINVS.

NAsci de adulterio, non eius est culpa qui nascitur, sed illius qui generat. Quomodo in seminibus nō peccat terra quæ fouet, non semen quod in sulcis iacitur, non humor & calor quibus temperata frumenta in germen pullulant: sed (verbi gratia) fur & latro, qui fraude & vi eripit semina: Sic in generatione hominum recipit terra, id est, vulua quod suum est, & receptum confouet, confotum corporat, corporatum in membrà distinguit. *Hieronymus, ad Pammachium.*

FILII DEI.

FIlios genui & exaltaui. Non potest intelligentia de his qui abusiuè & æquiuocè filij dicuntur, vnigenito cōuenire: Quemadmodum enim pixis propriè dicitur vasculū, quod ex buxo factum est: cōmunius verò & abusiuè ab illo appellatur pixis, etiam quod ex plumbo aut ære, aut alia aliqua materia paratum est. Neque igitur sicut hoc, *filios genui*, hoc ipsum est essentialiter. Nam & hic abusiuè à beneuolentia ac honore cognominati sunt. *Epyphanius, hæresi. 73. contra semiarios.*

FORTITVDO.

TV nosti patrem tuum & viros qui cum eo sunt esse fortissimos, & amaro animo, veluti si vīsa raptis catulis in saltu sæuiat & paulo post. Et fortissimus ipse cuius cor est quasi bouis, pauore soluetur. 2. *Reg.* 17.

Crocodilus terribilis est in fugaces, fugax contra insequentē: Ita quidam si concedas ac metuas, tum ferociunt, si strenuè contemnas, & obsistas, statim concedunt. *Plinius.*

Vt palmæ arboris ramus impositō onere, non deflectitur in terram cæterarum more, sed renititur, & vltrò aduersus sarcinæ pondus erigit sese: Ita viri fortis animus, quo plus negotiis premitur, quoque magis sæuit fortuna, hoc est erectior. *Idem, lib. 16. cap. 43.*

Vt qui inambulantes attollunt sese, ac dilatant, fastuosi vocantur, at laudantur qui itidem faciunt in pugilum certamine, aut in pugna, & vocantur fortes & inuicti: Sic & qui in rebus aduersis erigit animum, fortis habetur & insuperabilis. *Plutarchus, in Moral.*

Quoniam generosissimus quisque laudis est, decorisque appetentissimus: quibus vt potiatur, nihil non paratus sit & ferre & perpeti. Ex hoc naturæ atq; animi motu, & quodāmodo impetu, ad laudem ac decus (vt Cicero ait) illa pericula adeuntur in præliis. Nō sentiunt viri fortes in acie vulnera, vel sentiunt, sed mori malunt, quàm tantummodo de dignitatis gradu moueri. Nec verò quocunque in periculo sed vbi aut ex victoria, aut ex morte decus illud senserint se adepturos. Siquidem ignauissimi etiam nautæ, tamen ferendis procellis assueti, non perturbantur marinis tempestatibus. Quorum quidem mors, an quicquam potest habere præclarum? Plebeij quoque homines, & in vmbra educati, corporis cruciatus patiuntur. Iidem gladiorum vibratus, & hosticum tubæ sonum ferre nequeunt. Quocirca fortis vir, quique planè dicendus est vir, ex morte, quæ quidē futura sit multo pulcherrima, decus illud adipisci contendet, cuius est quàm maximè studiosus: quo vt potiatur, difficillima quæque pericula sponte adibit, in quibus peruincendis, aut si hoc minus contigerit, in oppetenda morte, laudem & decus collocatum intelligit. *Iouianus Pontanus de fortitudine, lib. 1. cap. 7.*

FORTVNA.

VEluti si quis cæcus in quempiam incidat, illum cæcum appellat, qui nō vitauerit: Sic nos fortunā facimus cæcā, in quā nostrapte incidimus cæcitate. *Plutarchus. in Moral.*

Vt aliis venti secundi sunt, aliis aduersi: Ita aliis fortuna fauet, aliis aduersatur. *Ibidem.*

In Olympiis non licet vincere, delecto aduersario: Sic in vita quæcunque obtingit fortuna, cum ea luctandum est. *Ibidem.*

Vt os non secatur trama, nisi prius cinere & aceto præmolitũ, nec ebur inflecti potest nisi zutho prius mollefiat: Sic fortuna non potest reddere vulneratos animo, nisi accesserit malitia *Ibidem.*

Vt pumilio, etiam si in monte consistat, pusillus est, Colossus etiam in puteo magnus: Ita sapiens in quacunque fortuna suis bonis magnus est, stultus & in summa fortuna humilis. *Seneca.*

Vt apparatus scenæ, quia commodato datus est, statim redditur, & sine querela Ita quicquid in vita contigit magnificum, siue serius, siue mox à fortuna repetatur. æquo animo reddemus, si his tanquam commodatitiis vtimur. *Idem.*

Vt grando illisa tectis dissultat, magno quidem fragore, verum nulla noxa: Sic insultus fortunæ nihil potest in sapientem. *Idem.*

Similis est fortuna sagittario. Interdum enim in nos iaculans, tanquam in scopum quemdam, interdum in ea quæ nobis adhærent, omnia dirigit, *Maximus apud Stobæum, ser.* 18.

Quemadmodum in paruo humilíque grabato angustè cubare hominem sanum melius est, quàm in amplo lecto cubantem ægrotare: Similiter & in exigua fortuna melius est sese contrahentem feliciter agere, quàm in magna fortuna amplissimísque diuitiis feliciter agere. *Epictetus, apud Stob. ser.* 3. *de Temperantia.*

Fortunæ vita implicata similis est torrenti. Est quippe turbulenta, & limo repleta, ingressu difficilis, violenta, & obstrepera, & momentanea. *Idem, apud Stobæum, ser. de vntute.*

Quemadmodum ineptorum est, secunda fortuna nimiũ efferri: Sic molliũ est, aduersa deiici & terreri. facilis enim est in vtrãque mutatio. *Iosephus, apud Maximum. ser.* 18.

Seu speculum admotum puellæ faciem arguit: Sic improbos homines fortuna. *Euripides, apud Stob.* 88.

Vide prosperitas, Tribulatio.

HOminum oculi egenos intueri solent, cum inopia laborant,& de his ingemiscere: Raptores autem conspectis pauperibus magis sæuiunt. Hominũ oculi non tanquã sua aliena conspicantur, sed sua tanquam aliena: neq; quæ alienis dantur, desyderant, sed sua in alienos effundunt, hi non desistunt, nisi omnium auferant facultates, quippe qui non humanos, sed ferinos habent oculos. Hominum oculi nudum suum corpus videre non patiuntur, suum namque est, licet secundum personam sit alterius. Hi autem nisi omnia populentur, omnia domum conferant, nunquam satiãtur Imo nullo vnquam tempore expleri possunt: & ferinas habent manus, aut feris etiam immaniores. Vrsi lupíque cum ad satietatem ederunt, cibo abstinent. Hi nunquam satiantur. Tu si pecudem fera lacerat, ægrè fers: cum id in proximum tuum facis, nihil te mali facere arbitraris. GEt qua ratione homo es? Humanum enim dicimus hominem humanitatis plenum: crudeliter aliquid & immaniter operantem, inhumanum. Figuram quidem hominis à misericordia, feræ autem ab immanitate describimus, dicentes: Nũquid homo fera vel canis? Horũ certè ora, ferarum ora, vel potius quã ferarũ sæuiora, verba magis venefica, & cædium plus machinantia. Sic inhumanitas ex hominib⁹ qui ei se dedunt, feras facit, feriſque peiores, quod hæ natura tales sunt, hi naturalem mansuetudinem in immanitatem vertunt. Quorum adeò mentem si quis inuestiget, eos iam non feras tantum, sed & dæmones dicat & ducat. Nã dæmones quidem eos modò qui in tentationibus consentiũt exuperant, in eos qui iugum detrectant, nihil insidiando proficientes: Hi verò obnixe repugnantes, eos quibus calũnias struunt, superare contendunt. Dæmones rursum cum hominibus cũ eiusdem generis certant dæmonibus: hi verò consanguineos & familiares perdere conantur, nec eos naturæ pudet. Ideóque Dauid eos ab hominum expellit cõ sanguinitate. Vbinam ergo tales constituemus? Extrinsecus feras, intus dæmonas. *Chryſoſt. Hom. 9. in 1. Cor.*

Dic mihi, si quis adulterium cum muliere clanculum per petraret, alius verò illud viro etiam vidẽte faceret, vter virum, hunc magis contristaret, & maiore molestia mordere

valeret: hic quidem cum hoc quod malũ faceret, simul etiã contẽneret: ille verò si nihil aliud boni, vel hoc tamen ostẽderet, quod virum eum cui iniuriam inferret metueret. Ita & cũ pecuniis. Hic quidẽ occultè auferens, hoc ipso læsum honorat, quod clam aufert: iste verò manifestè & publicè cum damno simul & contemptum infert. Cessemus igitur quę aliorum sunt rapere, tam pauperes quam diuites. *Idem, Hom.* 10. *in* 1. *Thessal.*

Si duo munita diripias, nihilo meliori in loco es, quàm hi qui multa diripiunt: imo vt mirabilis aliquid loquar, illos iniquitate transcendis. Sicut enim quisque siue regis violaret vxorẽ, siue pauperis, siue serui, pari ratione adulter est, cum peccatum non personarum differentia, verum ex voluntate improba id scelus admittentis iudicetur: ita & hic. Imo illum magis adulterũ dixerim. qui quamlibet ex vulgo quam qui reginam violauerit: illic enim plurima irritamenta sunt, puta opes, elegantia formæ, & eiusmodi cætera quorum hic nihil inuenias. Eadem ratione illum magis ebrium dixerim, qui quolibet vino quam qui optimo inebriatur: ita & cupidum eum potissimum censeo, qui ne minima quidem rapere omittit. Nam qui maxima diripit, minima fortasse contemnet: qui autẽ parua non despicit, quomodo his maiora despiceret? *Idem. Hom* 3. *in* 2. *Timoth.*

GAVDIVM.

QValis est strepitus stipularum ardentium sub olla, talis est risus stultorum. *Eccl.* 7.

Deficiente ignis materia etiam ipse deficiet & vbi videris illam prorsus exustam hunc quoque nihilominus extinctum esse comperies. Sicut ergo flammæ illius nouissima fumus occupat & caligo: sic lætitia in tristitiam commutatur. *Bernardus, ser.* 1. *de diuersis.*

Quod duces magni faciunt, rebus afflictis, vt hilaritatem de industria simulent, & aduersas res adumbrata lætitia abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur: Id nunc tibi quoque faciendũ est: induc dissimilem animo tuo vultum, & si potes, proiice omnem ex toto dolorem. sin minus, introrsus abde, & con-

tine ne appareat, & da operam vt fratres tui te imitentur, qui honestum patabunt quodcunque facientem viderint, animamque ex vultu tuo sumēt, & solatium debes esse, & consolator illorum. *Seneca de consolatione cap. 24.*

Videamus quis sit fructus humanæ lætitiæ & quantum ei fidendū: Eligam⁹ tempus, quo ciuitas maximè tota lætitiæ se dat, hoc ipsum, inquam, Bachanalium tempus, quanquam pudendum sane est, vocabulum hoc apud Christianos haberi, sed multomagis pudendū reperire facta ipsa. Hoc ergo tēpore quē fructū ex his lætitiis capitis? Editur, bibitur, ridetur, saltatur, lusibus & iocis & choreis noctes totæ diesque impenduntur, adduntur, quod multò est deterius, post ventrem ea quæ sub ventre sunt, scortationes & adulteria. Hæc est ni fallor, gaudiorum vestrorum summa. Et vos fructum nunc appellabitis? Viuere more pecudum, & nihil agere aliud, nisi quod cōmune cum brutis animalibus est, atque adeo deteriores esse brutis, nam illa naturam sequentia non peccant, vos verò plurima inter hæc peccatis. Hunc fructum appellabitis. Insumere pecunias & opes in conuiuia & lasciuias & tripudia, quibus pecuniis recreari plurima pauperum multitudo poterat, qui morbo afflicti, frigore præterea & fame conficiuntur, hoc risu prosequendum est? Gaudere igitur in tantis damnis & in summis suis malis lætari, nōne est eos imitari, qui phrenesi laborant, qui interdum, dum carnes proprias lacerant, rident? At in hoc negotio multò miserabilior est risus, vbi æternæ salutis iactura fit. O insaniam! O furorem! tanta cum iactura, hæc non gaudia sed somnia gaudiorum emimus. An somniare non est falsa pro veris habere inque his delectari? At multo deteriore vos conditione estis, quam somniantes. Nam hi qui somniant ea ipsa, quæ hoc tempore fiunt, nihil præterea damni patiuntur, sed tantummodo experrecti animaduertūt se summo fuisse delusos. At vos commune quidem cum somniantibus hoc habetis, quod peractis vestris Bacchanalibus tanquam somniis, nihilo magis vobis reliquum erit, quam his accidit, qui à somno expergiscuntur. Illud verò deterius vobis relinquitur, quod offenso Deo, iniuria affectis proximis quibusque fœdata ac deturputa anima, corpore vitiato, impensis pecuniis,

deluſio hæc non eſt imaginaria, ſed vera. *Iſidorus clarius oratione octaua de octo beatitudinibus tomo.3.*

GENTILES.

NE Iſrael adhuc ſuperbiat, quod gentes velut ſtillicidium ſitulæ aut puluis ex area deputentur. *Tertullianus aduerſus Iudæos.*

Lapis quidem durus eſt ad opus, ſed cum factum fuerit opus ex eo, deficere neſcit. Sic & gentes cum difficultate quidem crediderunt, tamen credentes permanent in æternum in fine. *Chriſoſtomus hom.3.operis imperfe.*

Si palma poſita non ſit in ſtadio, athletam nolentem luctari, culpare non poteſt quaſi infirmum. Incertum enim eſt, vtrum ideo luctari non velit, quia infirmus eſt, aut quia non videt propoſitam palmam. Quod ſi palmam viderit, & luctari noluerit, tunc eſt manifeſtum quia propter deſidiã ſuam noluerit luctari: Sic & gentilis qui reſurrectionis præmia neſcit, nec futurum eſſe iudicium credit, non poteſt cognoſci, vtrum ideò non faciat iuſtitiã, aut quia nullam mercedem ſperet de ea. Si verò factus fuerit Chriſtianus, & cognouerit futurum eſſe iudicium, tunc peccantem manifeſtum eſt ideò peccare, quia non amat quod eſt bonum. *Ibidem.*

Quemadmodum ſupra dorſum omnium iumentorum non ſtat ſarcina, niſi fortiter fuerit colligata ad ipſum: ſupra camelum autem ſine recolligatione etiam repanſat, nam ipſe gibbus ſarcinã tenet in ſe, aptus eſt enim ad pondera baiulanda: ita in cæteris quidem peccatotibus tamen cognoſcentibus Deum, nõ ſtat ſarcina peccatorum in corde ipſorum, niſi cum magna violentia & virtute Diabolus tenuerit in corde ipſorum, alligans eam delectationibus. Ipſa enim cognitio Dei excutit à ſe pondera peccatorum. In gentibus autem ſine labore Diabolus tenet peccata, quia idolatria ipſa quaſi gibbus retinet in ſe vniuerſa peccata, apta eſt enim ad baiulanda vniuerſa pondera peccatorum. *Idem hom.33.*

Vt omnia animalia quamuis libenter terram aſpiciant, ſemper tamen quando volunt, poſſunt tollere collũ ſuum ad cœlũ, ſolus camelus aũt nunquã poteſt tollere collũ ſuũ

gibbo depressus : Sic omnes peccatores libentius quidem terrena adeunt, tamen quando cũque volunt possunt conuertere se ad diuinam iustitiam: Gentes autem nullomodo possunt explicare se, & ad diuina conuertere, idolatria sua curuati & erecti. *Ibidem.*

Quemadmodum camelus nec ad plenum immundus est, nec ad plenum mundus. Mundus quidem est, quia ruminat, immũdus autem quia nõ habet duas vngulas fissas: Sic & gentes quoniam vacuæ sunt nec mundæ ad plenum. Mundæ quidem fuerant quia tractabãt quæ Dei erãt. id est, ruminabant & conuersabantur rationabiliter penè secundum Deum, sed conuersationem quæ pes est, non habent diuisam in duo, id est, in fidem & in opera, sed habent opera tantum. *Ibidem.*

Quemadmodum cui regales pecuniæ creditæ fuerint, mandatumque acceperit, vt eas in regis honorem ac decus insumat, is si in prædones, scorta, magos, eas insumpserit, hosque regiis pecuniis splendidos reddiderit, tanquã qui maxime regem offenderit pœnas pendit: ita & gentes cum accepissent notitiam de Deo, deque eius gloria, deinde idolis illam circumposuissent, in iustitia veritatem detinuerunt, ac quod in ipsis quidem fuit, cognitionem iniuria affecerunt, cum ea ipsa quatenus decens fuit, vsi nequaquam fuerint. *Idem Hom. 3. in epist. ad Rom.*

Nonne pueros videmus cũ gestati à parentibus, gestãtis se maxillas percutiunt, quam libenter illa filio se percutiendum exhibet, vt ira exaturetur, quam cum posuisse videt, lætatur. Idem & nos faciamus, & quemadmodum patres erga filios, ita nos cum gentilibus disputemus. Pueri namque sunt omnes gentiles. Vt igitur pueri nullius vtilitatis curam suscipiunt, non secus gentiles omni tempore lusibus vacare volunt, & humi abiecti iacent, & humiliũ rerum desiderio tenentur. Pueri nonnumquam cum de necessariis rebus verba facimus, quæ dicuntur non intelligunt, sed rident semper. Eiusmodi gentiles sunt. Cum de cœlesti regno disputamus, risibus concutiuntur. Et veluti ex ore pueri multa manat saliua, quæ interdum & cibum & potum corrumpit· Sic quæ à gentilium ore verba effluunt & inania & turpia, & si necessarium cibum præbueris, maledictis & dolore semper afficiunt, & amo-

ueri præcãtur. Pueri præterea cum furem domum ingressum, & quæ domi sunt auferentem conspicantur, non modo eum non vlciscuntur, sed insidianti arridet. Si autem calathũ eis vel sistrum, vel quiduis aliud ludicrum abstuleris, molestè id ferunt animo, anguntur, se lacerant, calcibus pauimentum pulsant: Itidem & gentiles, cum Diabolum omnia & patrimonium, & quæ ad vitam necessaria sunt surripientem videant, rident, & tanquam ad amicum obuiam proficiscũtur. Verum si quis possessiones, diuitias & alia huiusmodi auferat, lamantantur & se lacerant. Et quemadmodum pueri nudi non id sentiunt, neque erubescunt: non aliter gentiles cum meretricibus & mœchis versati, naturæ leges nudantes, & scelestos inducentes concubitus, non aduertunt. *Idem hom. 4. in 1. Cor.*

Ignem veni mittere in terram. Quid est? Ager quoties longa incuria syluescit, & toto luxuriæ agrestis sordescit horrore, peritissimi cultoris vtique semper aperitur, & purgatur incendio, ac studio benigno cultor ignis apponitur vt exustis sentibus reueletur prima facies cãpi, præstetur agricolæ libertas, fiat facilis via vomeri, sit germinis ferax sterilis diu terra, & longa & mœsta otia læto lætissima iam repenset in fructu, Ergo vbi Iudaicus cespes continuo aratro legis & iugi cultu effectus ad inopiam, non respondit germini, non labori, sed pro tritico lolium reddidit, protulit pro vitibus spinas, Christus ad fata gentium diuini cultus conuertit industriam: ac diu oppressa dumis nationum cupiens noualia purgare, ignem mittit primum maximus magister in terram, & quicquid naturalis squalefecerat luxus, quicquid arefecerat brumalis rigor, artifici depurgat & consumit incendio: quatenus sola longo exhausta ieiunio ipsa suo cinere saginata pinguescerent, & post diuturnam duritiem tenera redderentur & molia ac si euãgelico apta cultro, semini redderentur cõmoda, & fœlici sulco iam redderent tricesimum sexagesimum & centesimũfructũ: sed hic ipse cultus non est nouus agricolæ veteri & cœlesti, nam legem pangere, gratiam serere ignis semper consueuit *Chrysologus serm. 164.*

GLORIA.

VT quidam morbo aliquo infecti, à cibo suauissimo abhorrent: Sic facinorosi veræ gloriæ gustum omnino

nõ sentiẽtes, ab eius studio planè abhorrẽt. *Cicero philip. 12.*

Vt leuitas est inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras etiam falsæ gloriæ consectari: Sic leuis est animi, lucem splendoréque fugientis iustam gloriam, quæ est fructus veræ gloriæ honestissimus, repudiare. *Idem in Pisonem.*

Quid stultius est quam in homine aliena laudare? Quid eo dementius qui ea miratur, quæ in alium protinus transferri possint? Non faciunt meliorem equum fræni aurei. Aliter leo aurata iuba innititur, dum contrectatur, & ad patientiam recipiendi ornamenti cogitur fatigatus, aliter incultus, integri spiritus, hic scilicet impetu acer, qualem illũ natura esse voluit, speciosus ex horrido, cuius hic decor est, non sine timore aspici, præfertur illi languido & bracteato. Nemo gloriari nisi in suo debet. Vitem laudamus, si fructu palmites onerat, si ipsa pondera ad terram eorum quæ tulit adminiculo, deducit. Nõ quis huic illam præferret vitem cui aureæ vuæ, aurea folia dependerent? propria virtus est in vite fertilitas. In homine quoque laudandũ est quod ipsius est. Queris quid sit? animus & ratio. *Seneca epistola. 41.*

Gloria vmbra virtutis est, etiã inuitos comitabitur. Sed quemadmodum aliquando vmbra ante cedit, aliquando sequitur vel à tergo est: Ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se prebet, aliquando in auerso est, maiorq; quo serior, vbi inuidia fecessit. Quandiu videbatur furere Democritus: vix recepit Socratẽ fama. Quãdiu Catonem ciuitas ignorauit: respuit, nec intellexit, nisi cum perdidit. Rutilij innocẽtia ac virtus lateret, nisi accepisset iniuriam. *Idem epistola 80.*

Veteres gloriã crocodilũ appellarũt. Vt enim Crocodilꝰ hominem fugientem persequitur, & sequentem fugit: Ita gloriam appetentes gloria fugit, eandem verò fugientes, sequitur. *Albertus nouicampianus.*

Vt ignis nõ reddit fumũ, si statim emicet flãma: Sic nec gloria est obnoxia inuidiæ, si protinus eluceſcat: sed eos qui paulatin creſcũt, sequitur inuidia. *Plutarchus In Moral.*

Qui viro malo addit opes & gloriã, is febricitanti ministrat vinum, bilioso mel, cæliacis obsonia, quæ morbũ animi, hoc est, stultitiam augeant. *Ibidem.*

Vt lumen magis prodeſt iis qui vident, quàm qui videntur: Sic gloria magis confert iis qui eam ſentiũt, quàm quibus contingit. *Ibidem.*

Fumus initiò ingens, facilè euaneſcit: Sic gloria falſò parta. *Ibidem.*

Vti ſol, ſi immineat hominis vertici, aut prorſum tollit vmbram, aut minimam reddit: Sic ingens gloria extinguit inuidiam. *Ibidem.*

Vt indutus quis purpura & ſerico, ſi ei iniiciatur lacerna immunda, declinat illam & fugit, ne indumentum pretioſum commaculet. Sic viri ſancti virtutes præclariſſimas induti, humanam gloriam deuitant, ne ab ea dehoneſtentur. Qui autem gloriæ cupidi ſunt, hi mihi ſimiles nudo videntur, qui vſquequaque circuit, vt lacernam inueniat, vel aliud quidpiam quod poſſit nuditatem ſuam tegere. Ita virtute ſpoliatus humanam gloriam qua ſe obumbret, ſectatur. *Dorotheus de humilitate doctrinæ 2.*

GLORIA INANIS.

AVerbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius ſtercus, & vermis eſt. Hodie extollitur, & cras non inuenietur. 1. *Machab.* 2.

Vt tinea & vermes veſtes corrumpunt: ita & inanis gloria diuitias quæ miſericordia colliguntur. *Chryſoſtom. ho.* 42. *in Geneſin.*

Nos quotidie offendentes Dominum, non reuocamus ad memoriam peccata quæ fecimus. Si verò paruam aliquam inopi ſtipem porrigamus, ſurſum id deorſúmque iactamus, quod extremæ debet eſſe dementiæ. Satis certus enim theſaurus recte factorũ obliuio. Sicut aurum veſtémque pretioſam cum in publico ponimus, plurimos ad inſidias prouocamus: ſi verò ea recõdamus atque occultemus domi, in tuto cuncta ſeruabimus: Sic ſunt etiam diuitiæ virtutum, ſi eas in memoria quaſi venales aſſiduè portemus, armamus hoſtem, irritamus inimicum, & doloſum inuitamus ad furtum. Sin verò nemo alter id ſcierit, niſi quem nulla occulta latere poſſunt, tutiſſimo in loco pretioſa cõſiſtunt. *Idem hom.* 3. *in Matthæum.*

Intolerabilis quædã eſt ebrietas vana gloria. Quem ſuæ

subiecit ditioni, is ægrè in sanitatem restituitur. Et quam pestifera tabe infecit animam, à cœlo abscindens, terræ affigit, neque eam amplius sinit, vt ad veram lucem dirigere possit intuitum. Qui enim hoc morbo afficitur, nullo præceptore omnia sua sponte operatur, quæ aliis placere arbitratur, vt aliis admirationi sit, præceps agitur. Vis huius intelligere tyrannidem? Si quempiam negotiatorem, qui pretiosissimas sibi merces, magno auri pondere comparavit, rogaueris, quanam gratia tantum auri profundat, quidve tantus sibi sumptus velit, nullam aliam ab eo rationem accipias, quam vt populo placeat. Quod si deinde quid populus sit percunctaberis, Quidam, inquit, tumultus perturbationisque plenus & stultitia maiori ex parte cõstans, atque compositum temere, per maris fluctus varia & pugnante sententia, sæpenumerò iactatum. Qui igitur sub huius seruitij dominio premitur, nónne omnium miserrimus est? Inanis gloria maiores nostri sic eam appellarũt. Inanis est nihilque rectum, clarum, nec gloriosum in se habens, tanquam personæ quæ pulchræ quidem visu & decoræ, intus autem inanes reperiuntur. Quare cùm aspectu ipso elegantiores appareant, neminem tamen vnquam ad se amãdam allexerunt. Ita nihil miserius quæ à multitudine comparatur gloria, difficilem vobis & violentum affectum significat, aspectu námque solo pulchra & elegãs videtur, intrinsecus autem non inanis modo verumetiam ignominiosa, crudelitatis & violentiæ plena. *Idem hom. 2. in Ioan.*

Quemadmodum terrenas diuitias cõtemnimus, cum alias diuitias speramus. Ita & huius vitæ gloriam, cum longe maiorem & veram gloriam coniectabimur, contemnemus. Hæc námque inanis & stulta est, & nomine tantum non re gloria: illa vero cœlestis, vera, quæ non homines, sed Angelos & Archãgelos, & Angelorum Dominum, imò & cum his etiam homines laudatores habet. Si illud spectaculum contemplaberis, si illas coronas noueris, si ad illum plausum tetransferis, nunquam aduersum te terrena poterunt præualere: neque hæc magnificies si habebis: sin minus, non quæres. Etenim in huius seculi regiis, nemo satellitum his omissis quibus coronato regi, & in solio sedenti placeat, graculorum voces, muscarum & culicũ obuolantium stridorem prosequitur: neque enim his vlla ex

parte potiores hominũ laudes inueniũtur. *Idẽ ho. 28. in Ioan.*

Spinarum est plena gloria, multorum capitum bestia, & in eos quibus fouetur, quibus suscipitur armata. *Ibidem.*

Varia & multiformis bestia inanis gloria, & vbique proprium virus disseminat & pecuniis & delitiis, & corporis pulchritudine: hac gratia semper necessitatem excedimus, inde vestimentorum copia, inde & seruorum examen, inde omnis necessitas contemnitur, in domibus, vestibus, mẽsæ splendore excessus dominatur. Vis frui gloria? facias eleemosynam, tunc te angeli laudabũt, tunc Deus accipiet, nũc autem aurifices tantum & textores admirantur. *Ibidem.*

Mater gehennæ est inanis gloria. Videre est illam & in mortuis vires obtinere, qua re quid poterit, fieri potius. Aliq; siquidem passiones morte finiuntur: ista verò & post mortem violenter instat, naturámque suam etiam in emortuo iam corpore ostendere contendit. Cum enim splendida sepulchra omnémque ipsorum substantiam consumẽtia morientes sibi erigi curent, atque vt in sepultura multus antea luxus adhibeatur, affectent, quam quæso aliam quæres in hoc morbo tyrannidis excellentiam? *Idem homil. decimo septima in epist. ad* Rom.

Quemadmodum prophana mulier in prostibulo consistens quibusuis sui copiam facit: sic & qui vanæ gloriæ dediti sunt. Imò turpius etiam quam istiusmodi mulieres. Illæ siquidem quosdam suos amatores contemnere sæpenumero solent. Tu vero teipsum quibusuis, & fugitiuis & latronibus, & furibus exponis. *Ibidem.*

Quemadmodum pueri ludentes ex fœno coronas imponunt, coronatum autem sæpenumerò eius rei ignarum, post tergum irrident: ita & nunc qui te in faciem predicant, apud seipsos clanculum subsannant, atque ita quid aliud fit, quam quod & nobis inuicem fœnum coronãtes imponimus? Et vtinam nil aliud quam fœnum. Nunc autem multo etiam nocumẽto plena est hæc nostra corona. Nam omnia nostra recte facta perdit. *Ibidem.*

Vanæ gloriæ cupidus similis illis est qui tempestates ferunt, semper tremens, semper timens, innumerósque dominos obseruãs. Qui vero extra illam est tyrannidem, rectè comparatur his qui in portu constituti integra libertate potiuntur, *Ibidem.*

Hoc Christi verbum inscribamus & parietibus & ianuis, & menti, dicamúsque continue nobis ipsis: *Væ nobis si quando laudauerint nos homines.* Nam ipsi etiam laudatores te postremò velut vanę glorię, vani honoris, preconiíq; quod ab ipsis sit, stultè amantem vituperabunt. Deus autem non ita, sed cum viderit te eius, quæ ab ipso sit, gloriæ cupidum tum te potissimum laudabit, celebrabit prædicabit. Homo verò aliter: nam is postquam pro libero seruum te acceperit, nudo plerúmque verbulo, tibi falsam laudem gratificatus veram abs te mercedẽ aufert, & sibi magis quam quemvis emptitium subiicit. Habent enim illos præceptis suis obedientes qui illorum dominãtur, tu verò etiam sine præceptis seruis. *Ibidem.*

Graue quidem omníque plenum inuidia, in politicis rebus gloriam sectari, cum idem feceris in spiritualibus, ne tantum quidem honoris Deo tribuere, quantum ipse à domesticis habeas? Quis veniæ tibi locus? Seruus ad Domini oculos respicit, ad herum mercenarius, & ad præceptorem discipulus: tu contra omnino remunerantem Deum dominúmque relinquens ad conseruos respicis, & si bene noueris Deum rectè factorum tuorum in futurum quoque recordaturum, hominem verò tantum ad præsens & quidem vtcunque. Et cum habeas theatrum in cœlo constitutum spectatores tamen in terra tibi deligis & colligis. Athleta quidem vbi certat, ibi & probari cupit. tu cum in superioribus certes, in inferioribus coronari quæris. Videamus si placet & coronas. Illa quidem superbia constat, hæc inuidia, quædam ex ironia & adulatione: propter pecunias & alia, nonnulla etiam ex seruili ministerio. *Ibidem.*

Homines etsi impresentiarum laudant, postmodicum vituperabunt, inuidebunt, carpent: etsi hoc minimè fecerint, nihil tamen illi penitus proderunt, quem laudant. At non ita Deus, gaudet ille profecto, cum iustitias nostras actúsque collaudat. Nihil profectò humana gloria vilius, nihil abiectius. Dic enim obsecro, si videre cõtingat, multitudinem paruulorum, eorũ scilicet qui subiecti vberibus sunt. Nunquid ab his gloriam cupis? ita te necesse est gloriæ causa idoneos homines affici, idcirco nempè ea res

inanis dicitur. Non aspicis vt in scena sibi personas imponunt histriones, quam præclaras, quam honestas, quam ad extremam, quam ad exactissimam formæ diligentiam effectas? Potésne huiusmodi aspectum mihi verum esse mõstrare? Minimè sane. Quid igitur? Non eas aliquando adamasti? Non. Cur id? Quoniam inanes sunt imitantúrque decorem, sed nullus ibi solidus decor: ita & gloria inanis est, imitatúrque gloriam, non vera gloria est. Illa quippè sola permanet, quæ naturalis est, quæ in intimis conditur: porrò hæc quæ extrinsecus adhibetur, obtulit sæpius facultatem, sed id apud homines, & vsque ad vesperam. Cæterum soluto theatro, sublatísque personis, vnusquisq; quod est, id quoque videtur. Non igitur veluti in scena atque ludo, veritatem corripiamus. Dic enim quæso, quid in se præclari habet à multitudine inspici? Inanis est hæc gloria, nihílque in se habet solidi, atque veri. Nam vbi te receperis domum, solutúsque fueris, id omne prorsus effluxit. Irrumpe in forum, auersare præsentes: quid amplius? nihil. extincta est penitus illa gloria, abscessit, atque in fumum resoluta est. *Idem hom. 2. ad Titum.*

Fastus est & gloria inanis cum plurimis seruis ambulare. Credite mihi quiâ istud pudor est. Sicuti nundinatores pecorum, vel sicut caupones venalium seruorum, Ita magnum hoc putatis cũ plurimis seruis ambulare. Matronam non ex numerositate seruorum decet esse conspicuam. Dic enim mihi, nónne Angeli soli totum mundum circumeũt & pedissequis nullis egent? Num propterea nobis inferiores existunt indigentibus non indigentes? *Idem hom. 28. ad Hebræos*

Vt mulier prostituta in domus fastigio astans sese cunctis visendam præbet: sic homines inanis gloriæ seruitute capti, ad ostentationem omnia moliuntur: quos equidem vel impudica dixerim impudentiores: quod meretriculæ nonnullos persæpe amantium aspernentur, cum ipse (vt ipsas omittam) vniuersis fugitiuis, prædonibus, furunculis, & burfarum præcisoribus tui copiam facies: ex his enim vel horum similibus constant in tuam laudem spectacula. *Idem sermone de inanis gloriæ cupiditate.*

Ipse cum in cœlo depugnes, studes in terra coronari, qua socordia quid esse deteri' potest? Verũ videamus coronas

hasce

hasce cuiusmodi sunt futuræ, quando & desperatione partim componãtur, partim & irrisione & adulationibus, partim pecuniis & seruili quodam ministerio: vtque & pueri per lusum solẽt, chartacea alterius capiti corona imposita, coronatum plerunque vel nescium post terga irrident: sic tuarum factitant laudum precones, qui tibi paleis dorso iniectis, laudando illudunt. Vtinam his solis paleis finiretur illusio, laureáque illa haudquaquaquam noxia foret, nec perderet benefacta. *Ibidem.*

Mortalium gloriam ambiendo, non solum tibi sed Deo es iniurius. Etenim si effigiandi peritus esses, & pictor discipulum haberes qui à te quod ex arte perdidicisset, aliis te inuito proderet, aut pictam tabulam, non tibi sed astantibus cæteris in tui contemptum ostenderet, num æquo id animo ferres? Longe verò maiori Domino iniuriæ ducitur. *Ibidem.*

Dic mihi, si paruorum videas puerorum multitudinem, lactentium dico, nunquid ab eis gloriam concupiscas? Sic erga cunctos homines disponaris propter gloriam. Idcirco cenodoxia dicitur. Nónne vides personas, quæ in scena versantes induuntur, quàm sunt pulchræ quidem, quàm splendidæ, quàm ad extremam pulchritudinis perfectionẽ effectæ? Potes mihi talem affectum in veritate monstrare? Nequaquam. Nunquid vnquam earum amore captus es? Non. Quare? Quia vacuæ sunt & imitantur pulchritudinẽ: pulchritudo tamen non sunt. Similiter & gloria inanis est, & gloriam imitatur, non est tamen gloria. *Idem hom. 41. ad pop. Antioch.*

Quemadmodum diebus succedũt noctes, & æstates suscipiunt hyemes: Sic inanem gloriæ cupiditatem & voluptatem suscipiunt dolores & tristitia, aut in præsenti aut in futuro. *Maximus lib. 2. de charitate.*

Inanis gloria formicæ comparatur, quæ breuis licet & pusilla ingentes tamen segetum fructus graui labore quæsitos rapit, insidiatur formica vt grana matureſcãt, stat itidem in insidiis inanis gloria, expectans vt spiritales diuitiæ cumulentur gaudet formica coaceruatas frugum opes populari, gaudet pari modo inanis gloria bene partos virtutum thesauros dispergere. *Climacus de inanis vitæ fuga.*

Vt indutus quis purpura & serico, si ei iniiciatur lacerna immunda, declinat illam & fugit, ne indumentum pretiosum commaculet. Sic viri sancti virtutes præclarissimas induti, humanam gloriam deuitant, ne ab ea dehonestentur. Qui autem gloriæ cupidi sunt, hi mihi similes nudo videntur, qui vsquequáque circuit, vt lacernam vllam inueniat, vel aliud quidpiam quo possit nuditatem suam tegere. Ita virtute spoliatus, humanam gloriam qua se obumbret, sectatur. *Dorotheus de humilitate doctrina secunda.*

Hedera sic arborem complectitur, vt cum altius sese sustulerit, radicem eius arefaciat: inanis gloria sic iuxta virtutes nascitur vt non recedat prius quam vim illarum exciderit. Racemus humi iacens facile putrescit: & virtus inani gloriæ inhærens corrumpitur. *Nilus oratione septima ad eersus vitia, & S. Isayes abbas oratione 16.*

Pedis vestigium ventus delet, & inanis gloriæ studium perdit eleemosynam. *Ibidem.*

Stultus vt luna mutatur. Quemadmodum splendet luna sine feruore modo plena, modo exigua, modo nulla videtur, mutuatum quidem lumen nunquam in eodem statu permanet, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur & penitus comparet. Sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parui sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis, vel vituperare, vel laudare placuerit. At verò iustus permanet vt sol, solis splendor igneus est, & cum feruet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus foris lucet etsi non datur ei vtrumque curatum semper magis ardere, vt pater qui videt in abscondito reddat. *Bernardus sermone de Natiuitate Ioan. Baptistæ.*

Aliter & sapientius mendici quam nos misericordiam implorant. Nam eleemosynam petentes, non pretiosas vestes ostendunt, sed seminuda membra aut vlcera si habuerint, hominum aspectibus exhibent. Nos verò exemplo pharisæi si quid boni fecerimus aut minus malum quam alij, Deo veluti exprobramus. *Idem sermone quarto de aduentu.*

Prisci patres naturam inanis gloriæ describentes cœpis & bullis persimilem esse dixerunt, quibus multiplici

veste contectis cum vnam exueris, alia rursum quæ pene illam sequens latebat quasi rediuiuo ordine pullulans perseuerat. *Maphæus de perseuerantia religionis libro secundo capite tertio.*

Homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri sic efflorebit. Psal. 102. Nihil tam assimile est humanæ gloriæ, quàm fœnum agri. Cernas prata miranda florum varietate distincta, vt iucundissimum intuentibus spectaculum prebeant. Cernas in illis floribus eam colorum verè gratiam, vt rectè dixerit Dominus ne Salomonem quidem in omni gloria sua ita vestitum fuisse. Et tamen tantus decor, quam exiguo temporis spatio deperit? In eundem modum se habet hominum gloria de qua idem alibi, vidi impium superexaltatum, &c. *Isidorus Clarius oratione centesima quinta tomo secundo.*

Hoc vitæ spatium non ad luxum & humanam gloriam comparandam assignatum nobis est, sed vt in vinea Domini laboremus vsque ad vesperam. Fingite quempiam vestrum esse cui regnum Italiæ totius hodie offeratur, decennio possidendum, qui tamen si per hosce decem annos priuatam agere vitam velit, futurum vt quinquaginta iustos annos totius Europæ imperio potiatur, non censetis hunc conditionem istam lubentissimè accepturum, facilèque atque adeò summa cum lætitia toleraturum, toto illo decennio vitam agere priuatissimam, atque humillimam? & tamen illud quod sperare, quinquaginta annorum spatium nostis quàm veloci cursu esset finiendum. Quod si in re momentanea sumus tam circumspecti, cur non vel par studium adhibemus, ad adipiscendam æternitatem & hanc totam vitam, quæ ne momentum quidem est, si cum illa conferatur, inglorij libenter viuimus, vt incomprehensa illa ac infinita gloria tandem potiamur? *Ibidem.*

Cæsarum lata potentia, principum dominationes, prælatorum gloria, qui ante nos fuerunt, quo peruenere? Quid profuit illis inanis gloria, breuis lætitia, mundi potentia, magna familia ac secularis pompa? Hæc omnia tanquam vmbra vestigium non habens, ac velut nauis fluctuantem aquam celeriter transierunt. Etiam sapientia

mundi quid profuit? quæ tot ac tantos Aristotelem, Platonem, Diogenem non saluauit, sed excæcauit: non ædificauit, sed inflauit. *Henricus de hassia in soliloquio animæ.*

Qui externa bona materiam insolescendi faciunt, voluntque ob ea duntaxat coli, & plus aliis æstimari, perinde faciũt ac si asellus aureis phaleris ornatus, generoso equo præferri ob ea ornameta vellet. Quod si quis cerneret, rideret sane, & nos non putamus ridendam rem esse, si homo, hoc est rationale animal, hoc faciat, quod in ratione carentibus absurdum esse iudicaremus. *Isidorus oratione de humilitate tomo primo.*

Qui rebus externis delectantur, non aduertunt, non solum hæc cum brutis ac ratione carentibus animalibus esse communia, sed homines sæpius ab illis superari. Magna corporis mole preditus es? quæ est hæc magnitudo, si cum Elephantis mole comparetur? Fortis & intrepidus? At leo te longo interuallo superat, De quo scriptum est, *Leo fortissimus animalium ad nullius pauet occursum.* Cantu ac vocis modulatione insignis es? At cygnus, luscinia, & plurimæ aliæ vocales aues, maius miraculum in suo cantu excitant. Pulcher es? Et pauo insigni pulchritudine præstat & aues aliæ multæ, & scorta etiam pulchritudine gloriantur. Non pudet his gloriari, quibus & bruta & sceleratissimi quique possunt gloriari? Arte aliqua præstas? Quid in hac re apibus est sapientius, quarum opera quis pictor, quis geometra possit imitari? Tenui ac subtili veste vteris? Hic te superant aranei. Celeritate pedum vales? rursus primatum tenent carentia ratione animalia, lepus & caprea & cætera eiusmodi. Acuto visu preditus es? Non vt caprea, vt aquila. acutè audis? At acutius asinus. Acuto es odoratu? canis te superat. *Ibidem.*

Vide. Ambitio, Honor, Superbia.

GRATIA DEI.

QVi itaque spirituale hoc signaculum & salutare accipiunt, opus est vt voluntarie id faciant. Vt enim calamus scriptorius aut telum, vt ab aliquo impellatur necesse est: Sic & gratia indiget credentibus. *Cyrillus Ierosolymit. catechesi.* 1.

Sicuti cum quispiam videns auem volantem velit & ipse volare, vtique non potest, cum alas non habeat: Sic & homini quidem adiacet velle purum esse, irreprehensibilem, immaculatum, & nihil habere in se vitij, sed semper esse cum Deo: Facultatem autem non habet. Volare quidem in aërem illum diuinum, atque libertatem sancti spiritus cõsequi desyderat: atqui nisi alas acceperit, id non potest. *Macarius hom. 2.*

In ipsa gratia, quædam similia sunt veritatis, imo hæc ipsa est hypostasis veritatis. Quemadmodum in sole est splẽdor & circulus ipse, ac aliter splendor apparet, alio modo lumen, quod est reconditum in circulo. Itidem lucernæ lucentis in domo alius est splendor vbiq; relucẽs, & aliud est lumen, quod in ipsa lucerna splẽdidius est & speciosius: Ita quædam manant à gratia, quæ velut quasdam visiones homo procul intuetur, ac huiusmodi visionibus delectatur, fitque alius, propterea quod ingreditur in illum vis diuina, quæ illius membra continet, & cor, & captiuam illius mẽtem reddit in delectionem Dei. Verbi gratia, quando Petrum apprehenderunt, & coniecerunt in carcerem: quem clausum ingressus Angelus, fregit vincula eius, & eduxit eum: qui velut in excessu mentis existens, putabat visionem esse. *Idem hom. 7.*

Quemadmodũ diuites huius seculi cum vberrimos fructus in apothecas suas intulerint, denuò maiorem quotidie suscipiunt laborem, vt locupletiores sint & non deficiant: qui si confidentes in opibus reconditis, alias coarceuare negligant, vbi consumpserint quæ reposuerant, in paupertatẽ & mendicitatem citissime labuntur: & ob id in percipiẽdis & inferendis fructibus, diligentem debent operã adhibere & aceruos cumulatiores reddere, ne redigantur ad inopiã: Hoc modo & apud Christianos, accidit vt gratiã dei gustẽt. *Gustate eam*, inquit, *& videte quoniã suauis est Dominus. Idẽ ho. 15.*

Quemadmodum varia genera piscium cadunt in sagenã & qui inutiles inueniuntur, denuo mox in mare proiiciuntur: ita sagena gratiæ super omnes expansa est, & requiescere percupit, verùm nõ obsequũtur homines: & ob id in profundum tenebrarum denuo proiiciuntur. Sicut enim aurũ ab arena copiosa dilutum inuenitur, suntque grana instar milij exigua: ita ex multis pauci probantur. *Ibidem.*

Quemadmodum apis secreto fauum cõficit in alueo: sic & gratia dilectionem suam secreto in cordibus exercet, & quod amarum est mutat in dulce: quod autem asperum, in planum. Itaque sicut faber argentarius & sculptor quando discum insculpit, aliquatenus operit varia illa quæ sculpit animalia: vbi verò perfecit, tũ discum splendentem profert in lucem: ita Dominus qui verus est artifex, corda nostra insculpit ac renouat, donec è corpore decedant, & tum emittet dignitas animæ. *Idem hom.* 16.

Quemadmodum si pater quispiam mittat filium suũ in regionem peregrinam, in qua occurrant ei in via bestiæ: dentúrq; ei pharmaca & antidota, vt si insiliant in eũ belluæ & dracones, iniectóq; pharmaco interimat illa: Hũc in modum vos quoq; date operã, vt accipiatis cœleste pharmacum, quod curatiuũ est, & antidotum animæ: vt eo peri matis venenosas bestias immundorũ spirituum. *Idem ho.* 26.

Quemadmodum per se nemo potest traiicere nec trãsire mare, nisi leuem & tenuem nauiculam è ligno cõstructam habeat, quę sola potest super aquas incedere: quia demergi tur & interit quis, si ambulet in mari: itidem nequit anima per seipsam transgredi, superare aut transmittere acerbum mare peccati, & difficilem abyssum improborum spirituum caliginis affectionum, nisi susceperit subtilem, cœlestem & volatilem Christi spiritum ambulantem & inceden tem super omnem nequitiam: cuius beneficio, recte & breui cursu ad cœlestem quietis portum, ad ciuitatem regni peruenire poterit. *Idem hom.* 44.

Quemadmodum ars est in eo qui nactus est illum: Ita gratia spiritus, in eo qui recipit semper quidem præsens, at non perpetuò operatur. Nam & ars potentia quidem est in artifice, actu verò tum, cum secũdum illã operatur. Itidem spiritus semper quidem adest dignis, sed operatur in illis iuxta vtilitatem, aut in prophetiis, aut in sanationibus, aut aliis miraculorum operationibus. *Basilius de spiritu sancto.*

De plenitudine eius omnes accepimus. Fons est & bonorum omnium radix non in seipso bonorum continens diuitias, sed in vniuersos diffundens, & plenus tamen permanens. Quod autem ego fero, participabile est: ab alio enim id ac cepi & exigua pars totius est, & quasi gutta ad immensum abyssum & infinitum pelagus comparata. Sed ne hoc

exemplum quidem sufficit. Nam si guttam è pelago accepe ris, ea tamen pelagus, etsi visu percipi nequeat, minuitur, de illo autem fonte hoc dici non potest, sed quantumcunque quis hauriat, nihil deficit. Alterum exemplum afferemus. Constituamus nobis igneum fontem, à quo innumeræ accenduntur lucernæ, & toridem & item totidem: nonne huiusmodi fons ita plenus est ignis, quemadmodum antequam quicquam sumeretur? *Idem, Hom. 12. in Ioan.*

Vt solares radij singulis diebus illuminant, neque ex nimia copia vis eorum minuitur: ita imo lõge minus spiritus operatio ab accipientium multitudine remittitur. *Idem, Hom. 35.*

Da mihi nauim vacuam, gubernatorem, nautas, funes, ancoras, omnia disposita, & nusquã esse spiritum venti, nõne cessat omnis quantuscunque apparatus, si desit operatio spiritus: Ita licet sit sermonis ampla supellex, & mens profunda, & eloquẽtia, & intelligentia, & non assit spiritussanctus, qui vim suppeditat, otiosa sunt omnia. *Idem, Hom. de spiritussancto.*

Gratia dei finem non habet, semper ad maiora egreditur. Non ita in hominibus vsuuenit. Assecutus est quis magistratum, perpetuus in eo non manet tandem aliquando excutitur. Nam vt honorem humana illum manus non eripiat, mors certè superueniens ereptura est. Talia non sunt quæ bona Deus largitur, vt à quibus non homo, non tempus, non rerum aduersarum vis, non diabolus, non deniq; mors ingruens deturbare possit, quin vel mortui ea demũ firmius possideamus: adeóque quo magis progredimur, eo pluribus semper maioribúsque illis fruimur. Si futuris fidẽ non habes, de illis saltem præsentia fidem faciant. *Idem, Ho. 9. ad Rom.*

Spiritum ne extinguatis, propʰetias ne contemnatis, 1. *Thessal.* 5. Extinguit spiritum vita impura. Nam quemadmodũ si quis lucis huius lychnæo & aquam inspergeret & puluerẽ, etsi nihil horum inspergeret, sed oleum duntaxat eximeret, lucem extingueret: ita habet & donum spiritus. Siue namq; res terrenas, & rerũ fluxarum curas insperseris, extingues spiritũ, siue etiã si tu nihil tale feceris, aliunde tamẽ tẽtationis vehemẽs impulsus instar cuiusdã venti irruerit, & flãma

valida non fuerit, aut parum olei habuerit, aut foramen nō obturaueris, vel ostium non occluseris, omnia peribunt. Quod verò est hoc foramen? Quemadmodum in lychno habet, ita & in nobis, foramina sunt oculi & aures. Ne sinas istis occurrere validum malitiæ flatum, alioqui lychum extingues, sed obtura foramina timore Dei. Ianua os est, claude. ita scilicet occlude, vt & lucem exhibeat, & externum impulsum repellat, vt pote conuitiatus quisquam? Tu claude os tuum, Si enim aperueris, cōcitabis magis ventū hūc. Non vides in ædibus quando è regione duæ ianuæ oppositæ sunt, & flatus vehemens irruerit, si alteram clauseris, & respiratio prohibita fuerit, quomodo nihil valeat efficere flatus, sed plurimum de robore illius præcidatur? Ita & hic! Duæ sunt ianuæ. Os tuū & os illius qui te vituperat, & probro afficit. Si tuū occluseris, & spirationē non dederis, omnē flatum istum extingues. Si verò a peruersis effrenis reddetur. Ne extinguamus ergo spiritum. Fit autem sæpenumerò vt etiam nullo externo impulsu incumbente extinguatur fax, quando videlicet oleum deficit, quando misericordiam non facimus, extinguitur spiritus. Extincto autē spiritu, quid reliquum est, nostis quotquot in tenebricosa nocte ambulatis. Si vero de terra in terram noctu ambulare difficile est & molestum, quomodo lutum erit eam viam qua ex terra in cœlum tenditur sine hac luce ambulare? Ignoratis quot dæmones sint in istius intercapedinis spatio? quot bestiæ? quot versutiæ spiritales? Nam & latrones lampadem primum extingunt, deinde latrocinantur. *Idem, Ho. 11. in priorem ad Thessalonicenses.*

Pleríque hominū nihil non satagunt & moliuntur, vt & apud principes & apud eos qui potiores sunt, aliquam gratiam acquirant, magníque hoc reputant, ac fœlices se arbitrantur, si quod studiosè sectantur, assecuti fuerint. Si ergo apud homines acquisita gratia tanti æstimatur: quantum quæso fuerit apud Deum reperisse gratiam? *Idem, Ho. 2. in 2. Thessalonicenses.*

Quemadmodum ignis indiget lignis: ita & gratia alacritate nostra opus habet, vt feruere perpetuo possit. *Idem hom. 1. in 2. Ioan.*

Sicut nauis quæ prospero flatu fertur in pelago, non potest impediri neque demergi, vsquequo prospero vento ac

perseuerante fruitur: sed etiam post nauigationem gloria eis magna contingit, siue nautis siue his qui nauem ascenderant: illis quidem requiem tribuens, quod labore remigationis non fuerint fatigati: illis autem quod eos maris molestia liberauit, & nauigationem illam fecit hilarem, & velut spectaculum illis iucundum ipsam prosperitatem cursus attribuit: Sic etiam anima à diuinio adiuta spiritu omnibus rebus superior existit, & omnibus fluctuationibus vitæ huius eminet, & viam in cœlum ducentem vehementius quam illa nauis incedit: vt potè quæ non vento impellitur, sed ab ipso paracleto fertur munda vela possidens & plena prosperis flatibus, omnem remissionem & dissolutionem à sua mente discutiens. Sicut enim in velum laxum ventus incidens nihil operatur: sic etiam spiritus sanctus in anima remissa & segni permanere non sustinet. *Idem, Hom. 34. ad Hebræos.*

Et sicut aranearum stamina flatum venti non suscipiunt: sic neque anima secularis neque homo animalis gratiam poterit spiritus sancti suscipere. Nihil enim differunt ab illis staminibus cogitationes nostræ, solo visu habentes cõ sequentiam, totius autem virtutis vacuæ permanent. *Ibidem.*

Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Ephes. 4. Licet Deus pater super omnia sit, & per omnes, & in omnibus, tamen gratia iuxta mensuram credentibus datur. Nos quod ad mensuram spiritum & gratiam tribuat Deus: magnificentiæ enim eius non est finis: sed quod iuxta mensuram vasculorum infundat liquorem: tãtum memineris largiens, quantum potest ille cui donatur accipere. Quod vt manifestius fiat, imperfectum licet & nõ implens similitudinẽ, tamen per quod possit intelligi quod dicitur; sumamus exemplum. Mare certe immensum est, & capacitas eius Deo soli nota: ex hoc si quis velit multis hominibus secundum id quod gestare queunt, trahere: necesse est vt ad mensuram vnicuique tribuat, & partes eius mensuram recipiant, cuius solidum immensurabile est: Ita & spiritus sanctus immensus quidem est, & nullo fine concluditur, tamen vnicuique datus secundum quod expedit. *Hieronymus, lib. 2. commentar. ad Ephes. cap.* 4.

Neque qui laudat beneficium medicinæ, prodesse morbos dicit & vulnera, à quibus illa hominem sanat. sed quãto maioribus medicina laudibus prædicatur, tanto magis prædicantur & horretur vulnera, & morbi à quibus liberat quæ ita laudatur: Sic & laus & prædicatio gratiæ, vituperatio & damnatio est delictorum. *Augustin. lib. de spiritu & littera.*

Quemadmodum pluuia terræ infusa, accommodã qualitatem plantis suppeditat, dulcem quidem dulcibus, amaram autem amaris: Sic quoque gratia fidelium cordibus indeclinabiliter adiiciens, conuenientibus virtutibus actiones largitur. *Marcus heremita, de his qui putãt ex operibus iustificari.*

Sicut is qui fert aromata, etiamsi nolit ex odore proditur: ita qui Dei gratiam habet ex verbis suis atque humilitate propria agnoscitur. *Climacus de discretione gradu. 26.*

Vt pictores primum quidem vno colore figuram hominis depingunt, postea vero colorem colori paulatim imponentes, speciem similis picturæ vsque ad capillum saluam retinent: Sic gratia Dei primo quidem quod erat ad imaginem Dei factum, in eum statum qui erat, cum factus est homo, per baptismum concinnat & aptat: cum autẽ videt nos toto animo pulchritudinem similitudinis concupiscere, staréque in sua officina nudos ac nullius rei administratione captos, tunc virtutem virtuti addens instar florum speciémque animę à claritate in claritatẽ transferens, formam similitudinis Dei adhibet. *Diadochus de perfectione spirituali, cap. 88.*

Sicut in cera nisi multum tepefacta, & mollita nõ potest sigillum imprimi: Sic nec in homine sigillum virtutis Dei imprimi potest, nisi ex laboribus & infirmitatibus probetur. Idcirco Dominus Paulo dixit, *sufficit tibi gratia mea, virtus enim in infirmitate perficitur. Ibidem, cap. 94.*

Fluminis aqua si stare cœperit, putrescit, & inundatione facta superueniens repellitur: Sic plane gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit. *Bernardus, ser. 1. de conuersione Pauli.*

Impossibile est absque fermento cœlesti, quod est virtus diuini spiritus animam conspergi bonitate Domini, & ad vitam peruenire. Sicuti nec genus Adæ conuerti poterat ad tantum vitium & nequitiam, nisi fermẽtum nequitiæ quod est peccatum & facultas quædam animi Satanæ intellecti-

ua introisset in illud. Non aliter ac si quis farinam pinsat, non immisso fermento, quantumvis elaborare, tractare, mutare videatur, expers est fermẽti consperſio & esui inutilis. Vbi verò fermentum iniicitur, trahit ad se totam farinæ consperſionem, totámque reddit fermentatam, sicuti Dominus regnum assimilauit dicens, *Simile est regnum cœlorum fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.* Aut veluti si quis carnes diligenter conseruare volens, nõ condiat eas sale, quod vermes interimere solet, & grauem odorem abolere, proculdubio carnes illæ grauiter olent & corrumpuntur ac inutiles fiunt hominibus. Eodem modo si ponas omnem humanitatem carnes esse, aut consperſionem expertem fermenti, sal autẽ ac fermentum nempe naturam diuinam sancti spiritus intelligas alterius esse seculi. Igitur nisi sal diuinitatis sanctum ac bonum fermentúmque spiritus cœleste, quod seculi illius ac illius patriæ est, permixtum fuerit & immissum in naturam hominum humiliatum, non deponet anima priſtinum fœtorem malitiæ, nec exuet grauitatem, fermenti vacuitatem ac nequitiam. *Macarius, Hom. 24.*

Cum oculus factus est, vt videre lumen possit, sed videre non potest nisi se illi lumen infuderit: Ita bonum quod facis, gratiæ ascribendum. Nam quod videt oculus, beneficium est hominis: quo si careret, cæcus remanebit in tenebris. *Fulgentius, ad Theodorum senatorem.*

Vide Spiritussanctus.

GRATITVDO.

CReditori præter sortem extra ordinem numeramus, beneficiorum autem vsum esse gratuitum iudicamus: & illa crescunt mora, tantóque plus soluendum est, quanto tardius. *Seneca*

Vt aues quæ laceratione corporum aluntur, lapsa morbo pecora, & casura è proximo speculantur: Ita hic imminet morti, & circa cadauera volat. Gratus animus ipsa virtute propositi sui capitur. *Idem. lib. 4. de Benefic.*

Quomodo est disertus etiam qui tacet, fortis etiam qui cõpressis manibus, vel etiam alligatis, gubernator etiam qui in sicco est, quia consummatæ scientiæ nihil deest, etiam si quid obstat quò minus se vtatur: Ita gratus est etiã qui vult tantùm, nec habet huius voluntatis suæ vllum alium quàm se testem. *Idem de benefic. libr. 4. cap. 21.*

Hæc debemus virtutibus, vt non præsentes solùm illas, sed etiam ablatas è conspectu colamus. Quomodo illæ id egerunt, vt non in vnam ætatem prodessent, sed beneficia sua etiam post ipsas relinquerent: Ita & nos non vna ætate grati sumus. *Idem libr. 4. de Benefic. cap. 30.*

Vt gloria fugientes magis sequitur: Ita fructus beneficiorum gratius respondet illis, per quos etiam esse ingratis licet. *Idem lib. 5. de benefic. cap.*

Quemadmodum illi seruauerunt bonorum ciuium officium, qui reddi sibi penates noluerunt clade communi, quia satius erat duos iniquo malo affici, quàm omnes publico: Ita non seruat hominis grati affectum, qui bene de se merentem difficultatibus vult opprimi, quas ipse submoueat, qui etiam si bene cogitat, malè precatur. *Idem libr. 6. de Benefic. ca. 37.*

Vti faba & lupinum non exhaurit, sed stercorat agrum in quo aiitur: Ita gratus meliorem reddit fortunam eius à quo beneficio adiuuatur, & refert quod accepit. *Plinius lib. 18. cap. 14.*

Sicut mensarij non grauatim reddunt depositæ pignora, vt quæ in hoc ipsum acceperint, vt restituant: Sic nos quod à diis accepimus. *Plutarchus in moralibus.*

Vt iis qui imprudenter læserunt, ignoscere conuenit: Ita iis qui necessariò profuerunt, haberi gratiam non oportet. *Cicero libro 1. de inuentione.*

GVLA.

LIcet videre gulosos suibus vel canibus propter voracitatem assimilari potius, quam hominibus, qui adeò festinat, vt saturentur, vt ambæ maxillæ simul inflentur elatis vasis quæ sunt in facie quin etiam sudorem præterea diffundi, dum propter insatiabilitatem, arctè comprimũtur, & propter intemperantiam anhelant, festinatione in-

decora, & ab honesta consuetudine aliena, intruso in ventrem nutrimento, & tanquam ad viaticũ, non ad digestionem edulia reponunt, *Clemens lib. 2 pedag. cap. 1.*

Gulæ deditus cor habet in ventre, admodum similis pisci, qui græcè ὄνος, hoc est asinus, quem dicit Aristoteles solum ex aliis animantibus cor habere in ventre. *Ibidem.*

Ecopiosore pastu seu fumo si quidam vapores exhalantur, qui lucem sancti spiritus in hominis mentem irradiantem, quasi densa nubes interueniens intercipiũt. *Basilius hom. 1. de ieiunio.*

Vt fons aquæ si in plures sit riuulos dissectus, vicina riuulis illis loca omnia herbarũ viriditate conuestit, & quasi pubescere facit: Sic vitium gulæ, si per cordis tui venas se effuderit atque distraxerit, indeque permeãs sensus tuos omnes irrigarit, vbi libidinum multarum in te syluam conseuerit, animum tuum ferarum habitaculum efficiet. *Idem sermone de abdicatione rerum.*

Sicut nauis quæ aquis impletur, vt exhauriri nequeat, statim submergitur. Ita & homo cum crapulæ & ebrietati seipsum exponit, in precops vadit & rationem suam submergit. *Chrisostomus hom. 10. in genesin.*

Eũ qui viuit in deliciis & ebrietati dedit' est & carniũ vorationi & vini potationi disrumpitur: sæpe & inuitus & sponte necesse est peccare. Nam sicut nauis oneraria, quæ supra suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata submergitur: ita anima & corporis nostri natura si plures acceperit cibos, quam ferat sua vis, impletur, & iectorum grauitatem non amat, & in perditionis pelagus demergitur, & nautas & gubernatores, & eos qui in prora, & alios nauigantes, & ipsum onus cum hominibus perdit. Sicut igitur non tranquilitas maris, non scientia gubernatoris, non nautarum multitudo, non præparationis studium, & non anni pars tempestiua, non aliud quicquam naui, quæ sic in tempestate est, prodest: ita & delicatis euenit neque cogitationum multitudo, neque eruditio & admonitio, neque admonitiones & consilia, neque aliud quid, neque timor futurorum, neque pudor, neque accusatio presentium, neque aliud quid saluare potest sic periclitantem animam: sed inualescit luxus & amentia per omnia, & sub aquas nolens volens cum

qui ægrotat defert, & graue facit naufragium. *Idem ser. contra luxum & crapulam.*

Quemadmodum seruus quãdo supra vires quicquã impositum est, domino impudentius maledicit: sic & venter nimium plenus mentem & cogitationem plerumque corrumpit. *Idem hom. 45. in Math.*

An non vides iumenta iugum ferentia, posteaquam ad præsepe pasta sunt, iter agere onera gestare, suum explere ministerium? Tu vero sublata mensa ad omne opus inutilis, num vitare poteris quominus videaris asinis deterior? Quamobrem? Quia tũ maximè conuenit esse sobriũ. Nam tempus post mensam agendi gratias tempus est. Nõ decet autem agentem gratias ebrium esse. A mensa ergo ad deprecationem vertamur, non ad lectum, ne brutis animalibus simus magis bruti. *Idem concione. 1. de Lazaro.*

Quod facit fames, hoc etiam plenitudo facit ciborum, magis autem multo peiora. Fames quippe in paucis diebꝰ aufert hominẽ & liberat ex hac vita pœnali: excessus verò ciborum consumit & putrefacit corpus humanũ, & macerat ægritudine diuturna, & tunc cum morte crudeli cõsumit. Nos autem famem quidem inoptabile quoddam fugiendumque putamus, & ad indigestiones confugimus, quas multo videmus esse peiores. *Idẽ hom. 29. ad Hebræos.*

Sicut terra quæ valde humecta est, generat vermes: & fumus cum compluitur, vel cum plurimum sibi humorem retinet: terra vero quæ libera est ab humoribus, fructuum fœcunditate decoratur, si ex abundantia non corrumpatur aquarum: at si etiam nõ coletur, vltro tamen gramina submiſtrat: si verò colatur, fructuum fœcunditate pollebit: Sic etiam insita nobis concupiscentia, si eam delitiarũ in inundationibus ebries, cupiditates generat turpes, & voluptates admodum turpiores. *Ibidem.*

Tale est in ventrem cibos mittere, quale si quisquam eos in cloacam proiiciat, magis autem non tale est, sed multo peius. Hic enim fimum tantum operatur sine vlla læsione: illic aũt plurimos morbos, plurimas ægritudines. *Ibidẽ.*

Tritici quidem hoc est siligo, hoc farina hoc furfur. Igitur si mola quidẽ sit idonea molere, hæc omnia seperauerit. Si vero plus ingesseris, confuderis omnia. Itidem & vinum si congruam coctura, & temporum assequatur tẽ-

periem ,quoniam circa quidem hæc omnia confusa sunt, post hæc verò , hoc quidem in fecem subsidet , hoc in spumam exilit , hoc verò in gustantium vsum , & hoc est bonum quod nunquam facile subuertitur . Quod verò dicũt tropiam, neque vinum est neque fex omnibus commixtis. Hoc & in flumine quispiam viderit, cum aquarum vortex efficitur . Sicut nunc mortuos pisces adnantes videmus, & simi crassitudine oculis captos : Itidem & in nobis efficitur . Cum multus ingluuiei supernè influxerit imber. postquam omnia cognouerit , mortuas amare fecit cogitationes pridem sanas , & in puro viuentes . *Idem hom. 54. ad pop. Antiochenum.*

Cũ anima ab esu & potu nimio fuerit liberata , tunc se melius cognoscit. Sicut enim in speculo sordido nõ se talẽ homo aspicit , qualis est . : Ita esca & crapula si quis fuerit grauatus, alterum se sentit, quam est. *Augustinus lib. quæstionum vete is & noui testa. quæst.* 120.

Quemadmodum nauis quæ maioré quam pro modo suo mercium vim receperit, oneris magnitudine depressa submergitur: Ita & corporis nostri natura, si plus alimenti quã pro virtute sua acceperit, obruitur, & pondus mercium nõ ferens in profundum internecionis demergitur , nautasque & gubernatorem & proretam & nauigantes, ipsum denique onus perdit. *Chrisostomus sermone de ingluuie & ebrietate.*

Quẽadmodum igitur in illis nauibus quæ ita cõstitutæ sunt, nõ maris tranquillitas, non scientia gubernatoris, non multitudo nautarũ, nõ apparatus commoditas, nõ tempus anni opportunum, nõ aliud quicquã ita fluctuantem nauẽ iuuat, Ita his qui luxu afluunt vsuenit non doctrina , non exhortatio , non institutio, non cõsiliũ, non metus futurorũ, nõ pudor, nõ eorũ qui adsunt reprehẽsio, nõ aliud quidquã deniq; seruare animam ita fluctuantem potest. *Ibidem.*

Quemadmodum famelici animus panẽ imaginatur , & sitientis, aquam. Sic hominis crapulosi & ventri seruientis ciborũ varias cupedias & lautitias , & voluptatum amantis mulierũ formas , & vanæ gloriæ cupidi honores , qui sibi habeantur ab hominibus, & auari, lucrum , & iniuriarum memoris vindictã eius à quo læsus est , & inuidi afflictionem eius cui inuidet. *Maximus lib. 2. de charitate.*

Huius passionis figura qua necesse est quamuis spiritalẽ summumque monachum coartari, propriè satis aquilæ similitudine designatur. Quæ cum excelsissimo volatu vltra nubium fuerit altitudinem sublimata, seseque ab oculis cunctorum mortalium, ac à facie terræ totius absconderit, rursus ad vallium ima submitti, & ad terrena descendere, ac morticinis cadaueribus implicari vẽtris necessitate compellitur. Quibus manifestissime comprobatur, gastri margiæ spiritum nequaquam posse vt cætera vitia resecari, vel per omnia similiter extingui, sed aculeos eius ac superfluos appetitus virtute animi retundi tantum ac cohiberi. *Cassianus collatione quinta cap.* 20.

Iam huius vitij naturam quidam senum cum philosophis disputans, qui eum pro simplicitate christiana velut rusticum crederent fatigandum, sub hoc problematis figurans colore, eleganter expressit. Multis inquit, creditoribus pater meus me dereliquit abnoxium, cæteris ad integrum soluens, ab omni conuentionis eorum molestia liberatus sum, vni satisfacere quotidie soluendo nõ possum. Cumque illi ignorantes vim propositæ quæstionis, absolutionem eius precario postularent, Multis, ait, vitiis fui naturali cõditione constrictus, sed inspirante domino desiderium libertatis cunctis illis tanquam molestissimis creditoribus renuncians huic mundo, & omnem substantiam quæ mihi successione patris obuenerat, à me pater abiiciens, satisfeci, atque ab eis sum omnimo absolutus. Gastrimargiæ verò similis nullo modo carere prævalui. Nec enim quamuis eam in paruum modum vilissimamq; redigerem quantitatem, vim quotidianæ compulsionis euado, sed necesse est me perpetuis eius conuentionibus perurgeri, & interminabilem quandam solutionem iugi functione dependere, atque inexplebile indictionibus eius inferre vectigal. *Ibidem cap.* 21.

Sicut stercoris copia multitudinem gignit vermium: ita multitudo ciborum, lapsum & malarum cogitationum atque somniorum operatur multitudinem. *Climacus de discretione gradu.* 26.

Gulæ vitium appellat Ieremias coquorum principem. Sicut enim ille omnem adhibet diligentiam, vt gulæ ventrique satisfaciat, & innumerabiles voluptatũ artes excogitat,

gitat. Sic vitium gulæ omni studio quærit gutturis voluptatẽ explere. Et ciborũ varietas euertit ac diruit virtutũ propugnaculũ, suauitas enim cõdimentorũ tanquã machina bellica, prosternit munimenta iam à virtute cõstructa, & firmũ ac solidum robur ipsius affigit humi. *Nilus in libro ascetico.*

Nebula, solis radios tegit, & ciborum multitudo mentis splendori caliginẽ offundit. *Idẽ orationes. 1. aduersus vitia.* Miles ignauus ad sonitum buccinæ prælium indicantis exhorrescit: & homo gulosus sermone ad ieiunium & temperantiam contremiscit. *Ibidem.*

Vas cum id quod capere potest, acceperit, impletum est: venter autem quamuis disrumpatur, sibi satis esse non dicet. *Ibidem.*

Qui ventrem cibis explet, & se caste victurum profitetur, ei similis est qui dicit, in stipula se flammæ impetum cohibiturum. Quemadmodũ enim flamma ignis in stipula seuiens coerceri nõ potest, ita luxuriæ vis in corpore cibis distento percurrens retineri nequit. *Idem oratione. 2.*

Bella gentium legimus superasse quamplurima, quos tamen pugnas carnis legimus non vicisse: & audiuimus eos dedisse delitis pectora, qui dorsa hostibus non dederunt. Proh dolor, victores gentium, vitiorum fuisse captiuos: nationum dominos turpi seruiuisse criminibus seruitute: stetisse inter sæuientes gladios, & inter eneruata latrocinia cortuisse, regnis fuisse terrori, ludibrio fuisse peccatis: aduersas acies cõtriuisse ieiunos, & crapulatos suarũ castra dissoluisse virtutũ, iacuisse effuso vino, qui iacere effuso sãguine nescierũt. Vndè hæc? quia hoc nõ est ratio sed lãguor, nõ vita sed febris, phrenesis nõ natura. Nã quotiẽs ciborũ cruditas vitalia deiicit, infirmat stomachũ, corrũpit sanguinem, vitiat humores, succendit cholerã, extremum febris gignit incendium, totiens æger mentem pẽrdit, amittit sensum, fertur desideriis, contrariis vrgetur, salutaria respuit, quærit noxia, fugit curã: tunc medici studio parant abstinentiæ remedio subuenire, vt sanetur, vt sanet abstinẽtia quod voracitas sauciarat. Et si pro tẽporali cura, ægri medicis obediunt, seruant arduam parcitatem: quare pro sempiterna salute sit durũ Christo moderatis obedire ieiuniis? corp⁹ gubernare mensura? mẽtẽ regere parcitate, sensũ sobrietate frænare? Sicut terræ nubes caligant cœlũ,

sic obscurant animas intemperata conuiuia. Sicut ventorum turbines elementa confundunt: sic fercula congesta stomachum perturbant. Vt nauem fluctus, corpus ebrietas sic demergit, hominem dat in profundum, lucra vitæ aufert, mortis facit subire naufragium. *Petrus Chrysolog. sermone. 41. de ieiunio. & eleemosina.*

Sicut nubes operiunt lumen lunæ: Ita & vapores ventris in anima sapientiam Dei. Sicut est flamma ignis in siccis lignis: ita est in ventre repleto. Sicut auget pinguis materia flammam ignis, ita & diuersitas ciborum corporis motum. *Ysaac presbiter de contemptu mundi cap.* 14.

Sicut impossibile est, vt grauatæ nimis carnib⁹ volueres in cœlum euolent: ita qui carnem suam nutrit & fouet, illuc ascendere non poterit. *Climacus de discretione gradu.* 26.

Obruti vino ac crapula nihil à mortuis differunt, atque adeò sunt mortuis deteriores, quantò miserabilius est, viuentem adhuc mortuo esse similem, quamuis hi hanc vnã vitæ intemperantiam vitam putent. Verum si agnoscere volumus, vtri viuant, hi scilicet, an qui contraria ingrediuntur via, duos in medium ponamus, vnum qui intemperantiæ ac voluptatibus, & huius vitæ erroribus operam det, alterum qui ab his abstineat, & videamus vter horum magis viuat. Sic horum duorum alter admodum dives & insignis, parasitos nutriat atque assentatores, & totum in hoc insumat diem, comessationibus ac crapulæ operam dans. Alter cum paupertate ac ieiunio degat, atque in duriori vita philosophetur, vespere duntaxat necessarium cibum capiat, aut, si mauis duos aut tres dies sine cibo maneat, vter magis viuet? Ingrediamur vtriusque domos, deprehendemus alterum cum libris versari, aut in precationibus aut ieiunio, aut alia quauis re necessaria vigilante: Alterũ verò ebrietate obrutũ, & nihilo meliorem mortuo inueniemus. Quod si vsque ad vesperam expectemus, maiorem mortem hunc inuadere conspiciemus cui rursus succedet somnus. At ille alter etiam nocte peruigil est, vtrum ergo magis viuere dicemus? illumne qui sine sensu iacet, & omnium risui expositus est, an hunc qui semper aliquid homine dignum agit, & cum Deo versatur? Nam si illũ adeas, & quidpiã ei dixeris necessariũ, nõ audiet loquentẽ perinde ac si esset mortuus: Cum hoc verò si

versari, siue diu siue noctu cupias, angelum cernes potius quam hominem. Ille quidem furentibus persimilis est, atque adeo infœlicior. In hunc enim siquis contumeliam exerceat, etiam miseremur eius qui patiatur contumeliã, & eum reprehendimus qui eam faciat. At in hunc si quem cernamus insilientem, non solum nõ flectimur misericordia, sed etiam probamus factum. Hanc tu vitam appellabis, & non potius rem omnibus mortibus molestiorem? Cernis vt non solum mortuus sit, qui in delitiis viuit, sed & mortuis deterior, atque à dæmoniis acto infœlicior? Nam huius miseremur, illum odimus: & hic veniam meretur: ille vero pœnas dat sui morbi. Quod si extrinsecus ita ridiculus esset, & vndique corrupto vino fœtet, cogita infœlicem animam in tali corpore tanquam in sepulchro defossam, quo pacto affecta esse censenda sit. Ide enim est ac si cerneres barbarum aliquem turpem & impurum in pueilam decoram & temperantem & ingenuam insilire, & afficere cõtumeliis. Qui per ebrietatem ratione se priuat *cõparatus est iumẽtis insipientibus & similis factus est illis.* Ego vero pecudibus magis irrationales eos esse dixerim, qui ab ebrietate detinentur, quoniam quadrupedia omnia ordinatos habent impetus ad mutuam permixtionem, At hi quouis tẽpore & omnibus horis ad impuros & turpes conplex' cõpelluntur, & neq; hoc solũ, sed etiã peruersio sensuum deteriorẽ quouis pecude ebriũ ostendit. Quod enim pecus ita deprauatum habet & visum & auditũ, vt ebrius? Hi maximè quidem domesticos ignorant, & sæpe ad externos tanquam notos accurunt, vmbras transiliunt, fluuios arbitrari, aures habent strepitu, & sono tanquam perstrepentis maris, terra in altum illis videtur erigi, & montes circumcurrere: Nunc effusè rident, nunc deflent & lamentantur, nunc confidentes & intrepidi sunt, nunc pauentes & territi. His somni quidem graues ac suffocati, & verè morti proximi. *Isidorus Clarius oratione. 59. tom. 1.*

Maximè verò efficax remedium est, ad cohibendam nimiam illam edendi ac bibendi appetitionem, si alendo interiori homini studeamus. Id enim hîc accidit quod in stateris vt quod vni additur, alterius fiat detrimentum. Quo enim magis corpus alitur, ad animi infirmitatem

redundat, qui tamen vnus curandus esset. *Ibidem*,

Eorum animæ qui vitiis laborant, sunt re vera diuersis fontibus assimiles. Nam qui sunt gulæ & vino dediti, luculentis fontibus: Qui verò tenentur auaritia, & plura habendi cupiditate, fontibus ranas habentibus. Inuidi autem qui habent aptitudinem cognitionis, fontibus serpentes habentibus, in quibus semper fluctuat ratio, quia nemo haurit ex ipsis, propter morum acerbitatem. *Palladius de Stephano lapso.*

Vt polypi non extendunt sua flagella, nisi ad esculenta: Sic quidam omnem fœlicitatem cibo potuque metiuntur. *Plutarchus in Moralibus.*

Vt sceleste mulieres abortum prouocant, vt rursum impleantur ac voluptuentur: Ita quidam in hoc ipsum corpus euacuant pharmacis & clysteribus, vt denuò liceat ingurgitare. *Ibidem.*

Abominamur fœminas vtentes veneficiis in nos: Et amplectimur ciborum artifices. *Ibidem.*

Qui cibi duntaxat causa ad conuiuium accedunt, quasi vas adducunt implendum. *Ibidem.*

Nautæ a nauigandi labore turpiter conferunt se ad voluptates, rursum à voluptatibus ad nauigationem redeũt: Ita quidam à deliciis ad labores, à laboribus ad delicias summa vitæ inconstantia sese vertunt. *Ibidem*

Vt mathematici centro, ac spacio: Ita quidam omnem voluptatem ventre circunscribunt. *Ibidem.*

Qui à præscripta vitæ ratione ne tantulum quidem audent discedere, ij ostrei vel stipitis potius vitam viuunt. *Ibidem.*

Vt axillarum titillatio risum gignit, sed insuauem, spasmo similem: Ita voluptates iniucundæ, quas corpus ab animo extimulatum non sponte capit. *Ibidem.*

Vt nautæ nimium onerantes nauem, deinde in exhaurienda sentina laborant: Ita qui corpus onerant cibis, ac deinde clysteribus inaniunt. *Ibidem.*

Vt qui sacram pecuniam vertunt in vsus belli, voluptatem transferunt ad necessitatem: Ita qui ad vsum edunt ac bibunt. *Ibidem.*

Quidam fasti ditis proprijs vxoribus, & formosis, & amantibus, cum scorto mercede coeunt, gloriæ causa ma-

gis, quàm voluptatis: Ita quosdam cibi delectant vel ob idipsum quòd rari sint, ac magno empti. *Ibidem.*

Vt ferrum crebris immersionibus consumitur: Ita corpus crebris permutationibus vitiatur: hoc est, si nunc immodicis laboribus intendatur, nunc voluptatibus liquefiat ac molliatur. *Ibidem.*

Qui rogant quid simus facturi, si non edamus, bibamus, & huiusmodi rebus vtamur, perinde faciunt, quasi Danaides essent solicitæ, quid facturæ sint, si dolium impleatur. *Ibidem.*

Vide, Delitiæ, voluptas.

HÆRESIS, HÆRETICVS.

OMNIS igitur, qui dixerit præter ea quæ tradita sunt nulla fide dignus sit, tametsi ieiunet, tametsi virginitatem seruet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet lupus tibi appareat in grege ouium corruptionem faciens. *Ignatius in epist. ad Heronem.*

Quomodo siquis fiat bestia ex homine, similiter atque hi qui fuerant infecti venenis Circes: Ita homo Dei esse, & Domino fidelis esse perdidit, qui aduersus ecclesiasticam recalcitrauit traditionem, & in humanarum hæresum desiluit opiniones. *Clemens Alexand. Lib. 7 Strom.*

Quomodo turbatus oculus lucem perfectè videre non potest: Sic anima conturbata his dogmatibus, quæ sunt præter naturam, non potest veritatis lucem perfectè videre, quinetiam ea quæ sunt præ pedibus, ægrè intuetur. Dicunt etiam anguillas excæcatas, capi in aqua turbida. *Ibidem.*

Sicut improbi pueri pædagogum excludunt: Ita hæretici arcent prophetas a sua ecclesia, suspectos eos habentes, propter reprehensionem & admonitionem. *Ibidem.*

Quomodo amygdalæ dicuntur inanes, non in quibus nihil inest, sed in quibus id quod inest, est inutile: Ita etiam hæreticos dicimus, qui sunt inanes Dei consiliorum, & Christi traditionum, & amarescunt, non secus ac agrestis amygdala. *Ibidem.*

& adulterant veritatem Dei, lacte gypsum male miscetur. *Idem lib. 3. cap. 19.*

Quemadmodum serpens Euam seduxit, promittens ei quod non habebat: Sic hæretici prętendentes maiorẽ agnitionẽ in mortẽ demergunt sibi credẽtes. *Idem prol. go in lib. 4.*

Sed enim sepiæ isti (quorũ figura, illud quoque pisculentum de cibis lex recusauit) vt traductionem sui sentiunt, tenebras huic blasphemiæ interuomunt, atque ita intentionem vniuscuiusque iam proximam dispergunt, iactãdo & asseuerando ea quæ relucentem bonitatem creatoris infuscent. *Ibidem.*

Corruptores Euangelij, atque interpretes extrema ponunt, & superiora prætereunt, partim immemores & partim subdole corrumpẽtes. Vt ipsi ab Ecclesia scissi sunt: Ita capituli vnius sententiam scindunt. *Cyprianus de simplicitate prælatorum.*

Et quia mox Celsus Christianorũ sectas inuehitur dicẽs, postquã latè sparsi sunt iterum atque iterũ scissos, singulis suas factiones sibi parãtibus, & vt in multitudine dissona, aliis alios redarguentibus. Etiam ad hoc respondebimus nullam vnquam extitisse rem magnæ existimationis, & communi vitæ vtilem, quæ non in varias sectas discissa sit. Medicinæ namque quod ea sit vtilis atque necessaria humano generi, multásque quæstiones habeat de modo curandi corpora, apud græcos ex professo plures sectę inueniũtur. Rursum Philosophia veritatis cognitionem, rectéque viuendi rationem pollicetur, conatúrque nos res vtilissimas docere, in multas quæstiones deductas, ideò sectas habet plurimas, quasdã magis quasdã minus insignes, nec nõ Iudaismus sectarũ materiam prębuit, aliis aliter Mosis & aliorũ Prophetarum sermones accipientibus. Eodẽ modo quia Christiana Religio magnum quiddã & admirabile visa est hominibus non tantùm seruili ingenio prędítis sicut Celso videtur, verumetiam multis græcorum eruditis, necessariò exortæ sunt sectæ, non contentionis, sed inquirendæ Christianæ veritatis studio: dum omnes venerantur ac admirantur diuinas scripturas, sed varij earum autores intellectus suos habeant, vt quisque aliqua probabili ratione ad interpretandum motus est. *Origenes lib. 3. contra Celsum.*

Omne quod non est ex fide peccatum est, ad Rom. decimo quarto.

sed requirat aliquis, si hæretici quæ faciunt, quia secũdum hoc quod faciunt credunt, ex fide facere credãtur, An quia fides apud illos mala est, omne quod faciunt peccatum sit pronunciandum, quia non fit ex fide, & puto illorum credulitatem appellari magis quam fidem. Sicut enim pseudoprophetæ falso nomine interdum Prophetæ appellantur, & falsa scientia, sciẽtia dicitur, & falsa sapiẽtia, sapientia abusiue nominatur: ita & hæreticorum credulitas falso nomine fides appellatur. Vnde videndum est, ne forte etiãsi quid boni operis apud illos geri videtur, quia non fit ex fide, cõuertatur in peccatum, sicut de quodã dictũ est. Fiat oratio eius peccatum. Est ergo fides eorum qui circa fidem naufragauerunt: est & falsa sapientia, huius scilicet mũdi, & principum huius mundi quæ destruetur. Sicut enim pyratæ solent in mari in locis vadosis occultisque scopulis, per obscurum noctis lumen accendere, quò nauigantes sub spe confugiendi ad portum salutis, ad naufragia perditionis inuitent: Ita & istud lumen falsæ sapientiæ, vel falsæ fidei, à principibus mundi, & spiritibus aeris huius accenditur, non per quod euadant, sed per quod pereant homines, mũdi huius fluctus & vitæ huius pelagus nauigantes. Propterea nauigantes vitæ huius vndas, non omni lumini, id est non omni sapiẽtiæ credere debemus. *Origenes lib.* 10. *in epist. ad Rom. cap.* 14.

De Samson qui trecentas vulpes cepisse & ligasse per caudas, atque interiecisse lampades ardentes in medio caudarum, atque immisisse per messes Allophylorum, & incendisse eas cum stipulis & oliuetis vineisque memoratur, valde mihi difficilis formæ huius vel figuræ videtur explanatio. Tentemus tamen aliqua ex his pulsare pro viribus: & ponamus, sicut expositio nostra in superioribus continet, vulpes esse fallaces peruersosque doctores. Hos Samson (qui veri & fidelis imaginem tenet doctoris) capiens verbo veritatis, caudam ad caudã colligere: id est, aduersantes sibi & diuersa à se inuicem sentientes, docentésq; cõfutet, atq; ex ipsorum verbis propositiones collectionésque accipiẽs, in Allophylorũ segetem ignem conclusionis emittat, & ex propriis eorum argumentis omnes eorum fructus atque vineas & oliueta pessimæ generationis incendat. Sed & ipse numerus trecentarum vulpium, quæ à semetipsis diuersæ

& dissonantes erant, triplicem formam indicat peccatorũ. Omne enim peccatum aut in facto, aut in verbo, aut in cõsensu mentis admittitur. Verùm ne illud quidẽ quod in secundo libro Esdræ scriptum diximus, penitùs omittendum est. Vbi cum ædificarentur sancta sanctorum, id est, cũ fides Christi sanctorũ eius mysteria cõderentur, inimici veritatis fideíq; cõtrarij (qui sunt sapientes huius seculi) videtes absque arte Grãmatica & peritia Philosophica, cõsurgere muros Euãgelij, velut cum irrisione quadã dicunt, perfacile hoc posse destrui calliditate sermonũ per astutias, fallacias, & argumẽta Dialectica. *Idẽ ho. 4. in Cantica Canticorum.*

Videmus in Scripturis sanctis referri, quòd propter vnũ peccantem anathema facti sunt filij Israel, ita vt vincerentur ab hostib⁹. Sed videamus & ipsum peccatum eius quale sit. Furatus est (inquit) linguam auream, & posuit eam in tabernaculo suo. Non puto illo furto parui auri tãtam vim fuisse peccati, vt tam innumerosam Domini Ecclesiam macularet. Sed videamus fortè interioris intelligentiæ sit tanta, & tam grauis acerbitas ista peccati. Multus decor est in verbis, & multa in philosophorum vel rhetorũ sermonibus pulchritudo, qui omnes de ciuitate sunt Hiericho, id est huius mundi homines. Si ergo inuenias apud philosophos peruersa dogmata luculẽti sermonis assertionib⁹ decorata, id est lĩgua aurea. Sed videas ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis aurei pulchritudo. Memento, quia Iesus anathema iussit esse omne aurum, quod in Hiericho fuerit inuentum. Si poetam legeris modulatis versibus & præfulgido carmine Deos, Deásque tepentem, ne delecteris eloquentiæ suauitate. Lingua aurea est: si eam sustuleris, & posueris in tabernaculo tuo, si introduxeris in cor tuum ea quæ ab illis asseruntur, pollues omnem Ecclesiam Domini. Hoc fecit infelix Valentinus & Basilides, hoc fecit & Marcion hæretici: furati sunt isti linguas aureas de Hiericho, & philosophorum non rectas nobis in Ecclesias introducere conati sunt sectas, & polluere omnẽ Ecclesiam Domini. Sed nos præcedens primum sequamur exemplum discutiamus diligentius, ne quis absconditam in tabernaculo suo habeat Hiericho etiam linguã, & abiiciamus malum ex nobis ipsis: quia etiam si nos cessamus, arguet Deus ita, vt ipse sponte confiteatur & dicat: Furatus sum lin-

guam auream. *Idem super Iesum Naue.*

Vide ne qui nō habet margaritas, aut qui nō habet precio sum illud margaritū, nec discipulus sit Seruatoris. At margaritas inquam bonas, non nubilas, non sordidas ac turbidas, quales sunt sermones ab Ecclesiæ decretis dissentiētiū, quæ nascuntur non ad Orientē, sed ad Occasum ac Boream: si tamen & has oportet adiungere, ob eam quam inuenimus differentiam margaritarum diuersis in locis nascentium. Fortassis autem turbidi sermones, & in operibus carnis volutatæ hæreses, nubilę sunt, & in limo palustri nascentes margaritæ non bonæ. *Idem in cap. 13. Math.*

Sicut lilium in medio spinarum, sic amica mea inter filias. Filias hæreses dicit, quæ per baptismum, quasi renatæ, filiarum nomine nuncupantur. Sed spinis comparatæ, corrumpētes & corruptibiles perdocentur. Quam corruptionem Ecclesia nescit, quæ liliorum sinceritati comparata, vltrò citróq; redolet ac resplendet. *Iustus in Cantica Cantic.*

Dicit per parabolam in Euangelio Dominus: *Cum creuisset herba, & fructū fecisset, tunc apparuerūt zizania*, id est, proficiēte Ecclesia, numerosę etiā hæreses surrexerunt: vel, illa in fide permanēte, quàm prauè sentirēt, inuestigatæ sunt. Sic & ille Samson, qui interpretatur Sol captis trecētis vulpibus, eorū caudis ignem appositit, & fructus inimicorum accendit. Semper enim hæretici in primordiis, velut ficta religione cōspicui, in extremis suis ignē trahunt, gehennæ incendio deputati. Et ideo capite nobis vulpes, cōuincite hæreticos, eorúmq; versutias sanctarū Scripturarū concludite testimoniis. Quos vulpes paruulas dicit: quia nihil magni secūdū rectam fidē intelligendo continent. omne enimq; sapiunt, exhibent: qui pusilli sunt, demoliuntur vineas, subuertunt plebes, prauis eas traditionibus corrumpentes. Vinea nostra fiorvit, Ecclesia catholica indeclinabili augmento proficit. *Ibidem.*

Pestifera contagione inquinati, non cessant ore impio, & sacrilego animo Euangeliorum synceritatem corrumpere, & rectam Apostolorum regulam deprauare, diuinos Prophetas non intelligunt, callidi & astuti artificio quodam vtuntur. Inclusam pernicioſam corruptelam exquisitorum verborum velamine contegunt. Non prius venenatum virus infundunt, quam simplices & innocentes, sub prætex-

tu nominis Christiani, raptos atque irretitos inuoluant ne soli pereant, sed participes horrendi criminis sui reos faciunt. *Idem lib. 10. de Trinit.*

Transferunt & transformant, & aliud ex alio facientes, multos decipiunt per male compositam dominicorum verborum adaptatorum sapientiam. Quemadmodum si quis regiæ imaginis pulchræ, ex pretiosis lapidibus fabricatæ à sapiente artifice, subiectam hominis formam soluat & lapillos illos transferat & accommodet, ac faciat formam canis aut vulpeculæ, atque hanc malefabricatam. Deinde præscribat ac dicat, hanc esse regis imaginē illam pulchrā quam sapiens artifex fabricauit, ostendens lapillos illos à primo artifice probè in regis imaginē cōpositos, verū malè à posteriore in canis formā translatos: & per lapillorum apparentiam seducat imperitiores, qui regiæ formæ notionem non habent: & persuadeat quod hæc putrida vulpeculæ forma sit pulchra illa regis imago. Ad eundem sanè modum etiam hi anicularum fabulas consuentes, deinde verba & dictiones & parabolas vndéq; detrahentes adaptare volunt fabulamentis suis eloquia Dei. *Epyphanius hæresi. 31. contra Valentinos.*

Qui rerum historias scripserunt, dipsadem tradunt quendam serpentem talem veneni perniciem inducere. Etenim in locis quibusdam, vbi fontes sunt in petris, aut venæ, siue riuuli parui aquarum, quæ à petris funduntur in receptaculum aliquod, ipsa dipsas aquam reperiens ac bibens, postquàm bibit, venenum immittit in prædictas aquarum stationes, vt omne animal quod accessit, & potu se satiauit, videatur quidem sibi vtilitatem percepisse ex participatione aquæ: statim verò circa aquarum receptaculum, ex veneno dypsadis susceptō cadat ac moriatur. Quin etsi aliquem percusserit eadem dipsas, affectio doloris ex veneno ipsius vehementiori vi vltoria predito, ad sitim & appetentia potus vrget, semper ad bibendum ac ingerendum potum irritans. Ac percussus putat se aliquid vtili atis accipere ad perniciem, quoties in lethali hoc dolore potum sumit. Verum in ipso potu expleto ventre, & non amplius susciepiente, postea vna cum potu animam emittit: Sic etiam hic per poculum mortem operatur ac propinat ab ipso seductis. *Idem hær. si 34. contra Marcosios.*

Seps equidem hic Heracleon merito dici poterit, qui est reptile quadrupes stellioni similis: cuius morsus detrimentum pro nihilo reputatur: sputum autem in cibum aut potum eiaculatum, statim mortem assumentibus inducit. Talis sanè est etiam huius doctrina. *Idem, hæresi 36. contra Heracleonitas.*

Inuenimus apud naturæ rerum doctos physiologos appellatos, imò potius nos ipsi videmus, quod cantharorum, hoc est scarabæorum genus quod à quibusdam pilularium vocatur, consuetudinem habet, vt in fœtore ac stercore volutetur, & hoc est ipsorum alimentum & opera. Et aliis quidem idem stercus graueolens & abhominabile est, apibus autem hoc stercus & graueolentia mors est, & scarabæorum, quidem opera ac tractatio est graueolentia: apibus autem vice versa bonus odor & flores, & vnguenta, in refrigerationem creationémque ac cibum, & in operam ac tractationem. Verum scarabæis prædictis talia contraria. Cuius rei si quis experimentum facere velit, de vnguento succi balsami aut nardi sumat, & scarabæis afferat, & mortem ipsis inducet, velut physici testantur. Statim enim moriuntur non ferentes bonum odorem. Sic etiam hi tranquillitatem & scortationem ac vitia appetentes, in mala spem suam habent. Vbi verò sacro lauacro ac bono odori appropinquarint, moriuntur in Deum maledicta effundentes, & ipsius dominationem reprobantes. *Idem, hæresi 40. contra Archonticos.*

Misera est hominum natura, quum relicta Dei via errat, & vbi seipsam à Dei vocatione separauit. Contingit enim his canis prouerbium, qui vmbræ intentus non continuit quod habebat in ore, & in aquam intuens, & maiorem vmbram aquæ esse putans, quàm cibum quem in ore ferebat, aperto ore etiam eum quem habebat amisit. Sic & hi cum viã repererint, & vmbram assequi velint in suspitione ipsorum obortam, non solum cibum qui in ore ipsorum, vt ita dicam, erat, ex Deo donatus, amiserunt, sed etiam perniciem sibi ipsis attraxerunt. *Idem, hæresi 41. contra Cerdonianos.*

Tradunt doloroſam vespam, quam quidam zopyron appellant, habere quidem aculeum venenum iacientem, breuem, non multum dolorem inducentem, sed qui secũdum ipsius facultatem venenum iaciat. Si verò quis perserutans

ipsius latebras, aut nidum destruat, in fruticibus enim & herbis hunc facit, & instar faui sibi ipsi capsas quasdam cõstruit: in quibus capsis sobolem suam deponit, & sibi ipsi fœtus facit: Si verò quis perscrutãs virga aut ligno pungat fauum & destruat, exit indignata ipsa horrenda quidem, verum debilis vespa, etsi inuenerit petram aut lignum, præ ira qua excanduit, cum stridore instat, & impetit ac ferit petram quidem nihil lædit, neque lignum imò neque hominem, etiamsi momorderit, nisi quod modicum dolorem inducit: verum aculeum amittit, & sic perit, petra vero nulla iniuria afficitur. Sic etiam hæc vespacea secta instar zopyri, paruam inducens vexationem subuertetur, vbi in petram illapsa impegerit, hoc est, in veritatem & vbi aculeum amiserit. *Idem, hæresi, 44. contra Apelleianos.*

Peior est autem hæresis hæc quam lacerta, ne minimam quidem vtilitatem in se habens. Illa enim vbi per tempus hebetem visum habuit, per conuersationem ad solem oculos rursus leuat, dum in latibulo ad orientem conuerso, seipsam opprimit, & ieiunantem se ad orientem conuertit. Hæc autem secta in omnibus insipientiam animantis eius habet, non tamen vel modicum laudis. *Idem, hæresi 53. contra Sampsæos.*

Relinquamus hanc hæresim velut murem araneum lapi de ictum, per firmum fidei fundamentum, à veneno virus eiaculantis bestiæ elapsi. Etenim murem araneum dicunt ad tempus nihil iniuriæ inferre conuerso, tempore autem quodam corpus disperdere, & cõtactum ad mutilationem totarum partium ducere. Sic etiam hæc sententia, his qui statim de his audiuerũt, apparet veluti nihil sit. Verùm affricta verborum attractio quæstionem inducit, & velut dissipationem his qui non auxilium huius antidoti assequuntur. Non autem ferme apparet animal hoc. In nocte enim ambulat, & sic damnum inducit, maximè in Ægyptiorum regione. *Idem. hæresi 55. contra Melchisedecianos.*

Hic vir per omnia magnopere ornatus erat, donec in errorem sectæ suæ incidit, factus instar pulcherrimæ nauis, cui incomparabile onus immittitur, & quæ iuxta ripas portus tracta est, & totum mercimonium perdidit, & aliis qui nauem conscenderunt mortem induxit. *Idem, hæresi 56. contra Bardesianos.*

Quare cum tota scriptura clarè nobis viâ veritatis proponat, & nos hunc Noëtum & ipsius hæresim, cum aliis sectis repulerimus, velut draconē ostracitem appellatū, cui in eo quod hominem persequitur, se flectere non potest, neque ad dexteram neque ad sinistram. *Idem, hæresi 57. contra Noetianos.*

Si quis post baptisma coniunctus fuerit vxori secundæ, apud hos non susscipitur amplius. Et tota res stultitiæ plena est. Sicut enim si quis videat aliquem natantem in aqua, & ignorans natandi experientiam, seipsum det aquis & submergatur, cum non expertus sit, neque certò sciat scientiam eorum qui per manus & pedes sibiipsis salutem suppeditant. Aut sicut si quis audiret ducem supplicio affeciſſe eos qui aliquid malefecerunt, vsque ad minimum: & putaret æqualem vltionem exequi oportere in omnes velut ob cædem, ita etiam in calumniantem, aut pugnantē contra proximū. Aut sicut si quis sit penitus idiota, & videat principē qui potestatem accepit contra scelestos, gladium eduxisse, aut contra præstigiatores & blasphemos ac impios, putet omnes potestatem habere, vt de talibus criminibus vlciscā tur: & vbi vidit homines pœnas dedisse, etiā ipse similia imitat⁹, velit quosdam occidere, velut qui iniustos iudicet. At talis deprehensus ipse pœnam dabit, vt qui à rege talium faciundorum potestatem non accepit, & æqualem calculū à legum iustitia, contra omnes exire putauit, & seipsum in iniustitia per propriam inexperientiam ac inscitiam in interitum dedit. Sic etiam ipsi omniū facta simul miscentes, ab omnibus exciderunt: & non intelligentes doctrinæ Dei sinceritatem, ad aliam viam decepti conuersi sunt. *Idem, hæresi 59. contra Catharos.*

Omnis autem hæresis quæ à veritate desciuit, in tenebris excutit, & manibus prætentans incedit, alia pro aliis intelligens. Similes enim sunt hi quibusdam inartificiosis, & nō cognoscentibus singulas qualitates, & vsus vniuscuiusque membri ornatus, & sanè deliram quandam similitudinem atque imaginem stultitiæ ipsorū proponam. Calceamenta quidē capiti circundant, coronā autem pedibus, & cingulū taureū circum ventrē. Reliquum verò vestitū, odonia vide licet, aut bracas apud quosdā appellatas, manibus induūt, annulos autem pedibus. Ita erronea & inordinata est dis-

positio eorũ qui ignor. ntiam possident. Nã quæ in sacerdotio cauta sunt, de secundis nuptiis atque aliis, ea hi ad omnem populũ transtulerunt: & quæ ob excellentẽ rigiditatẽ à Deo prædicata sunt, vt ne per socordiam aliqui in vitia decidant, populo attribuerunt. Et sicut si quis vestem manu tenens, à iunctura manus vsque ad cubitum se tegat, & manicam illam semper ob oculos præ se ferat, & alios irrideat, qui ipsi vitio vertunt, quod totum ipsius corpus nudum est: Sic etiam hi gloriantes, quod non susciipiunt bigamos, omnia mandata similia huius, & adhuc cum excessu pulchriora & morti destinata reliquerunt & ignorantes se toto pectore nudos esse, ab omnibus mandatis cessarunt, & vnum hoc non purè seruant. *Ibidem.*

Omnis occasio quantumvis modica, singulas hæreses à veritate distraxit, & ad multa mala deduxit. Quemadmodum enim si quis trãsitum reperiat in sepi circa publicam viam, & per hunc sibi eundum esse putet, & relicta publica via, per hunc eat, putans se propinquissimum habere, vnde reflexu facto rursus viam apprehendat: ignoret autẽ quod murus consistit altissimus, & longo interuallo extructus: percurrat autem & non reperiat per quam viam exitum faciat, & per vnũ signum siue miliare progressus, adhuc amplius viam non reperiat, & sic ad plures se conuertat: cum autem sic laboret, & facultatem nõ habeat per quam viam ad rectum iter perueniat, fortassis neque inuenire poterit, nisi reflexerit per eam, per quam etiã ingressus est: Sic omnis hæresis velut compendium quoddam inuenire potens, à longa via discessit. Inuentus est autem ipsi murus infractus, ipsa ignorantiæ implicatio. Et nõ vtique inuenerit talis, quomodo ad verã viam perueniat, nisi reflexerit ad primam viam, hoc est, regiam. Est autem via regia, sancta Dei ecclesia, & iter veritatis. Vnaquæque vero harum regia relicta, & ad dexteram aut sinistram inclinatione facta, vbi deinceps se in nimium errorem dederit, distrahetur, & nõ amplius mensuram habet apud vnamquãque sectã, erroris imprudentia. *Ibidem.*

Tradunt naturæ rerum experti myoxum latitare, & fœtus suos simul in eodem loco simul parere quinque & amplius. Viperas autem hos venari. Et si inuenerit totum latibulum ipsa vipera, cum non possit omnes deuorare, pro vna vice ad satietatem edit vnum aut duos, reliquorum

vero oculos expungit, & cibos affert, excæcatósque enutrit, donec voluerit vnumquemque ipsorum deuorare. Si vero contigerit, vt aliqui inexperti in hos incidant, ipsósque in cibũ sumant, venenum sibi ipsis sumunt, eos qui à viperæ veneno sunt enutriti. Sic etiam ô tu Origenes à Græca doctrina mente excæcatus, venenũ his qui tibi crediderũt, euomuisti, & factus es ipsis in edulium venenatum, ita vt per quæ ipse iniuria affectus es, per ea plus iniuria affeceris. *Idem, hæresi 64. contra Origenem.*

Drynas equidem serpens quidam est ita appellatus, qui sane similis est huic hæresi. Sicut enim drynas dicitur esse serpens, verùm iuxta herbas & quercus frequentissimè latibula sua habet, quapropter etiã drynas vocatur, & quòd quercum arborem amat, & foliorum delapsorum viriditati ac palliditati ipse in medio ipsorum situs seipsum assimilat. Non autem vsque adeò ingentem dolorem hoc animal infert, verum si is perseueret, mortem inducit. Ita etiam hic & hæresis ipsius se omnibus numeris assimilat, vt qui nomẽ quidem Christi induit, Iudæorum verò opinionem elegit. *Idem, hæresi 65. contra paulum Samosatensem.*

Manichæus omnia in tenebris esse dicit, præter se solum. Etenim cæci, ludibrij gratia multum videntes appellantur à videntibus, dum declinant vt ne malè audiant. *Idem, hæresi. 66. contra Manichæos.*

Etenim non solliciti sunt de vitæ sanctimonia, non de ieiuniis, non de mandatis Dei, non de aliquo alio ad vitam hominibus à Deo præcepto, sed solum promptus est ipsis sermo, per vnum verbũ omnia. Velut si quis iactura è naui facta, & omni vectigali etecto, detineat vnum quiddam ex his quæ in nauem imposita sunt, tegulam inquam, aut aliud quid, vt per vnum instrumentum omnem pontum pernatare possit, & salutem sibi ipsi parare: & talis fallatur, & non velut putauit de instrumento in manus sumpto, finem reperiat, posteà submersus, à toto negotio ac salute excidat. Sic etiam hic Ætius, & qui ex ipso sunt Anomæi, in medium afferentes dictum quod à Domino in euãgelio dictum est, dictionẽ quidem exponunt, verum vim ipsius non rectè tenentes, fallitur & falluntur. *Idem, hæresi. 76 contra Anomæos.*

Nam id quod lolium appellatur, cæteráque adulterina semina, quæ sese cum esculentis miscere solent, quæq; scriptura

ptura sacra nominare zizania consueuit, eorum hominum præ se ferunt imaginem, qui dominicam doctrinam adulterare depraua réque nituntur: quique non vti legitimos se dedunt verbo Dei erudiendos discipulos, sed spiritus maligni doctrina corrupti, cum ecclesiæ sese corpore sano permiscent, vt clanculum sui erroris noxam, in simpliciores & integræ fidei viros transfundant. *Basil. Hom. 3. exameron.*

Habent astutum dogma, ad eiusmodi suas mutationes paratum: Nam verbis fidei more medicorum vtuntur, pro cõmoditate aliter atque aliter sese ad affectionum rationem ac varietatem attemperantes. *Idem, epist. 73.*

Nam quod in viis & in fluuiis comperire licet, vt quæ in diuersum tendentia scindantur, eadem in seipsa reuertantur, confluántque: hoc ipsum & hic præ impietatis immanitate contingit, nimirum, vt qui alibi dissident, iidem in aliis inter se conueniant, vt qua parte consentiant, quáue inter se pugnent, hoc verò ad amussim cognoscere nõ possis. *Greg. Nazianzenus, lib. 5. de Theologia.*

Quamobrem pedagogorum, medicorúmque more, ex patria religione, dum aliud abrogat, aliud verò concedit, nonnihil pristini ritus quod voluptati sit, ipsis permittit, nõ aliter atq; medici ægrotantibus facere solent, Huc spectantes vt medicina alioqui acerba dulcore aliquo ad artis præscriptum temperata, æquioribus animis recipiat. *Idem.*

Postquam verò in vices euasere, ac iam philosophiæ attigerant dogmata (quod vtique nunquam euenisset) vimque ex sermone acquisiuêre, quę mansuetis quidem virtutis est armatura, sceleſtioribus verò malitiæ sit aculeus, non iam amplius mørbum penitus quantus erat celare poterat, neq; omnino impietatis dolum in seipso tantum philosophicè exercere valebat, sed tanquam ignis in materia delitescés, etsi nondum flammam claram emittat, è scintillis tamen quibusdam micantibus, aut fumo è profundo emergente indicatur. Aut si mauis, quemadmodum fontes, qui per fistulas quasdã vi spiritus sub terra feruntur, postea nec spatium latum, neque exitum habent liberum, sæpius terram inflant, & infernè submurmurant, impetu quidem spiritus impulsi, sed vi superna cohibiti, & intercisi. Ita & ille plurimum impietatis ob temporis gratiam & institutionem

Constantij imperantis abscondebat. Nondum etenim tutũ erat palam impiè agere, nonnunquam tamen mentis detegebat arcanum acutioribus impietate quã intellectu, præcipuè in sermonibus ad fratrem, plusquam bene haberet, pro gentilibus contendens, nẽpe sub pretextu tanquam ser monem exerceret tenuem. Cæterùm hæc potius contra veritatem erant exercitamenta, cum omnibus gauderet quibus impij denotarentur mores. *Idem, orat. 1. in Iulianum.*

Nihil est periculosius his hæreticis, qui cum integrè per omnia decurrant, vno tamen verbo, ac si veneni gutta, veram illam ac simplicem fidem dominicam, & exinde apostolicæ traditionis inficiunt. Vnde vehementer nobis cauẽdum est, ne se vel sensibus vel auribus nostris huiusmodi, aliquid latenter insinuet quia nihil tam cogit in mortem, quàm sub obtentu fidei integritatem eiusdem fidei violare. Vt enim gypsum aqua permixtum, lactis colorem mentitur: ita hic per verisimilem confessionem, traditionis inimica suggeritur. *Idem, tractatu de fide.*

Omnes etenim cæteras pietatis vias relinquentes, ad hoc vnum spectant atque prospiciunt, si quid forte in quæstionibus alligent, aut quomodo simpliciter & fideliter dicta dissoluant. Sicut nonnunquam fieri in athletico certamine solet, vbi luctæ colludio non tam ad palmam tenditur, quã ostentatio palæsmatis & artis spectantium ad se rapit fauorem. Ita & isti auditorum plausus captantes, in plateis & in publico contentionibus personant: & omne conuiuium atque omnem festiuitatem, luctus quoque ipsos si fuerint ingressi, quæstionibus omnia & certaminibus replent, ita vt solẽnitas festiuitatem suam ac lætitiam perdat, & luctus cõ solatione careat. Sed & mulierum ingressi cõuenticula, quibus vtique vernacula esse debet & coalumna simplicitas, importunis & rapidis verborum suorum motibus omni eas verecũdia & pudoris flore dispoliant. *Idem, ser. quod non liceat semper & publicè de Deo contendere contra Arianos.*

Quoniã & simia hominis habet mẽbra, & per oĩa homine imitatur, nunquid propterea dicẽda est homo? Sic & hæresis omnia ecclesiæ habet, & imitatur mysteria, sed non sunt ecclesiæ. *Chrysost. Hom. 19. operis imper.*

Prius peccatis plurimis excæcatur homo: & sic diaboli seductione seducitur, & cadit in morte. Quemadmodũ enim

sole manente non prævalet nox, cum autē accesserit ad occasum, tunc occupat mundū: sic quandiu lumen iustitiæ in homine fuerit, tenebra erroris eum non apprehendit. Ergo bonis operibus vigilandum est, quia non error generat peccata, sed peccata errorem. *Ibidem.*

Veniunt ad vos in vestimentis ouium. Math. 7. Si quis lupū comperiat pelle ouina, quomodo cognoscet illum, nisi aut per vocē aut per actum? Quis inclinata deorsum balat, lupus in aëra conuertit caput suū contra cœlū, & sic vluiat. Qui ergo secundū Deū vocem humilitatis & confessionis emittit, ouis est; qui vero aduersus veritatē blasphemiis vlulat contra Deum, lupus est. *Ibidem.*

Serpentes sunt oēs hæretici, prudētes in malo, & stulti in bono. Et sicut serpētes varij sunt in corpore suo: Sic hæretici varij sunt in errorib⁹ suis, & multiplices in malignitate, qui deposuerūt imaginē Dei quæ est in iustitia & sanctitate veritatis. Facti sunt serpētes filij serpētis illius, ad quē Dominus dicit. Super ventrē tuū & super pectus tuū repes. Super ventrē quidē repūt: quoniā quicquid faciūt, ppter vētrē faciūt, & propter vanā gloriā pectoris sui. Terrā autē mādu cant, quoniā neminē lucrantur aut capiunt in perfidia sua nisi illos qui in terra sunt, id est, carnales homines. Nō solū autē serpentes sunt, sed & viperæ quarū natura est, vt rūpentes viscera matrum nascantur: sic & auctores hæresum, rumpentes fidem matris ecclesiæ, processerunt ad principatum. *Idem, Hom. 45. operis imperf.*

Sicut membrum à corpore precisum viuere non potest, neque ramus arboris viridis esse: Sic & oēs hæretici præcisi à corpore vnius ecclesiæ, nec vitā Christi in se habere possunt, nec viriditatem gratiæ spiritualis, sed est ecclesia eorum deserta. *Idem, Hom. 46.*

Cū de filio verbū sublime audiūt hæretici, insanire incipiūt, & putāt in ora sua amaritudinē immitti. Vt cum quis morbis & febribus laborat, & paululū relinquitur ab eis, si ordināt medici, vt os ei⁹ melle illiniatur, faciántq; id serui vt præcipitur: existimat infirmus quod amarū sit mel, licet circūstātes infirmū moneāt dulcissimū esse mel, videtur tamen infirmātis ori amarū, non quod mel sit amarū sed quia infirmus est: Sic cū audiūt cōsubstātialē, opinātur sibi offundi amaritudinē, quia infirmæ illorum sunt aures. *Idem, in ca. 2 Ioan. contra Iudeos.*

Audiant miseri hæretici. Eorum enim cogitatio Labyrintho cuipiam ac gryphis similis est, nullum vsquam finem habens, neque concedens cogitationem stare supra petrã, originem ab arrogantia ac nimia sui opinione assumens. Cum enim quosdam pudeat ad fidei susceptionem accedere, vt ne videamur cœlestia ignorare, ipsi sese in cogitationum veluti quisquilias ac minutias coniiciunt. *Idem, Hom. 2. in epist. ad Rom.*

Circa fidem naufragium fecerunt 1. *Timoth.* 1 Qui naufragium facit, nudus omnibúsque destitutus euadit: ita, & qui ex fide exciderit, nihil iam habet vbi figatur, non habet vbi seipsum recipiat. Quippe capite perdito atque corrupto, quęnam reliqui corporis vtilitas est? Si enim fides absque operibus mortua est, multomagis absque fide nil proderunt opera. *Idem, Hom. 5. in 1. Timoth.*

Quemadmodum qui fide subnixi sunt, in tuto nauigant: ita qui illa exciderunt, nusquam possunt consistere, sed lõgo errore circumacti postremò in ipsa perditionis prærupta feruntur. *Ibidem. Hom. 12.*

Quomodo loquentis sermo præteruolat: ita opus araneæ in cassum texitur. De quo super persona hæreticorum scriptum est in Isaya. *Telam aranęæ texunt*, quæ parua potest capere animalia, vt muscas culices & cætera huiusmodi, à fortioribus autem rumpuntur, instar leuium in ecclesia simpliciúmque qui eorum decipiuntur erroribus, cum viros in fidei veritate robustos, non valent obtinere. *Hieronymus, epist. ad Cyprianum.*

Modicum fermentum totam massam corrumpit. Scintilla res parua est, & penè dum cernitur nõ videtur: sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta quamuis paruus ignis inuenerit, vrbes, latissimos saltus, regionésque consumit. Fermentum quoque cuius ad aliam partem in euangelio parabola temperata est, res modica videtur & nihili, sed cum farinæ conspersum, totam massam suo vigore corruperit, in illius vim transit omne quod mixtum est: Ita & doctrina peruersa ab vno incipiens, vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores, sed paulatim cancer serpit in corpore & iuxta vulgare prouerbium, vnius pecudis scabies totũ cõmaculat gregẽ. Igitur & scintilla statim vt apparuerit, extinguenda est, & fermẽtum à massæ vicinia re-

mouendum, secandæ putridæ carnes scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus massa corpus & pecora ardeat, corrumpatur putrescat, intereat. Arius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est, *Idem, lib. 3. comment. in epist. ad Galat. cap 5.*

Caupones tui miscent vino aquam. Omnis doctor qui austeritatem scripturarum vertit ad gratiam, & ita loquitur vtnõ corrigat sed delectet audientes, vinum sanctarum scripturarum violat, atque corrumpit sensu suo. Hæretici quoque hęreticam veritatem corrũpunt praua intelligentia, & sunt caupones pessimi, facientes de vino aquam. Cum è contrario dominus noster aquas in vinum verterit, & tale vinum quod miretur architriclinus, quale & regina Saba in Salomonis est mirata conuiuio, pincernas eius & ministros vini, sua voce collaudans. *Idem, lib. 1. comment. in Esayam, cap. 1.*

Qui immolant in hortis & sacrificant super lateres. Esaye. 65. Omnis hæreticus ad iracũdiam prouocat dominũ, & in falsitate dogmatum suorum immunda offert sacrificia, nequaquam firma & mansura perpetuo, sed instar hortorum ad breue virentia, carnis delitiis prouidẽs. Cui dicitur, omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Aruit fœnum & flos decidit. Verbum autem domini quod in ecclesiis prædicatur. *Idem, lib. 18. in Esayam, cap. 18.*

Omnes hæretici propter fraudulentiam ac nequitiã vulpium similes sunt, de quibus saluator loquitur. *Vulpes foueas habent, & aues cœli nidos.* Et de Herode scriptũ est, *Dicite vulpi illi.* Et de iisdem vulpibus quæ paruulos simplicésque decipiunt, & populantur vineam Christi, Salomon ait, *Capite nobis vulpes parunlas dissipantes vineas. Cant. 2. Idem, lib. 4. comment in Ezechielem, cap. 13.*

Si fornicaris tu Israel, non delinquas saltem Iuda, quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit Israel. Osee 4. Si semel fornicaris tu ecclesiastice, ne delinquas. Sicut enim vacca percussa aculeo percussi sunt hæretici ardentibus diaboli sagittis, & legis notitiam reliquerunt, ideo pascentur in lata & spatiosa via quæ ducit ad mortem, & patientia domini bonique pastoris eos inuitat ad interitum. *Idem, comment. in cap. 4. Osee.*

Omnes adulterantes, quasi clibanus ardens ad coquendum. Oseæ.7. Hæreticorum corda diaboli igne succensa, vt in eis panes coquantur Antichristi, nemo ambigit, qui ideo primum quiescunt in ecclesia & loquuntur occultè & omnia pacificare promittunt, vt cancer paulatim serpat in populos, & fermentum doctrinæ eorum (quod & Dominus intelligens loquitur, Cauete à fermento pharisæorum) cum intumuerit in cordibus deceptorum, tunc in apertam prorumpunt insaniam, & impletur in illis quod à Ioanne dicitur. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, vtique mansissent nobiscum. *Idem, lib. 2. comment. in Oseam. cap. 7.*

Si Galaad idolum, ergo frustra erant in galgal, bobus immolantes. Oseæ, 12. Quia Galaad interpretatur translatio testimonij, & Galgal volutabrum, hoc dicere possumus quod principes hæreticorum testimonia veritatis transferant in mendacium, & quicquid colunt, idolum sit & sacrificia eorum habeant similitudinem, vel aceruorum de lapidibus congregatorum vel testudinum Quomodo enim acerui hinc atque illinc de lapidibus & fabulo congregantur. Ita & hæretici de sapientia seculari & argutiis hominum, fraude atque mendacio symulacra componũt. Et cum hoc fecerint, tardis gressibus in vno mouentur loco, & totum orbem occupare non possunt. Testudo tardigrada & onerata, imò oppressa pondere suo, nõ tam ambulat quam mouetur, hæreticorum grauissima peccata significans, qui suis in cœno & volutabro iuti erroribus immolant, adorantes opera manuum suarum, & instar boum cuncta pro terrenis frugibus laborantes. *Idem, lib. 3 comment. in Oseam, cap. 11.*

Cum tyrannus detruncatur imagines quoque eius deponuntur & statuæ, & vultu tantummodo commutato, ablatóque capite, eius facies, qui vicerit, superponitur: vt manẽte corpore, capitibúsque præcisis, caput aliud commutetur. Sic hæreticorum conciliabula, quia capitibus hæresẽon à cæteris separatis populis, in loco eorum caput esse Christus incipiat. *Idem, in cap. 1. Abacuc.*

Sicut flumina de ventre iusti fluunt, & fontes vberes in vitam æternam per varias multiplicésque sententias, quibus imperat sermo Domini. Ita & hæresiarchæ aquas suas quibus imperant. & quæ ex eorum primum fonte manarunt. *Idem, in cap. 1. Num.*

Quomodo in fabricatione turris lingua, quæ malè vnita fuerat, separata est, & pessimum fœdus vtili diuisione concisum: Sic & capita hæreticorum „quæ cum corporibus siue inter se videbantur habere concentum (plura enim hæreticorum capita sunt, quæ cum diuersos oculos habeant, tamen in vna, vt ita dicam, lingua blasphemiæ aduersus Ecclesiam latrant) diuiderentur in partes, & à decerptis corporibus separata, ab vno capite locum facerent. *Idem in cap. 2. Michæ.*

Hæreticis Dominus vulpes comparat, vulpes plenum est fraudis animal, foueam parans, & in fouea latere semper desiderans: Ita sunt hæretici, qui Domum sibi parare non norunt, sed circumuentionibus suis alios decipere conantur: Iacob domum habitat, hæreticus in fouea est, vt fraudulenta vulpes galinæ euangelicæ dolum intendens, semper merito foueas habent, quia domum quam habuerant perdiderunt. Hoc animal neque mansuescit vnquam, vnde & Apostolus ait, hæreticum hominem post vnam correptionem deuita: neque vlli vsui est, aut cibo vtile est. Ideo Samson ad caudas earum faces ligauit, & dimisit in messes alienigenarum, eoquod hæretici fructus conentur incendere alienos, latratibus magis sonori quam vocibus excitati. Qui enim vnum verbum negat, nec vocem habet ad præsens ore liberi, sed in futurum finem iam vincti, caude facibus significantes sui finis incendium. *Ambrosius, lib. 7 in Lucam cap. 6.*

Hæresis velut Eua fœmineo rigore fidei tentat affectu, & lubrica facilitate prolabens, lenocinia falsi decoris affectat intemeratam negligens pulchritudinem veritatis. *Idem lib. 7. cap. 64.*

Hæresis velut quædam hydra fabularũ vulneribus suis creuit, & dũ sæpe reciditur, pullulauit igni debita, incendioq; peritura, aut velut quędã monstruosi Scylla portẽti, in varias formas distinctas, perfidiæ velut superne vacuum Christianæ sectæ nomẽ obtendit. Sed quos in illo impietatis suæ freto miseros inter naufragia fidei reperit fluctuãtes, belluinis succincta prodigiis, tetri dogmatis sæuo dẽte dilacerat. Cuius spelunca scientiæ imperator (vt ferũt nautæ) cæcis latebris inhorrentẽ, omnẽque eius viciniã cœruleis canib', inter perfidię saxa resonantẽ, clausa quodãmodo

præterire aure debemus. Scriptũ quippe est, Sepi aures tuas spinis. Et iterum, hæreticum hominem deuita. Itaque tanquam boni gubernatores, quo tutius prætermeare possimus, fidei vela tendamus, scripturarum relegamus ordinem. *Idem libr. primo de fide ad Gratianum.*

Clamauit perdix, congregauit quæ non peperit faciens diuitias suas non cum iudicio. Hieremiæ. 13. Perdix enim contentiosum animal notum est quanta auiditate ipsius contentionis currat in laqueũ. Nõ enim disputare amant hæretici, sed quoquomodo separare impudentissima peruicacia, vt congregent sicut hic dixit quæ non pepererunt. Christianos enim quos maximè Christi nomine seducunt, iam per ipsius Christi Euangelium natos inueniunt, & faciunt illas diuitias suas, non sane cum iudicio, sed cum temeritate inconsiderata. Non enim intelligunt ibi esse veram & salubrem & quodammodo germanam atque radicalem Christianam societatem, vnde istos separauerunt, quos ad suas diuitias congregarunt. Et quia de talibus ait Apostolus, Sicut Iames & Mambres restiterunt Mosi, sic & isti resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem, sed vltra non proficient: Dementia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Sequitur & hic propheta, & dicit de perdice qui congregauit quæ non peperit, in dimidio dierum eius dereliquit eum, & in nouissimis suis erit insipiens, id est, qui primo tanquam per pollicitationem & ostentationem excellentis sapientiæ seducebat, erit insipiens cum apparebit, quia demẽtia eius nota erit omnibus. *Augustinus. libr.* 13. *cõtra Faustũ cap.* 12.

Quæ est ista secunda plaga ranæ in abundantia? In ranis hæretici intelliguntur atque philosophi. Habes congruenter signatam philosophorum vel hæreticorum prauitatem, si consideres ranarum loquacitatem. Ranæ sunt clamantes in paludibus limosis, per superbiam & inanes contentiones, strepitum vocum habere possunt, doctrinam veræ sapientiæ non possunt insinuare. Qui enim Christianæ veritati contradicunt, & in sua vanitate decepti, ranæ sunt tædium afferentes auribus, non cibos mentibus. *Idem de consonentia decem præceptorum & decem plagarum. cap.* 2.

Samson vulpes capit, ligatis caudis ignem apponit. Cau-

dæ vulpium quid sunt, nisi posteriora hæreticorum, qui prima habent magna, blanda & deceptoria opera, posteriora ligata, id est, damnata, & in ignem in fine trahentia, vt eorum fructus & acta consumant, qui suis seditionibus acquiescunt. Quid aliud est vulpem capere, nisi hæreticos diuinæ legis auctoritate deuincere, & sanctarum scripturarum testimoniis velut quibusdam vinculis alligare atque constringere? *Idem sermone de Samsone.*

Hæretici prædonum more à via abigunt veritatis, dum eos fallaciis suis bono naturæ & virtute animi spoliant, siue gentilem sensum, animalis nomine significatum ab eis quidem auferunt, dum sub prætextu veræ religionis, eos in perfidiam suam ducunt, & faciunt eos filios gehennæ. *Philippus presbiter libr. 2. commentariorum in Iob cap. 24.*

Omnes sensus hæreticorum nocti & tenebris comparandi sunt, qui cum de lege furentur & Euangelio, vnde sibi eosdem prauos sensus de cordis sui figmento, componunt, manifestum est quia ad auctoritatem sibi faciendam aliena furantur, de quibus scriptum est, Vidi, ait, propheta, & ecce volumen volans, longitudo eius viginti cubitorum. Et dixit Dominus ad me. Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in domo eius, & consumet eum & ligna eius & lapides eius. Et Dominus de his dicit in Euangelio, cum de veris & bonis pastoribus loqueretur, dicens, Qui autem ascendit aliunde, fur est & latro. *Idem, ibidem.*

Sicut homicida & fur vnusquisq; hæreticus nuncupatur: Ita adulter recte intelligitur, cum ad sensus suos eloquia diuina conuertit, & adulterat verbum Dei: De his propheta ita dicit. Caupones tui aquam vino miscēt, id est, adulterinis doctrinis suis meram atque synceram Euangelij doctrinam intellectus sui peruersitate corrumpunt. Et Petrus Apostolus ait de his, hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus agitatæ. Et Iudas, hi sunt nubes sine aqua, arbores autumnales infructuosæ, fluctus fere maris, sydera errantia. Vanitate itaque & præsumptione hæretici, cæcatus vultus mentis illius operitur, & excre-

scente in eo timore superbiæ, tota præcordia & viscera eius conteguntur. *Ibidem.*

Perfodit in tenebris domos sicut in die condixerant sibi & ignorauerũt lucẽ. Iob. 24. In errore suo viuens hæreticus, atq; in doctrinę prauitate consistens, non dulci & suaui sermone Euangelij qui sicut imber placidus, & ros cum silentio in animas descendit, sed aspero potius & ad vulnerandum nimium præacuto, domos perfidit animarum. Hoc enim velut in die condixerunt sibi hæretici, vt omnes mortiferis iaculis doctrinæ noxiæ perforarent, quando in Ecclesia adhuc, hoc est, in die veritatis positi, hæreses facere condixerunt, quia & si diuerso diuersi tempore erant sensibus, vno tamen discordiæ spiritu schismata facere moliuntur. *Ibidem.*

Tradunt fabulæ poetarum, desectis quondam hydram capitibus, numerosius renascentem, per sua damna creuisse, Itaque nouo inauditoque miraculo, multiplicato mortibus suis monstro, lucri genus esset amissio scilicet dum quicquid ferrum secantis abscinderet, totum id fœcunditas prodigiosa germinaret, donec laborans atque æstuans cœptæ illius desectionis industrius appetitor, cassatis toties inefficaci opere virtutibus, fortitudinem belli armaret arte consilij, & admotis, vt aiunt, ignibus, multiplicem portentuosi corporis prolem feruenti gladio desecaret, ac sic ambustis intrinsecus medullis, cum rebelles venas improbæ fœcunditatis exureret, tandem parturitio monstruosa cessaret, Ita etiam hæreses in ecclesiis, illius quam poetarum commenta finxerunt, hydræ similitudinem gerunt. Et istæ enim aduersum nos linguis feralibus sibilant, & istæ virus lethale iaciunt, & istæ sectis capitibus renascuntur. Sed quia resurgente morbo non debet cessare medicina, & quanto maior fuerit ægritudo tanto instantior debet esse curatio. Potens enim est Dominus Deus noster, vt quod de morte Hydræ illius gentilium falsitas finxit, hoc in Ecclesiarum bellis veritas peragat ignitus sancti spiritus gladius, ita in extinguenda nouella hæresi, omnes penitus medullas pernitiosæ generationis exurat, vt tandem prodigiosa fœcunditas, morientibus venis parere desistat. Non noua sunt hæc in Ecclesia

monstruosi seminis germina, semper has Dominici agri segetes, lappas sentesque tolerauit, & ad summum in ea suffocatricis Zizaniæ germen emersit hic Hebionita. Ita singuli ex sui similitudine hæreseos hæresin procreantes omnes quidem à se diuersa, sed omnes tamen fidei aduersa senserunt. *Cassianus libr. primo de incarnatione.*

Spinæ vtique ac tribuli ex radicibus emergentes, qualitate sui stirpem suam produnt, ex eo ipso quod sunt, indicant vnde nascantur: Ita & tu Pelagianæ hæreseos spinosam sabuli fidem ostendis in germine, quod pater tuus habuisse traditur in radice. Veneficorum quorundam (vt aiunt) consuetudo est, vt in poculis quæ conficiunt, venenis mella commisceant, vt dulcibus nocitura celentur, & dum quis mellis dulcedine capitur, veneni peste perimatur: Ita & hæretici. *Idem lib. 7. de incarnatio.*

Qui post crebras commonitiones Ecclesiasticæ fidei cõtradicunt, duplici languore retinentur, nequitia & imperitia, & in morem serpentum toti ad terrena conuersi, adhærentesque humo mala bonis præferunt, nec nouerũt quæ sit differentia virtutum & vitiorum, & de sanctis scripturis in correptionem & sanitatem sui medicaméta contemnunt, & in morem prægnantium mulierum veritatis fastidia sustinentes, quæ solitos cibos respuunt, & noxia quæque sectantur, nec valent contra veritatis radios clarum animæ lumen intendere, despicientes Ecclesiasticam disciplinam, quasi porci volutantur in cœno, & vnguenta cotemnunt. Sed iustum est, vt saltem de exemplis quæ inferimus recipiant sanitatem. sicut enim oculo officit lippitudo, & totum corpus populatur febris, æs quoque & ferrum paulatim rubigo consumit, ita dogmatum peruersorum pernitiosa contagio animarum negligentium pulchritudinem violat, & deformi eos mendaciorum pallore perfundit. *Theophilus Alexandrinus epist. prima paschali.*

Vos (ô Donatistæ) estis aucupes, & illi aut illę sunt aues. Sed quia nõ est vnũ aucupũ genus alij sunt qui arte simplici, altis fundatas radicib⁹ in facié nemoris diffusas arbores petent, vbi aues simplici volatu naturalibus ramis insidũt non illic numerantur fraudes, non artificiosa consilia. Ars

vna est & sola capiendi. Illi vos aucupi similes dico, qui post discessum noctis, ante lucis aduentum, non aliorum more naturales vadit ad arbores: sed ipse arborem portas, futurum nemus stringit in fascem, aridam arborem, nullis radicibus fultam, multiplici fraude componit. Cui adulterinos inserit ramos, & quæ suas iam dudum succisa perdiderat, alienas accipit frondes. Alias aues clausas portat in cauea viscerata, alias ad imaginem viuentium, olim extinctas fallacibus ramis, quasi viuentes imponit. Aliæ latent in caueis: Aliæ quasi viuentes videntur in ramis. Iungitur vna geminata fraude calliditas, & vt decipi animum volantium simplicitas possit, quas mortuas esse constat, videntur tendere colla cum vocibus, & quæ latet in carcere suo, quasi de gutture cantant alieno. Inter alterius imaginem & alterius vocem dolus vnus operatur. Captiuæ liberas capiunt, & mortuæ viuentes occidunt. Tales sunt quos aut rebaptizatione aut pœnitentia sociastis, ne soli aut solæ periisse videamur, alios vel alias secum perire, magno labore & studio secum contendunt. *Optatus milevitanus lib. 6. ad finē contra Parmenianum.*

* *Oportet*, inquit egregius predicator & de castris dominicis probatissimus miles, *hæreses esse*, vt hi qui probati sunt manifesti fiant Alta enim nonnunquam dispensatione agitur, vt vnde cadere ad ruinam timetur vacillantibus plantis, inde valentius roborata firmiter inconcussè persistant, & antiquus hostis vnde se vicisse superbe gloriatur, inde diuina superatus potentia se succubuisse doleat prostratus. Nam qui super fidei fundamenta omnium virtutum fabricam persistere non ignorat, ipsam fidei malitiæ suæ manu eradicare soliditatem festinat. *Paulinus Aquileiensis aduersus Felicem & Elipandum.*

Faciunt hæretici quod hi solēt, qui paruulis austera quędam temperaturi pocula prius ora melle circumlinunt, vt incauta ætas cum dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam his curæ est, qui mala gramina & noxios succos medicaminum vocabulis prælorant, vt nemo fere vbi suprascriptum legerit remedium suspicetur venenum. Idem denique & saluator dicebat, Attendite vobis à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium ab intus autem sunt lupi rapaces. Qui est vestitus o-

ntum, nisi Prophetarum & Apostolorum proloquia, quæ iidem ouili quadam synceritate agno illi immaculato qui tollit peccatum mundi tanquam vellera quædam texuerunt? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus hæreticorum feri & rabidi? qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi quaquam possunt, dilacerant? Sed vt fallacius incautis ouibus obrepant, manente luporum ferocia deponunt lupinam speciem, & sese diuinæ legis sententiis velut quibusdam velleribus obuoluût, vt cum quisque lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat. Sed quid ait Saluator? Ex fructibus eorum cognoscetis eos Id est, cum cœperint diuinas illas voces non iam proferre tantum, sed etiam exponere, nec adhuc iactare solum sed etiam interpretari: tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligitur, tunc nouitium virus exhalabitur, tunc prophanæ nouitates aperiûtur, tunc primû scindi sepem videas, tunc transferri patrum terminos, tunc catholicam fidem cædi, tunc Ecclesiasticum dogma lacerari. *Vincentius Lirinensis aduersus hæreses.*

Ranæ & loco & visu molestóque strepitu sic odibiles habentur, sicut diabolus cum suis agnoscitur abominabilis veritati: Ita & pseudoprophetæ more ranarum, tanquam animantibus coaxantibus nocte, damnabiliter erroris latratu conuenit perstrepere. Quid cœnum compares cœlo, quod conuenit habitationi ranarum, tanquam horrendum pseudoprophetæ blasphemiis? Tantum distant doctores veritatis à pseudoprophetis, quantum ranæ à sanctis hominibus, qui pseudoprophetæ sicut ranæ ignaros impediunt, ne quieto deuotionis cultu percipiant veritatem. *Primasius lib. 4. in Apocalypsin.*

Hoc interest inter congregationis plenitudinem gloriosam & separationis præsumptam de ignorantia aut negligentia vanitatem, quod in salute & honore integri corporis, species est vnitas membrorum: & in separatione viscerum, est fœda lethalis & horrenda pernicies. Homo quid aliud te docuit in tuo corpore, aut sic diuisa coniunctio, aut tam coniuncta diuisio, nisi vt ex multis vnus, & vnus in multis viueres? Est membrorum commercio salutari pretiosus oculus, sed si perseuerat in corpore: alioqui vbi corpori defuerit sibi non aderit. Debent illi membra omnia

non cessant. Neque aliud fit ab his in summum illud caput quam à Dathan & Abiron in Mosem tentatum est. Genus hominum miserabilissimum ac pernicioſissimum, qui sub prætextu nostrarum corrigẽdarum improbitatũ, infinitam attulere malorum syluam, pérque vniuersum terrarum orbem pessimos disseminauerunt errores. Adeóque processit audacia & gygantea immanitas, vt eis nec cœlum iam sufficiat, in quo suæ sceleratissimæ linguæ virus euomant, ore impiissimo blasphement, dum eius incolas tantis probris ac mendaciis dehonestant. Sed videbit omne humanum genus eorum interitum, & sempiterna obliuione eos sepeliendos miserrimo hiatu patefacto, absorbuisse cognoscet. *Eugubinus in cap. 11. Deuterono.*

Mel omnibus hominibus dulce esse videtur, etiamsi cum nullo conferatur: sed dulcius esse apparet, si amara aliqua qualitas iuxta ipsum statuatur. Et sanitatem valdè diligendam omnes existimant: sed post morbum multo magis complectendam statuunt. Iam verò tranquillitas quoque est post tempestatem gratior. Ita etiam veritatem, quicunque sapiunt, rem & sedulò comparandam, & diligenter retinendam intelligunt: eam tamen splendidiorem & diuiniorem reddit, si cum ea conferatur & examinetur quod falsum est. Quoniam ergo falsi turpitudinẽ & ignominiã ostendimus, & hæreticas fabulas aperuimus, & planum factum est quàm sint impiæ, iniucundæ, & minimè probabiles: age cum his doctrinam Euangelicã conferentes, ostendamus quid inter se differant lux & tenebræ, & morbus molestissimus & difficillimus. *Theodoretus in Epitome Diuinorum decretorum, in proœmio.*

HOMICIDIVM.

ANte ignẽ camini vapor & fumus ignis inaltatur: Sic & ante sanguinem maledicta, & contumeliæ & minæ. *Eccles.* 22.

Quemadmodum hostes habẽtur non solum qui nos iam impugnãt classibus aut exercitibus, verum etiã qui vtrósq; apparatus faciũt, & machinas admouẽt portub^s ac mœnib^s etiãsi nondũ ad manus venerint: ita homicidę cẽsendi sunt, non solũ qui interimũt, sed & qui nihil nõ conãtur, clámq;

palámque vt interficiát, etiamsi non perpetrarint facinus, quòd si præ metu vel audacia, vitiis contrariis, in templum irrumpere tentarint impunitatis inueniendæ gratia, prohibendi sunt. *Philo, de specialibus legibus.*

Insitus est animæ naturaliter viuēdi amor. Nam sicut ad seruandam prolis successionem Deus procreandi cupiditatem hominibus indidit, non tamen prohibens altiorē continentiæ viam: ita & vitæ nobis inseuit desiderium, prohibens nequis se interimat, non impediens tamen vt præsentem vitam contemnat. *Chrysostomus hom. 48. in Ioannem.*

Vbi iam solatium patres, vbi præsidium genitores inuenient, si filios senserint parricidas? Aut quando externa apta sunt, si domestica nobis obsistūt? Bestiæ & mutæ pecudes pietatis iura conseruant, & quibus natura denegat rationem, non tamen denegat pietatem? Innocentem perimere nefas est, patrem occidere scelus, prophetam iugulare facinus inauditum, & ante hoc tempus mortalibus cunctis ignotum. *Idem hom. de Absalone patrem persequente.*

HOMO.

HOMINIS CREATIO ET DIGNITAS.

QVærat aliquis cur vltimum operum sit homo in creatione? Quemadmodum igitur conuiuatores, non prius ad cœnam vocant quam instructo prius conuiuio: & qui edunt ludos aut athletarum spectacula, prius quam spectatores vocati conueniant in theatra vel stadia, parant copiam concertatorum, earúmque rerum quæ ad oculos auréisque oblectandas pertinent: Ita etiam mundi totius gubernator, tanquam conuiuator, ludorúmque præfectus, vocaturus hominem ad conuiuium simul & theatrum sacratissimum: alterum refertum copiis, quas terra, fluuij, mare, aer suppeditant. alterum spectaculis, quorum tum essentia, tum qualitates stupēdæ sunt, necnon motus choreæque administratione dignissimę propter ordinem conuenientissimum, numerum proportione aptissimum, cursus recursúsque mirè concinnos: in quibus omnibus veram illam & exemplarem musicam inesse non falsò quis dixerit, quam postea homines animis suis impressam

sam prodidérunt, artem vtilissimam vitæ, summéque necessariam. *Philo, de mundi opificio.*

Auriga licet post currum eat, cursum tamen equorũ freno nihilominus moderatur habenis vtcunq; visum fuerit, nunc laxando eos ad celeritatem, nunc reducẽdo, si videatur iusto maior impetus: Ita homo, licet post animaliũ omnium creationẽ formatus sit à Deo, gubernator tamen eorum omnium factus, suo imperio vtitur pro arbitrio. *Ibid.*

Quemadmodum gubernatores in nauis postrema parte puppi consistentes, omnibus omnino præstantiores habentur vectoribus: quippè quorum in manu nauis ipsius, sarcinarúmque salus sit posita: Sic & hominem seu aurigam quendam & gubernatorem conditor rebus præfecit omnibus, vt regat & gubernet quicquid terra continetur, tanquam quidam subpræfectus illius primarij summíque regis. *Idem de mundo.*

Quare tardius creatus est homo, si cæteris dignitate præstat? Quemadmodum ingressuro in ciuitatem aliquam rege, operepretiũ est præmittere satellites, aliósque omnes vt bene adornatis palatiis, rex honestius ibi agat: Ita simili modo, quasi regem & principem aliquem rebus terrenis præfecturus, prius omnem hunc ornatum fabricauit, & tandem præficiendum hominem formauit. *Chrysostomus hom. 8. in Genesin.*

Vide quanto nos Deus prosecutus est honore, tale nobis opus præcipiens quale fecit. Feci, inquit, cœlum, & terram: Do tibi quoq; creationem. Fac terram cœlum, nam potes. Qui facit omnia & mutat, de Deo dictum: hanc & hominibus potestatem dedit. Sicut aliquis pater charitate plenus, pingens, non ipse solos, sed & filium ad patrum disciplinã perducere studet. Feci, inquit, ego speciosum corpus, do tibi melioris creationem, tu bonam fac animam. Dixi ego, *Germinet terra herbam virentem, & omne lignum pomiferum*: Dic tu, producat ipsa terra fructum proprium, & exibit quicquid facere velis. Facio æstatem & nebulam, firmo tonitru, & creo spiritum, formaui draconem ad illudendum ei, hoc est, diabolum, nec hanc inuidi tibi potestatem: illude tu quoque si vis, potes enim vt passerem vincire. Facio oriri solem super bonos & malos, imitare tu quoque, communica quæ tua sunt & bonis & malis, contumelias patiens

tolero, contumeliásque patientes beneficiis prosequor. Imitare etiam tu. Accendi luminaria in cœlo, his splendidiora tu quoque fac accendas: potes enim. Eos qui sunt in errore illumina. Maius est illud beneficium quam solem intueri, me agnoscere. Hominem facere nō potes, sed iustum facere potes, & Deo gratum. Ego substantiam creaui, tu voluntatem exorna. *Idem hom. 55. ad populum Antioch. & hom. 15. in 1. ad Timoth.*

Quemadmodum solidus qui non habet charagma Cæsaris, reprobus: Ita homo qui nō habet imaginem Dei reprobus æstimatur. *Idem hom. 38. operis imperf.*

Sol mandato tantum, homo verò manibus diuinis formatus est. *Faciamus hominem ad imaginem nostram. Gen. 1.* Imago lignea terreni regis honoratur, quātomagis rationalis imago Dei? *Cyrillus Ieros. catechesi. 12.*

Quemadmodum si quis ingressus palatia regia, depictas ibi contempletur historias, & speciosa quæque, quadam in parte videat thesauros reconditos, atque etiam cum rege recumbat, & apponantur ei Sedysmata & pocula suauissima, variisque modis delectetur spectaculis illis atque ornamentis, postmodum autem abstractus inde in loca fœtida deducatur: aut veluti si formosissima puella, sapientissima ac locupletissima omnium, virum pauperem accipiat, humilem, deformem, panníque indutum, quem exutis sordidis vestimentis veste regia induat, & imposito illi diademate, coniux ei fiat: tum mendicus ille obstupescere incipit, ac dicere, Hæccine mihi misero mendico abiecto & humili data est socia? Ita se Deus gessit erga hominem miserum & abiectum: Gustare fecit illū, quæ sunt alterius seculi, aliúmque cibum suauissimum, aperuit illi gloriam & ornamenta regia, arcana & cœlestia. Qui conferens illa spiritualia quæ pertinent ad hoc seculum, hæc omnia respuit, siue regem videat, siue principes, siue sapientes, ante oculos habens thesaurum cœlestem. *Macarius hom. 7.*

Ex rationali & irrationali parte iuxta gentilem Philosophiam hominem veluti Centaurū quemdam creator effingēs, superiori parti à capite vsque ad pectus humana forma insignitæ, reliquum corporis ab vmbilico & lumbis equina subiecit effigie, quę ad ventris voluptates brutorum instar,

prona atque ad concubitus effrenatè procliuis est. Neque enim ab irrationali parte, per luxũ rapi ratione præditam voluit, sed à rationali potius rationis expertem, ad vsus ne cessarios regi sapientissimè statuit. Huius denique sibi indultæ diuinitus potestatis gratia, si quando rationalis pars peruerso ordine ipsa non regit, improperat aurigæ fermo diuinus dicens, *Equi insanientes in fœminas facti sunt. Basilius lib. de vera virginitate.*

Faciamus hominem ad imaginem nostram. Gen. 1. Quare fecit eũ ad imaginem suam? Quemadmodum in vrbibus absentis regis aut imperatoris venerantur imagine: Sic Deus cum nequeat cerni ab vniuersa creatura, imaginis loco posuit hominem, vt omnes creaturæ dum inseruiunt homini, sic colant supremum numen, huius vniuersi scilicet opificem. *Procopius Gazeus in Genesin cap.* 1.

Animantia initio cernentia hominis dignitatem, qui nomina creaturis dabat, se Adamo submittebant, imperiique frænos nõ depellebant ore. Nec mirum. Siquidem & serui bene se gerẽtes, conseruis quoque terrori sunt. At seruidelinquentes, etiam vel abiectissimum conseruorum timent. Homo si reuertatur ad recuperandã pristinam dignitatem, non solum in bestiis dominium exercebit, sed & dæmones eius imperium sentient. *Idem in cap.* 3.

Quemadmodũ diuersis animalium generibus, diuersas itidem natura defensiones, ad tuendámque propriam vitã salutémq; constituit, vt leonibus vires, ceruis cursum, canibus venationes, aquatilib⁹ natationem, volatilibus volatũ, reptilibus cauernas: ita hominũ generi, in cunctis huiusmodi defensionibus minori, vtpote quod vires tenuissimas habet, impeditissimũ cursum, volatus est immune, natationẽ vix attingit, cauernariæ habitationis omnino est impos, rationem tradidit Deus, quasi donũ quoddam quod cunctis facultatibus illis æquipolleret, huicq; amatorium subiecit desideriũ, veluti fræno cuidã equum, veluti sagittarioarcũ, temoni nauẽ, instrumentũ opifici. *Tyrius platonicus sem.* 10.

Sicut ad cõparationem niuis & solis, omne mundũ sordidum videtur, & omne lucidum obscurum: Ita quantum ad comparationem Dei qui solus singulariter est bonus, omnes homines mali videntur. *Chrysost. hom.* 18. *operis imperf.*

Sicut nunc ipso volente fœtus in vtero creatur: & termi-

nos qui in initio ab ipso positi sunt, natura consequitur: Ita etiam humanum corpus è terra ipso volente concreuit, & compactum est, & caro factum est & sanguis, & cutis, & adeps, & nerui, & venæ, & arteriæ, & cerebrū, & medulla, ossiū sustentacula, & oculorum tunicæ, & pupillæ puritas, & auriū flexuosi meatus, & odorum apprehensio, & oris ad loquendū instrumentum: in quo dentes quidem implēt vsum chordarum, lingua verò imitatur plectrum, mens autē dextram musici. Cæterùm quis pro dignitate satis possit mirari huius vita præditi animalis formationē? Quam & multi alij conantur calumniari, & imprimis Manetis successores. Quamobrē non Deū, sed Saclam id formasse dicunt, qui est princeps materiæ. Græcorū autē sapientes, Socrates, & Hippocrates, & Plato, & Xenophon, & Aristoteles, & Galenus, & innumerabiles alij, humani corporis aptam compositionem suspiciunt, & admirātur vsum vniuscuiusq; particulę: fatentúrque laudes suas superari á præclari vniuersorum artificis sapientia, quæ in hoc animali cernitur. *Theodoretus, in Epitome Diuin. decret. capit. de homine.*

Sicut vna, eadémque natura mundus omnibus partibus inter se cōgruētibus cohęret, ac nititur: Sic omnes homines inter se natura confusi, prauitate dissentiunt: nec se intelligunt esse consanguineos, & subiectos omnes sub vnā eandémque tutelam. quod si teneretur, Deorum profectò vita homines viuerent. *Lactantius lib 5. cap. 8.*

Denique ipsum mundum ex duobus elementis repugnātibus & inuicem copulatis esse concretū humido & igneo, nec potuisse lucem fieri nisi & tenebræ fuissent, quia nec superum potest esse sine infero, nec oriens sine occidente, nec calidum sine frigido, nec mole sine duro: Sic & nos ex duobus æque repugnantibus compacti sumus, anima & corpore, quorum alterum cœlo attribuitur, quia tenue est, & intractabile: alterum terræ, quia comprehensibile est. Alterum solidum & æternum est, alterum fragile atque mortale. Ergo alteri bonum adhæret, alteri malum: alteri lux, vita, iustitia, alteri tenebræ, mors, iniustitia. *Idem lib. de ira Dei cap. 25.*

HOMINIS FRAGILITAS.

SIcut nudi egressi sunt ex vtero matris: Ita nudi eò reuertentur vnde prodierunt, neque vlli quicquam eorum

hinc secum asportabunt, quæ tantis molestiis conquisierunt. *Eccl.5.*

Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud & disponere. Omnes viæ eius secundum dispositionem eius: Sic homo in manu illius qui se fecit, & reddet illi secundum iudicium suum. *Eccl.33.*

Homo quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. *Iob.14.*

Ecce sicut lutũ in manu figuli: Sic vos in manu mea. *Ier.18*

Homo vanitati similis factus est, dies eius velut vmbra prætereunt. *Psal.144.*

Veluti volucris vnam habens alam hac sola volare non potest: Sic etiam natura humana si nuda per se maneat, & non misceatur ac particeps fiat naturæ cælestis, nihil præclarum efficit, sed nuda manet in sua natura, & sordibus multis, reprehensioni obnoxia. *Macarius hom.31.*

Dicimus posse hominem non peccare, si velit pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus est animus, quandiu chorda nullo vitio taxatur in cythara. Quod si paululum se remiserit, quomodo qui aduerso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrò labitur, & fluentibus aquis, quo non vult ducitur: Sic humana cõditio si paulatim se remiserit, discit fragilitaté suam, & multa se nõ posse cognoscit. *Hier. lib.3. aduersus Pelagianos.*

Quemadmodum ea quæ adhuc vigent, rebus senescentibus multo sint meliora, siue sunt animalia, siue plantę, siue fructus, siue alia quæ ex his aut similibus natura continet. Sic Adam⁹ primus homo recéter creatus, & robur vniuersi generis humani, melior fuit, formosior atque innocentior suis posteris, degenerantibus vsque formarum & virium. etiam successionibus *Philo, de mundi opificio.*

Vt in plastarum & pictorũ arte fieri videmus, deteriora esse quæ exprimuntur ad exéplar propositum: Sic homines & Adami posteri, multo sunt deteriores, vt qui ad exéplar primi hominis nequaquam referri possunt. *Ibidem.*

Quemadmodũ in magnete qui è ferreis annulis ipsum tãgit, hæret tenacissimè: qui verò hunc deinceps, minus. Pẽdent tamen & tertius à secundo, & quartus à tertio, & quintus à quarto, & alij ab aliis per longam seriem, vna vi trahente, cõtinentéque: sed non eodem modo. Semper enim

quo longius absunt à principio, laxantur, eo quòd remittatur vis attractoria, nec iã pariter astringere valeat. Ita quoque & humano generi accidisse videtur, per singula tempora succedentibus exilioribus & corporis & animæ viribus ac qualitatibus. *Ibidem.*

Homines nati in mundo sunt quasi flores in campo, vita in carne, flos in fœno est. Homo more floris ex occultis procedit, & apparet subito in publico, qui statim per mortem trahitur ad occultum. Carnis viriditas nos ostendit, sed ariditas pulueris, ab aspectibus retrahit. *Gregorius lib. 11. Moral. cap. 7.*

Omnia cõposita dissoluuntur, & ad interitum veniunt. Nihil eorum quæ mixta concretáq; sunt, semper eodẽ statu manent. Exiguum ad tempus bullarũ instar spiritui nostro circumiectum est corpus. Mox autẽ extinguimur, nullo in vita huius tumoris relicto vestigio. In colũnis, & lapidibus, & titulis monumenta, ac ne illa quidem sempiterna manent. *Nazianzenus* In altera Oratione, De pauperibus amandis & benignitate complect. in ea Euangelij verba: Quatenus vniex his feciſtis.

Hominum genus simile est naturæ graminis: flores autem graminis sunt, quæ accrescit gloria & potentia: & sicut arescente gramine flos excidit, sic morte hominibus ingruente potentia & superbia extinguuntur. *Apud Antonium in Melis. part. 1. serm. 61.*

Arundines sumus, nulla validioris naturæ radice fundati. Si leuis aspirauerit prosperioris auræ successus, vago motu proximos verberamus, inopes ad suffragandum, faciles ad nocendũ. Arundines fluuios amant, & nos labentia mũdi caducá delectãt. Tamen hanc arũdinem si quis de terræ plantariis euellat, & superfluis exuat, expolians veterẽ hominem cum actibus suis, & scribæ velociter scribẽtis manu temperet, incipit non arundo esse sed calamus, quæ præcepta cœlestium scripturarum mentis imprimat tabulis. *Ambrosius lib. 5. in lucam. cap 29.*

Humana natura tam facile per vitia, quam per planũm profunditur aqua. Sic ergo agere debet qui eam restringere appetit, velut qui aquam currentẽ retinere contendit. Sicut enim ille qui aquã concludit in stagnũ atq; coercet: sic iste naturam humanam vagam, infra regulam aliquã cohibere

debet. Vtq; ille procurat ne qua parte dirumpatur ſtagnū qua effluat aqua: ita & iuſtum præuidere condecet ne ſuā in quoquā violet regulam, quo ad peccatū proruat. Sic enim reſtringi carnis appetitus poſſunt, quod eſt quandā facere pacē inter ipſam carnē & ſpiritū: quam quidē pacem nemo melius habere poterit, quā qui diſtrictioni ordinis monaſtici ſemetipſum ſubiugare ſtuduerit. Ipſa etenim eſt quaſi quædā clauſura vel ſtagnum viuarij: quoniā quidē ſicut piſces decurrente aqua viuarij moriuntur, ſi clauſuræ ipſius minutatim at ſæpe crepent nec reficiūtur: ita omnis religio monaſtici ordinis funditus perit, ſi cuſtodia eius per modicarum cōtemptum culparum, paulatim à feruore tepeſcit. *Anſelmus, lib. de ſimilitudinibus, cap. 122.*

Vt in orbe ac pila nihil eſt imum, nihil ſummum, nihil extremum, nihil primum quia motu ordo mutatur, & quæ ſequebantur præcedunt, & quæ occidebant, oriuntur, omnia quomodocunque ierint, in idem reuertuntur. Ita in homine exiſtima fieri, cum illū in multa mutaueris, vnus eſt. *Seneca lib. 5. de beneficiis.*

Quemadmodum nebulam cum procul ſpectamus, magnum quiddam eſſe putamus: vbi verò appropinquauerimus, euaneſcit: Sic vita hominis ſuper terram. *Politianus In Lamia.*

Vita hominis perinde eſt vt mercatus, qui maximo ludorum celebritate habetur. Quemadmodum enim eò cōfluit mortalium multitudo, alij aliis de cauſis. Quidam enim. vt mercimonia ſua venditent, & friuola, qui tentoriola etiam paſſim & vmbracula quaſi laqueos & retia tendunt pecuniolæ: quidam rurſus vt ſeſe oſtentent, & ſuas exhibeant dotes. Pariter ergo viſuntur, & qui diſcum procul expellit, & qui pondus robuſtè attollit, & qui ſpacij plurimum trāſilit, & qui luctu plurimos deiicit, & qui curſu longiſſimè præuolat. Veniunt etiam qui loca atque ignotos ſibi homines viſant, arcéſque & ingenia, & nobiliſſimorum opera artificum contēplentur. Ita in hanc etiam vitam diuerſis homines ſtudiis conueniunt, quorum alij pecuniæ deſiderio atque deliciarum copia tenentur, alij principatus & imperij cupidine ſollicitantur: alij gloriæ ſtimulis agitātur, alij voluptatum blandiciis titillantur, alij rerum pulcherrimarum ſpeculatione contenti ſunt. *Ibidem.*

Sicut omnes stellæ quæ ab oriente veniunt, quamuis sint magnæ claritatis & virtutis, tendunt tamen ad occasum, & ibi secundum diuersos circulos aliæ tardius, aliæ ocyus sese à nostris aspectibus abscondunt: sic etiam homines vniuersi qui ab oriente, id est, per natiuitatem intrant in mundum, quamuis ibi aliquandiu rutilent & clarescant, necesse tamen est quod tandem ad occasum mortis, alij tardius alij citius, secundum cursum durationis quem à Deo acceperunt veniant decidántque & à múdi aspectibus sese subtrahant & recedant. *Idiota contemplationum, lib. 5. cap. 1.*

HOMINIS LAPSVS.

NEque vt aiunt quidam praua doctrina seducti, prorsus mortuus est homo, vt nihil plane boni possit agere. Nam infans etsi quicquam agere nequit, aut propriis pedibus ad matrem pergere, imbecillitate impeditur, volutur tamen, clamat, & flet, inquirens matrem. In quo intimè afficitur mater, & gaudet de pusione, cum labore & clamore illam inquirente: & cum ad eam venire non possit, nihilominus ipsa mater amore pueri capta, ob multam eius explorationem abit ad illum, amplectitur, circumfouet, & intima cum dilectione alimentum præbet. Hoc ipsum etiam benignus deus præstat, accedentis & ipsum desiderantis animæ gratia, imo multomagis ipse interno amore ductus, adhæret intellectui ipsius, & in vnum cum illa spiritum euadit. *Macarius, Hom. 46.*

Vbi peccatum intrauit, ablata est hominis potestas & dignitas. Quemadmodum inter seruos fieri solet, vt probatiores & honestiores conseruis terrori sint, alij autem socios & seruos timeant: Sic & de homine factum est. Nam quándiu salua illius in Deum fiducia, terribilis erat & bestiis. Vbi autem impegit, timere cœpit & conseruorum extremos. *Chrysost. Hom. 9. in geneſin.*

Vbi primum homo Dei legem transgressus est, etiam reliqua præuaricata sunt & degenerarunt. Vt enim si paterfamilias sapienter vitam instituit suam, etiam domestici & reliqui familiares ordinatè & decenter viuant, sequitur haud inconuenienter. Sinautem herus peccarit, & negligentiæ se corrumpendum dederit, huic dubium ne est, quin.

& serui delinquant & socordiam amplectantur? Pari ratione contigit in præsenti negotio, vt peccante homine, etiam reliqua quæ in hominis ministerium creata erant, præuaricarentur. *Theophylus Antiochenus, ad Autolycum.*

Arborem fici habebat quidam. Rogo quid tam pluuium, quid tam lucidum, quid tam commune, quid rusticis sic vernaculum, quid proprium sic peritis, quam proposite similitudinis forma? Quæ de generali vsu veniens, omnes & verbo instruit, & conuertit exemplo. Infructuosa arbor intricat cespitem, necat spatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio possidentem, ac sic excidere istam lucrum est, est istam commodum non habere: Sic homo vtique qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensus, iudicium mentis, artis industriam, culturæ bonum, per steriles, atque inopes actus euertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat, sicut arbor è terra, sic iste è vita meretur excidi. Et sicut infœcúda arbor si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subiectis vitibus vmbram, inimica nõ sibi soli, sed etiam palmitibus fit fœcundis: ita homo deses, ignauus, si præsit populis, non sibi soli fit noxius, sed multis dum sequentes se suo vitiat & perdit exemplò. *Petrus Chrysol. ser.* 106.

HOMINIS IMPRVDENTIA PRÆ CÆTERIS ANIMANTIBVS.

OMnibus animantibus innatum salutem tueri, cauere quæ noceant, expetere quæ prosunt, vt pastum, vt latibula, vt se à periculis, imbribus, & solo defendãt etiam, hoc est prudentiæ. Solus homo non prospicit æternam salutem. *Ambros. lib. 1. officiorum, cap.* 17.

Cæterum animalia ratione carentia sunt multò sagaciora, quam simus. Etenim horum vnumquódque cum his quę sunt eiusdem naturæ conuenit, agrestia cum agrestibus, & oues cum sua specie. Tu verò minime reuerteris ad cognationem tuam cœlestem, quæ est Dominus: sed cogitationibus tuis te tradis, & assentiris cogitationibus vitiosis, factus adiutor peccati: cuius ministerio tecum ipse bellum

geris,& ita teipsum hostis pabulum constituis: perinde ac si deuoretur auis ab aquila rapta,aut ouis à lupo, aut puer ignorans serpenti manum porrigat, à quo depastus incendatur. *Macarius*, *Hom.* 45.

Sol, luna, stella, mare, terra, arbores, herbæ, bruta, & in his apes, formicæ, conchæ, denique lucernæ, tempestatem præsentiunt: Solus homo sua mala non præsentit, neque prospicit. *Plinius*, *lib.* 18. *cap. vlt.*

Cerui pastu dictãni excutiunt corpore sagittas, à phalãgio percussi cancrorum esu sibi medentur: lacertæ à serpẽtibus ictæ, herba quadam se refouent: hirundines vexatis pullorum oculis chelidonia succurrunt: testudo cunilæ pastu vires aduersus serpentes reficit: mustela in murium venatu ruta se confirmat: ciconia origano: hedera apri sibi medentur in morbis, item cancrorum esu: anguis fœniculi succo abiicit exuuium: draco vernam nauseam syluestris lactucæ succo restinguit: pantheræ aduersus aconitum, hominis excrementis sibi medentur: elephas chamæleontæ fronde (nam similis est animanti color) deuorata: vrsi cùm mandragoræ mala degustauêre, formicas lambunt: ceruus venenatis pabulis herba cinaræ resistit: palumbes, graculi, merulæ, perdices, lauri folio annuum fastidium purgant: idem faciunt columbæ, turtures. gallinacei, herba quæ vocatur helxine: anates, anseres, cæteræque aquaticæ, herba siderite: grues & similes, iunco palustri: coruus occiso chamæleonte: qui etiam victori nocet, lauro infectum virus extinguit: breuiter nullum est animal, quod non intelligat sua remedia: Solus homo nescit, vnde vel corporis vel animi remedia petere debeat. *Idem*, *lib.* 8. *cap.* 27.

HONOR, LAVS.

QVemadmodum quos diuites esse iuuat, si quando in paupertatem inciderint, mœrore afficiuntur, & qui deliciis assueuere, tenuem ac simplicé victum tolerare nũquam possunt: Ita qui laudum amore capti sunt, non solum cum iniustè vituperant, sed etiam cum ab aliis assiduè non laudantur quasi fame aliqua animum conficiunt. *Chrysost.*

lib. 5. de sacerdotio.

Quemadmodum non modo qui mala faciunt, sed etiam qui laudant eos eiusdem aut grauioris quoque participes erunt supplicij: Ita qui bonos laudant, & admirantur, consortes erunt coronarum quæ illis destinatæ sunt. *Idem, apud Antonium ser. 50.*

Sicut quod de alto cadit, grandem sonum facit, vt audiãt omnes: Sic & qui de alto gradu cadit, ruina illius vbique auditur. *Chrisost. Hom. 40 operis imperf.*

Quemadmodum is qui non sibi traditum à Deo honorẽ vsurpare præsumit, culpari dignissimus est: ita & qui traditum sibi repellere, & à se arcere molitur, aliorum est criminum reus, infidelitatis scilicet atque inobedientiæ. *Idem, Hom. 1. in 1. Timoth.*

Sicut ignis niuem ex se non gignit: ita qui in hoc seculo honorem quærit, nunquam cœlesti ac perenni honore potietur. *Climacus de discretione gradu, 26.*

Sicut hi qui scalam putrem ascendunt, ruere periclitantur, ita honor omnis & potentia & gloria quæ humilitati aduersissima sunt, omnem se habentem deiiciunt. *Ibidem.*

Quemadmodum venatores canibus venantur lepores: Sic stulti homines capiuntur laudibus. *Clemens, Rom. apud Antonium, ser. 50.*

Vt non quæuis corona quemuis decet victorem: Ita non quæuis laus aut quiuis honos quencumque hominem. *Plutarchus, in Moral.*

Qui pecuniam dat, quantum impartit alij, tantum sibi detrahit: At non idem fit in laude. & tamen hoc imaginantur maligni quidam, parcius impartientes laudem quàm pecuniam. *Ibidem.*

Ferrum prius calore solutum ac mollitum, postea frigida durescit ac solidatur aqua: Sic amicus prius laude delinitus, mox bibere admonebitur. *Ibidem.*

Qui vincit in certaminibus, præconem adhibet, quo victor pronuncietur: Multo magis vera virtus alieno debet ore laudari, non suo. *Ibidem.*

Qui castam ac philosophicam orationem meretriciis ac sophisticis laudibus prosequuntur: perinde faciunt atque ij, qui athletam liliis aut rosis coronant, non lauro aut oleastro. *Plutarchus, in Mora.*

Si ager laudando redderetur fertilior, non minus laudādus esset quam arandus, aut stercorādus: Sic amicus si redditur laude melior, expedit aliquando laudare: sin minus, quorsum pertinet inutilis palpatio? *Ibidem.*

Vt non quæuis corona quemuis decet victorem: Ita non quiuis honos quencunque hominem. *Ibidem.*

Vt colossi seu statuæ malè libratæ, sæpius subuertuntur: Ita nimius honor per inuidiam euertit multos. *Ibidem.*

Vt bonus medicus mauult morbo mederi somno ciboque quàm scammonio, aut castorio: Sic amicus, pater, præceptor, magis studet laude corrigere, quam obiurgatione si liceat. *Ibidem.*

Nutrices vagientibus pueris rursum apponunt papillam: Sic discipulus offensus correptione, rursum est laude subleuandus, ne deficiat. *Ibidem.*

Vt qui venantur, facilius fallunt feras, si aliud agentes, hoc est iter facientes, aut agricolantes, id faciant: Ita maximè laudat adulator, cum non apparet eũ laudare. *Ibidem.*

Non oportet titillare, qui natura procliues sunt ad risum. Ita non oportet laudare, qui gloriæ suapte sponte sunt appetentiores. *Ibidem.*

Qui dolent, quòd non excellant in omnibus etiã diuersissimis: perinde faciunt, ac si quis molestè ferat, quòd vinea non ferat ficus, quodque olea non ferat botros. *Ibidem.*

Qui studeat Plato esse doctrina, dormire cum beata vetula, vt Euphorion: cum Alexandro potare, vt Medius: dines esse, vt Isthmenias: virtute præcellens, vt Epaminondas: doleatque quòd vnus non fit hæc omnia, perinde facit, ac si molestè ferat, quòd non fit leo montanus, & idem Melitæa catella in sinu viduæ diuitis. *Ibidem.*

Vt æquè mortuus est qui conditus est in odoribus, & qui trahitur vnco: Ita æquè sunt infelices & qui voluptatibus indulgent, & qui ambitiosis negociis vacant. *Seneca.*

Accius poeta cum esset ipse admodum breuis, tamen in æde Camœnarum maxima forma statuam sibi posuit: Ita quidam re viles, & humiles, ambitione fucoque dilatant sese. *Plinius lib. 34. c. 5.*

Taurus anis cùm sit pusilla, tamen boum vocem imitatur: Ita nonnulli cùm re sint exigui, tamen loquuntur reges ac satrapas. *Idem lib. 9. ca. 42. & ca. 31. eod. lib.*

Columbo in volatu pernicitas, sed dum plaudit in aere, sibi placens, implicatis strepitu pennis, capitur ab insidiãte accipitre: Ita multi dum ostentant suas vires, magis quã vtuntur obliti præda fiunt inimicis. *Idem lib.* 10. *cap.* 20.

Pauo non explicat pennas, nisi laudatus: Ita quidam putant se non habere quod habent nisi sint qui mirentur. *Idem libr.* 10. *cap.* 1.

Gallus victor illicò cantu superiorẽ sese testatur. Ita quidã sua facinora iactant ipsi, & suarum laudum ridiculi sunt tibicines. *Idem libr.* 8 *cap.* 33

Cætera ex ipsorum natura æstimamus, non ex adiunctis, vt si generosum equum emere in animo est, nudum cernere illum volumus. Quod si quis illũ auro ac gemmis opertum aduehat, ornamenta illa omnia auferri iubemus, dicimusque illa esse impedimento, quominus integrè equi naturam intueamur. Vbi verò de cuiuspiam honore ac dignitate cogitamus, externa imprimis & quæ circa illum sunt, tanquã equi phaleras obseruamus ac reueremur. Magnus, inquit, ille est. Quare? princeps est, maximas habet opes, stipatores quãplurimos pascit, curribus & equis & pretiosis vestibus honestatur, & has ob res, atque his similes, in admiratione cæteris est, si etiam non solum virtute omni destituatur, sed etiam vitiis omnibus sordidus sit. *Isidorus clarius oratione de humilitate tomo primo.*

HOSPITALITAS.

QVemadmodũ piscator iacto in mare reti, piscem quidem attrahit, attrahit aũt frequẽter & aurũ & margaritas: Itidem & hic reti captans homines, piscatus est tãdẽ & angelos, quòdq; mireris, etiã inscius. Id quod & paulus in huius laudibus dixit, Sectamini hospitalitatẽ, per hãc enim quidam inscientes hospitio exceperunt angelos. *Chrisostomus concione 2. de Lazaro.*

Horrendum dictu est, cum alendi sunt canes, nunquam deesse illis neque cibum neq; hospitium, fratres verò christi ob stupiditatem ob supremam insaniam deteriore quã canes sunt conditione. *Isidorus Clarius oratione vndecima tom.* 1.

Mores ciconiarum haud longè dixeris à prudẽtia rationèq; distare. Ita vno tempore omnes in nostras prouincias

siue regiones veniunt: Ita & sub vno signo quasi militarí quapiam tessera hinc à nobis auolant. Cornices autẽ nostrates veluti lictores ipsas satelliteſque comitãtur atque deducunt. Quin vt mihi videtur & socias se offerunt auxiliareſque aduersus aues ipsis aduersarias atque hostes. Cuius rei argumento sunt illa: primum quod nostris in prouinciis illo tempore nulla prorsus cornix conspicitur, deinde cũ vulneribus redeuntes aperta præstitæ tutelæ indicia nobis afferunt. Quis apud ipsas hospitalitatis iura præscripsit? Audiant hæc homines hi qui nullo hospitio homines exceptant, ianuasque suas occludunt, & neque hyeme neq; noctu, solo tegmine peregrinos aduenasque suscipiunt. *Basilius hom. 8. exameron.*

HVMILITAS.

QVemadmodum si rex apud quẽdam egenum thesaurum suum deponat, is qui accipit custodiendum, non reputat illum vt suum, sed vbique fatetur inopiam suam, nec audet dispergere quidpiam ex alieno thesauro: semper hoc habens in animo, quod nõ solum thesaurus est alien⁹, sed quod rex & vir summæ potentiæ deposuit illum apud me: qui quando volet à me repetet. Eiusdem debent esse sentẽtiæ, qui gratiã Dei sunt adepti, nempe vt humiliter de se sentiant, & mendacitatem suam confiteantur. Quemadmodum enim médicus, qui thesaurum à rege depositum accepit, si de alieno thesauro confidens, tanquam de propriis operibus extollatur, & superbiam cor eius concipiat aufert ab eo rex thesaurum suum: & qui loco depositi illũ acceperat, talis manet, qualis erat anteà, nempe mendicus: ita qui gratia Dei sunt prediti, si efferantur, & superbiam eorum corda concipiant, tollit ab eis Dominus gratiã suã, & tum remanent ij qui prius erant, antequam à Domino gratiam accepissent. *Macarius hom. 15.*

Vt putre marsupium margaritis plenum: ita christiani, quo ad hominẽ exteriorẽ, humiles esse debent & contẽptibiles: intus verò in homine interiori pretiosum margaritum obtinent. *Idem hom. 43.*

Acrius diuitibus quàm pauperibus inuidetur: & non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæua latronum. Pl⁹ duces & principes, quàm milites ab hostibus appetuntur in pugna: & violentius propulsantur ventis & turbinibus cul-

mina quæcunque sunt altiora: Ita magis magisque quò plus cæteris vnusquisque potest, sciat esse sibi metuendū ne in aliquo minoretur. *Cyprianus De singularitate clericorum.*

Hæc sicut inter multas gemmas preciosissima micat: & iubar solis, paruos igniculos stellarū obruit & obscurat: Ita cunctorum virtutes & potentias, sua humilitate superauit: minimaque fuit inter omnes, vt omnium maior esset. Et quanto se plus deijciebat, tanto magis à Christo subleuabatur. Latebat, & non latebat. Fugiendo gloriā, merebatur: quæ virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores. *Hieronimus in epistola ad Eustochium.*

Vt qui studiosi gloriæ sunt ex amictu etiā vestimentorū gloriam sibi soliti sunt aucupari, nempe qui ex illorū magnificentia splendoreque spectabiles se, & in admiratione esse cupiant: Sic videlicet qui ob vitæ humilitatem in infimum se ipsum abiecerit, in his quoque quod omniū infimum est, consectari debet. *Basilius in regulis fusius disput. interrog. 22*

Sicut qui gloriam mundi huius requirit, & magna credit esse presentia, etiamsi multum omnino contendat, nūquam tamen ei semetipsum scire conceditur: sic etiamsi seipsum despicit, semetipsum facile cognoscet. Cum verò se didicerit, hoc ipso iam itinere ad alias quoque partes virtutis accedet. *Chrisostomus hom. 26. in Matheum.*

Sicut quanto acutius videtimus, tantomagis discimus, quàm longe à cœli regione distamus: sic etiam quanto superius ad virtutis ascendimus excelsum, tāto amplius docemur, quàm sit inter nos & Deū grāde discrimē. *Ibidem.*

Sicut cacumen arborum in excelso positarū, etiāsi leuis aura flauerit, mouetur: Sic & sublimes homines in culmine dignitatis existentes etiam leuis fama conturbat. Humiles aūt sicut in conualle plerunque in tranquillitate consistūt. *Idē hom. 2. operis imper.*

Sinite pueros venire adme. Taliū enim est regnū cœlorū. Qui casti sunt ex virtute sicut pueri casti sūt ex ætate. Tales sunt qui simplices oculos habēt, sicut pueri, & non cognoscunt differētias personarum. Ecce enim puer si viderit hominem, nihil aliud videt in eo, nisi hoc solum quia homo est: non dignitatem eius intelligit, non considerat vestem istius.

Vir autem perfectus, cum hominem viderit, non aspicit quia homo est, sed statim cogitat de diuinitate illius & æstimat vestimenta ipsius. vides ergo quia sapientior est imperfectus puer, quam perfectus vir? vir enim non hominem aspicit, quem fecit Dominus: sed ornatum quem Diabolus adinuenit. Puer autem non ornatum aspicit, quem Diabolus adinuenit, sed hominē quem Deus creauit. *Idem hom. 32, operis imperfecti.*

Ille magnanimus est qui vere humilis est, nullius adulator, nullius contemptor: alterum enim magnanimitatis, alterū stultitiæ est argumentū. quod hinc maximè constat: Sit quispiam qui lutum, lutum esse arbitretur, & tanquam lutum contemnat: alter lutum tanquam aurum & admiretur & plurimi faciat: vter magnanimus est, nunquid qui lutum nulla admiratione prosequitur? Vter humilis & abiectus, nunquid qui id admiratur? eadem ratione hoc in loco considera, quod qui se puluerem ac cinerem appellat, magni animi est, quod ex humilitate *p*ficiscitur. Qui autem neque terram se neque cinerem intelligit, sed intumescit & maximam de se concepit opinionem: nonne hic omnium est vilissimus, cum minima magna esse sibi persuadeat? *Idem hom. 1. in. 2. Corinth.*

Quanto seipsum quis magis humiliauerit, tantomagis exaltabitur. Quemadmodum enim in aqua fit, quæ tanto altius ascendit, quanto illam quisquam ad ima deduxerit: & quantum quis ex interuallo iaculatus fuerit, tanto ponitur: ita habet animi humilitas. *Idem hom. 11. ad Ephesios.*

Quemadmodum ex aridioribus virgultis flamma vix dum suscitata in cineres collabi solet: ex solidis verò & firmioribus natura lignis haud facile ignis succendi potest, succensus verò excitatam diu continet flammam: sic & animi stabiles, haud quaquam vel succenduntur facile vel restinguntur: quæ duo abiecti homines, & ad desperationem proni eodem tempore patiuntur. *Idem sermone contra desperationem & superbiam.*

Arbusta plantata priusquam fixa radice coalescant, si manus concutiens tangit, arefacit. At si in altum radix figitur, & terræ humoribus conspersa solidatur, hoc & manus impellit, sed non lædit, hoc & ventorum flatus inflectendo concutiunt, sed non euertunt: Ita ne eruatur

vita

vita cœpti operis. diutinæ ac robustæ in alto humilitatis figenda est radix cordis, vt cum ab humano ore detractionis vel fauoris aura flauerit, & si in quamlibet partem vt cunque incuruet, animum funditus non euellat, sed ad statum suum protinus post inflexionē redeat, si apud se fortis in radice perduret. Quid in rebus excrescentibus pariete surgente robustius? qui tamen si dum construitur, impellatur, statim sine labore destruitur. Si autem per spatium temporis ab humore suo exiccari permittitur, sæpe & arietum ictibus minimè quassatur: Sic bona nostra & intempestiue manifesta depereunt, & diutius occultata solidantur. *Gregorius lib. 8. moralium cap. 35.*

Sicut cum sol apparuerit, fugantur tenebræ: Ita cum afflare cœperit suauissimus humilitatis odor, omnis amaritudo omnisque furor ex animo exterminatur. *Climacus de ira vacuitate, & mansuetudine.*

Omnium ferarum venenatarum sensibilium interemptor est ceruus, intellectualium vero humilitas interfectrix est. *Climacus de discretione gradu. 26.*

Dolium nisi vndique sit pice illitum & nullas habeat ruinas, vinum non potest continere: Sic cor nisi humilitate & castitate muniatur, & nullas habeat vitiorum rimas, Dei non potest esse domicilium. *Sanctus Isayas abbas oratione. 12. de vino.*

Nisi vinum in locis profundis & subterraneis reconda tur, euanescit: Sic adolescentiæ labores omnes sunt vani nisi in humilitate conseruentur. *Ibidem.*

Sicut de fonte terreno & de corporali fluuio, non potest aliquis bibere, nisi voluerit se inclinare: ita & de viuo fonte Christo & sancti spiritus fluuio nemo aquā viuam hauxire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit, propter illud quod scriptum est, *Deus superbis resistit.* Cæsarius. *hom. 30.*

Vt arca Noe quo magis abundarunt aquæ diluuij, tanto altius ferebatur: Sic mansuetus animus quo maiores erūt tribulationes aquæ, tanto erit excelsior. *Gerson sermone de omnibus sanctis.*

Sicut species aromaticæ cum in puluerem rediguntur, vehementer redolent, Ita hominis bona cum per humilitatem quasi comminuta fuerint, Deo sunt gratiora. *Peraldus in summa virtutum.*

Quemadmodum ignorantia præsumptionem, ac præsumptio inducit casum: Ita scientia humilitatem, ac humilitas argumentum parit gratiæ, additamentum luminis, perseuerantiam boni, spei delectabile gaudium, desiderium proficiendi, gustum sapientiæ, fidei constantiam, amorem patiendi, exultationem spiritus, mentis rectitudinem, iustitiæ zelum, sitimque virtutum. *Laurentius Iustinianus De institutione & regimine prælatorum, cap. 9.*

Quemadmodum multis terrenis curis, ac carnis voluptatibus intendentes, per internam vocationem, mediante flagello, de mortis faucibus Dominus reducit ad vitam: Ita quàm plurimos, qui cor non habent elatum, veritatis suæ splendore irradians, ex gehennæ filiis, regni sui gratia cooperante, facit esse hæredes. *Idem de Spirituali animæ resurrectione.*

Humilitas torrenti similis est. quẽadmodũ enim is æstate tenuior, quasi serpit, hyeme verò atq; vere inũdat: Sic etiã humilitas in prosperis quidem exigua est, in aduersis verò magnanima est. *Bernardus Iustinianus in vita Laurẽtij Iustiniani.*

HYPOCRISIS.

QVomodo zelatur fornicaria mulierem idoneam, & bonam valde: Sic zelabitur iustitia iniquitatem, cum exoriat se, & accusat eam in facie eius cum venerit qui defendat exquirentem omne peccatum super terrã. 4. *Esdræ. 16.*

Nunquid virêre potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua? cum adhuc sit in flore nec carpatur manu, antè omnes herbas arescit: Sic viæ omnium qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit, non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearũ fiducia eius. *Iob. 8.*

Hoc scio à principio ex quo positus est homo super terram quod laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascẽderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit: Quasi sterquiliniũ in fine perdetur: & qui eũ viderãt, dicẽt, Vbi est? velut somniũ euolans non inuenietur, transiet sicut visio nocturna. *Iob. 20.*

Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris quidẽm apparent speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, omnique spurcitia: Sic & vos foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis fictione, & iniquitate. *Mathæi. 23.*

Caue simulatam mentem habere, ô homo, propter illum qui scrutatur corda & renes. Quemadmodum qui milites sunt conscripturi, & ætatem & corpora deligendorum ad pugnam, deligentes excutiunt: Sic & Dominus delectũ faciens animarum, voluntates illarum scrutatur, ac si quam hypocrisim deprehenderit ocultatam, reiicit hominem, tãquam ad veram illius militiam non idoneum: Si verò dignum inuenerit, huic libenter confert gratiam. *Cyrillus Ierosolymit. catechesi.* 1.

Non silentio prætermittam Polypi dolos ac suaacitatem. Is cuicunque saxo adhæserit colorẽ subit illius, atque adeò vt piscium complures ad ipsum de improuiso nantes, tanquam ad saxum appellant, paratamque sese offerant illi versuto malitioso que prædam. Talibus eos moribus præditos esse constat, qui perpetuos potentatus subeunt: & ad vsus necessitudinesque singulas occurrentes sese accommodant: nec in eadem semper voluntate persistunt, sed alij diuersiq; facile fiunt. Sobrietatem cum sobrijs laudant: intemperantes sunt cum intemperantibus: atque ad id quod cuique placet suam sententiam vertũt. *Basil. hom. 7. examerõ.*

Quis magis superbiam castigauit? aut humilitatem dilexit? nequaquam fictè, aut superficialiter, quemadmodum nunc multi se philosophari simulant, ac præstantes videntur, non secus ac mulierculæ insipientissimæ, quæ cum pulchritudine careant naturali, ad colorum fucos confugere solent, suntque (quonam modo dicere debeo) theatrales ornatissimæ, propter verecundiam inuerecundissimæ & propter turpitudinem turpissimæ. Humilitas enim nequaquam illi in vestimento sita erat, sed in penetralibus animæ, quin nec ceruicis inflexionem mollem, aut vocis infractionem seu vultus compositionem factam, vel barbæ densitatem promissam siue capitis colorationem adulterinam, aut incessus modum compositum, humilitatem esse iudicabat, talia enim facilè effinguntur, citò tamẽ redarguuntur, nihil enim simulatum durabile esse potest. *Gregorius Nazianzenus orat. in funere patris.*

Quẽadmodũ Chamæleontem facile ferũt variósque assumere colores præter cãdidũ, vt interim fabulosũ illũ Proteum Aegyptium sophistã omittã: ita & ille (Iulianus) omnia præterquam mansuetus erat, & factus est Christianus,

eratque illi humanitas res admodum inhumana, suadelaque nil aliud, quam violentia, & pro immanitatis excusatione probitas, quo iure videretur ad violentiam cõfugere, cum persuadendo nihil proficere posset. *Idem orat. 1. in Iulianum.*

Væ vobis hypocritæ, similes estis sepulchris dealbatis. Sicut sepulchrum quandiu quidem clausum est pulchrum videtur foris: siverò fuerit apertum, horribile est. Sic & simulatores bonorum, quandiu non cognoscuntur, laudabiles sunt, cum autem cogniti fuerint, abhominabiles sunt, *Chrysostomus. hom. 45. in is imperf.*

Hypocrita, id est, histrio, vocatur is qui in theatro alienam faciem sumit, vt seruus existens, sæpenumerò Domini, & priuatus regis: Sic & in hac vita ad suos mores orchestras atque theatrum exercentij, qui alia corde gerentes, alia extrinsecus hominibus præ se ferunt. *Idem in sermone ae leimmio.*

Homo verè iustus, similis est pulchræ mulieri nihil exterorum indigenti, sed naturalem habenti pulchritudinem: homo fictè, iustus hypocrita, similis est meretrici cuidam turpi atque deformi, multos tamen habenti fucos, nec tamen turpitudinem obũbrare valenti, sed quanto quis proprius accesserit, magis redargutioni obnoxia. *Idem hom. 57. de diuersis.*

Sicut plerumque meretricis vultus cum turpis & fœdus est per naturam fucis & coloribus pigmentatus prostituitur ad decipiendos eos qui ignorant, quæ fœditas sub velamine fuci illius contegatur: Ita hypocrita. *Idem hom. 30. Quod nemo lædatur nisi a se ipso.*

Similaci æquiparentur, qui charitatem simulantes, & complectentes per blanditias proximum, ac interim quæ ad perniciem eorum faciant meditantes. Absumetur tandem talis simulax ipsa à sese: alter enim impostor ab altero fraudulentiore capitur. *Theophilactus in cap. 1. Naum*

Sicut autem hypocritæ simulatores, tanquam prænunciatores alienarum personarum, sicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in tragedia, verbi gratia siue alicuius alteri⁹ ad historiã, vel fabulã quæ agitur pertinentis verè ipse est, sed simulat eum, & hypocrita dicitur: Sic in Ecclesiis & in omni vita humana,

quisquis se vult quod est, non esse, hypocrita dicitur. Simulat enim iustum se, & non exhibet, qui totum fructum in laude hominum ponit. *Augustinus libr. 2. de sermone Domini in monte.*

Struthio volandi speciem habet, sed vsum volandi non habet: Ita hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. *Gregorius libr. 7 moral. cap. 15.*

Scyrpus & carectum speciem viriditatis habent, sed ad humanos vsus fructum vtilitatis non habent: Ita hypocritarum vita. *Idem libr. 8. cap. 27.*

Cum iiunatis, nolite fieri sicut hypochritæ tristes. Math. 6. Hypocrisis cognata febris, frigido populo propinat ardorem. Quod corporibus est hydrops, hypocrisis animabus. Hoc est hydrops bibendo sitit, hypocrisis inebriata sitit. *Petrus chrysologus sermone septimo.*

Agricola si non impresserit cultrum, si sulcum non defoderit, si non exciderit sentes, si gramina non euulserit, si in tuto semina non locarit, sibi mentitur, non terræ, nec terræ facit damnum, sed sibi non facit fructum, & ita se vacuat, ita decipit; impugnat, ita qui terræ manu fallaci mentitur. Quid faciet, quid habebit, quid inueniet, qui deo esuriente, carne hypocrisi luxuriante, mentitur? sciat se sustinere laborem incassum, se nihil habiturum, qui premens ieiunij aratrum, & abscindens gulæ gramina, atque eradicans luxuriæ sentes, misericordiæ semina nulla iactauerit. *Ibidem.*

Vt Simon Cyrenæus Christi crucem tulit, angariatus, non volens. Ita hypocritæ alienum opus pro Christo nolentes portant, opere exequentes foris quod intus non amant. *Bernardus sermone de benedict.*

Vide deceptio.

IDOLOLATRIA.

QVid tam impium, tam ingratum, quam à Deo beneficium consequi, & reddere lignis ac lapidibus gratiam? Tale est enim hoc, quale si quis æger ad medellam sui, medicum pariter & venenarios inuitet, cum illi nocere

quidem possunt, verus autem medicus, venenis illorum recusset sua medicamenta miscere, ne aut pernicies bono, aut sanitas nocentibus adscribatur. Dicis ergo, indignatur aut inuidet Deus, si cum ipse benefaciat, aliis gratiæ referantur. Etiamsi non indignetur, non vult tamen erroris auctor existere, vt sui operis beneficio, inani dolo fides fidetur. *Clemens. libr. 5. recognitio.*

Quemadmodum ægrotus admittere non differt medicum, quamuis in medicina sunt hæreses, ita nec qui anima ægrotat, & est plenus symulacris, pro sanitate, & ad Deum conuersione, prætexere debet hæreses. *Clemens Alexand. lib. 7. strom. contra gentiles qui Christiani fieri nolebant, propter hæreses in ecclesia subortas.*

Quemadmodum si quis magni regis honorem satrapis eius præfectisque exhiberet, non stultitiæ solum arguerētur, sed & periculose audaciæ, tribuens seruis quod debetur Domino: ita quicunque sic creaturas colit vt creatorē, sciat se impudentissimum & iniustissimum, qui paria largiatur imparibus, non tam in honorem inferiorum, quā in potioris contumeliam. *Philo libr. de decalogo.*

Postquam Deus ille præsto esse cœpit, iam symulacro eius opus non est. Quæro enim, si quis imaginem hominis peregrè constituti contempletur sæpius, vt ex ea solatium capiat absentis, num idem sanus esse videatur, si eo reuerso atque præsente, in contemplanda imagine perseueret, eaque potius quam hominis aspectu frui velit? Minime profectò. Etenim hominis magis necessaria tum videtur, cum procul abest, superuacua futura, cum præsto est. Dei autem cuius spiritus ac numē vbique diffusum, abesse nunquam potest, semper vtique imago superuacua est. *Lactantius libr. 2. cap. 2.*

Sicut sunt quidam qui animæ præferunt corpus, seruum dominæ: Eodem modo sunt, qui creaturam magis honorāt quàm creatorem. *Philo. lib. de sacrificio Abelis & Caini.*

Quemadmodum Cain Abelis frater de fructibus & non de primitiis Deo sacrificium obtulit: Sic sunt multi qui dāt primatum creaturæ, secundarium honorem homini. *Idem lib. de sacrificiis Abelis & Caini.*

Eodem modo quo matrimonium dici non potest, vbi mulier viros multos habet, sed hæc aut meretrix, aut adul-

tera minatura quaenim pudor, castitas, fides abest, virtute careat necesse est: Sic & religio Deorum impudica est, & incerta quia fide caret, quia honor ille instabilis & incertus caput & originem non habet. *Idem lib. quarto de vera sapientia, in cap. 3.*

Nihilominus error gentilis superstitionis, quamuis à nullo vnquam obturbaretur, & profunda quiete frueretur, à seipso extinctus est, & in semetipso in diuersa corruit. Non secus quàm corpora diuturnæ putredini obnoxia, quæ licet à nullo offendantur, per se tamen sponte dissoluuntur, paulatímque abolentur. *Chrysostomus libro contra gentiles.*

Sicut qui viuunt in agnitione Dei & Christi, quãuis agnitio ipsa sit vita, tamen donec sunt in seculo isto, non sunt in vera vita, sed in vmbra vitæ, quoniam per fidẽ ambulant & non per speciem. & per speculum in ænigmate vident, non facie ad faciem: sic qui in erroribus idolorum viuunt, licet ipse error sit mors, tamen nondum sunt in vera morte, sed vmbra mortis donec in isto seculo sunt. *Idem ho. 6. operis imp.*

IGNORANTIA.

NIhil grauius quàm si id quod ignorat quis, scire se credat, & defendat verum esse quod falsum est, quod tale est, quale si quis ebrius sobrium se putet, & agat quidem cuncta vt ebrius, sobrium se tamen & ipse putet, & dici à cæteris velit, Ita sunt ergo & hi qui ignorantes quod verum est, specié tamen alicuius scientiæ tenent, & mala quasi bona gerunt, atque ad perniciem quasi ad salutem festinant. *Clemens lib. 5. recognitio.*

Præstat proba ignoratione detineri, quàm falsa opinione mancipari. Nam qui nescit, facile ratione ducitur, qui verò scire credit cum nesciat, non potest facile veritatẽ susscipere. Nã & in charta vbi nihil scriptũ est, facillimè scribitur, literis vero plena, non similiter certè, necesse enim est priora delere: & medicus qui nihil offert, & qui ædificat illicò cuitura, peior eo est qui nunquã ædificauit. Et terra facilius aratro proscinditur, quæ nihil habet, quàm quę vepribus referta. Nequaquã igitur cuncta scire velimus, sed patiamur etiã nõnulla ignorare, vt si magistrũ inuenerimus, duplicẽ ei laborem non præbeamus. *Chrysost. hom. 76. in Math.*

Sicut virtutis Dei scientia tenax est cœlestis itineris: Sic est insciti mater erroris. Quod etiam Dauid ostendit, dicens, Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. *Fulgentius lib.* 1.

Quemadmodum neque vox in piscibus: Sic neq; virtus in hominibus imperitus quærenda est. *Sextus apud Antonium parte* 1. *sermone* 70.

Vt musicæ rudes organis: Sic indocti fortunis se accommodare nesciunt. *Demonactus. Ibidem.*

Vt peregrini in viis: Sic indocti in rebus ipsis aberrant. *Idem sermone* 17.

Vt scarabei ac vultures offenduntur vnguentis, & Scytha iurauit se malle equum hinnientem audire quam cytharœdum canentem: Ita non omnibus placent omnia. *Plinius lib.* 11. *cap.* 35.

Nullũ est animal quod impensius amet suos fœtus, quã asinus & simia: Ita indocti suas commentatiunculas præter alios amplectuntur. *Idem lib.* 18. *cap.* 43.

Quemadmodũ histriones multa fastus & arrogantiæ gerunt indumenta: Sic indocti homines in re nullius momẽti sibi ipsis placent. *Isocrates apud Stobæum eodem sermone.*

Sicut materia omnia videtur habere, cũ nihil reuera possideat: Sic & duplici ignoratione laborans, videtur sibi quę non habet, habere. *Proculus de anima & dæmone.*

Sicut vinum alios hebetiores reddit, alios acutiores: alios elingues facit, alios loquaculos, pro corporum habitu: Ita eadem stulticia & ignorantia veri quosdam incitat ad studium pecuniæ, quosdam ad voluptates. *Aristoteles.*

Vt Tygrides, si quis tympanis circũsonet, in rabiem agi dicuntur, adeò vt seipsas denique discerpant: Ita quosdam offendit, quod aliis reddit animum: puta Musica, Eloquentia, &c. *Plutarchus in Moralib.*

Vt morbus non cælandus est, sed in publicum efferẽdus, quò sanari possit, vt dixit Heraclitus: Sic insciti nõ est tegenda. *Ibidem.*

INCONSTANTIA.

HOrum volueris animus continenter flabris veluti quibusdam pulsatur, horum consilia assimilia vesperti-

lionum volatibus sunt: quippe qui in directum nunquam feruntur, sed tortuoso & incerto maxime volatu huc illúcque temere pererrant, ac circumvagantur. Hi multum serpunt, sed nihil promouent. Si quidem iumentis hi similes sunt, quæ ad molas deligata cum ingredi continenter non cessent, eodem tamen vsque in spatio semper reperiuntur: & fracto laboribus corpore, ipsa tamen vltra exigui loci fines progressa non sunt. Sic isti quoque cum assiduè in corporis libidinibus intricentur, in hisque depressi inhærescant, ad spiritus fastigium nunquam euadunt: sed inexhausto cursu in orbem perpetuò incitati feruntur, nempè qui vna cum corporis concupiscētiis, voluptatibúsque assiduè agitati, rotatíque, eodem vnde mouerant denuò referantur, & propter voluntatis prauitatem, ab iniqua in qua sunt seruitute nunquam liberentur. *Basilius de constitutione monastica cap. 9.*

Hypanis Scythicorum amnium princeps, per se purus & dulcis, circa Callipodas Exampeo fonte amaro inficitur, atque ita dissimilis sui, in mare cōditur. de quo quidem est illud Solini elogium: Qui in principiis eum norunt, prædicāt: qui in fine experti sunt, non iniuriā execrātur: Ita quidam initiò blandi & amici, postea longè dissimiles sibi reperiuntur. *Plinius lib. 2. c. 100. Solin. cap. 23. Strab. lib. 9. & Pompon. Mel. lib. 2.*

Vt conchylia crescente luna augescunt, decrescente marcescunt: Ita stultus à fortuna pendens, nūc magnus est, nūc pusillus, nunc elatus, nunc supplex, vtcunque Rhamnusia mutauerit sese. *Lib. 2. cap. 102.*

Vt Camelopardalis siue Nabis collo refert equum, pedibus & cruribus bouē, capite camelum, maculis tigrim, aut pardum: Ita quidam inæquales sibi varias hominum formas exprimūt: si cultum inspicias, sanctum aliquem existimes: si orationem audias, satrapam loqui putes: si vitam expendas, nebulonem inuenies: si scripta, bubuculum. *Idem, lib. 8. cap. 18.*

Hyena, sicut & ichneumon, nūc mas est, nūc fœmina: Ita quidā sui dissimiles, nunc fortia loquuntur, nunc mollia: nunc philosophi sunt, nunc nepotes. nunc amici, nunc inimici. *Idem lib. 8. cap. 3. & cap 21.*

Apud Troglodytas lacus est, qui ter in die fit amarus &

falsus, ac rursum dulcis, totiésque etiam nocte, vnde & insanus dictus: Sic quidam inæquales nunc asperi, nunc sunt blandi: aliquando profusi, mox sordidi: iam vehementer amant, iam supra modum oderunt. *Idem libro 31. cap. 1. & lib. 2. cap. 16. & Herodotus lib. 4.*

Mulus ex equa & asina conflatus, nec equus est, nec asinus: Ita quidam dum & aulici esse volunt, & aliquid aliud, neutrum sunt. *Idem lib. 8. cap. 44. & Mela lib. 2.*

INDVRATIO, EXCAECATIO.

VT euidentius quod diximus demonstremus, vtamur exẽplo, quo in epistola ad Hebræos vsus est D. Paulus dicẽs: *Terra quæ bibit frequenter venientẽ super se imbrẽ, & germinat herbam optimam his quibus colitur, percipiet benedictionem à Deo: quæ autem profert spinas & tribulos, reproba est & maledictio proxima, cuius finis ad exustionem.* Igitur ex his quos assumpsimus Pauli sermonibus, euidenter ostenditur quod vno eodémque opere Dei, quo imbrem terræ largitur, alia quidem terra diligenter exculta, fructus afferat bonos: alia verò quæ negligenter inculta est, spinas & tribulos proferat. Et si quis quasi ex persona impiorum loquens, dicat, ergo imber fecit fructus bonos, & spinas ac tribulos ego feci, quamuis durè dicivideatur, verè tamen dicitur. Nisi enim imber fuerit, nec spinæ nec tribuli nascerentur, superueniente verò pluuia, vtrumque terra produxit. Sed quamuis pluuiæ beneficio terra germen vtrumque produxerit, non tamen imbribus meritò diuersitas germinis ascribetur: sed ad illos iure culpa seminis reuertetur, qui cum possent frequenti aratro terram scindere, & rastris grauibus torpentes glebas vertere, & omnes inutiles radices noxij germinis amputare atque succidere, cunctísque quibus cultus ille deposcit laboribus ac studiis purgata excultáque noualia, venturis imbribus præparare, hoc quidem facere neglexerunt. Desidiæ autem aptissime fructus spinas ac tribulos metent, ita vt bonitas ac benignitas imbrium super omnem terram æqualiter veniat, sed vno eodémque opere pluuiæ, ea quidem terra quæ cul-

ta est diligentibus cultoribus cum benedictione vtiles fructus proferat: ea verò quæ cultorum desidia obduruit, spinas ac tribulos germinet. Sic ergò accipiamus quod ea signa & virtutes quæ à Deo fiebant, imbres quidam erant, & à Deo desuper ministrati: propositum vero hominem terra accipienda est culta vel inculta, vnius quidem naturæ, vt pote omnis terra cum terra, non tamen vnius & eiusdem culturæ. Ex quo fit, vt vniuscuiusque propositum vel induretur virtutibus ac mirabilibus Dei, si incultum & ferum est ac barbarum, & semetipso superbius ac spinosius fiat, & miteſcat amplius, ac tota mente se in obedientiam tradat, si purgatum à vitiis fuerit, & excultum. *Origenes libro tertio periarchon cap. 1.*

Alia vtimur similitudine verbi gratia. Si quis diceret quia Sol est qui restringit & qui resoluit, cum contrarium sit & resolutio & restrictio. Sed non erit falsum quod dicitur, dum vna eadémque caloris virtute sol quidem ceram soluit, limum verò arefacit & stringit, non quod limi alia, alia quoque ceræ sit qualitas, cum vtique secundum naturam vnum sit, quia vtrumque de terra est. Ita ergo vna eadémque operatio Dei, quæ per Moysem in signis ac virtutibus gerebatur, pharaonis quidem duritiam arguebat, quam malitiæ suæ intentione conceperat: reliquorum verò Ægyptiorum qui Israelitis admiscebantur, obedientiam declarabat, qui etiam cum Hebræis pariter exceſſisse Aegypto referuntur. *Ibidem.*

Quòd ergo ait Isaias, *ad quid Domine induraſti cor noſtrum, vt ne timeamus nomen tuum*, dictum ab his qui misericordiam precabantur, morali vtique tropo accipiendum est, velut quis dicat, vt quid intantum peperciſti nobis, nec requisisti nos cum peccaremus, sed reliquiſti nos vt per hoc increscceret malum, & propagaretur peccandi licentia animaduersione cessante? Sic equus si non assidui sessoris patitur calcem, & frænis ora ferratis obteritur, indurescit. Sic & puerilitas si nulla plagæ assiduitate curuetur, insolentem simul & ad vitia præcipitem iuuenem reddet. *Ibidem.*

Paulus enim dicit: *In quib⁹ Deus ſeculi huius obcæcauit mẽtes infidelium.* Hoc autẽ est perinde, ac si diceret. Obcœca scortatoris

libidinosas cogitationes, & seruabitur homo. Excæca furis rapacitatem, & saluabitur homo Sed si non vis de hoc ita sentire, est & alia interpretatio. Obcæcat & sol lippos, & ex oculis laborantes, malè affectos propter luminis vim. Nō quod sol habeat vim obcæcandi: sed quod corrupta videntium natura, videre per se non possit. Sic & infideles ægrotantes in corde non possunt videre diuinitatis radios. *Cyrillus Ierosolimitanus catechesi 6.*

Excæcauit oculos eorum. Isaiæ 6. Quemadmodum sol debilé oculorum aciem perstringit, non natura sua: ita vsuenit in his qui diuino nō attendunt sermoni. Ita & Pharaonis cor induratum dicitur, ita his accidit qui Dei verbū oppugnant. *Chrysost. Hom. 69. in Ioan.*

Obscuratum est insipiens cor eorum. Rom. 1. Quemadmodum nocte illuni si quis peregrina via ingredi conetur aut mare nauigare, non solum non perueniet ad finem destinatum sed peribit protinus: Sic & isti iter ad cœlum ferens aggressi, à se lucem cum ademerint, ac pro ea cogitationum tenebris se inuoluerint, in corpore incorporeū, in figura infiguratū exquirentes, naufragium infestissimum fecerunt. *Idem, Ho. 3. in epist. ad Rom.*

Tradidit eos Deus in reprobum sensum. Rom. 1. Tradidit significat permisit. Quemadmodum enim si quis exercitus præfectus, prælio ingraueſcente abscesserit, hostibus milites tradit, haud quaquam ipsos impellens, verum suo auxilio nudans: Sic & Deus eos dimisit, qui admittere illius præcepta noluerunt, sed statim inter primos ab eo defecerunt, & ipsa nihilominus partes omnes suas explent. *Ibidem.*

Si impij futura supplicia minime præsentiunt, sed delectantur, ne mirum tibi sit. Etenim qui insaniunt ac phrenesim patiuntur, si certè multas & miserandas in semet iniurias dum inferunt, ob quæ facta aliis lacrymas cient, ob ea rident quidem ipsi & insolescunt, nec tamen dixerimus illos propterea supplicio liberatos, sed hoc ipso nomine pœna graviore affligi, quod ne ipsi quidem norint, quibus quantísque in malis versentur miseri, neque enim ab ægrorum sed à sanorum calculo sententiam ferre nos oportet. *Idem, Hom. 4. in epist. ad Rom.*

Hæreticum hominem deuita, sciens quia subuersus est. Hæreticū hominem dicit difficile corrigi. Quemadmodum verò ma-

gnæ desidiæ, magnæque socordiæ est, eos despicere, quos immutandos in melius non desperamus: ita eos qui desperabiliter languent, curare contendere, stultitiæ ingentis est atque extremæ dementiæ. *Idem Hom. 6. ad Titum.*

Videte ne sit in vobis prauum cor infidelitatis. Hebr. 4. Quippe ex duritia infidelitas nascetur. Et sicut solidata corpora & dura non obsequuntur manibus medicorum: sic & animæ obduratæ non obsequuntur verbo Dei. *Idem, Hom. 6. ad Hebræos.*

Vnus est solis calor & secundum essentias subiacentes alia liquefacit, alia indurat, alia soluit, alia constringit. Liquatur enim cera, & induratur lutum, & tamen caloris non est diuersa natura: Sic & bonitas & clementia Dei, vasa iræ quæ apta sunt in interitum, id est, populum Israël indurat, vasa autem misericordiæ quæ præparauit in gloriam, quæ vocauit, hoc est, nos qui non solum ex Iudæis sumus, sed etiam ex gentibus, non saluat irrationabiliter, & absque iudicij veritate, sed causis præcedentibus. *Hyeron. quæst. 10. ad Hedebiam.*

Sane exteriores tenebræ intelligi possunt quædam malignitas odij & voluntatis, quæ tunc exercescit in mentibus reproborum, & quædam obliuio Dei, quia tormentorum interiorum & exteriorum doloribus adeo afficientur & turbabuntur, vt illis ad excogitandum aliquid de Deo vix vel raro vel nunquam mente reuocent. Vt qui nimio præmuntur pondere, adeo stupescunt & turbantur, vt interim in aliam cogitationem se extendant, sed illuc tendit impetus cogitationis, vbi sentitur vis doloris. *August. in Psal. 6.*

Sicut illi solent qui minutissimas vrbes obsident, aut firmissimas vrbium arces capere & subruere conantur, omnibus absque dubio eas & telorum & machinarum generibus oppugnant. Ita nos ad expugnandam misericordiam Dei, omni peccatorum immanium scelere quasi omni telorum genere pugnamus, & iniuriosum nobis Deum existimamus, cum ipsi iniuriosissimi Deo simus. Omnis siquidē Christianorum omnium culpa diuinitatis iniuriæ est. *Salu. lib. 4. de prouidentia.*

Curare nos vult castigationibus suis Deus, sed curā non remedia sequuntur. Quid hoc mali est? Iumenta ac pecudes sectione curantur, & putrefacta mulorum, asinorum,

porcorum viscera, cum adusta cauteriis fuerint, munus medicæ adustionis agnoscunt, statímque vbi aut cremata aut desecta fuerit vitiatorũ corporum labes, in locum demortuæ carnis viua succedit: Nos & vrimur & secamur, sed nec ferri sectione, nec cauteriorum adustione sanamur, imò quod est grauius cura ipsa deteriores sumus. *Idem, lib. 7.*

Qui veritatem intueri nolentes, amant in tenebris versari, sunt veluti aues illæ quæ noctu tantum volant, vt vlulæ & noctuæ, hæ enim lucem odiunt, amant tenebras. Sed his quidem nemo sanæ mentis indignetur, atque succenseat: natura enim ab initio, genus hoc vitæ illis addixit. Qui verò vltro sese tenebris addicunt, nolentes cognoscere veritatem, quomodo quæso, veniam consequentur? *Theodoricus Cyrænensis, ser. 2.*

Sicut caro morbis emortua, si abscissa nõ fuerit, salutem reliquæ carnis putredinis suæ cõtagione corrumpit: Ita isti qui emendari despiciunt & in suo morbo persistunt, si moribus deprauatis in societate sanctorum permanserint, eos exẽplò suæ perditionis inficiunt. *Beda de verbis Iacobi confitemini alterutrum.*

Væ illis qui rebelles sunt lumini, idest, spirituisancto, nec acquiescunt veritati quam intelligunt. Sicut enim lutum ex calore solis: ita ex bonitate & beneficiis Dei duriores sunt. Sicut tamen de illis desperare impium: ita de nobis præsumere est temerarium, cum tam de illis quam de nobis qualiscunque sit scientia præsentium, nulla possit esse præsciẽtia futurorum. *Guerricus abbas, ser. 1. Pentecostes.*

INFERNVS.

SI ingressi in carcerem, & videntes alios pallidos, alios vero vinctos & esurientes, alios vero in tenebris cõclusos, concutimur, horrescimus, & omnia ne illuc incidamus facimus: quando adducti trahemur in gehennæ carceres, quales futuri erimus? non enim vincula illa ex ferro, sed ex igne sunt, nunquam extinguibili: neque qui præsunt nobis, eiusdem dignitatis sunt, quos vnquam demulcere poterimus, sed angeli in quos neque respicere licet, valde iracundi, propterea quod dominum tanta contumelia affecimus. *Chrysost. Hom. 10. in 2. Cor.*

Sicut in hoc mundo sub vno sole multi consistunt, nec tamen eiusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, quia alius plus æstuat, & alius minus: ita illic in vno igne, nō vnus est modus incendij, quia quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas peccatorum, vt ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem dissimiliter exurat. *Greg. lib. 4. Dialogorum.*

Ægyptus terra, fuit exemplum inferni. Illic detinebatur populus captiuus fratrum Christi, id est, sanctorum populus, quos omnes statim transduxit per mare rubrum, id est, per sanguinis & aquæ decurrentis ex latere suo sacramentum, & inimicos eorum, id est, peccata eorum operuit mare illud & vsque nunc operit inimicos nostros, qui eodem sacramento baptizati fumus. Ad istam Ægyptum Christus per omnia fratribus assimilat⁹ descendit vt eos faceret cohæredes sui. *Rupertus, lib. 2. in Math.*

Non sic impij non sic sed tanquam puluis quem proiicit ventus. Psa. 1. Nō est impiis cōparatiuæ huius beatitudinis spes relicta, sed vagum os obtutum, ventilatum, dispersum & inquietū manet, vt ex illa corporalis soliditatis firmitate decussi ludibrio pulueris differantur in pœnam: non in nihilum dissoluti, vt sit in his materies pœnalis, sed in inane ac leue aridúmque protriti vt ludibriosa pœnæ mobilitate iactentur. Comparatio itaque beatitudinis ita & pœnæ est constituta. Quomodo enim nullus labor est vento puluerem dissipare, & quomodo lutū in plateis ingredientes propè calcasse non sentiunt: ita pœnę illi inferni facilè est impios delere atque dispergere, quos peccatorum ratio & in lutū soluerit, & comminuerit in puluerem, non relicta neque substantia firmitatis, cum puluis & lutum sint in natura tamen pœnalis substantiæ reseruati. *Hylarius in Psal. 1.*

Dum tempus est præoccupemus faciem eius in confessione vt minaces illas virtutes effugiamus. Nonnè videmus terrenos milites principibus seruientes, quomodo criminosos trahunt, quomodo ligant, quomodo trahunt costas, quomodo faces tormentis adhibent? Sed hæc omnia ludicra & risus ad illa supplicia. Nam & temporaneæ sunt hæ pœnæ: illic vero neque vermis moritur, nec ignis extinguitur. *Chrysost. Hom. 49. ad populum Antioch.*

Non velim existimes, vt hic fieri solet, ita & in futura vita contingere, vt scilicet solatium aliquod ferat, socios habere miseriæ, vnde id cõstat? Ex subiecto scilicet exemplo. Dic enim quæso, si quis damnatus ignibus filium quoque suum vnà intueatur, nidorémque ex ipsius carne ascendentem hauriat narib⁹, nónne morietur? Nam si hi quoque qui sani sunt, dum hæc fieri vident, penè resoluuntur: multo magis id passuri sunt, qui ea clade vexantur. Et ad passionem pronum humanum genus, aliorúmque calamitatibus facilè commouemur. Quo pacto pater filium in eadem dãnatione positum videns, solatium capiat? Contrà pœna illi ex ea societate auctior. Eadem ratione, si vir vxorem, frater fratrem, &c. *Ibidem. Hom. 48. De ira.*

Nihil mihi videtur tam efficax ad auocandos animos ab istis caducis quam hæc cogitatio. Quare mecum quæso, sic attentissimè cogitate. Si mille annorum vltio intentaretur, deberent omnes sane exhorrescere. Nam qui in hac vita aliquot horarum spatio acerbius torquentur, miserrimi existimantur. At vero mille annis ignibus tradi cruciandum quanto est acerbius, multò verò magis si decem aut centũ millibus annorum, hæc pœna esset duratura. Quod tamen spatium breuissimum videretur, & tanquam momentum, si dictum prius esset, tot annorum millibus esse in igne commorandum, quot arenæ minutula grana in hoc templo cõcluderentur. Rursus hoc etiam tantum spatium (quæ enim secula arenam illam exhaurirent, si millesimo quoque anno duntaxat granulum vnum auferretur?) pro nihilo putaretur, si in hanc pœnam ea commutaretur, qua tenerentur in ignem damnati tot annorum millibus, in eo esse, quãtus arenæ numerus toto hoc, quod inter cœlum & terram interiacet spatio, comprehendi posset. Et tamen contemplatione æternitatis, (heu horrendam rerum faciem) hoc etiã tam pene infinitum tempus pro re gratissima optaretur, & centies ac millies etiam reperitum, modo finis aliquis tandem aliquando inciperet apparere. Nam sine vllo vnquam fine quempiam esse torquendum, hoc verò vltra omnes desperationis terminos fertur. Quid enim grauius quã semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit? In æternum peccator non assequetur quod vult, & quod non vult nihilominus inæternũ cogetur pati.

Isidorus

Isidorus Clarius, orat. 12. extraordinaria. Tom. 1.

Animaduertitis horrendum spectaculum, quod si mente vti vultis, nunquam à vestris oculis recedere patiamini. Si cui enim vestrum teterrimum carcerem & exquisitas pœnas iudex aliquis esset interminatus, toto eo tempore quò id expectaretur, imago illa malorum etiam inuitis animo obuersaretur, quanquam illa cogitatio nihil imminuere de intentata pœna posset, sed adderet potius præsentem mœrorem futuro dolori. Qui si speraretur ita cogitando esse imminuendus, dies noctesque in cogitatione immoraretur. At cum ista æternarum pœnarum contemplatio maximè idonea sit efficere, vt eas euadamus, quæ est hæc hominum insania, tam raro aut fortasse nunquam rem tanti ponderis cui cætera si comparentur, nihil sunt, in consiliũ adhibere? *Ibidem.*

Quis vestrum vno die ignem ferre eligat, accepto mille nummorum aureorum pretio? Et pro longè minori interdum re non veremini perferendi ignis æterni periculo vos met exponere? *Idem, orat. 11.*

Discedite à me maledicti in ignem æternum. Math. 25. Si ego ob eam causam quod vester sim Episcopus, nunc cuipiam è conuentu hoc vestro imperarem, vt exiret è templo, neque quicquam præterea aliud adderem, opinor hanc illi ignominiam, non dico multis vulneribus, sed ipsa morte visum iri grauiorem. Per totam enim vitam videretur & ipsi & eius domui inustam esse notam nunquam delendam. Quod si præterea adderem diras execrationes, hoc multò esset molestius, cum execrationes ab Episcopo profectæ imprimis sunt formidandæ. Sin pœnam adiicerem perpetui ab vrbe exilij, hoc non hunc solum, sed totam vrbem perterrefaceret. Quod si inhac vitæ fabula, & in exiguo hominũ conuentu, eiusmodi probra & damna tanti fiunt, quid erit cum in conspectu totius orbis terræ, ab ipso filio Dei angelorum exercitibus vallato, & in sede gloriæ confidente audiemus. *Ibidem.*

INFIDELIS.

NAm qui hæsitat, is similis est fluctui maris, qui ventis agitur, & impetu rapitur. *Iacob. 1.*

Faciunt ſuum officium obedientes filij, qui naturam patris imitando, incunctanter cum omni feſtinatione quod bonum eſt agunt, qui nihil pulchrius facere poſſunt, quàm quod honorant Deum ſine dilatione. At diſſipator Pharao, non valens imaginatione percipere virtutes carentes tempore nimirum orbatus animæ oculis, ne iuuari quidem ex tempore ſuſtinuit: ſed cum inanimatis opinionibus, ranis inquam, premeretur, ſonum ſtrepitúmque inanem & omni re vacuum emittentibus, dicente Moſe: Præſcribe tempus quo pro te tuíſque famulis precer vt ranæ tollantur è medio: cum debuiſſet in tanta neceſſitate conſtitutus dicere: iam nunc precare: Maluit differre dicens, Cras: vt per omnia retineret impietatis teneritudinem: Idem accidit fermè omnibus dubitatoribus, etiamſi non exprimatur eis cõfeſſio. Nam quotieſcúnque aliquid accidit eis præter ſententiam, homines qui ne antea quidem firmiter Seruatori credi derant, ad creaturas auxilij gratia confugiunt, medicos, herbas, pharmacorum compoſitiones, diætam accurratam, cæteráque omnia mortalium auxilia. Quibus ſi quis dicat, confugite ô miſeri ad illum vnicum medicum morborum animi, omiſſis iſtis quæ à corruptibili creatura petitis falſi nominis auxiliis: rident & cauillantur reclamantes: In craſtinum iſta. *Philo, lib. de ſacrific. Abelis, & Caini.*

Sub arbore bona & beſtiæ & animalia requieſcunt: ſub ſpinis autem nullum animal requieſcere poteſt, niſi tantũmodo ſerpentes: ſic iuxta fidelem hominem & boni & mali homines pacem habere poſſunt, iuxta autẽ infideles homines, nemo pacem poteſt habere, neque requieſcere in eis niſi ſerpentes, id eſt, dæmones qui cubilia habent in pectoribus eorum. *Chriſoſt. Hom. 19. operis imperf.*

Vt agonem nemo ſuſcipit ſic periculoſum, vnde nullam ſperat palmam: Ita nec infidelis facit bonum, nullam ſpem retributionis præ oculis habens. *Ibidem.*

Similis eſt natura infidelitatis terræ arenoſæ, quæ quamuis pluuiam ſuſceperit, tamen quia nullos in ſe tenet humores, ſemper adhuc aret. Talis eſt conditio febrium. Quantúmuis bibant ebrietantes, calore totũ conſummãte, quod biberint, ſẽper adhuc ſitiunt: Sic & maligni homines, quicquid boni viderint aut audierint, infidelitate totum conſummante, quod vident aut audiunt, ſemper vacui ſunt, tã-

quam qui nihil viderunt aut audierũt. *Idem*, Ho. 30. *oper. imp.*

Verbum crucis pereuntibus stultitia est. Laborantibus & morbo affectis hominibus etiam salubres cibi sunt iniucundi & amici & consanguinei graues, vt sæpenumerò non modo nõ cognoscantur, sed videantur esse molesti. Haud aliter his quorum animæ perierunt euenire solet. Si quidem quæ ad salutem conferunt, ignorant: & qui sui curam suscipiunt, molestos arbitrantur. Quod non rerum natura fit, sed illorum morbo. Et quemadmodum insanientes amicorum cura & admonitionibus offenduntur: itidem infideles. Sed ve luti qui læduntur ab illis non contra ipsi lædunt, sed tunc maximè & lacrymis & misericordia eos prosequuntur, cũ inde vehementioris morbi coniecturam faciunt si amicissimos ignorant: Itidem & nos erga Ethnicos faciamus, & eos muliebri, & maiori etiam vlulatu deploremus, quoniã communem salutem non intelligunt. *Idem*, *Hom. 4. in 1. Cor.*

Habent vitam æternam & bona facta, quia vir iustus & dictis & rebus probatur. Nam etsi exercitatus sit in sermonibus, & desidiosus in operibus, prudentiam suam factis repellit: Contra quoque strenuum esse in operibus, & affectu infidum, ita est acsi vitioso fundamento pulchra culminum velis eleuare fastigia, quod quo plus struxeris, plus corruit, quia sine munimento fidei, non possunt bona opera manere. *Ambros. lib. 2. de off.*

Infidelitas non potest claram resurrectionem habere. sicut carbo cinere suo coopertus obcæcatur: Ita & hi perfidia sua erroris tenebris circundati, luce carebunt. *Idem*, *in 1. Cor. cap. 16.*

Sicut nimio dolore & infirmitate longa luminibus obscuratis, nisi sensim refusa fuerit, fit inimica lux: certè cum solis sit condita lux oculis, solis sit oculis lux amica, per quos vtique reliquo corpori, vel traditur, vel negatur: ita diuturno perfidiæ morbo contenebratis mentibus, nisi paulatim fuerit fidei claritas restituta, subito ipso fidei splendore magis perfidiæ crassescit caligo, longo vsu aut producitur, aut obtunditur semper natura. Hinc est quod Dominus tetro infidelitatis nubilo cordibus iam cæcatis, vt irradiaret partus virginei sacramentum, desperatæ & annosæ sterilitatis ante præmisit conceptum:

vt qui videbat post senectutem longam arida membra reuiuiscere, & transacto curriculo iam vitæ veteranæ, in primam reflorescere pubertatem, atque ipsam naturam in occiduam ætatem ad nascentis serui insignia suscitari, pudicitiæ florem, pudoris titulum, castitatis insigne, virginitatis claustra manere post partum posse crederet, posse auctore ipso ex vtero procedente seruari. *Petrus Chrysologus, serm. 87.*

INGENIVM.

ANima ceræ modo si dura sit, formas respuit, nec sibi finit imprimi, & rudis permanet: sin autem sit obsequens, aut saltem mediocriter facilis, profundè sigilla recipit, & amoto signaculo, fideliter seruat impressas species. *Philo, lib. quis rerum diuinarum hæres.*

Quomodo lætæ segetes, & vberes agri, interdum culmis aristisque luxuriât: ita præclara ingenia, & mens plena virtutibus, in variarum artium redundat elegantiam. Vnde & apud Græcos philosophus ille laudatur, qui omne quo vteretur, vsque ad pallium & anulum, manu sua factum, gloriatus est. Hoc idem possumus & de isto dicere, qui basilicas Ecclesiæ, & martyrum conciliabula diuersis floribus, & arborum comis, vitiúmque pampinis adumbrarit, vt quicquid placebat in Ecclesia, tam dispositione quã visu, presbyteri laborem & studium testaretur. *Hieronymus, ad Heliodorum*

Vt culmus primum in altum surgit impetu, deinde crebris geniculis intersecatur, postremò in summo venti flatibus laborat: Sic quidã initio feruent, deinde subinde subsistunt, & offenduntur, in extremo deficiunt defatigati. *Plutarchus, in Moral.*

Vt multa agrestia subnascentia in agro, mala quidẽ ipsa sunt, sed tamen signa fœlicis atque vberis soli, si quis excolat: Sic animi affectus per se mali arguunt ingenium non malum si accedat recta institutio. *Ibidem.*

Vt terra quo melior est natura, hoc magis corrumpitur, si negligatur: Ita ingenia nisi rectè excolantur, quo sunt fœliciora, hoc pluribus vitiis obducuntur. *Ibidem.*

Si qua terra refera sit saltubus, feris & herbis syluestribus,

multóque limo, protinus diſplicet imperito colono: At peritus agricola ex ipſis coniectat ſoli mollitiem ac feracitatem, tantóque impenſius dat operam, vt eam repurget: Sic magnis ingeniis magna vitia ſolent innaſci, quæ non conuenit ſtatim tollere, ſed potius mederi: expectanda ætas, do nec ad frugem bonam reducatur. *Ibidem.*

Rhombus & ſquatina, & rhaia & paſtinaca, cũ tardiſſimi ſint piſcium, tamen ſæpe reperiuntur habentes in ventre, mugilem omnium velociſſimũ, ſolertia & ingenio capientes: Ita quidam arte ſuperant longè potentiores opibus aut viribus. *Plinius, lib. 9. cap. 40.*

Sicuti fœminæ quæ maturius pariunt, citius ſeneſcunt, velut in Calingis Indiæ gente, quinquennes pariunt, ſed octauum non excedunt annum: Ita præcocia ingenia cito deficiunt. *Idem, lib. 7. cap. 2.*

Trochus piſcis ipſe ſe init, & ex ſeſe concipit: Ita quidam ingenij felicitate ipſi literarum ſemina infundunt ſibi, quos αὐτοδιδάκτους vocant Græci. *Idem Lib. 9. cap. 51.*

Vt arbores quædam bellè florent, verùm nullum adferunt fructum: Ita quorundam puerorum indoles magnam vitæ frugem pollicetur, qui ſimul atque adoleuerint, ad ineptiſſimas merſi voluptates, fallunt expectationem omnium. *Idem, Lib. 16. cap. 26. & 27.*

Vt ad naphtam (id eſt bituminis genus) etiam procul viſam ignes tranſiliunt, ob naturæ cognationem: Ita ingenia literis nata, ſtatim eas arripiunt. *Idem Lib. 2. cap. 108.*

Oliua ſerò prouenit, ſed fructum habet egregium: ſalix ſtatim adoleſcit, ſed ſterilis eſt: Ita præcox ingenium. *Idem Lib. 16. cap. 26. in fine: & lib. eodem cap. 27.*

Tradunt in Albania naſci homines glauca oculorũ acie, qui noctuarum ritu, plus noctu quàm interdiu cernant: Ita quidam plus ſapiunt in rebus facinoroſis, quàm in bonis ac præclaris, aut in ſordidis potius quàm in egregiis. *Idem Lib. cap. 2.*

Ignis quo clarior fulſit, citius extinguitur. Viuacior eſt, qui cum lenta difficilique materia commiſſus, fumoque demerſus ex ſordido lucet: eadem enim detinet cauſa, quæ malignè alit: Sic ingenia quæ illuſtriora, breuiora ſunt. Nam vbi incremento locus non eſt, vicinus occaſus eſt. *Seneca De conſolatione cap. 23.*

Generosus equus melius gestabit sarcinam, quàm ignauum iumentum, nemo tamen imponit: Ita magna ingenia sunt quidem & ipsa idonea functioni munium, sed indigna quæ tam sordidis occupationibus onerentur. *Idem apud Erasmum.*

Plutarchus testatur se vidisse in Africa coruos, qui lapillos in aquam aggesserint, donec aqua eò surgeret, vt contingi posset. Idē narrat de cane coniiciente lapillos in amphoram olearíam: Ita nobis quod viribus diminutum erit, ingenio supplendum est. *Erasmus.*

INGRATITVDO.

INgrati fides tanquam hybernalis glacies tabescit, & disperiet tanquam aqua superuacua. *Sap.* 16.

Vt oculi quod iusto propius admotum est, non videt, sed opus habent moderata quadam interuallari distantia: Itidem animas minus gratas videmus sensu attingi præreptę gratiæ, dum priuatos se intelligunt prærogatiua bonorum. Acceptis enim vitæ istius commodis, erga benignum datorem ingrati, ne vnam quidem agnoscunt gratiam: vbi quid intercipi videt, id demū quod interceptum est deprędicāt. *Basilius in Iullitam Martyrem.*

Memoria beneficiorum huiusce animantis (carnis scilicet) quem ingratum beneficiorumque immemorem non pudore ac dedecore asperserit? iā quidē & interfectis à latronibus in solitudine dominis, complures à cadaueribus canes non recessisse, sed ibidem expirasse memoriæ traditur. Nonnullos etiam cæde adhuc recente duces illis fuisse qui latrones inquisierunt: & ad pœnam maleficos rapi fecerunt. Quid hic isti dixerint, qui nullo suum opificem altorémque deum prosequuntur amore: sed vt amicitiis etiā & necessariis his vtuntur, qui loquuntur aduersus Deū iniquitatem, eiusdem participes mensæ facti, & ad alimoniā sumendam admissi, aduersus beneficum suum altorem blasphemas voces tolerant efferri? *Idem. Hom. 9. Exameron.*

Si quis seruum nactus, qui in multis offenderit, illum & nō flagris cæciderit, iterum peccatis indultis, futura vitare

monuerit in posterum, ne in eadem decidat, magnis quoque muneribus præterea illustrauerit, ac beneficiis fouerit: quænam obsecro futura est tam perfida mens, tam ingrata anima, quæ huiusmodi gratia non ad meliora sectanda prouocari sufficeret? *Idem in 2. ad Timoth. homil. 5.*

Serpentem alit, qui apud ingratum beneficium collocat: neutri enim collata gratia beneuolentiam conciliat *Plutarchus in moralibus.*

Perinde facit qui in ingratum beneficium cõfert, ac si cadauer precioso oblinat vnguento. *Ibidem.*

Vt hedera adhærens arborum ramis, ope aliena in altum erigitur: Sic obscuri consuetudine potentium crescunt, deinde præfocant eos, à quibus sunt euecti in altum. *Ibidem.*

Quomodo malè filiæ consulit, qui illam contumelioso & sæpe repudiato collocauit: quomodo malus paterfamiliâs habebitur, qui negociorum gestorum damnato, patrimonij sui curam mandauerit: quomodo dementissimè testabitur, qui tutorem filio reliquerit, pupillorum spoliatorem: Sic pessimè beneficia dare dicetur, quicũque ingratos eligit, in quos peritura conferat. *Seneca lib. 4. de ben. c. 27.*

Quomodo fœnerator quosdam debitores nõ appellat, quos scit decoxisse, & in quorum pudorem nihil supersit, nisi quòd pereat. Sic ego quosdam ingratos palàm ac pertinaciter præteribo, nec ab vllo beneficium repetam, nisi à quo non ablaturus ero. *Idem lib. 5. de Benefic. cap. 21.*

Quemadmodum qui optat diuitias alicui in hoc, vt illarum partem ipse ferat, quamuis pro illo videatur optare, sibi prospicit: Sic qui optat amico aliquam necessitatẽ, quã adiutorio suo fideque discutiat, quod est ingrati, se illi præfert, & tanti existimat illum miserũ esse, vt ipse gratus sit, & ob hoc ipsum ingratus est. *Idem l. 6. de Benefic. cap. 34.*

INIVRIA.

OMNIS iniuria seu lingua, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo celum aliquod in petra constantissimæ duririæ libratum & obtusum. Concidet enim ibidem irrita opera & infructuosa, & nonnunquã repercussum in eũqui emisit, recipro co impetu fæuiet, nẽpe idcirco quis te lædit vt doleas, quia

fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cum fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est, amissione fructus sui. *Tertullianus lib. de pœnitentia.*

Quemadmodum calcans, semetipsum excoquit: & adamantem percutiens seipsum lædit. & qui contra stimulum calcitrat, seipsum vulnerat. Sic qui offendere cogitat, seipsum offēdi, omnique luto fit infirmior. *Chrisost. ho. 5. de pa. Iob.*

Insidiator & calumniator non aliter seipsum prius interficit, quàm qui accendit ignem prius concalescit, vt qui duros silices manu cædit, ipse non lapides vapulat: qui ad stimulos calcitrat, seipsum ferit: contra verò qui magno animo iniuriam perfert, seu silex ignis & stimulus aduersarium vleiscitur præsertim cum nullas vires iniuriantes habeant, sed seu lutum facile dissoluantur. Non ergo iniuriā pati, sed iniuriam facere vel nescire pati, malum est. *Idem hom. 43. in Mathæum.*

Quemadmodum nullus nos lædere poterit nisi à nobis ipsis lædamur: sic nisi nos ipsos vituperemus, nemo alius nos vnquam dedecorabit. Ponamus enim mirabilem quendam atque insignem esse virum, quem omnes, adulterum, furem, sepulchrorum euersorem, homicidam, latronemque prædicent: ille verò nec irritetur, nec molestè ferat, nec alicuius huiusmodi rei sibi conscius sit, qua igitur inde vituperatione læditur? nulla profecto. Quid, inquies, si multi malam de ipso habeant opinionem? nulla, inquam, omnino vituperatione læsus est, sed illi se vituperarunt, qui alium quàm decet virum talem existimeut. Dic quæso, si quis solem tenebrarum autorem existimet. Solíne, an sibi detraxit? sibi videlicet ipsi, cum furiosi, & insanientis opinionem consequatur. Eodem profecto modo qui prauos bonos esse putant, & è contrario seipsos vituperāt *Idē. hom. 76.*

Ferarum est vere sæuissimarum, nemine quempiam lædente iniuriam incipere, imo verò neque ferarum. Illæ nāque si permittas in deserto se pascere, neque coangustans in necessitatem redegeris, nunquam lædent, nunquam impetent, sed propriam transibunt viam: tu verò cum sis homo rationalis tanto decoratus principatu, iniuria fratrem afficis & deuoras. *Ibidem hom. 68.*

Iniuriam vel opere vel sermone cuiquam feciſti, refer benedictionis verba conuitiis. Neque enim vulnera sufficit

ad salutem, tantummodo spicula de corpore auellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. *Idem homil. 10. in Matheum.*

Quemadum cum iustè quispiam torquetur, si magno animo patitur, iniustè cruciari multis videbitur: Sic qui cum iniuria vexatur, si non perfert iure puniri putabitur, ac deridebitur, quasi mancipium ab ira distractus, & animi nobilitatem furori subiiciens. *Idem hom. 88. in Matheū.*

Vt tela à duro resiliunt, cum dolore cædentis solida feriuntur: Ita nulla magnum animum iniuria ad sensum sui adducit, fragilior eo quod petit. *Seneca lib. 2. de ira cap. 5.*

Proprium est magnitudinis verè, non se sentire percussum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit: sic irritus ingenti scopulo fluctus assultat. Qui non irascitur, inconcussus in iniuria persistit, qui irascitur, motus est. *Ibidem cap. 25.*

Cùm omne peccatum graue est, tum nihil grauius iniuriarum recordatione, atque auaritia. Non dixit fornicationem idolorum cultum esse, sed auaritiam. Soror porrò auaritiæ iniuriarum recordatio est. Graue enim hoc peccatum est, & nefarium. Etenim reliqua peccata, & si mala sunt, tamen ad breue duntaxat tempus durant, vt quæ vnius horæ momento peragantur. Stuprum perpetrauit quispiam? Vna hora perpetrato hoc malo, reliquas horas quiescere potest. Furtum admisit quispiam? Vna hora hoc scelere admisso, deinceps pœnitentiam fortasse agit. Cædis crimine sese constrinxit aliquis? Malum est id quoq;. Cæterùm vna hora commisso hoc facinore, reliquis horis eum pœnitere potest. At qui iniuriarum memor est, singulis horis peccat, ac vitium in pectore circunfert. Etiamsi in templum ingrediatur, non tamen puras ad Deum preces mittere potest, cùm prauo & infesto in proximū animo sit. Animus iniuriarū memor, nunquam à peccato purus est: nunquam eleemosynam impertit. Nam qui charitatis expers est, nec misericordia commouetur, nec opitulatur. *Damascenus in paralelis.*

INIVRIA A NOBIS IPSIS.

FAbricam quæ super arenam fundata est, etiam si flumina venti non vrgeant, ipsa tamen paulatim effluens, in-

ſtabbilis arena ædificii crepidinem ſubruit & euertit. nã, arenæ ſponte rumpuntur. Adamas vero nec malleis cæſus infringitur. Ita ergo qui à ſeipſo non læditur, etiamſi tundatur ab aliis, non poteſt lædi: qui verò cum ſua ignauia proditur, etiam malo perurgente, defluit ſponte. *chriſoſtomus homil. Quòd nemo lædatur niſi à ſeipſo.*

Quæ ſit virtus, ſimilitudinem ex corporis ſubſtantiis capimus. Verbi gratia, videamus quæ ſit equi virtus. Nunquid in argenteis frenis, pulchriſque tapetibus, ac ſericis flammulis, phalerisque gemmatis, iubaque aureis intexta funiculis equi virtus iudicatur: an velocitate curſus, fortitudine pedum, greſſuſque cautela, ac pectoris firmitate, cunctisque quæ itineri conficiendo aptari videtur, aut præliis peragendis, vt vel interritus hoſtem petat, vel in aduerſis proprium poſſit ab exitio liberare ſeſſorem? Nõne in his potius equi virtutem, quam in illis de quibus ſuprà dictum eſt, declarari? Quid autem & reliquorum animalium? nonne in eo omnis probitas habebitur, ſi vel ferre onera fortiter, vel robuſta poſſint mouere carpenta? Nunquid volens aliquis probare animal, ad ea reſpicit, quæ ei ſuperpoſita viderit, an (vt diximus) ſi non potius membris, vngulis validum ſit, inſpicietur? Item ſi vineam probare volumus, nunquid ad hoc inſpicimus, ſi latos habeat pampinos, aut flagella diffuſa: an illud magis aſpicimus ſi denſior ei fructus ſit, & vua fœcundior? Similiter de oliua, & huiuſmodi arboribus contemplamur. Igitur eodem modo quoque de hominibus agamus, diſcutientes, quæ & vbi vera ſit hominis virtus: & tunc eum lædi putemus, cum in ipſo fuerit læſus. *Ibidem.*

INTELLECTVS MENS.

QVemadmodum terra ſyluæ data eſt, & mare fluctibus ſuis: Sic qui ſuper terram inhabitant, quæ ſuper terram intelligere tantummodo poſſunt, & qui ſuper cœlos, quæ ſuper altitudinem cœlorum. 4. *Eſdræ* 4.

Sicut terra à cultore neglecta, ſpinas & tribulos neceſſariò producit: Ita ſenſus veſter longi temporis incuria, multas & noxias opiniones rerum, & intelligentias falſæ

scientiæ germinauit. Opus est nunc multa diligentia, ad excolendum rus mentis vestræ, vt id sermo veritatis qui est verus & diligens veritatis colonus, assiduis excolat disciplinis. *Clemens lib.6.recognitio.*

Latet autem mens oppressa somno, tanquam ignis obducto cinere sopitus, quam si paululum commoueris, rursum ardescit & quasi euigilat. *Lactantius de opificio Dei cap.18*

Vt per os in alimoniam corporis cibos sumimus: Ita per cor ad viuificandam animam escas doctrinæ cœlestis accipimus, quæ nisi amplificato & petente corde attractæ quodammodo fuerint, non adibunt. *Hilarius in psal. 118.*

Sicut exteriores oculi præuident eminus spinas, foueas ac precipitia: Sic & mens, cum sit perspicacior, prospicit aduersariæ potestatis machinas & insidias, protegitque animam, tanquam oculus illius. *Macarius hom.7.*

Quemadmodũ ineptè quidam deformibus literarum figuris elegantes aliquot appingunt cænoque vnguentũ miscent: & nobis eodem modo princeps animi facultas diuinæ contemplationis capax vitiosa pariter & fallaci inaniũ rerũ indagatione cõfunditur. *Greg. Nazian. lib.1.de Theologia.*

Quemadmodum fieri non potest vt vel tuam ipsius vmbrã quantũuis etiã festines præcurras (semper enim quantũ tu vrgendo processeris, tantum ipsa sequendo occupat) vel in colores oculorum radios nullo aut lumine aut aere interueniente defigas: vel denique extra aquas natatilis illa piscium natura sua se lubricitate promoueat: ita nulla est via cuius ductu, hi qui in corpore sunt, ad intellectilem naturam, omninò sine corporalium rerum interuentu, pertingere queant. *Idem lib secundo de theologia.*

Quid lucidius sole, attamen & lux eius deficit. Et profectò sicut fulgidam illam lucem, & fulgorosum iubar sæpenumerò superuenientes tenebræ obtegunt: Ita & intellectum nostrum quasi in meridie fulgentem & perspicuum inconsiderantia obrepens tenebrosum reddit. *Chrisostomus sermone de conuersione Pauli.*

Aues celerrimè montes, colles, maria, & scopulos momento temporis sine vllo impedimento transuolant: talis est etiam mens, cum pennas acceperit, cum à secularibus

abscesserit, nihil iam apprehendere poterit, omnibus erit eminentior iaculis ignitis diaboli: Non est ita perfectus sagittarius diabolus, vt possit ad illam altitudinem pertingere, sed dimittit quidem iacula, non autem attingit, sed reuertitur ad eum iaculum inane, imò in caput eius. *Idem homil. 27. ad Hebræos.*

Vt corporis oculos cũ in fumo fortè remorantur, lachrymas semper effundere, si verò potiantur aere purgato & florentibus pratis, & hortis virentibus, & fontibus inter amœna fluentibus, & saniores esse, multóque maiore acies fulgore rutilare intelligimus: Ita mentis quoque oculus si in pratis spiritalis pascatur eloquij, erit totus sine dubio purus ac lucidus, & acutius cuncta perlustratur: si verò in fumum secularium negociorum fuerit ingressus, ad innumera mala lachrymabit. *Idem hom. vigesima 2. ad Hebr.*

Quod oculus corpori, hoc intellectus animæ. Vt enim nequaquam optes auro ornari, veste serica conspici, si sit oculis tibi curredum, sed horum proculdubio sanitatem desiderabiliorem rebus omnibus iudicares: quæ si tibi certe depereat, nihil te iam tota vita delectat: quanto hoc magis pro oculis mentis debes efficere? Sicut enim postquam corporalium oculorum lumẽ extinctum est, omnia iam membra in miseria versantur, ac tenebris, ita etiam mente excæcata, innumeris prorsus malis vita hominum cumulatur. Quẽ admodum igitur in corpore hoc maxime prouidemus, vt oculos habeamus incolumes: sic etiam in anima intellectus seruemus salutem. Sicut enim qui caput ipsum fontis obstruxit, totum simul exiccauit & fluuium: sic etiam qui oculum mentis tenebris obduxit, omnes quoque vitæ istius actus vna confusione excæcauit. Si enim lumen quod in te est tenebræ sunt, tenebræ quantæ erunt? Quando cum lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipse capitur, quæ tandem obedientibus supererit spes salutis? Intellectum dedit nobis Deus & ignorantiam fugemus è mentibus, vt rectum teneamus iustumque iudicium, atque ad alia eiusmodi dirigamur, vt contra diuersarum impugnationum varios impetus, hoc quasi scuto vsi ac lumine, maneamus innocui atque muniti. Nos vero tantum hoc Dei donum temere prodimus propter superflua ac vana prorsus. Quid enim prodest auratis armis milites refulge-

re, cum ducitur rex ipse captiuus? Quod lucrum est ornatę depictæque nauis, cum ipsius mergitur gubernator? Quænam illa est bene compositi corporis pulchritudo, cum facies oculos amisit? Quemadmodum ergo medicum ipsum in ægritudinem mittas, & in deaurato cubiculo lectulóque argenteo iacere præcipias, nihil proficiet omnino languentibus: Ita etiam si mentis principale corrumpens, quo scilicet ingruentibus potes vitiis repugnare, thesauro feceris assidere, nihil omnino profeceris, sed totam prorsus animã læseris. *Idem hom. 21. in Math.*

Quemadmodum natura non recipit quicquam nisi ex semine oriri, sed potius quodcunque procreatur, similitudinem secum seminis deferre, vt hominem hominis, bouem bouis, oleam oleæ, vitem, vitis. Sic etiam animus si veritatem intelligit, necesse planè est, hanc verarum seminibus rerum imbutum esse, quas quidem & esse & semper esse, & sempiternas substantias esse, immortales esse dicendum est. Propterea scientiam florem quempiam maturumque fœtum exanimi semine existere, neque aliud ignorantiam hominum, quam seminis huiusmodi cessationem esse. *Tyrius platonicus sermone 28*

Quemadmodum accidit longis atque exilibus hastis, vt quisquis vibrauerit capulum, reliquas hastæ partes ad cuspidem vsque concutiat. Vtque qui longi connexique ordine finis extremitatem alteram quatiat, continuam concussionem per medium spatium ad alteram extremitatem transmittat. Sic & humanæ menti exiguo principiorum hausto, ad integram rerum intelligentiam opus est. *Ibidem.*

Si famelicum hominem apertis faucibus, vento inflatis haurire buccis aerem cernas, qui quasi consulat fami, non credas insanire? Sic non minoris insaniæ est, si spiritum rationalem rebus putes quibuscunque corporalibus non magis inflari quam satiari. *Bernardus de diligendo Deum.*

Quemadmodum si conceptus aut natus esses in naui, nõ ideò statim eius gubernator fieri velles: neque enim natura ad te nauis pertineret: Sic neque diuitiæ sed intellectus. Id igitur quod tibi naturale & cognatum est, videlicet rationem, proprium tibi censere, & eius curam suscipere debes. *Epictetus apud Stobæum sermone 3. de temperantia.*

Oportet ſicut caprarium aut bubulcum aut opilionem, intellectum noſtrum ſemper præeſſe, ſemper vtilitatem pe coris voluptati præferentem. *Philo, lib. de agricultura.*

Quemadmodum oculus alia quidem videt, ſeipſum autẽ videre nequaquam poteſt: Sic etiam mens intelligit alia, ſe ipſam autẽ non comprehendit. *Idem lib. 1. allegoriarum legis.*

Quemadmodum poſt ſolis ortum illuſtrantur in terris omnia, in cœlo verò cælãtur: & è diuerſo poſt eius occaſum ſidera quidem promicant, terreſtria verò cuncta obtegũtur vmbris ſuperuenientibus: Ad eũdem modum res noſtræ ſe habent, quoties ſenſuum ſplendor tanquam ſol oritur, tũc ſcientiæ re vera cœleſtes occultantur: quoties autem ad occaſum accedit, tunc fulgentiſſimæ virtutum ſtellæ ſe proferunt, quando etiam mens ipſa re nulla velante ſit ſenſibilis. *Idem lib. de ſomniis.*

Mundus nutrit corpora, ſpiritus animas: ſenſus autẽ quo dono cœleſti ſola felix ſit humanitas, alit mentem. Neque enim omnes, ſed pauci, quorũ ita mens eſt, vt tãti beneficij capax eſſe poſſit. Vt enim ſole mundus, ita mens humana iſto lumine clareſcit, & eo amplius. Nã ſol quicquid illuminat, aliquãdo terræ & lunæ interiectu interueniente nocte, eius priuatur lumine. Sẽſus autem cum ſemel fuerit animæ commixtus humanæ, fit vna ex bene coaleſcente commixtione materia: ita vt nunquam eiuſmodi mentes caliginis impediantur erroribus. *Mercurius Triſmegiſtus, In Aſclepio.*

Quemadmodum medicus eruditus ægrotantis corpus doloribus afficit, vrendo illud atque ſecando, recuperandę valetudinis gratia: Eodem modo mẽs voluptuoſam affligit animam, vt radices voluptatis euellat. Ab hac enim omnis animæ morbus. Morbus animæ grauiſſimus, impietas eſt. *Idem, in Pymandro.*

INVIDIA.

MAla cætera habẽt terminũ, & quodcumq; delinquitur delicti conſummatione finitur. in adultero ceſſat facinus, perpetrato ſtupro: In latrone cõquieſcit ſcelus homicidio admiſſo: & prædoni rapacitatem ſtatuit poſſeſſa præda & falſario modum imponit impleta fallacia: Zelus terminum non habet, permanens iugiter malum, & ſine fine peccatum eſt. Quantóque ille cui inuidetur, ſucceſſu meliore

profecerit, tantò inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit. *Cyprianus sermone de Zelo & liuore.*

Quemadmodum venenum ferrum, sic inuidia hos qui possidet consumit atq; vastat. Magis autem sicut viperas dicunt abrupto matris ventre nasci: Sic & inuidia concipientem se animam corrodere simul ac tabescere solet. Est enim inuidia dolor de proximi prosperitate ac rerum successu conceptus. *Basil. hom. de inuidia.*

Quod animal tam agreste est quod feritate non vincant? Canes namq; educatione mãsuescunt, Leones obsequio tractabiles fiũt: inuidi tantum officiis agrestiores euadũt. *Ibid.*

Quemadmodũ ardentem syluam aut materiã nobis cura est procul ab igne submouere: Sic opus est (& fieri possit & liceat) inuidorũ cõuersationes à nostra amicitia repellere, vt extra eorũ venenatas sagittas securius agamus. *Ibid.*

Quemadmodum sagittæ magna vi emissæ, si in durũ aliquid ac respuens inciderint, in emittentẽ facile redeũt: Sic inuidia proximis tristitiam nequaquam affert, tantum inuidenti officit. Sed & qui morbo huiusce modi sunt affecti, longè peiores venenatis iaculis existimantur: quod illa per plagas virus inferunt atque nocent, & paulatim quod infestum est depascuntur: at inuidos existimant nonnulli nõ solum rebus aliis, sed oculis etiam officere, incõmodaque afferre. Vnde & corpora vegeta pubescentium aliorúmve ætate formâque florentium, prosperam habitudinẽ inficiunt atque debilitant: statim vt ex eorum luminibus pernicie quadam defluente ac cõtaminante, videas contacta mẽbra pulchra in siccitatem ac valetudinem venire. *Ibidem.*

Apud eos nec actio secũdum virtutem vlla est. Sic autem vultures per multa quidem prata multa etiam amœna & odorata loca circumuolantes, ad tabida & feculenta loca feruntur: muscæ quoque salubre si quod offendunt, prætereunt, ad vlcera verò properant. Sic & inuidi vitæ splendorem, ac rerũ bene gestarum magnitudinem minimè quidẽ respiciunt. manca verò & fragilia & si quid erratum tãtum obseruant, hæc diuulgant, & per hæc tantum homines cognosci volunt. Quemadmodum maligni pictores, qui hominis imaginem vel ex contorta nare vel tubere aut membri cuiuspiam mutilatione natura seu casu insita corpori, effingunt, notabilémque reddunt. *Ibidem.*

Nec secus planè quam æreæ patiuntur imagines, quæ no ctu à ceratiis effictæ, igneis postea solis radiis liquefactæ soluuntur: illæ enim quandiu eas nocturnæ continent tene bræ, compactam in vmbra atque ad nocturnas auras figuram, sicuti effectæ erant, superficie tenus solidam & fortem interim præferunt. At verò iam rutilante sole, itineriſque sui cursum peragente, quando cætera virtute illius nutrien tur, lucéque fruuntur, liquefactæ illæ & formas vna & figuras & habitus, illudque superficiale robur amittunt: con fusisque omnibus vanescunt: ita fere & inuidi, quandiu sub diaboli tenebris veluti in nocte ad inuidiæ consultant ope ra, solidas interim cogitationes & figuras & formas sicut ab inuidia formatæ sunt, sibi inuicem videntur ostendere: vbi verò studiosus quisque & industrius ad virtutis opera solis instar matutinus effulserit, cæteri quidem virtutum vitam, deoque placitam & gratam conuersationem admirantur, atque ad amoris intimi agnitionem, ab eo illustrati virtutis nutriunt semina: qui verò inuidia tabescunt, illum in modum solis inuictum, deoque clarissimum ac virtutibus clarum cernentes, & magis magisque conspicuum tan quam ærei & corporum formis & animis inuidiæ plenis, repente liquescunt atque deficiunt. *Idem de vera virginitate.*

Tale est malum inuidia, qua nulla vnquam malignitas peior inuenitur. Nam adulterio inquinati, voluptatis saltem iniquæ fructum, vt putant, aliquem capiunt, & breui tempore peccatum committunt. Inuidi autem, & multò ante seipsos, quam quibus inuident, perturbãt & cruciant, & ita in agendo semper inuidendoque sunt, vt nunquam peccandi afferant finem: sed quemadmodum suis lutosa immunditia, & dæmones nostris damnis lætantur, sic inuidi calamitate proximorum exultant. Et quemadmodum scarabæi alieno stercore: sic inuidi aduersa aliorum fortuna nutriuntur, cum sint communes humano generi hostes. Et alij quidem homines si animantes rationis expertes cru deliter cædi ac dilaniari viderint, aliquantulum commiserantur: tu verò cum salutis beneficium cõferri homini cernas, expalles & tremis. *Chrysostomus hom. 41. in Matthæum.*

Vt corpus sanum aliquoties percutitur, & nõ facile vulneratur corpus autem debile ab intus tacitam habet læsuram, etiamsi modice tactum fuerit, citius dissipatur: Sic ani

mal

malliberum & integrum non facile offenditur, animal vero inuidia vulneratum non solum causa idonea, sed etiam leuis occasio incitat in dolorem. *Idem homil. 39. operis imperfect.*

Quemadmodum insani aduersus seipsos nonnunquam sententiam ferunt, Ita & inuidi solum inuidiosi miseriam disquirentes, eius fœlicitate & salute anguntur. Hi feris sæuiores. Illæ enim fame impulsæ nos appetunt, hi beneficos nonnunquam inimicorum loco habent. Feris inquam sæuiores, dæmonibus pares & fortasse iniquiores. Ipsi namque aduersum nos nullo amicitiæ fœdere hostiliter persequuntur, suo generi minime insidiantur. Homines autem neque naturę suæ participes reueriti, eos infesto animo impetunt, atque seipsos prius, quam quibus inuident supplicio afficiunt, animúmque perturbationibus temere cruciant. Idcirco omnis venia inuido desperanda est. Nam scortator voluptatis stimulos in excusationem affert, fur paupertatem, homicida furorem, ille verò quam affert? nullam profecto nisi animi prauitatem atque malitiam. *Idem hom. 36. in Ioan.*

Cain fratri inuidendo, nunquam odiũ posuit, sed quanto frequentius à Deo admonitus est, tanto magis dolebat, magis cruciabatur, & properabat ad cædem. Hic ergo quã ille grauior morbus, qui nisi magna adhibita diligentia nõ facilè remedia admittit? Eia igitur radicitus euellamus illũ scientes, quòd quemadmodum alienis bonis inuidendo Deum offendimus, ita congratulando, ei gratificamur, & participes nos facimus bonorum quæ rectè operantibus reponuntur. *Ibidem.*

Si quem videremus ignem manibus ac ligonem gestantem, hanc ædem vna cum altari demoliri, euertere, incendere, nónne fieret vt ab omnib' iis qui rem forte spectarẽt, lapidibus obrueretur tanquam impius & exlex? quid igitur? si quis flammam gestet, hoc quo vtimur igne edacioré, inuidentiam dico, non lapidum ædificia demolientem, neque aureum altare euertentẽ, sed quod longe & lapidibus, & altari pretiosius est, præceptorum ædificium subuertentem & deuastantem, hic qua tandem venia dignus esse queat? *Idem hom. 7. in epist. ad Rom.*

Inuidus non homini sed Deo aduersatur. Quemadmodũ

vidēs aliquē, cui concessa est gratia & dolet, vt velet Ecclesiam subuersam, iam nō illi sed deo aduersatur. Etenim die mihi, si quis puellam regiam adornasset, & ornando celebrem & venustam reddidisset, alius verò quisquā deturpatam illam & deturpari non posse cupiuisset: cuinam ille insidiatus esset? Huic? An & puellæ & patri? Ita & hic. Tu qui inuides & Ecclesiam impugnas, deo hostiliter aduersaris. *Idem hom. 11. ad Colossenses.*

Sicut furentes sæpenumero gladios in se conuertunt, itidem & inuidi, solam inuisi perniciem intuentes, propriā ne gligūt salutem: hi feris quoq; peiores. Nam illæ quidē escæ indigentes, vel priusquam à nobis irritentur, aduersus nos armantur: hi verò beneficiis quoque frequenter allecti, benemeritos maleficiis prosecuti sunt. Si quidē peiores feris, dæmonibus autē pares, forte verò peiores & istis. Hi namque contra nos bellum exercent impacatū, consortibus autem generis non insidiantur. Cur doles ô homo proximi bonis. Dolere enim nos oportebat his quæ patimur malis, non in quibus alios probabiles haberi videmus. Propterea omni venia caret istud peccatum. Nam fornicator quidem concupiscentiam quidē prætendere potest, fur paupertatē, homicida furorem, frigidas quidem & irrationabiles, habent tamen quas prætendant excusationes. Tu verò quam dices causam? Nullam penitus nisi tantum intensam nequitiam. Hoc vitiū & fornicatione peius est & adulterio. Hoc enim in operato tantum sistit: inuidiæ verò vis totam subuertit Ecclesiam, & toti nocet terrarum orbi. *Idem hom. 44. ad pop. Antioch.*

Sicut vermis de ligno nascēs, ipsum prius absumit: sic inuidia illam quæ prius se peperit, animam corrumpit, & inuisum contrariis ac vellet afficit. *Ibidem hom. 45.*

Inuidere peius est quam bellum inferre. Qui enim bellū gerit, soluta causa propter quam bellum gerebatur, inimicitiā quoque dissoluit: inuidus autē nunquam efficitur amicus. Et ille quidem apertam ostendit pugnam: hic autem obumbratam. Et ille quidem legitimam habet, quam dicat impugnandi causam plerunque, hic autem nihil aliud prēter inuidiam, & diabolicam mentem. *Idem hom. 53.*

Lacrymis dignus es, non quoniam pauper es, sed quoniā te miserabilem existimas. Sicut siquis febre liberatus mœ-

reat, & valens versetur in lecto positus, nonne febricitante magis est deplorandus? non quoniam febre laboret, sed quoniam nihil habens graue, se putat habere. *Ibidem homil. 65.*

Inuidus vir similis est naui quæ iactatur in flectibus maris, in perturbatione semper est, vt lupus rapax insanit inaniter, in miseria detinetur, & tabescens ad nihilum redigitur. Semper furore plenus, particeps dæmoniorum efficitur. *Augustin. epistola 3. ad Iulianum.*

Attendite fratres quod ille inuidus est qui alienum bonũ suum facit: & si facere non potest, clamat per vicos & plateas & velut canis latrat & ardet, sed primo seipsum more phœnicis occidit. Quid enim agit phœnix, nisi quia dum senescit, ad partes calidissimas volat, ligna siccissima congregat, & lignis congregatis, alis ligna percutit, & sic ignem accendit, & in eodem se comburi permittit? Ex quibus cineribus vermiculus nascitur, & postmodum phœnix alia efficitur. Sic & inuidus agit cunctis diebus vitæ suæ, intus & extra seipsum comburens, seipsum primo infestans, primò seipsum vulnerans & vexans. *Idem sermone 18. ad fratres in Heremo.*

Sicut cantharides vegeto maximè tritico innascuntur, & rosis pulchrè florentibus: Sic inuidia maximè inuadit bonos viros, & virtute proficientes, & ingenij personaq; gloriam sustinentes. *Antonius in Melissa, parte 1. serm. 62.*

Vt ferrum rubigine absumitur: Ita inuidus suo ipsius vitio contabescit. Ferrum enim etiamsi nemo lædat, ex se gignit vnde corrumpatur. *Bias apud Laert. lib. 1. cap. 6.*

Inuidiam fumo cõparant. Cum enim ab initio abundet, mox illustratis illis quibus inuidetur, euanescit. Proinde se nioribus minimè inuident. *Stobæus, serm. 36. ex Plutarcho.*

Subduc materiam, extinguetur ignis: subduc occasionẽ, conquiescet odium, siue inuidia. *Plutarch. in Moralibus.*

Vt stultus qui aduersis ventis & vndis nauigat, orta tranquillitate portũ petit: Sic qui tum negotium relinquit, cum diu iam cum inuidia luctatus, deinceps citra inuidiam viuere possit. *Ibidem.*

Quemadmodũ in Oeconomicis inquit Xenophõ, suum habẽt locum vasa sacris parata, suum quæ cœnis, alibi quæ

agriculturæ, seorsum quæ bello: Ita quisque inueniet in animo suo mala ab inuidia profecta, à zelotypia, ab ignauia, ab auaritia. *Ibidem.*

Qui diuersam ingrediuntur viam, nõ possunt sibi mutuò prodesse: at qui diuersa vitæ ratione vtuntur, adimunt inuidiam, ac magis sibi inuicem sunt auxilio. *Ibidem.*

Vt feris bellum est cum iis, quæ iisdem aluntur, cum cæteris pacem agũt: Sic inuidia & æmulatio inter eiusdem artis professores, nam pugili cum cursore conuenit. *Ibidem.*

Canis ignotos allatrat, erga notos mitior, secundum Heraclitum: Sic inuidia nouos homines, & nuper euectos potissimùm infestat, in notos iam mitior. *Ibidem.*

Vt nõ inuidetur his qui domum aut agrum magno emerunt, sed quibus gratis contigit: Ita nemo his inuidet, qui gloriam magno sibi pararunt, sed quibus fortunæ fauore contigit. *Ibidem.*

Qui inuidẽt amicorũ fœlicitati, nolunt eos prorsus subuerti, sed tamen grauantur illorum excellentia: vt qui vicini domum nolint omnino demoliri, sed satis habent, si detrahatur quoad obscurat proximas. *Ibidem.*

Vt qui cursu certant, non discruciantur, cum vident coronas athletarum, sed suis oblectantur: Ita te non oportet aliena fœlicitate discrutiari, sed tua gaudere sorte. *Ibidem.*

Vt victi beatos iudicant solutos, soluti liberos, liberi ciues: hi rursum diuites, hi satrapas, satrapæ reges, reges deos tonare propemodum ac fulgurare cupiẽtes: Sic qui semper expendit, quanto sit aliis inferior, nunquam sua contentus est sorte. *Ibidem.*

Vbi nullum lumen ibi nulla vmbra: Ita vbi nulla felicitas, ibi nulla inuidia. *Ibidem.*

Vt quidam alienas picturas, statuas, poëmata diligenter aspiciunt, ac singula excutiunt per ocium, sua neglectui habent: Sic multi alienas fortunas magis admirantur, suas oderunt. *Ibidem.*

Vt non est corydalis absq; crista: Ita non est ingeniũ absque inuidia innata. *Ibidem.*

Licet inuenire regionem, vbi venena non sint, quemadmodũ affirmant de Creta. At non licet inuenire rempublicam, quæ non alat inuidiam, contentionémque. *Ibidem.*

Herbam Canariam canis ita mandit, vt homo nõ cernat

nisi depastam,& percussus à serpente, aliam quandã petit, sed eam non decerpit inspectante homine: Ita quidem disciplinas à se repertas cælant, ne prosint & aliis. *Plinius lib. 25.cap.8.*

Socrates inuidiam dicebat esse animi seram. *Maximus serm.54.*

In sole ambulãtes necessario vmbra sequitur, in honore & dignitate viuentes inuidia comitatur. *Ibidem.*

Inuidiam veritatis vlcus dicebat Democritus. *Ibidem.*

Inuidia sicut malus dæmagogus, honestis se opponit actionibus. *Ibidem.*

Cui similem dicemus esse inuidum? Hanc adhibere simi litudinẽ possumus, vt siquis inertem asellum & obesum ve loci equo coniungeret, tunc neque asellus excitari vellet,& equum sua inertia atq; obesitate deprimere conaretur. Sic inuidus neque studet quo pacto ab hoc graui veterno liberetur,& omnia facit vt alterũ ad cœlum euolantẽ supplãtet atq; deiiciat. Euidens diaboli æmulator factus. Nam & ille cernens in paradiso hominem, non ipse mutari studuit, sed illum eiicere è paradiso. Et rursus cum cernit hominem in cœlo sedere, alióque illuc festinantes, eandem habet curã, vt ad cœlum ire contendentes supplantet, quamuis maius ex hoc sibi ipsi incendium congerat, quam illis noceat. *Isidorus clarius oratione 34.tom.1.*

IOANNES BAPTISTA.

EGo *vox clamantis in deserto.* Sicut enim Ioannes præcedit Christum, ita & vox præcedit verbum. Statim enim vt ore loquentis sonus qualiscunq; procedit, vox est, verbum autem nondum est, quia omne verbum significat aliquid. Præcedit igitur vox, sequitur verbum: Meritò igitur vox Ioannes, & verbum Christus vocatur: quoniam & nascendo & predicando & moriendo, & ipsa sui nominis significatione Christum præcessit. *Eusebius emissenus hom. dominicæ quartæ aduent.*

Cur maior Prophetis Ioannes? Quemadmodum maiore dignitate hi sunt, qui proximè regibus deambulantibus ordinantur: sic & Ioannes in ipso aduentu constitutus, maiore gratia fulsit. *Chrysost. hom.38. in Math.*

Solent reges nato sibi filio indulgentiã in regno suo donare, sed ante transmittũt acerbissimos exactores, qui omne quod inuenerint, exigant: ita vt indulgentia ipsa crudelior esse videatur, quam ipsa exactio, vt nihil indulgentiæ habeat præter nomen, vt lugentes illam homines & nudi suspiciant. Deus autem & nato sibi filio, volens donare in seculo indulgentiam peccatorum, præmisit exactorẽ Ioannem, exigentem & dicentem, facite fructus dignos pœnitẽtiæ. *Idem hom. 3. operis imperfect.*

Quemadmodum magnum iudicem aut regem aliquem in expeditione venturum, præparatores præcedũt, sordida abluunt, diruta componũt, ne forte indecorũ aliquid vidẽs rex delicat⁹ abhorreat: Sic & Domino nostro ad peregrina loca huius seculi venturo, præcessit Ioãnes, qui ab humanis cordibus pœnitentiæ scopis, peccatorũ sordes eiiceret. *Ibid.*

Quemadmodum si videris albam vestem, dicis, satis candida vestis est, si verò posueris eam iuxta niuem, incipit tibi sordida apparere, & si vere sordida non est, tamen quoniã ad similitudinem niuis sordida inuenitur: sic quantũ ad cõparationẽ Ioannis omnis homo videbatur immũdus, *Ibid.*

Sicut artifex medicus, si viderit ægrotantis colorẽ, intelligit speciem passionis ipsius: sic & Ioannes mox vt vidit Pharisæos venientes ad se, intellexit cogitationes eorum prauas. *Ibidem.*

Quemadmodum prouidus pater moriens, filios suos cõsignat fideli tutori: Ita Ioannes sciens se iam in exitu constitutum, volebat discipulos suos Christo adiungere. *Idem hom. 27. operis imperfecti.*

Vt multæ quidem stellæ ante lucem præcedũt, nũciantes lucis aduentum, nulla tamen earum luciferi nomẽ habere meruit, nisi vna quæ cum ipsa luce procedit: Sic omnes prophetæ ante faciem Christi præcedunt, nuntiantes aduẽtum eius, solus autem Ioannes præcursor est appellatus, quia non solum aduentum eius annunciat, sed ipsum illum digito ostendit. *Ibidem.*

Quemadmodũ aues pullos suos neque è vestigio, neq; vna duntaxat die totam volandi artem edocent, sed primo è nido tantum educunt, inde cũ aliquantulũ quieuerũt, volatui eos assuefacere incipiũt, postridie ad operam reuocant, ita paulatim exercendo ad naturalem efferunt altitudinẽ: Ita

beatus Ioannes, nõ ſtatim ad ſumma Iudæos erigit, ſed primum paululum à terra eleuat, cum Chriſtum ſe meliorem teſtatur. *Idem, Hom. 12. in Ioan.*

Ego & Ioannes ad vos venimus, idèmque fecimus, quod venatores ſolent facere: qui quando feraciſſima, captúque difficillima inſectantur animalia, non vna via, ſed diuerſis, & non diuerſis ſolum, ſed per contraria plerúnque aggrediuntur, vt ſi alterum effugerint, in alterum incidant. Nam qui vniuerſum penè genus hominum maximè iciunantes ſolet admirari, & duriciem viuendi nimium approbare: idcirco ſtatim à teneris vnguiculis diſpenſatione diuina duriter vixit Ioannes, vt adhuc ad credendum verbis ſuis populi ducerentur. *Idem, Hom. 56. in Math.*

Solet vulgò qui præcedit, poſterioribus glorioſior ſemper videri. Sicut qui fabrilem quandam artem, aut quamuis aliã abſolutè tenuit, præcedit, aut glorioſior eo eſt qui adhuc diſcens, magiſtrum ſequitur, & ad vlterius continuè graditur. Qui tamen cum magiſtrum ſuum cognitione artificij vicerit, non iniuria à ſuperato poterit audire magiſtro: Qui poſt me venturus eſt, prior me factus eſt. Hac igitur imagine ſenſum huius orationis Saluatori & Baptiſtæ attribuens, rectè mea quidem ſententia intelliges. *Cyrillus. in Ioannem, lib. 1. cap. 19.*

Ioannes prædicauit quò ferret baptiſmus pœnitentiæ, nempe in remiſſionem peccatorũ. Vt quando dicimus: Venit quidam ſatelles regis, prædicans ciborum præparationem, vt benefiat his qui præparant cibos regios: non dicimus hoc, quòd ſatelles bene facturus ſit his qui præparant regios cibos, ſed quòd ipſe prædicarit præparationem ciborum, vt hi qui illos præparauerint, regémque ſuſceperint, beneficia conſequantur. Sic igitur & hoc loco præcurſor prædicauit pœnitentiam, vt hi qui pœnitentiam egerint, ſuſcepto Chriſto, remiſſionem peccatorum conſequãtur. *Theophylactus, in Marci 1.*

IOB.

Corium pro corio. Nam ſicut hi qui vapulant, corio manus alterũ corporis protegunt corium, ob hoc tantũ vt corpus integrũ habeãt, Sic (inquit diabolꝰ) & Iob exteriora rei

familiaris detrimenta contemnit vniuersa, tantum vt corporis effugiat pœnam: Sic namque & hi qui in mari nauigant, cum periculum passi fuerint, omnia quæ in naui habuerint, contemnunt, atque in mare proiiciũt ob hoc vt ipsi euadant. Sic & quicunque diuitum cum in corporis infirmitatem inciderint, omnem substantiam suam libenter offerũt, tantum vt corporis incolumitatem recipiant: Sic (inquit) & Iob omnes diuitias & omnem rem familiarem facile contemnit, tantum vt dolores non contingant carnes eius. *Origenes, lib. 2. in Iob.*

Maledixit diem natiuitatis suæ. Locutus est tanquam quilibet in dolore positus, quærens remedium, tanquam quis in dolore dentium, aut oculorum, aut aurium, frequenter parietes vngulis exarat, frequenter etiã semetipsum vngulis exulcerat, præ nimietate doloris quem sustinet, corrasis ossibus & palpebris atque auribus: Sic & B. Iob, cum perforarentur ossa eius & liquefierent carnes eius, locutus est, maledicens diem qui non erat. *Ibidem. lib. 2.*

Mitte manum tuam & tange ipsum. Deus autem non ita. Sed tibi ipsum trado (inquit) quemadmodum enim in certaminibus exterioribus corpore vigentes, & bonæ habitudinis athletæ, non sic apparent, cum vestimentum vndique oleo madidum fuerint induti, sed quando illo abiecto nudi in stadia feruntur, tunc maximè spectatores membrorũ proportione penitus obstupefaciunt, cum nihil ipsam amplius obumbrare possit. Sic & Iob quando omnibus quidẽ illis diuitiis circunfusus erat, quis esset non multis manifestus erat: postquam verò ipsas, velut vestimentum exutus athleta abiecit, & ad pietatis certamina nudus intrauit: sic spoliatus spectatores omnes perculit, vt & ipse angelorum dominus super animi eius tolerãtia acclamaret vehementer, & victori illi applauderet. *Chrysost. Hom. 1. ad popul. Antiochenum.*

Et quemadmodum palæstritæ spectati, & arte & corporis robore fidentes, non recti aduersariis congrediuntur, neque de pari, sed ipsos illis medios apprehendendos præbent, vt illustriorem victoriam faciant: Sic Deus medium tradidit sanctum diabolo apprehendendum, vt cum ipsius tantam prærogatiuã conflictus superarit, solóque prostrauerit, clarior eorona reddatur. *Ibidem.*

Iob erat vir simplex & rectus. Huiusmodi erat etiam Adam antequam mulieri crederet. Hic propterea mulieri nō credit, ne illi similis euadat. Ille vt ita dicam incorruptionem induerat, quemadmodū vidit is qui eum finxerat: & vt mulieri fidem haberet, nudus fuit & condemnatus est. Hic nudus erat, nec mulieri credidit: quódque mulieri non credidit, sanctorum Angelorum corona donatus est. Ille vt mulieri credidit, & ex paradisi delitiis eiectus est, & terram matrem spinarum fecit, & mortem iure hæreditario obtinuit. Hic quia mulieri nō credidit, & à sterquilinio & à plagis liberationem accepit, & regni cœlorum adiit hæreditatem. Ille vt se defenderet, Deo dicebat, Mulier quam dedisti mihi, ipsa dedit & comedi. Sed talis nō fuit Iob. Quomodo igitur? Cū obiurgatione dicebat, ô mulier, cur quasi vna de stultis mulieribus loquuta es? *Idem. Hom. 1. in Iob.*

Pereat dies illa in qua natus sum. Non impiè agens hæc dicit sed patiens. Et vide quid facit. Quemadmodum si quis apostematis morbo circumuentus, ferro recidatur à medico non habens quomodo recidenti aduersetur, circunstantia tangit atque astantes mordet, illis quidem inferre nihil habens, ad modicum autem extendere manum non valens: Sic & Iob blasphemiæ magnitudinem timens, facit inanimatis iniuriam, atque fiduciam passione adauget. non contra Deum audés, sed se denique accusans. maledicit autem non creaturam, sed suiipsius diem. Potestatem, inquit, habeo diei mei, non maledico conditorem, meiipsius diem maledico. *Ibidem. Hom. 4.*

IRA.

FVror illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ & obturanti aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incātatis sapienter, ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens. Sicut cera quæ fluit, auferentur. *Psal. 58.*

Quod erit venenum virus emittentibus, hoc idem & furor animo irritatis ac perturbatis. *Basil. Hom. de Ira.*

Quemadmodum torrentes ad curua loca decurrentes secum obuia quæque trahunt: sic & iratorum impetus violenti & instabiles omnia similiter percurrunt atque ob-

ruunt. *Ibidem.*

Veluti miles quidam apud ducem arma sumens, paratus est eius iussu auxilium præbere: Sic iracúdia si rationi adiutrix contra peccatum fuerit. *Ibidem.*

Solet populus etiamsi ad præsens iram cohibeat, tanquã ignis in ligno delitescens, seu fluminis vi coërcitus, vbi tẽpus est oblatum, reaccendere & erumpere. *Greg. Nazianz. orat. 1. in Iulianum.*

Quemadmodũ qui laborant ab oculis, si spongias ac vestium cyaneo colore pannos tenentes, frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi leuamen: Similiter & tu si Dauidis imaginem præ oculis habeas, & in hanc assiduè defigas oculos, etiamsi millies obtũdet ira, mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens, perfectam consequeris sanitatem, purámque animi Philosophiam ac tranquillitatem. *Chrysost. Hom. 3. de Dauid & Saule, periculosum esse adire spectacula.*

Quemadmodum quandiu nox adest, sæpe ne præsentem quidem amicum agnoscimus, at mox vt exortus est dies, etiam eminus conspectum agnoscimus. Itidem & in iracũdia solet euenire. Donec inter nos maleuolum gerimus animum, & vox audita nobis aliter sonat, & ipsam faciem corrupta mente aspicimus. Cæterum vbi posuerimus iram, & vox, quæ prius erat inuisa atque hostilis placida nobis ac iucundissima videtur, & aspectus ipse prius inimicus & iniucundus, tunc fit amabili & iucundus. Idem accidit in tempestate. Non patitur nubium concursus nobis conspicuam esse cœli pulchritudinem, sed quãuis millies habeamus oculos perspicaces, & acres, nequaquã pertingere possumus ad illam supernam iucunditatem. Cæterùm vbi iam radiorum calor, perruptis ac discussis nubibus solem ostẽdit, rursus & cœli decorem ostendit. Idem accidit in nobis ira feruentibus, dum simultas velut densa nubes, ante oculos & aures stat, facit vt voces aspectúsque videantur aliter quàm sunt. *Ibidem.*

Frequenter fit, vt quum eadem conuitia audiamus ab amicis iocantibus facetiisque ludẽtibus, aut à pueris paruulis, non solum nullam sentiamus molestiam, neque incandescam⁹, sed videamus etiam & exhilaremus, eo quod illa nõ audimus animo affectu corrupto, neque mente ira præoccupata. Itidem in inimicis extinxeris iram, si odium eie-

ceris, nihil eorum quæ dicuntur, te poterit offendere. *Ibid.*

Leonem quidem mitigas, reddísque tractabilem, furorẽ verò animi tui efficis omni prorsus leone sæuiorem. Et certè cũ in mitigãdo leone sint duo impedimẽta vel maxima, quod fera ipsa & ratione priuatur, & longè omniũ alterius generis animalium excedit furorẽ, tamen de copia tibi donatæ à Deo sapientiæ, ipsam superas arte naturam. Qui igitur naturam vincis in bestiis, cur in teipso naturæ obfuscas bonum, dum malum adamas voluptatis? Itaque si te vt aliũ hominẽ mansuefaceres iuberẽ, nihil hic quidẽ impossibile videres imponere: quanquam excusare posses, nõ te esse dominum voluntatis alienæ. Nunc vero tua hæc protiè fera est. Qui vestras feras ad mãsuetudinis prouehis dignitatẽ, temetipsum de throno deiiciens & honore regali, ad irrationaliũ cogis furorẽ. Ponam⁹ enim irã bestiã quandã esse. Quantũ igitur ab aliis erga mitigandũ leonẽ studiũ cõmodatur, tantã te erga iracundiã impende curam, & effice huiusmodi cogitationẽ mitem atque mansuetã. Siquidem hęc fera & vnguibus sæuissimis armatur & dentibus: & nisi illã sollicitè mansuefeceris, cuncta simul disperdet atque lacerabit. Nullus enim leo, nulla sic vipera viscera queunt humana laniare vt hominis iracundia, ferreis quibusdam vnguibus vniuersa confodiens. Nonnulli hominum vermes quosdam in interioribus corporis nutrientes, ne respirare quidem sinuntur vexatis profecto obesisque visceribus: nos tamen venenatã in nobis alentes viperã (irã dico) quod sanũ aut forte possumus cogita, paucos plerúmque nũmos eũ aliquis accipit, & sollicitè reponit in sacculo, & diligenter obsignat sigillo: nos verò postquã longè auro gẽmísq; pretiosiora susceptimus eloquia, & inæstimabiles spiritaliũ opes bonorum nequaquam ea in thesauro animæ recondimus continenda. *Idem, Hom. 5. in Math.*

Qui autem dixerit fatue. Math. 5. Inimicitiarum tẽpore incãdescente ira, animóq; prorsus ardẽte, etiã minimũ aliquid magnũ videtur. Sicut enim manẽte amicitia, etiã quæ mole sta sunt lenia dicuntur: sic inimicitiis obortis, leuia quæque pro grauissimis audiuntur, atq; vt in igne cum scintilla exigua est, etiamsi plurimum lignorum admoueas, non ea facile comprehendit: si verò satis in excelsum flamma consurgat, non iam ligna sed & saxa, & omnem

prorsus materiam sibi vendicat, & per quæ extingui solet per ea ipsa potius accenditur. flammam enim non tantum etiam ligna, & stuppa, aliaque ignis alimenta, sed aqua etiam maiore impetu iactata magis magisque succendit: ita accidere etiam in ira solet Quicquid aliquis dixerit cõtinuò pabulum huius efficietur incendij. *Idem hom. 16. in Matheum.*

Quemadmodum si ignem cum igne coniungas maior flamma succenditur: Ita iracundia per iracundiam non compescitur, sed amplius irritatur. *Idem hom. 12. operis imp.*

Vehemens iræ affectus est, & omni flamma vehemẽtior. Quare celeritate nobis opus est, vt hunc ignem extinguamus, néue ad summum eum euadere sinamus. Iræ enim morbus nisi mox sedetur, multas generat calamitates, domos & familias totas euertit, veteres dissoluit consuetudines, & breui momento res infandas molitur. Quamobrem huic indomitæ belluæ nolimus habenas remittere, sed præduro fræno, metu scilicet diuini iudicij eam cohibeamus. *Idem hom. 3. in Ioannem.*

Videbis iratos non secus ac insanos turpiter in medium præcipites feri. Cum enim circa præcordia efferbuit ira, ignem emittit, tota inflatur facies, incompositę manus mouentur, ridiculè prosiliunt pedes, monitoribus & rixam dirimere conãtibus insultant, in eosque nulla ab insanientibus differentia irrunt. Et cum hæc faciunt, tanquam amentes, nihil sentiunt, nihil intelligunt, sed asinorum more morsibus calcibusque inuicem insultant. *Ibidem.*

Ira vehemens ignis est, omnia consumit, quippe quæ corpus corrumpit, animam coinquinat, tristitiam affert, turpis visu. Quodsi iratus seipsum intueri posset, nulla alterius indigeret admonitione. Nihil enim irato turpius. Ebrietas quædam ira, vel potius ebrietate grauior & dæmone miserabilior. *Idem hom. 25. in Ioan.*

Inter iram & insaniam nihil interest: sed breuis quidam dæmon est: imo quàm qui dæmonio vexatur grauior. Ille enim venia dignus est: Iratus nulla, sed suppliciis innumeris, sponte sua in profundum perditionis defertur, & etiã ante futuram gehennam pœnas dat. *Idem hom. 47.*

Neque febribus laborãti, neque timido quisquam irascitur: sed his morbis affecti, sui misericordiam & lachry-

mas mouent. Huiusmodi est irati animus: qui si in te prosiliet, tace, & opportunam ei plagam infliges. *Ibidem.*

Sicut ferrum ignitū cum in aqua intingitur, amittit ignē Sic iracundus in longanimem incurrens, nihil eum lædit, sed etiam iuuat, sed etiā ipse retinetur amplius. Nihil enim longanimitati simile. Nunquam iniuriatur huiusmodi homo sed sicut adamantina corpora non vulnerantur: sic etiā. animæ tales: superiores quippe iaculis inuenientur. *Idem hom. 21. ad Hebræos.*

Sol ne occidat super iram vestram. Quemadmodū si quando quod aëri nebulosum ac densum per noctem accessit, diurno calore sol nec dissoluere poterit nec dissipare, causam ac materiā tempestatis exhibet, quod residuum est apprehendente nocte, illudque rursus aliis vaporibus augmentante: ita habet iræ conditio. *Idem hom. 14. ad Ephes.*

Sicut quidam instar eorum canum qui clanculum mordentes, prætereuntem quidem nec allatrant, nec quicquam erga illum rancoris ostendunt: abblandientes verò mansuetudinisque speciem ostendentes, sicubi nacti fuerint incautos, dentes clanculum infigunt. Isti peiores sunt illis qui ex aperto inimicitiam in se suscipiunt & profitentur. An ignoras quod eiusmodi incēdia sunt omnium nocentissima, quæ cum intus nutriantur, non quibusuis circunstantibus apparent? Et vulnera quæ in conspectū extra cutem sese nō egerūt? Et rogi illi qui interna comburunt? Ita & peior est reliquis ira, quæ mentem depascitur. *Ibidem hom. decimaquinta.*

Feræ potius quam iracundo homini cohabitandum est. Nam illa cum semel mansuefacta fuerit, suam seruat legem: hunc autem quotiescunque mitigaueris, rursum efferatur nisi quis in talem habitum ipsum induceret. Sicut enim dies clara & serena, & hyems multæ plena tristitiæ: itidē & irascentis animus, & māsueti. *Idem ho. 29. ad pop. Anthioc.*

Ebrietas quædam est ira, imò verò difficilior ebrietate, & dæmone miserabilior: sed si modestè agere meditemur, optimam philosophiæ viam inueniemus. *Ibidem.*

Canis est impudens ira, sed legem audire discat. Si fuerit canis in grege tam ferus, vt non obediat iubenti pastori, nec eius vocem audiat, omnia perdita sunt: cum ouibus pascitur, sed si oues gustauerit, inutilis est. Sed si te au-

dire discit, ale canem, vtilis erit contra lupos & piratas. *Ibidem hom.* 30.

Vinos, ait, deglutissent nos, Vides quam feri sunt & immanes qui bonos inuadunt. hi enim homines vel ferarum ostendunt immanitatem : imo magis sæuiunt in eos qui sunt eiusdem generis . Nam fera cum semel inuaserit, ab ira discedit & desistit : homines vero si quando res aliter cesserit quam putabant, sæpe aggrediuntur, & vel carnes gustare cupiunt, tã res rationis expers est iræ perturbatio. *Idem in psalmum* 123.

Maiorem date operam concordandis, quam redarguendis, quia sicut acetum corrumpit vas si diutius ibi fuerit, Sic ira corrumpit cor si in alium diem duraverit. *Augustinus epistola.* 88.

Cum vestrum quis verbũ audierit quãdoque minus gratũ ne illico deprimatur, aut deficiat, nõ statim pruriat, ne belli & lucri tempore inueniatur corde afflicto obtuso quod scilicet impotens sit etiam ictum minimum sustinere, vt in pepone solet euenire, quem si paruum bisacium contigerit illicò vulnerat & putrescere cogit. *Dorotheus de diuino timore doctrina quarta.*

Cætera vitia impellunt animos, ira precipitat . Cæteris etiamsi resistere contra suos affectus non licet, at certè affectibus ipsis licet stare. Hæc non secus quam fulmina procellæque & si qua non alia irrationabilia sunt, quia nõ eunt sed cadunt, vim suã magis ac magis tendit. *Senec. lib. 3. de ira.*

Quemadmodũ aduersus pestilentiam nihil potest firmitas corporis & diligens valetudinis cura, promiscuè enim imbecilla robustaque inuadit. Ira ab ira tam inquietis moribus periculum est quam compositis & remissis, quibus eo turpior ac periculosior est quo plus in illis mutat. *Ibidem*

Quemadmodũ tẽpestatis ac pluuiæ ante ipsas notæ veniunt: Ita iræ amoris, omniumque istarum procellarũ animos vexantiũ sunt quædã prænuncia . Qui comitiali morbo solent corripi, iam aduentare valetudinẽ intelligunt, si calor sũma deseruit, & incertũ lumẽ neruorumq; trepidatio est, si memoria sublabitur caputque versatur . Solitis itaque remediis incipientẽ casũ occupant, & odore gustuque quiquid est quod ælienat animos, repellitur, aut fomẽtis contra frigus rigoremq; pugnatur, aut si parum medi-

cina profecit vitauerunt turbã & ſine teſte reciderũt. *Ibidẽ.*

Vt medici vetant admoueri remedia cũ morbus in acceſſu eſt, ac ſæuit, ſed cũ ſe remittit: Ita ad primos illos iræ aut doloris motus non eſt adhibẽda cõſolatio, vel admonitio, ſed vbi tempore cœperint eſſe leniores *Ibidem.*

Non ideo vitia in vſum recipienda ſunt, quia aliquando aliquid boni effecerunt. Nam & febres quædã genera valetudinis leuant, nec ideo non ex toto illis caruiſſe melius eſt. Abominandum remedij genus eſt, ſanitatem debere morbo. Simili modo ira etiam ſi aliquando vt venenum, & præcipitatio, & naufragium, ex inopinato profuit, non ideo ſalutaris iudicãda eſt: ſæpe enim ſalutifuêre peſtifera. *Ibidem.*

Vt exulcerata & ægra corpora, quæ ad tactus leuiſſimos gemũt: Ita ira muliebre maximè & puerile vitium eſt. *Ibidem lib. 1. De ira.*

Vt furentium certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria. Ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, æſtuante ab imis præcordiis ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrẽt ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & complosæ ſæpius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnasque iræ minas agens fœda viſu & horrenda facies deprauantium ſe, atque intumeſcentium. *Ibidem.*

Vt in corporum cura, alia de tuenda valetudine, alia de reſtituenda, præcepta ſunt: Ita aliter iram debemus repellere, aliter compeſcere vt vincamus. *Ibidem lib. 2.*

Quales ſunt hoſtium vel ferarum cæde madentium, aut ad cædem euntium aſpectus, qualia poetæ inferna monſtra finxêre, ſuccincta ſerpentibus, & igneo flatu, quales ad bella excitanda, diſcordiamque in populos diuidendam, pacemque lacerandam deterrimæ inferi exeunt furiæ: talem nobis iram figuremus, flamma, lumina ardentia, ſibilo mugituque & gemitu & ſtridore, & ſi qua his inuiſior vox eſt perſtrepentem

tela manu vtraque quatientem, neque illi tegere se, cura est, torquam, cruentamque & cicatricosam, & verberibus suis liuidam, incessu vesano effusam, multa caligine incursitatem, vastantem, fugantemque, & ocium odio laborantem sui maximè: si aliter nocere non possit, terras, maria, cœlum ruere cupientem, infestam pariter, inuisamque. *seneca Lib. 2. De ira, cap. 35.*

Quemadmodum ciuitates dominatum paucorum & tyrannidem ferentes seruiunt oppresso molesto imperio, contra vero quæ legibus parent, degunt liberæ: Sic homines qui in iræ potestatem deueniũt, omnes seruitutem grauissimam seruiunt & liberi ediuerso sunt, qui sub legibus & ratione recta viuunt. *Philo. lib. quod omnis probus sit liber.*

Siquis tribulatur iracundia, spiritus qui pariter inhabitat, tristabitur etiam. Si quis enim sumat absynthij pusillum, ac mittit in amphoram mellis, nonne totum mel exterminabitur? & tantum mellis à modico absynthio disperit, & perdit dulcedinem mellis, & iam non habet gratiam apud dominum suum, quoniam totuum vel amarum factum est, atque vsum suum perdidit. *Hermas in lib. cui Pastoris nomen indidit, in mandato quinto.*

Vt subtractione lignorum ignis extinguitur: Ita cedente eo in quem quis irascitur, temperat iracundiæ. *cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannem cap. 17.*

Vt aqua tepida inflammationes: Sic oratio humanitatis plena iram restinguit. *Anthonius parte. 2. sermo. 53.*

Vt fumus mordicans oculos non videre permittit, quæ pedibus adiacẽt: Sic iracundia oboriens rationẽ obfuscat, & quod bonum habitura mens fuerat à ratione, eo nõ sinit ipsam iracundia sine labore potiri ac molestia. *Aristoteles apud Stobeum sermone. 18.*

Vt nautæ præsentientes tempestatem, ancoris firmant naues: Ita priusquam ingruat tempestas iracundiæ, ratione firmandus est animus, & in diuersum nitendum. *Plutarchus In Moralibus.*

Amor leuatur cantu, corollis, osculis: At ira, si indulgeas, exasperatur. *Ibidem.*

Lotis adducunt speculum: Id multo magis adhibendum irato. *Ibidem.*

Vt in febre: Sic & in ira linguam habere leuẽ ac tenerã, bonæ

bonæ ſpei ſignum eſt *ibidem.*

In febri linguę ſcabrities ac ſordes, ſignum eſt mali, nõ cauſa: In ira linguæ durities, malorum maximorum eſt cauſa. *Ibidem.*

Vt tumor potiſſimum accidit ex plaga carnis: Sic molles & imbecilles animi maximè intumeſcunt ira, vt mulierum ac ſenum. *Ibidem.*

Mare commotum cum algam & ſpumam eiectat, purgari dicitur, etiam ſi littus contaminat: At qui commotus ira, verba effundit amara, contumelioſa, primum inquinãt ipſũ à quo dicũtur, & famæ labẽ aſpergũt. *ibidem.*

Barbari quidam ferrum inficiunt veneno, vt bis noxiũ ſit: Sic quidam dictis inſtigant commotos. *ibidem.*

Vt nutrices pueris dicunt, Ne plora, & accipies: Ita dicendum animo commoto, Ne clama, ne feſtina, ac melius quæuis, conſequeris. *ibidem.*

Vt luxus deprehenditur è cantu tibicinæ, è coronis proiectis, ac ſimilibus indiciis: Ita iracundum intelliges è ſeruorum vultibus inuſtis. *ibidem.*

Pigri remiges ſereno cœlo deſident in portu, deinde coguntur flantibus ventis nauigare cum periculo: Sic qui non punit, cum eſt animo ſedato, cogitur aliquando vel iratus punire. *ibidem.*

Nauis deſerta recipit gubernatorem, ſi quis velit in portum reducere: At animus ira percitus non admittit gubernatricem rationem aliunde, niſi intus ratio clauum arripiat. *ibidem.*

Vt canes ſi irã effuderint in lapidem, aut ſaxum, mitiores ſunt erga homines: Sic qui bilem in alienos euomuerit, placidior eſt erga ſuos. *ibidem.*

Vt adamas ſi frãgi cõtingat malleis, in minutiſſimas diſſilit cruſtas, adeò vt vix oculis cerni queant: Ita arctiſſima neceſſitudo, ſi quando cõtingat dirimi, in ſũmam vertitur ſimultatẽ, & ex arctiſſimis fœderibus, ſi ſemel rumpantur, maxima naſcuntur diſſidia. Aut ſupra modum incandeſcit ſemel victa lenitas *ibidem.*

Qui ſe vnà cum ipſis ædibus incendunt, omnia intus tumultu complent, vt nec videre poſſint, nec diſpicere quid ſit vtile: Sic ira commotus animus. *Ibidem*

Vt primis nunciis non ſtatim creditur, quemadmodum

Phociõ Athenienſis, nunciata Alexandri morte: Si hodie, inquit, mortuus eſt, & cras & perendie mortuus erit: Ita non ſtatim iræ fidendum dicenti, Ille mihi fecit iniuriam: ſed proferenda fides in dies aliquot. *Ibidem.*

Vt puer ſe vulnerat ob imperitiã, dum alium ferro quærit lædere: Ita iracundia ſibi nocet ſæpenumerò, cùm aliis nocere ſtudet. *Ibidem.*

Vt medicus curans eos qui dẽtibus cruciantur, non tam contriſtatur aliorum malis, quàm ſua bona valetudine gaudet, ſed placidus eis apparet: Sic qui cupit alienæ mederi iracundiæ, non debet ipſe ſimul commoueri, ſed placidè tractare animum ægrotum. *Ibidem.*

Vt aſſidua tuſſi concutitur & quaſſatur corpus, atque exulceratur: Ita crebra ira animum exulcerat. *Ibidem*

Non vtimur aqua turbata, niſi conſtiterit: multo minus vtendum eſt animo commoto, priuſquam ad ſe redierit. Ita Socrates. *Ibidem*

Si pueris vnum luſum auferas, reliquis omnibus abiectis plorant: Sic quidam ſi quid obtigerit diſpendij, protinus irati, reliqua omnia commoda ſibi reddunt iniucunda. *Ibidem.*

Vt per nebulam corpora: Sic per iracundiam res maiores videntur. *Ibidem.*

Non vt medici bili medẽtur amaris: Ita oportet iracundiam medicari iracundia. *Ibidem.*

Vt non magno negocio flamma extinguitur in pilis leporinis, aut ſcyrpis, aut ſtipulis accendi cœpta: at non item, ſi ſolida corripuerit: Sic ira primùm gliſcens facilè vel ioco, vel riſu cõpeſcitur, cum videmus fumantem adhuc: quòd ſi proceſſerit, vix vllo negotio poſſit extingui. *Ibidem.*

Vt equi ferociores frenis: Sic homines iracundi ratione ducuntur & reguntur. *Ibidem.*

Vt ferrum tenue & infirmum ſi denuò fodiatur, facilè frangitur: Sic animus ſæpe commotus ira, qualibet de cauſa commouetur. *Ibidem.*

Ignis facilè accenditur in paleis & pilis leporinis, ſed idem mox extinguitur, ſi nihil addas: Sic iræ amantium aut nuper coniugatorum, ſi nemo ſe admiſcuerit. *Ibidem.*

Vt in tumultu non audimus, quid nobis dicatur: Ita ira-

ti non admittimus alienum consilium, nisi ratio loquatur intus, quæ tumultum animi compescat. *Ibidem.*

Vt prima tyrannidis solutio est, si reclametur, si non pareatur: Sic iræ statim est reclamandum. *Ibidem.*

Quēadmodū qui expectāt obsidionē, colligūt ac deponūt pecuniā, atq; omnia parāt sub hostiū aduentū: Ita aduersus assultū iracūdiæ præceptis philosophiæ muniendus & instruēdus est animus. *Ibidem.*

Vt minutæ literæ, si quis intēdat, offēdunt oculos: Sic qui res minutulas iracūdè curat, morosior redditur ad maiores. *Ibidem.*

Vt iuxta sententiā Hippocratis morbꝰ est periculosissimꝰ in quo ægrotus subinde mutat oris habitū, ac sui dissimilimus redditur: Ita nullus est animi morbus ira periculosior quæ vultū, vocem, incessum sic immutet, vt idē alius esse videatur. *Ibidem.*

IVDÆVS.

QVomodo confunditur fur quando deprehenditur: Sic confusi sunt domus Israel, ipsi & reges eorum, principes & sacerdotes, & prophetæ eorum, dicentes ligno, pater meus es tu, & lapidi, tu me genuisti. *Ieremie.* 2.

Quomodo si contemnat mulier amatorem suum: Sic cōtempsit me domus Israel dicit dominus. *Iere.* 3.

Sicut frigidam facit cisterna aquam suam: Sic frigidam fecit malitiam suam. *Iere.* 6.

Sic conteram populum istum & ciuitatem istam, sicut cōteritur vas figuli, quod non potest instaurari. *Ieremi.* 19.

Fili hominis, versa est mihi domus Israel in scoriam, omnes isti, æs & stannum, & plumbum in medio fornacis, scoria argenti facti sunt. *Ezechiel.* 22.

Iudæi instar rabiosorum canum dominum suum allatrāt. Aiunt enim rabiosos canes mutos appellari, eoquòd edētuli fiunt ex relinquente ipsos notione. Ea est enim canum natura, vbi in rabiem conuersi fuerint, qui aliquādo dominum nouerunt, & filios ipsius, domesticosque & alios omnes domini familias geminos, cum apprehenderit ipsos insania, alterantur personæ corā ipsorū aspectu, & in ipsos domesticos exurgunt, quos aliquando honorantes cauda ipsis blāditi sunt, moribusq; subditi fuerūt. Statim enim qui expectabāt Christi aduētū, qui parati erāt suscipere sponsū

qui prophetas videre rogabant, qui obedire diuinis sermonibus promiserant, qui cum Mose pactum fecerant, quando videbant ipsorum Dominum aduenisse, ignorantes formam, & figuras veritatis, quas prophetæ antequam in carnem veniret delinearant, annunciarant, significarant: primum quidem ad ipsum dicebant, Quis est hic qui loquitur blasphemiam? Tandem velut rabiosi canes insurrexerunt, & manus iniecerunt, velut semper cum rabie canis immissis antea manibus inuadit, & personas proprio-rum Dominorum suorum consauciare non veretur. *Epyphanius hæresi 78. contra Antidicomarianitas.*

Genimina viperarum, Viperarum enim hæc natura dicitur esse vt quando fœmina concipit, masculum interficit: quãdo vero parit, ipsa nihilominus à filiis occidatur. Neque enim expectant, vt assueto naturæ ordine oriantur, sed rupto matris vtero, violenter erumpunt. Vipera igitur Synagogá: vir eius Christus. Venit Christus ad synagogã, venit ad vxorem suam, quam postquam suo semine imprægnauit totamque euangelicæ predicationis sementem, in eam infudit, illa sicut vipera, sicut venenosa & impia, contra eũ assurgens, eum interfecit, de cuius impio vtero filii eius erumpentes, eam occidunt, quoniam Iudæi ad fidem, veniẽtes, eam excommunicant & damnant. *Eusebius emissenus hom. in natiuitate. S. Stephani.*

Etenim si postulasset, similiter & priscos oẽs, qui ante hos fuerũt pri⁹ ad hoc vitæ institutũ adegisset: Quo, inquis igitur cõsilio hæc præcepit: Nimirũ vestræ morẽ gerẽs infirmitati, nõ aliter quã medicus, vidẽs hominẽ febricitantẽ, morosũ minimeq; sibi tẽperantẽ si cõcupiscat frigidã bibere, ac ni accipiat periturũ, ac plane futurũ, vt vel ad laqueũ fugiat, vel è sublimi se præcipitẽ det, dũ studet mai⁹ excludere malũ, permittit quod min⁹ est cupiẽs illũ à violẽta nece reuocare. cõsimilem ad modũ fecit & de⁹, qui vidit illos insaniẽtes, anxios, cõcupiscentes victimarũ oblationẽ, iãq; nisi acciperent quod desiderabãt, paratos vt ad idola se defectant, imò non solum paratos, verumetiã eò iam prolapsos permisit immolationem victimarum. *Chrisostomus oratione 1. contra Iudæos.*

Et quemadmodũ si medic⁹ ille (nihil enim vetat eodem exemplo denuò vti) postea quã indulsit appetitui laborantis

mox phiala è suis ædib⁹ allata præscribat. vt ex hac sola bibat aquam, deinde persuaso ægroto, clàm iis qui ministrãt præcipiat confringere phialam illam, vt eum clam nihilq; suspicientem auocet ab illa cupiditate bibendi frigidam. Itidem fecit Deus permittendo sacrificia. *Ibidem.*

Quemadmodum igitur medicus fracto vase ægrotum cohibet ab intempestiuo frigidi potus appetitu, sic & Deus euersa ciuitate ipsa, adeoque funditus diruta, vt omnibus facta sit inaccessa, Iudæos à sacrificiis abduxit. *Ibidem.*

Quemadmodũ faber iactis fundamẽtis, erectis parietib⁹, cõcamerata testudine, ipsaq; cõcameratione in vnum lapidẽ in medio positũ connexa, si eũ tollat, totã ædificii cõpagem soluerit. Similiter Deus, quũ eam ciuitatem fecisset quasi nodũ totius religionis Iudaicæ, ac mox eam subuerterit nõnne & vniuersum eius ciuitatis statũ dissoluit? *ibidẽ.*

At qui debebant ipsi docere futurum vt ciuitas rursum instauretur. Quando quidem in forensibus iudiciis videm⁹ sic fieri probationes. Nam quoties inter illos aliqua incidit controuersia, & alter aduersus alterum agit ex scripto, deinde is aduersus quem agitur, inficiatur ea quæ obiiciuntur cogitur is qui affirmat postea testes & alias adferre probationes, quibus doceat non esse vera, quæ scripto continentur, non is qui scriptum produxit. Eodem modo conueniebat, & istos hic facere nobisque in mediũ producere prophetam, qui prædixerit omnino futurum vt ciuitas restituatur. *Idem oratione. 2. aduersus Iudæos.*

Quemadmodum illud est grauissimum in mente captis & attonitis, quòd cum ægrotent, nec hoc ipsum sentiant se esse ægrotos: Sic & Iudæi, nunc cum sint ebrii, non sentiũt tamen morbum suum. *Ibidem oratione. 5.*

Quemadmodũ si videas hominẽ assiduè amicitias medicorũ colentẽ, ex ipsa re statim intelligis, quia infirm⁹ est, sic & cũ videris siue virum, siue mulierẽ de dimittendis vxoribus aut viris legem interrogantes, cognosce quia vir iste lasciuus est, & mulier illa meretrix est: sic & Iudæi homines fornicarii & contaminati habentes vxores habere non videbantur: quia vxor illis non erat, quasi iucunda possessio castitatis, sed quasi desertum exilium libidinis illic relegatæ. *Idem hom. 21. ex variis in Mathæum.*

Si quis exponat tibi res quas nõ libenter audis, si tota die

audieris, nihil eorũ retines quæ audisti, aut ambulãs in via si mens tua aliquo cogitatu fuerit occupata quãuis oẽs videas transeũtes, tamẽ neminẽ vides: Sic & Iudęi frequẽter signa vidẽtes, adhuc signum petebant. *Idẽ ho. 30. imperfe. ope.*

Sicut meretrix vxor virum suum se fingit amare, vere autem amat adulterum, & in facie quidem istius est, in corde autem alterius: Sic & Iudæi videbantur esse Dei cultores, erant autem Diaboli amatores. *Ibidem.*

Veluti si quis taurum validum viribus non potest subiugare, & vinculo flectere, mollibus manibus nodosam fricat cerũicem, vt quem virtute tenere non potuit, per blandimẽtum comprehendat. Sic & Iudæi catenam subdolæ laudis portantes in ore, & gladium malitiæ abscondentes in corde taurum ecclesiastici gregis dolo laudis comprehendere festinabant. *Idem hom. 47.*

Sicut pulli frequẽter à matre vocati, cũ nõ obaudierint, neq; secuti fuerint matrẽ, matre lõgius abeũte, aut venit accipiter & dispergit eos, aut lõgius euagantur vt pereant: sic & domino frequẽter Iudæos vocante, qñ nõ obaudierunt, neq; secuti sunt eũ, recedẽte illo ab eis ad gẽtes, venit accipiter rex Romanus & partẽ quidẽ eorũ comedit fames & gladius, alii aũt per singulas prouincias dispersi sunt vt perirent. *Idem hom. 46. operis imperf.*

Suppone mihi humanã naturã tanquã ætatẽ quandã esse & primis quidẽ tẽporib⁹ statũ adolescẽtis habere gen⁹ nostrũ, illis verò quæ ꝓxime subsecuta sũt, iuuenis, senectute deinde vicinis sec⁹. Postea cũ anim⁹ matur⁹ fact⁹ est, membris corporis subactis belloq; soluto, tũc ad philosophiã ducti sumus. Atqui cõtrariũ verũ est inquis, Adolescentẽ docem⁹. At nõ sublimia dogmata, sed rhetoricã, sed grauitatem sermonũ. Ita quidẽ quãdo veget⁹ ac flagrãs est anim⁹. Vide quomodo istud De⁹ cũ Iudæis fecit. Etenim quomodo pueris solet præfici literator: ita Iudæis Mosem præposuit. Et is quæ pueris solẽt, illis fecit adumbrãs ac pingẽs vt nos solemus elemẽta. Nã vmbrã inquit futurorũ bonorũ lex habẽs, nõ ipsam imaginẽ rerũ. Quẽadmodũ pueris placẽtas emin⁹ & pecuniã dam⁹, vnũ hoc ab ipsis exigẽtes interea in disciplinã vt eãt: ita & De⁹ tũ fecit, & diuitias dedit & delitias, vnũ ab ipsis duntaxat per multã indulgentiam & remissionem mereatus, Moysem vt audirent. Et quemadmodũ pue-

ri cum aliquandiu in exercitii loco detinẽtur, ſecedere cupiunt: ita & illi tũ perpetuo in Ægiptũ reuerti quærebant ac plorabant dicentes, periimus, conſumpti ſumus. Et tabulam ipſorum contriuit Moyſes, in qua illis veluti nomina quædam addiſcẽda ſcripſerat, id quod & præceptor facere ſolet, cum acceptã tabulam male ſcriptam vidẽs, proiicit, multum iræ hoc pacto oſtendere volens, etſi fracta quoque fuerit, non tamen hinc iraſcitur pater. Et quemadmodũ in ſchola alius alium percutit: ita & tũc permittebat Moyſes, vt alius alium percuteret & occideret. Et rurſus quomodo præceptor addiſcenda quædam tradens, deinde quomodo didicerint exigẽs, ſi luſã viderit operã punit & caſtigat: ita Moſes fecit, vt pote ſcripta diuinam potentiam iudicantia illis exhibens. An ea quæ in Ægypto dedit? Etiam. Sed illa ſcripta plagas demonſtrabant, nẽpe quod inimicos puniret erantq; illis inſtar diſciplinæ. Atq; hic perinde factum eſt, atque ſi puer cum elemẽta ſe cognoſcere dicit, ſparſim illa extra ordinem rogatus deprehẽditur ignorare, vapulat: ita & illi dicebant ſe quidem virtutem & potentiam Dei ſcire, ſparſim verò eandem rogati ſcientiam nihil proferebant, vnde & vapulabant, vides aquam? Reminiſci debes aquæ Ægyptiacæ. Qui enim ex aqua ſanguinem fecit, poterit idem & hodie facere. Quemadmodum & nos pueris ſæpe dicimus, quãdo vides in libro literam à, reminiſcere quod eam in tabula tua habueris. Vides famem? Recordare quod idem eam faciat, qui & tum fructus perdidit. Vides bella? Memento quomodo Ægyptij in mari ſubmerſi ſunt. Nõ debebãt in manna quærere delitias docti quid ex illis mali ſequatur. Fecerunt autem perinde, atque ſi puer ingenuus, in diſciplinam miſſus cuperet cũ ſeruis conuerſari, illiſque miniſtrare, & cum neceſſariam alimoniam accipiat, inque patris menſa ſedeat, nihilominus mallet ea potiri quæ ſeruorum eſt, fœtida & perturbatione referta: ita & illi Ægyptum quærebant. *Idem hom. 4. ad Coloſſenſes.*

Sicut ſole in nubibus conſtituto, hoc quod eſt dies, non eſt nubium permittentium eum apparere ſuper terram, ſed virtus ſolis, quæ pertranſiens nubes, etiam impedientibus eis apparet: Sic iuſtè pronunciauit Iudęorum non placata, ſed appoſita malignitas: nimirum quũ interrogati à Domino, quid facturus eſſet Dominus illis colonis, qui patris

familiàs filium occidissent, responderent. Malos malè perdet. Non autem est illorum quod iustè iudicarunt, sed ipsius causæ. Est enim causa veritatis, quæ quasi violentiam illis facit, vt non possint eam celare. *Idem homil. 40. operis imperfecti.*

Quum serui tui peccant, expolias vnum, & iterum parcis ei, dicens. Nisi obseruaueris, hoc passurus es, similiter facis alteri. Non meliorantibus verò eis si incurrit vnus, castigatur secundum peccatum suum, & videtur quidem pro omnibus ille solus castigatus, quia quod aliis est promissum, illi est redditum. Re vera autem non pro aliis, sed pro se castigatus est, quia secundum meritum culpæ suæ castigatus est. Ille enim pro aliis, dicitur castigari, qui aliis peccantibus ipse castigatur non peccans: qui autem peccãs castigatur, non pro aliis sed pro se castigatur: Sic & generatio ista Iudæorum, scilicet pro patribus videtur punita: quia illi territi sunt, hi puniti. Verè autem non pro aliis, sed pro se sunt condemnati: quia sic peccantes iustè damnati sunt. *Ibidem hom. 46.*

Quemadmodũ qui vxorem habet suspectam circũscribit illam vno loco, thalamísque includit, eunuchos adhibet, & omnẽ apponit custodiã: in summa nihil nõ facit curatq; eorum quæ seruãt pudicitiã, eo quod illa non habet verũ amorem, ac pudicæ mentis custodiam, quæ castæ fœminæ solet esse familiaris. At qui pudicam benéq; moratam habet vxorem, à nulla eam progressione prohibet, quippe qui certum pignus habeat vxoris affectum. Idem facit Deus. Habebat vetus synagoga pro viro legem, quemadmodum testatur Isayas, per Apostolũ loquẽs, Nam Prophetica voce Paulus vsus est dicens sicut scriptũ est, *Multi filij deserte magis quã eius quæ habet virum.* Quoniã igitur synagoga illum virũ habuit, videlicet legẽ, erat autem suspecta, quod vbiq; charitatem Deo debitã proderet idolis, conscientiã habẽs illorũ cultu pollutam, redarguit illã Deus ita loquẽs, *Et mœchata est cum lapide & ligno ac mei oblita est, dicit Dominus.* Quoniam suspectã habebat mentem synagogæ, merito illam loco circũscribit templóque veluti thalamo cuidã includit, nequaquam permittẽs vt quouis loco sibi cõstituat altare: sed vniuersa quidem Iudæa ac palæstina erat populi, cæterum vnicus erat locus habens altare. *Dilata calumtium tuum sicut aquila.* Quo-

modo aquila quæ regina est auium certo tépore amittit pilos& remanet implumis: Sic etiam Israel deponat gloriam suam qua ante fuerat circundatus,& plangat filios hostium potestati subditos, peccatíque obnoxios. *Hieron. lib. 1. comment. in Michæam cap. 1.*

Arborem fici habebat quidam. Hanc similitudinem quare Dominus dixerit, audiamus. Arbor ficus brumali tempore transacto, dum grossos producit in florem,& simulat suum suis floribus fructum, decipit incautos, illudit ignaros. Namque mox, proiicit grossos, pigrum proficit, & prorumpit in germen: & fit posterior cæteris fructu, quæ videbatur cæteras anteisse. Merito ergo à Domino synagoga arbori fici comparatur, quæ calefacta tempore legali téporaliter Ecclesiastici fructus floruit in figura. Patriarcharum namque radice solidata, sacerdotali exaltata culmine, Propheticis dilatata ramis, Iudaicæ obseruationis repleta grossis florebat, tunc spe sola fructũ datura per Christum, imò ipsum Christum datura post fructũ: dicente psalmista, de fructu ventris tui ponam, &c. Vnde sancti scientes hanc spem, fructus ex flore capiebant, & solabantur præscientia de futuris: videntes iã iámq; succedere æterna mortalibus, perpetua caducis, legi gratiam, Synagogæ Ecclesiã, cœlestia terrenis, humanis diuina, omnibus Christum. *Petrus Chrysologus sermone 106.*

IVDEX.

QVemadmodum is qui sagittam tendens, ad metam diriget, nec vltra, nec citrà, nec vtrobique errando à via proposita excidet: Ita rectus iudex factitabit, nec in iudicando personam accipiet. *Basilius in principium proverbiorum.*

Scio vnumquemque vestrum abominari sceleratum traditionis facinus, sed interea non intelligitis, bonam vestri partem ipso Iuda esse deteriores. Nam is semel prodidit Iesum, multi verò sæpius illum produnt, non contenti semel prodidisse. At quo pacto, inquies? Quoties pecuniæ causa veritatem deseritis, Iesum proditis. Ipse enim est veritas. Quoties pecunia venalis fit iustitia, Iesum proditis, ipse enim factus est vobis iustitia. Et Iudas qui-

dem post paulò pœnitentia ductus, pecuniam restituit, & peccasse se confessus est: multi verò qui se Christianos profitentur, per totam vitam proditores esse pergunt, neque vlla veræ pœnitentiæ signa præ se ferunt. *Isidorus Clarius oratione 39. tom. 1.*

Vt iusta bilanx seu trutina nec à vera bilance corrigitur, nec à falsa iudicatur: Sic & iudex iustus neque à iustis examinatur, nec ab iniustis arguitur, *Epictet. apud Maximũ serm. 5 & apud Stobæum serm. 5. De iustitia.*

IVDICIVM EXTREMVM.

SIcut colliguntur zizania, & igni comburuntur: Sic erit in consummatione seculi huius. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent è regno illius omnia offendicula, & eos qui parant iniquitatem, ac mittent illos in caminum ignis, vbi erit fletus & stridor dentium. *Math. decimo tertio.*

Sicut data à Deo pluuia, ex æquo & fruges nutrit, & lolium, messis autem tempore, frumenta congregantur quidem in horreum, paleę verò vel lolium igni consumuntur: Ita in die iudicij cum iusti introducentur in regnum Dei, iniusti autem abiicientur foras, tunc etiam iustitia Dei ostendetur. *Clemens lib. 2. recognitio.*

Sicut sol omnes stellas splendore sui fulgoris obtundit, & contegit: Ita & mens per scientiæ lucem, omnes concupiscentias animæ inefficaces reddit & otiosas, futuri iudicij memoriam super eas tanquam radios suos emittens, ita vt ne apparere quidem vltra in anima queant. *Clemens lib. 9. recognitio.*

Tantum si causa dicenda sit apud iudicem terrenum, quæ aliquem metum ex legibus habere videatur, ex omnibus vigiliis excubatur, aduocato patrono munera præparantur, etiamsi anceps periculum sit, aut etiam solius notæ metus, vel damni ratio. Nos quare non credimus quòd omnes astabimus ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria opera, prout gessit, siue bona siue mala? *Origenes hom. 5. in Leuitic.*

Videte ficulneam & omnes arbores, &c. Sicut enim fructus &

folia, nouiter in arboribus nascentia, æstatis aduentum denunciant: Ita & signa superius dicta, statim vt apparuerint, regnum Dei prope esse certissime nunciabunt. *Eusebius emis. sensus hom. de Dominica 2. aduent.*

Sicut qui maculas habent in corpore, priusquam veste nudentur opertas, ac plurimis ignotas ferunt: sæpe verò pretiosissima ornati veste, cum fortè intrinsecus quoq; formosi ac venusti ex illo exteriore cultu putarẽtur, exuti tunica, nudísque in balneo conspecti, contra quam putabatur, ridiculi, atque innumeris malis fœdè insigniti corpus, cõtinuò apparuerunt, neq; iam obscurũ esse potest, nudato sub omnium oculis corpore, vbinam, qualis, quantáq; sit macula, sed simulátq; nudata est, intuentiũ sese oculis aperit: Ita & nos cum velamẽ carnis exuerimus: neque subducere maculas animæ, neq; operire vlla ratione poterimus: cæterùm sub omniũ obtutibus nudi atque conspicui, quæ prius corpore quasi veste cõtecta minimè habere putabamur, ea nudata se omniũ oculis ingerent, nullúsque iam vel negationi, vel defensioni erit locus: quando ipsa cernẽtur opera in suo auctore conspicua. Non enim cõfusè aut summatim & indigestè res ipsæ cernẽtur: sed singula per partes vt sese habeãt, velut in pictura noscentur. Exẽpli causa, quomodo ad patrandũ quisq; adulteriũ properãs è lecto surrexit: quibus passibus incedẽs vsus est: quo motu corporis lentiore ac cõcitatiore: quem habitum dum progrederetur assumpsit: & qua ex parte irrumpens, vxorẽ alienam violauit: quo itẽ ordine huic mulier ad nefariũ opus se substrauit. Hæc inquã omnia veluti in tabula per partes diligenter expressa cernentur. Neque ea solum quæ in apertũ opus prorupere, verum & quæ sine effectu operis in animi tabula inscriptę fuerunt cogitationes. *Basilius de vera virginitate.*

Quemadmodum qui palatium aliquod ingrediuntur, vt regẽ inuisant siue comites sint, siue præsides, non parũ metuunt quomodo sint responsuri, & ne in respondendo lapsi reprehensionem & suppliciũ incurrant: Rustici verò & simplices homines, qui nũquam regem inuisunt, securè viuũt: Sic etiam mundus hic qui sub cœlis est, à regibus vsque ad pauperes, cũ ignorent gloriam Christi de rebus tantũ secularibus sunt solliciti: nec cito quis in mẽtem reuocat diem

iudicij. Qui verò cogitationibus ascendunt ad tribunal Christi, vbi est thronus eius, perpetuò stantes in conspectu illius, sunt in continuo metu & tremore, ne quomodo aberrent ab eius preceptis. *Macarius, Hom. 15.*

Nunquid tu reprehenderis quando à tritico paleas separas, & ita recondis. Nec enim ratio est, vt cum tritico reponas & paleas, quia nec sunt necessarię tibi ad vsum. Et quomodo Deum culpemus, qui à fidelibus separat infideles, qui non proficiunt ad gloriam eius? *Chrisost. Hom. 3. operis imperf.*

Patrefamilias moriente, tota domus eius turbatur, omnis familia plangit, & conscissis tunicis suis, nigris se opetiunt vestimentis: sic & humano genere propter quod omnia fuerant creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, vniuersa cœli ministeria lugent, & candore depositio, pro vestibus luctuosis tenebris vestiuntur. *Nam sol obscurabitur & luna non dabit lumen. Idem, Hom. 50.*

De die illa & hora nemo scit. Mat. 24. Sicut quando videmus hominem senem, scimus quia propemodum moriturus est, quando autem, nescimus: Sic & mundum perturbatum videmus, casurum cognoscimus, diem autem ignoramus. *Idem, Ho. 30. oper. imp.*

Sicut virgo deformis & debilis sine causa se componit: Sic peccatores in fine mundi frustra se præparabunt. *Idem. Hom. 52.*

Sicut rex cum tyranno bellum facturus, si voluerit aspicere exercitum & considerare arma illorum, iubet mitti tubam vt fiant admoniti. Tunc omnes milites festinant arma sua aspicere, vbi sit gladius eius, vbi lorica sit posita, vbi lateat scutum, & qui securitatis tempore arma sua studuit immaculata custodire, paratus & lætus currit ad inspectionem. Et qui tempore securitatis gladium suum euaginare dimiserit, aut loricam sordescere, scutum frangi aut rumpi, cum audierit tubam, & ipse quidem excitatus timore festinat limare gladium suum, detergere loricam, ligare aut stringere scutum, sed non poterit celare negligentiam suam, cum vrgens necessitas non permittat longi temporis opus implere: Sic & Domino absente malus seruus non aspicit opera sua, quid facit, quid non facit aut quomodo credit, nec cogitat quia venturus est Dominus eius, & opera

perſpecturus & fidem, ſed cum viderit eum venientem de longè, tunc aſpicit opera ſua, tunc incipit feſtinare, ſed nihil ei proderit feſtinatio, quia multorum dierum negligentia non poteſt vna hora expleri. *Ibidem.*

Tunc ſegregabit eos ab inuicem. Math. 24. Sicut tempore hyemis inter virides & aridas arbores diſcretio non eſt, cum autem venerit tempus illud beatum vernale, diſcernuntur: Ita nunc vnuſquiſque ſecundum fidem ſuam, & ſecundum opera ſua manifeſtabitur, impiis quidem nulla proferentibus folia, nullum oſtendentibus fructum, ſancti autem & foliis veſtientur vitæ æternæ & fructibus ornabuntur gloriæ. Et hoc modo ſegregabuntur à cœleſti paſtore. *Idem. Hom. 14.*

Hoc iudicium ſemper præ oculis habeamus. Sicut enim qui Dei iudicij obliuiſcitur, tanquam fræno abiecto in precipitium defertur (inquinatæ autem ſunt viæ illius in omni tempore, & cauſam affert, auferuntur iudicia tua à facie eius) ita quem continuus hic percellit timor, modeſte viuẽdi viam ingreditur. Recordare nouiſſima, inquit, & in æternum non peccabis. *Idem, Hom. 38. in Ioan.*

Sicut rege adueniente ad aliquam ciuitatem, hi qui honoribus & dignitatibus decorantur, cum ſumma confidentia, non expectato eius ingreſſu longe ante portas occurrunt, & excipiunt aduenientem: rei autem & criminibus obligati intra muros retinentur, imperatoriam expectaturi ſententiam: Ita quando Dominus veniet, iuſti ei in medio aëre confidenter occurrunt, noxij autem & obruti peccatis, hic remanent expectantes iudicium. *Idem. ſer. de Aſcenſione Domini.*

Si noſtrum cuiuſquam occultum crimẽ aliquod hoc ipſo die in medium delatum, huic modo confeſſui innoteſceret nonne fieret vt ille interire, ac terram ſibi potius dehiſcere, quam tam multos peccati ſui teſtes habere mallet? Quid igitur tum nobis fiet miſeris, cum omnia orbi vniuerſo palam facta, in tam aperto, tamque illuſtri theatro denudata, hominum nobis partim cognitorum, partim incognitorũ oculis ſubijcientur. *Idem, Hom. 5. in epiſt. ad Rom.*

Nemo eorum qui in multa verſantur malitia dẽptis paucis, reſurrectionis ſermonem amplectitur. Atque hoc pſaltes dicit, *Sublata ſunt iudicia tua à facie eius.* Quare? *Quoniam con-*

taminatæ sunt viæ eius in omni tempore. Non fert animus propriæ conscientiæ sententiam ac iudicium. Idem autem hic fit, quod homicidæ contingit. Is primum sibiipsi promittit, se non esse capiendum, atque ita occidit. Alioqui iudicante ipsum conscientia, vtique non stetim adhoc facinus perrexisset. Nouit igitur, & tamen ignorare se simulat, ne per cõ sciẽtiam & timorem torqueatur. Nam alioqui imbecillior esset ad homicidium. Ita & qui peccant, & quotidie iisdem malis volutantur: ista cognoscere nolunt, quanquam conscientia ipsorum non ignorante. *Idem, Hom. 3. ad Colossenses.*

De temporibus aut temporum articulis non opus habetis vt vobis scribam. Ponamus seculi consummationem post viginti annos futuram, post triginta, post centum, quid ad nos? An non vniuscuiusuis consummatio est vitæ suæ terminus? Quid curiose scrutaris & turbaris pro inani fine? At quod in aliis accidit, id & hoc loco nobis vsuenit. Quemadmodũ enim in aliis, relictis quæ propria sunt, communia curamus dicentes, hic scortator est, iste adulter, alius rapuit, ille iniuriam intulit, suorum verò facinorum nemo rationem habet, sed omnia magis curat quàm sua: ita & hic, omittentes quisque suum ipsius finem curare, communem & generalẽ consummationem discere volumus, *Idem, Hom. 9. in 1. ad Thessalonicenses.*

Memorare nouissima & in æternum non peccabis. Eccl. 7. Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet: nemo gehennam contemnentium iudicium effugiet. Quemadmodum enim apud nos qui iudicia metuunt, iudiciis non fiunt obnoxij: qui vero contemnunt, illi potissimum in ea incidunt: ita & hic. Nisi subuersionẽ veriti fuissent Niniuitæ, vtique subuersi fuissent. Quia verò illã metuebant, nõ subuertebantur. Si diluuium veriti fuissent qui temporibus Noë vixerunt, submersi sanè non fuissent. Et Sodomitæ si incendium metuissent, combusti non fuissent. *Idem hom. 2. in 2. Thessalonicen.*

Dic mihi homo: Tribunali Christi cum sistendus sis, omnia magis loqueris quam de isto: Et quidem si quando tibi cum iudice causa est, plerúmque verbotenus duntaxat, non nocte, non die, non aliquo temporis articulo, non aliqua hora aliud quid loqueris, sed semper de causa illa quã

agendam habes. Cum vero de omni vita tua rationem redditurus, & pœnas daturus sis, neque alios etiam pateris, qui te huius iudicij admoneant. Atqui propterea cuncta perire & intercidere, quod humano quidem tribunali temporalium rerum gratia sistendi, neminem non monemus, neminé non rogamus, indesinenter de illo solliciti sumus, omnia huius gratia facimus: ad tribunal vero Christi venturi, idque breui, neque per nos ipsos aliquid, neque per alios facimus, iudicem nõ rogamus, quamuis nobis multum spatij ante iudicium permittat, nec in mediis nos abripiat peccatis, sed permittat, vt illa exuere aggrediamur, & nihil eorum quæ ad ipsum recidunt, prætermittat bonitate illa sua & benignitate. *Ibidem.*

Prope est dies iudicij, timeamus itaque fratres. *Frater non liberat homo? Psal.* 48. Multorum nos illic pœnitentia capiet, sed in morte nullus confitebitur illi: Idcirco dicit, *Præoccupemus faciem eius in confessione. Psal.* 44. hoc est, aduentum eius & præsentiam. Hic enim quodcunque fecerimus præualet: illic autem nequaquam. Si quis nos dic mihi, in camino flãmante vel paruulo constituat tempore, nonne cuncta tolerabimus, vt liberemur? siue pecunia proferenda, siue seruitus toleranda sit. Quot sunt eorũ qui in morbos acerrimos incidunt, & omnia dare prompti sunt, vt saluentur, si optio proponeretur? Si igitur in hac vita morbus parui temporis ita nos afficit, & contristat, quid faciemus illic vbi nulla erit vtilitas pœnitentiæ. *Idem hom.* 21. *ad Hebræos.*

Criminosas personas iudex auditurus in publico, tribunal suum collocat in excelso, circa se collocat vexilla regalia, ante conspectum suum ponit super mensam tabellam, vnde tribus digitis mortem hominum scribat aut vitam: hinc inde officiales ordinate consistũt in medio secretario. ponuntur genera horrenda pœnarum, quæ nõ solum pati, sed & videre tormentũ est. Stant iuxta parati tortores crudeliores aspectu quam manibus. Tanta iudicij facies, cuiusdam schematis terrore vestitur. Et cum ad medium productæ fuerint criminosæ personæ, ante interrogationẽ iudicũ, ipsius iudicij terribili discutiuntur aspectu. Similiter & dominus se ad iudiciũ venturũ promisit, similiter cũ terrore, nõ cũ simili terrore. Pœnæ enim quæ hic sunt, non sunt

comparandæ ad æternas pœnas: Sic nec gloria ista. *Idem. Hom. 54. operis imperf.*

Sicut impossibile est, vt qui esurit, non recordetur panis: ita fieri non potest, vt qui saluari cupit, exitus sui extremique iudicij obliuiscatur. *Climacus de discretione gradu 26.*

Vt in æstate fructus arboris cuiusque declaratur & patet: Sic & iustorum facta declarabuntur & patebunt cum illuxerit misericordia Domini, & omnes hilares & gaudentes in illo seculo restituentur. *Hermas.*

Vide Christi aduentus ad iudicium, Infernus, Mors.

IVDICIVM PERVERSVM.

SI fortè quis ægrotet contingere tamen potest, vt membra quædam sana habeat: verbi gratia, in parte visiua oculum, aut aliquod aliud membrum, cum alioqui reliqua membra sint affecta: ita se habet in re spiritali. Probabile enim est, quempiam tria membra spiritus habere sana, sed non propterea perfectus est. Debent igitur Christiani per omnia contendere, ne quempiam omninò iudicent, siue meretricem prostitutam, siue peccatores aut inordinate viuentes: sed simplici intentione, & puro oculo omnes spectare: ita vt hoc ipsum sit cuique quasi naturale & concretum, ne quempiam flocci pendant, aut iudicet néve execretur, aut habeat in aliquo discrimine. Si monoculum spectaueris, ne diiudices in corde tuo, sed perinde ac si sanus esset, illum intuere: mancum aspice, quasi non mancũ: claudum velut rectè incedentem, paralyticum, veluti valẽtem. *Macarius, Hom. 15.*

Proinde vir bone, si naui tempestatibus iactatæ manũ porrigeremus, aut ciuitati obsessæ, aut domui igne succensæ turmatim vasis & instrumẽtis succurreremus, restinctoriis, plane nos submersores vocares, aut ciuitatis vel vrbis amatores, & non potius præfectos & curatores, sed ais non ita multos egisse videris. Verùm quid mea refert, si plures imò omnes opinione potius quàm veritate ducantur, si quidem hoc in controuersia versatur, num iustè egerimus, vel ecclesiam miserandam aut beatã reddiderimus: videri verò illud tuum nihil ad nos non secus ac somnia aliena. Non

ita,

ita, inquis, homo multis videris. Nunquid terra vertigine patientibus stare videtur? & ebriis, sobrij esse putantur qui sunt sobrij? & non potius cum capite ambulare, aut inuerti? Mel autem nunquid amarum est? etiamsi ægrotantibus quibusdam ac male affectis ita videatur, non agitur in his, itane res se habet quemadmodum videtur patientibus? *Greg. Nazianz. orat. de seipso.*

Quomodo stomachus morbo vitiatus & colligés bilem, quoscunque accepit cibos, mutat, & omne alimentum in causam doloris trahit: ita animus cæcus quicquid illi commiseris, ad onus suum & perniciem & occasionem miseriæ facit. *Seneca, lib. 5. de beneficiis.*

Quemadmodum stultus est qui æquum empturus non ipsum inspicit, sed stratum eius & fræna: Sic stultissimus est qui hominem aut ex veste aut ex conditione quæ vestis modo nobis circundata est, æstimat. *Idem, epistola.* 47.

Vides festucam in oculo fratris. Matth. 7. Velut si aliquis sæuissimo hydrope, vel quolibet immedicabili languore constrictus, hunc quidem etiam negligat, eum vero culpet, qui exiguum in aliqua corporis sui parte non curet tumorem. Si verò malum est propria peccata nō cernere, duplex iam aut triplex peccatum est iudicare alios, & in suo oculo trabem absque dolore gestare. Omnę quippe peccatum trabe grauius est. *Chrysost. Hom.* 14. *in Math.*

Sicut maior est superflua mēsura quā cōmota, & cōmota maior est quā bona & iusta: sic perfectior est ille, qui nec iudicat quam ille qui iudicat & non condemnat: & ille qui iudicat & non condemnat, melior est illo qui condemnat & dimitit. *Idem. homil.* 17. *operis imperfect.*

Quemadmodum columna in templo si steterit recta accepto pondere amplius confirmatur, si autem modicè obliqua fuerit, suscepto pondere non solum confirmatur, sed amplius vadit ad latus: Sic & cor hominis si rectum fuerit, videns opera alicuius viri iusti, aut audiens, per doctrinam sapientiæ eius amplius confirmatur, si autem fuerit peruersum cor videns opera alicuius viri iusti aut audiens, non solum non confirmatur, sed magis ad inuidiam excitatur, & magis peruertitur. *Idem, Hom.* 38.

Quemadmodũ sol oculos puros, sanos, vegetos, fortes habenti, tranquillus apparet, in oculos autem lippos, quasi tela aspera iaculatur, intuentem illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, sed mutatum: Sic cum cœperis esse peruersus, & tibi Deus peruersus esse videbitur, tu mutatus es, non ille. *Augustinus in Psal. 92.*

Vt corpora melancholici & mali humoris, quicquid cibi sumpserint, illud in choleram conuertunt, & quodammodo perimũt, licet fuerit cibus optimus: nec à cibo causa est, sed à corpore, quod distemperatum, contraria ad digestionem operatur, & ciborum naturã immutat. Sic animæ malę dispositæ, vnaquæque res quamuis bona & vtilis, suo vitio nocet. Finge mellis vasculum ante nos positum esse, si quid in illud modicum quid absynthij iaciat, nonne vas totum corrumpit, & mel amarum facit? Idem nos facere videmus, cum pugillo amaritudinis nostræ totum proximi bonum corrumpimus, iudicantes illum pro statu mentis nostræ, & transformantes, quodammodo ipsum ex mala dispositione quæ in nobis est. Nam qui bene animo dispositi fuerunt, tales sunt erga omnes quales qui corpus temperatissimum habent, qui quicquid nocens comederint, omne conuertunt in nutrimentum. Cuius rei ratio est vt dixi, corporis temperamentum sanitas & bona habitudo quæ omnia faciunt, vt quicquid comederint, bene vertant, bene digerant, benè concoquant. Quod vt manifestius pateat, subiiciam exẽplum. Sus corpus habet sane temperatum & succidum, cuius cibus & nutrimentum, corua, glandes, palmarum ossa, & lutum esse solent vt plurimũ, quæ omnia ex corpore benè dispositio, non omnino bono, concoquit & digerit. Ita nos cum bene dispositi erimus, poterimus à quauis re etiã nocente vtilitatem capere. *Dorotheus doctrina 16.*

Vt pueri quidam admirantur ac fœlices iudicant nebulones miseros, cum in scena saltant, aureis induti: Sic stulti fœlices existimant diuitiis onustos. *Plutarchus in Moralib.*

Scarabæi fugiunt vnguenta, delectantur fœtoribus: Sic multis pessima pro optimis placent. *Ibidem.*

IVrationi non assuescat os tuum. Sicut enim seruus interrogatus assiduè, à liuore non minuitur: Sic omnis iurans & nominans, in toto à peccato non purgabitur. *Eccl.* 23.

Etenim si in paganorum iudiciis regem terrestrem testẽ citare fas non est, vtpotè maiorem & his qui citant, & his qui iudicant: cur Deum inereatum ad res creatas inuocamus, facientes vt Deus ab hominibus contemnatur? *Athanasius de passione Domini.*

Est iurandi peccatum nõ solum cum de rebus friuolis, sed etiam cum de maioribus celebratur. Nos autem & cum vilia comparamus, & cum de vno nummo contendimus, & cum aduersus seruulum commouemur, deum testem inuocamus. Et hominis quidem ingenui & aliqua dignitate muniti, in publico ad huiusmodi res non audemus testimonium postulare, ne & iniuriarum contra nos vindicta procedat. Deum autem cœlorum regem, angelorum Dominum, & cum contrahis, & cum loqueris, & cum quibuslibet sermonibus delectaris, aduocas testem. *Chrisost. Hom. 4. ad Baptizandos.*

Qui facit consuetudinem frequenter manu sua percutere, necesse est vt iniuste aliquando percutiat: Sic qui facit consuetudinem iurare in rebus idoneis, frequenter & in rebus superfluis etiam nolens, consuetudine trahente periurat. *Idem*, Ho. 12. *in cap.* 5. *Math.*

Nunquid qui ignem portat vnde conflatur incendium, alienus est ab illo incendio? Aut qui gladium porrigit vnde homicidium committitur, nonne est socius homicidij illius: Sic & qui occasionẽ periurij præstat, collega fit periurij eius. *Ibidem.*

Sicut pueri funiculum longum & corruptum ex contrario inter se trahentes, cum multo impetu supini omnes cadunt, funiculo per medium dirupto, & hi quidem capite, hi verò alia corporis parte feriuntur: sic & inter se contraria iurantes, iuramento pro rerum necessitate dirupto, in periurij baratrum vtrique cadunt, hi quidem peierando, hi vero periurij causam aliis præbendo. *Idem. Hom.* 14. *ad populum Antioch.*

Quemadmodum Iudæi victimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent: Sic iurare permittebatur in Deū, nō quod recte hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere quam dæmonibus. Euangelica autem veritas iuramentum cum omnis sermo fidelis, pro iureiurando sit. *Hyeronymus, commentar. in Math. cap. 5.*

Fac te ambulare in alio loco, vbi à parte dextera spaciosa sit terra, nec vsquā angustias patiaris à sinistris, præceps locus est, vbi eligis ambulare. Super finem terræ in labio præcipitij, an inde longè? Puto inde longè. Sic & qui iurat, in fine ambulat, & ambulat pedibus infirmis, quia humanis. Si offenderis, deorsum is, si lapsus fueris, deorsum is. *Augustinus, de verbis Iacobi, ante omnia nolite iurare, ser. 28.*

IVSTITIA, IVSTVS.

IVstus erit tanquam lignum, quod plātatum est secus decursus aquarum, quod fructum suū dabit in tempore suo. *Psal. 1.*

Iustus vt palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur *Psa. 92.*

Vt hyeme arbores omnes similes sunt aridis, nec fructiferæ ab aridis internosci possunt: Sic nec iusti ab iniustis dignoscuntur, sed similes sunt in hoc seculo. *Herm. seu Pastor.*

Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoueri. Granum est primò, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuscula enutritur. Deinde rami & frōdes inualescūt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumor, & flos de germine soluitur, & de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquandiu & informis, paulatim ętatem suā dirigens, eruditur in mansuetudinem saporis. Sic & iustitia, (Nam idem Deus iustitiæ & creaturæ) primo fuit in rudimentis, naturæ Deum metuēs. Dehinc per legem & prophetas promouit in infantiam. De hinc per euāgelium efferbuit in iuuentutem. Nunc per paracletum componitur in maturitatem. Hic erit solus à Christo magister & dicendus & verecundus, non enim à se loquetur, sed quæ mandātur à Christo. Hic solus antecessor, quia solus post Christum. Hunc qui receperunt, veritatem consuetudini anteponunt. *Tertulian. lib. de Velandis virginibus.*

In agro inter cultas & fertiles segetes, lolium & auena dominatur: ita iusti cum impiis, mali cum bonis. *Cyprianus contra Demetrianum.*

Peccato nihil potest esse amarius etiamsi dulcia quædam videantur in primis, sicut Salomon scribit. Sed in nouissimis, inquit amarius felle inuenies, quod dulce initiis videbatur, & acutius acie gladij. Iustitię verò natura contraria, in initiis videtur amarior, in nouissimis verò melle dulcior inuenitur, cum virtus fructus attulerit. *Origenes, Hom. 14. in Iesum Naue.*

Si ergo cũ ceciderit iustus non prosternitur, non permanebit in peccato, sed exiliet cito tanquam damula ex retibus, & tanquam auis ex laqueo. *Idem, Hom. 5. in Psal. 36.*

Quomodo lumen lucernæ ad solis radios obscuratur, & velut alia quædam: cæca materies contenebrescit: Sic licet fulgeat iustorum omnium lumen ante homines, non tamẽ fulget ante Christum. Luceat quippe lumen vestrum, dictũ est non simpliciter, sed antẽ homines. Antè Christum non potest. Lumen iustorum vt splendor lunæ, & micantia cœli sydera, priusquàm sol oriatur, in stationibus suis rutilant, orto verò sole absconduntur: Sic lumen ecclesiæ vt lumen lunæ, priusquàm oriatur lumẽ illud verum solis iustitiæ, resplendet & clarum est ante homines, cum autem Christus venerit, ante eum contenebrescit. *Idem. Hom. 9. in Ezechiel.*

Quemadmodum iudex nec vincere vult quenquam nec habere aduersarium, sed lata sententia pondus addit parti iustiori: ad eundem modum iustitia quoque cum nemini aduersetur, cuique rei quod suum est tribuit. *Philo, lib. 1. legis allegoriarum.*

Sicut ardere ac viuere non potest ignis nisi aliqua pingui materia teneatur in qua habet alimentum, sic animæ materia & cibus est sola iustitia qua tenetur ad vitam. *Lactantius, lib. 2. cap. 13.*

Quemadmodum pauper spiritu, nisi regeneretur ex aqua & spiritu, non poterit intrare in regnum cœlorum, propter domini sententiã, ita rursus, nisi iustitia abundauerit plusquam scribarum ac Phariseorum, aut si talium aliud quidquam defuerit, propter similem sententiam, non habebitur dignus regno cœlorum. *Basil. tractatu de Baptismo.*

Quemadmodũ qui iniuria afficiunt, qui vsurpant aliena /

qui rapiunt, qui mala innumera proximo inferunt, cum illuc venerint, eósque viderint qui hæc passi sunt, Videbunt enim videbũt inquam omnino (id quod perspicuum est ex diuite & lazaro) neque os aperire poterunt, neque habebũt quod dicant aut excusent, sed multo pudore repleti magnáque condemnatione ex illorum aspectu, ad ignea flumina adducentur: Itidem qui bene viuunt, qui docent, qui instituunt, vbi viderint eos quos seruauerunt illic patrocinantes ipsis multa fiducia replebuntur. *Chrysost. orat. 4. aduersus Iudæos.*

Sicut athletæ in theatro, & in sudore, & puluere & æstu multo, & laboribus & ærumnis pugnandum est, Ita & iustum hic multa sustinere oportet, & ferre omnia viriliter, si quidem præclaras illic accepturus est coronas. *Chrysost. Ho. 1. de resurrectione.*

Quemadmodum in desudatione luctatorem sudore & puluere, & calore multo & laboribus, & miseriis pugnare decet: sic iusto multa hic tolerare expedit, generoséque ferre vniuersa, si claram hinc coronam sit accepturus. Nam & si corpus illud laudamus, quod & frigora illæse & calores ferre possit, egestatémque & famẽ, itineráque & miserias alias: multo magis animã dicere beatã decet, quæ fortiter generoséque dolorum inuasiones quasque sufferre, mentéque suã in cunctis potest seruare liberam. *Idem, Hom. 5. de patientia Iob.*

Vides quia est differẽtia inter filios Dei & filios diaboli, quia filij diaboli nõ exeũt ad diabolũ, vt tentẽtur, sed diabolus venit ad eos vt tentet. *Idem. Hom. 5. operis imper.*

Quemadmodũ si quis in campo quodã tabernaculo circundatus sit, si aliqua surrexerit tempestas vẽtorum, sonũ quidem tempestatis audit, vexationes syluarum videt, ipse autem flatum non sentit: sic qui intra iustitiam sedet inclusus, quando mundus concutitur, tumores turbationum audit, secularium, miserationes, ipsum autem concussio mundi non mouet. *Idem, Hom. 48.*

Omnes peccauerunt. 1. Timoth 1. Quemadmodum is qui multum pecuniarum possidet diues quidem esse videtur: cæterum thesauris regiis comparatus pauper esse, atque inops primus cernitur: ita & hic dum angelis conferuntur, peccatores esse etiam iusti deprehenduntur. *Idem, Hom. 4. in 1. Timoth.*

In vineis Engaddi lignum est quod si quis compungat, vnguentum emittit. Si non incidatur lignum, non ita fragrat & redolet: Ita homo iustus. *Ambrosius in psalm. beati immaculati sermone. 3.*

Nunc flagellatur iustus, quia vt filius ad æternæ hæreditatis patrimonium præparatur, iniustus autem ad debitam mortem currens effrenatis voluptatibus vtitur, quia & vituli qui mactandi sunt, in liberis pascuis relinquûtur: At cõtra iustus à delectationis transitoriæ iucunditate restringitur, quia & vitulus ad laboris vsum deputatus, sub iugo tenetur. Negantur electis hîc bona terrena, quia ægris quibus spes viuendi est, nequaquam cuncta, quæ desiderant, à medico conceduntur. Dantur reprobis bona quæ petunt, quia desperatis ægris, omne quod desiderant non negatur. *Gregorius lib. 21. moral.*

Mens viri iusti non debet esse similis ceræ vel alterius cuiusquam materiæ mollioris, quę semper characteri signãtium cedens, pro eius forma atque imagine figuratur, quãquam in se tandiu retinet donec alio rursus super impresso signaculo reformetur atque ita fiet, vt nũquam in sua qualitate persistens ad formã eorum quæ imprimũtur, nunquã cõuertatur ac transeat, quin potius debet esse velut quoddam adamantinum signatorium, vt inuiolabilem mens nostra figurã sui semper custodiẽs characteris, vniuersa quæ incurrerint sibi ad qualitatem sui status signet, atque transformet, ipsa verò insigniri multis incursibus possit. *Cassianus. collatione 6. cap. 12.*

Quare Deus cupit iniustos quoque nec solos iustos seruari? Scilicet in hunc sensum loquitur: paucæ salis micæ multam conseruant à putredine carnem: pauca & parua vincula continent magna ædificia. Si in lignis & tegulis vis quædam inest, & sal habet vires haud pœnitendas ad cõseruationem earnis, negabimus iustos posse conseruare iniustos? *Procopius gazeus in genesin cap. 18.*

Iusto non est lex posita. Iustum hoc loco intelligit qui virtutem est assecutus, qui nulla legis formidine, sed ex officio nequitiam odit, & virtutem complectitur, & in eo superat legem, quia haud quaquam dignatur pro instructrice hanc ipsam habere, quæ & flagra sibi intendat, si labitur,

& supplicia comminetur, sed magno animo prestat, vt qui in virum euaserit, & quæ viri sunt sapiat, & iam ex ephebis excesserit. Sicuti & medicus vulneribus affecto & ægrotanti ad medelam paratus est, non ei qui prospera vtitur corporis valetudine & fræna equo lasciuienti & effrænato, non ductu facili, imponuntur. *Theophylactus in cap. primum. 1. Thimoth.*

Quadratus lapis sex æqualia habet latera, in quod horum ceciderit, firmiter iacebit: sic prouidendum est viro iusto, vt in suo persistat proposito. Huius autem latera sex sunt prosperitas, aduersitas, sui libertas, subiectio in secreto esse, & in publico, & in quibus singulis si à Diabolo pulsetur, stet, nec à proposito moueatur. *Anselmus lib. de similitudinibus cap. 168.*

Ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt. Math. 13. Sicut planta radicari non poterit, nisi loco cui affixa fuerit, immoretur: Sic iustus plantatus in domo Domini, nec radicari nec fundari in charitate poterit, nisi mora & stabilitate loci. Si autem radicatus non fuerit, nec florere, nec fructum qui maneat, afferre poterit. Et si florere visus fuerit, de eo dicetur, ante messem totus efflorebit, & immatura perfectio germinauit. *Guericus abbas sermone de S. Benedicto.*

Sicut qui peccat, dum peccat, magis ac magis tenebrescit mens eius, & a luce veritatis recedit: Sic & qui iustitiam operatur, magis ac magis clarescit mens eius, & ad notitiam sapientiæ maioris ascendit. *Chrysostomus hom. 18. operis imperfecti.*

LABOR.

QVemadmodum optimum est labores cibos præcedere: ita supramodum laborare est & pessimum & laboriosum, & morborum causa. *Clemens Alexand. lib. 3. pædagogi. cap. 10.*

Cæterum labor inter præcipua bona numerandus, bellũ cum voluptate gerit perpetuum: hunc enim, si verum dicendum est, omnis fœlicitatis omnisque virtutis principium hominibus Deus declarauit sine quo nihil honestum apud mortales esse inuenies. Nam sicut sine luce videre non possumus, quia nec colores nec oculi suf-

ficiunt: hanc enim seu vinculum natura præparauit, quo coaptaretur colori oculus: nam in tenebris neuter suâ vim exerit: Eodem modo animæ oculus: nullam virtutis actionem potest attrectare, nisi à labore seu luce adiutus. Hic enim inter mentem & bonum quod mens desiderat medi⁹, illud vna ex parte, hanc ex altera trahens ad se, vtraque manu amicitiam, concordiamque conciliat, atque ita bona perfectaeffecit. Opta tibi bonũ quodlibet, inuenies eius possessionẽ labore parari confirmarique. Pietas quoque & sanctitas bona sunt, sed nisi Deum colamus non possunt nobis contingere. Considera studiosos omnes artium quas alij eucyclias, alij liberales nominant: Considera agricolas, & qui victum quacunque ratione quæritant: Hi nec interdiu nec noctu curis sunt vacui: sed semper & vbique vt vulgus loquitur, manibus pedibusque & omnibus viribus, laborare non desinunt, adeò vt immoriuntur plerumque suis negotiis: Sed sicut qui animam conantur sibi reddere propitiam, necessariò colunt virtutes animæ: ita qui cupiunt frui prospera corporis valetudine, curare debent sanitatem & id genus vires eius cæteras: quas certè curant irrequietis laboribus, qui solliciti sunt de potentiis ex quibus contemperati sunt. Equidem existimo laboris cibique eamdem esse vim. Nam sicut à cibo tota vita pendet vna cum suis actionibus & affectionibus: Ita etiam à labore pendet quicquid in rebus bonum est. Ergo quemadmodum qui vitam sibi prorogare cupiunt, alimenta non negligunt: Ita quotquot quæ bona sunt concupiscunt, laborem magnificiant. Sicut enim cibus se habet ad vitam, sic labor ad honestatem. *Philo Iudæus lib. de sacrificiis Abelis ad & Caini.*

Ne ergo spectet quis ad laborem virtutum, sed cœlestia lucra cogitantes prompte labores obeamus. Nam si hi qui in terrenis versantur negotiis, & in colligendas opes insaniunt, omnia prompte suscipiunt facienda: & videntes ante oculos pericula maris, piratarum insidias & naufragia, non franguntur, nec segniores fiunt, quamuis (quod plus est) de fine nihil certi habeant: qualem nos habituri sumus defensionem, si non omni studio & alacritate accingamur ad virtutum studia & agones, propter æterna illa bona? *Chrisostomus hom. 54. in Genesin.*

Mercator diteſcere cupit, non tamen eius animus ſoli ac quieſcit cupiditati, ſed nauem parat, nautas cogit, hortatur gubernatorem & alia quæ nauigationi opus ſunt diligenter diſponit, aurum præterea mutuatur, maria traiicit & innumeris periculis, quibus ſe mari credentes iactare conſueuerunt, ſe exponens, peregrinas appellit terras. Itidem & nos oportet voluntatem rei applicare. Nauigamus namque & nos nauigationem, non ab alia in aliam terram ſed à terra in cœlum. Quare tota mente intendamus ad eã gubernationem quæ nos ſupernè erigat, & nautas rationi obſequentes, & nauem nobis firmam comparemus, ne tentationũ procellis aut vllis ſecularibus demergatur affectibus, neque ſuperbiæ ſpiritu efferatur, ſed leuis & expedita ad ſuperna euadat. *Idem prologo in Ioannem.*

Vtrũ melius eſt metuere an laborare? Si quis te collocaſſet otioſũ in domo ruinoſa, dicés, expecta donec in caput tuũ deciderit teſtudo iam putris, fortaſſis enim cadet, fortaſſis nõ cadet. Quod ſi id non placet operare, ac tutiſſimũ inhabita thalamum vtrum magis eligeres, otiúmne illud cum timore, an laboremcum ſecuritate? Sic igitur & nũc facito. Siquid enim incertus euentus futuri ſeu domus quædam eſt putris, ſemper ruinam minitans. At induſtria illa quanquam laborem habet, tamen ſpondet ſecuritatem. *Idem hom. prima in acta apoſt.*

Ne fugias laborem vt aſſequaris coronam. Mercator nõ deficit, ſed ſuſtinet vndas, vt pecunias inueniat, decertans atheleta generoſe fert vulnera, reſpiciens ad coronam. Agricola non inuenit faſciculos, niſi prius per proprios ſudores ſemina mittat. Similiter in cœlum reſpicientes, nihil putant tribulationes bonorum ſpe roborati. *Idem hom. 21. ad populum Antiochenum.*

Caueamus ne vt ſolum deliciarum habeamus momentum (hoc enim eſt præſens vita) infinitorum attrahamus ſeculorum tormenta: ſed momento laboremus, vt perenniter coronemur. Nonne videtis quod & in ſecularibus hominum plures ita faciunt, & pro longa quiete breuem capiunt laborem: quanquam illis contrariũ euenit. hîc enim laborum quidem & lucri par eſt portio: frequenter autem & in contrarium labor eſt infinitus, fructus autem eſt exiguus, vel plerumque nec exiguus quidem: in regno autem è contra, modicus quidem labor, multa vero voluptas &

immensa. Considera namque, agricola per totum laborat annum, & in ipso fine frequenter à spe decidit, & multorum fructu laborum. Nauis gubernator rursum & miles, ad ætatem vsque nouissimam in præliis & laboribus: & frequenter vterque remanet, ille quidem diuitiarum oneribus amissis, hic autem victoria cum ipsa vita. *Ibidē hom.* 49.

Quemadmodū ouis cum lupo procreandæ sobolis gratia, nullam conuersationem contrahit: Ita neque cum satietate labor cordialis procreandarum virtutum gratia vllam coniunctionem copulat. *Marcus heremita de his qui putant ex operibus iustificari.*

Vt fertilibus agris nō est imperandum, cito enim exhauriet illos nunquam intermissa fœcunditas: Ita animorum impetus assiduus labor frangit. *Seneca de tranquilitate vitæ.*

Nautæ à nauigandi labore turpiter conferunt se ad voluptates, rursum à voluptatibus ad nauigationem redeūt: Ita quidam à deliciis ad labores, à laboribus ad delicias summa vitæ inconstantia sese vertunt. *Plutarchus in moral.*

Vt ferrum crebris immersionibus consumitur: Ita corpus crebris permutationibus vitiatur: hoc est, si nunc immodicis laboribus intēdatur, nunc voluptatibus liquefiat, ac molliatur. *Ibidem.*

Athletæ abstinent à laboribus necessariis, vt in non necessariis valeant: Nobis contra faciendum. *Ibidem.*

Cum nauta videt imminere tempestatem, primū quidē deos inuocat, vt incolumi liceat in portum appellere: mox cōtrahit vela, atque omnia nihilo secius parat, quibus est opus: Ita nos debemus auxilio diuino fidere, sed sic, vt nostram quoque industriam adhibeamus. *Ibidem.*

Vt plures sunt qui lauare velint, quàm qui velint inungi: Ita ad magis ardua, magisque præclara pauciores confluunt. *Ibidem.*

Arator ab Hesiodo iubetur diis sacrificare, deinde aggredi: & miles primùm inuocat opem diuinam, deinde armatur. *Ibidem.*

Vt asparagus spinosus dulcissimum fert fructum: Ita ex duris initiis magna voluptas nascitur. *Ibidem.*

Plantæ mediocri aqua aluntur, immodica suffocantur: Sic animus moderatis laboribus adiuuatur, immoderatis obruitur. *Ibidem.*

Vt echinus semper in spinis ingreditur, quòd spinas secũ circumferat. Ita quibusdam in omni negotio acerbitas est, propterea quòd animo secum adferant asperitatem, etiam si res ipsa nihil habeat incommodi. *Plinius lib. 9. cap. 33. & lib. 8. cap. 37.*

Luscinijs tantum est canendi studium, vt certantes emoriantur, spiritu citius deficiente quàm cantu: Ita nonnulli literarum immodico amore valetudinem extinguunt, & dum à nullo vinci volunt eruditione, pereunt in ipso conatu. *Idem lib. 10. cap. 29.*

Vide exercitatio.

LECTIO.

LECTIONIS VSVS ET DELECTVS.

SIcut pluuia irrigat agrum fertilem & desertum locũ: ita sciẽtia Dei hominem. Crescunt in deserto interdum (id est, in Philosophis) bonæ herbę, sed discreti hominis est eas posse discernere à veris & domesticis herbis. Faciamus igitur sicut qui rosaria demetũt, spinas quidem intactas dimittunt. Apes etiam non solum floribus qui sunt dulces, insidunt, sed etiã qui sunt amarulenti, cum tamen solã dulcedinẽ ex amaro & dulci floré suggũt, amaritudinẽ auersantur. Harum exempla imitamur & è vestris illis amarulentis pratis, dulce & perquam vtile mel nobis componamus. Ac veluti corporum curatores è venenatis feris atque serpentibus salutares medicinas conficiunt, deque ipsis viperis alia quidem reiicientes, alia verò elixantes multos harũ rerum præsidio morbos propellũt. Ita & nos vestrorum poetarum historicorum Philosophorúmque monumenta versantes noxia & pestifera declinamus, alia sparsim nostræ doctrinæ inserentes, auxiliarem nobis salubrémque medicinam afferimus. *Theodoritus Cyrenensis sermon. 1.*

Vide ne ista lectio multorum auctorum & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum & instabile. Nusquam est qui vbique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est eis qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim & properanter transmittunt.

Non prodest cibus nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æque sanitatem impedit quam remediorum crebra mutatio, nõ venit vulnus ad cicatricem in qua crebra medicamenta tentantur. Non conualescit planta quæ sæpe transfertur, nihil tam vtile est quod in transitu prosit. Distrahit animum librorum multitudo. *Seneca epistola secunda.*

Veluti apes non omnibus floribus similiter insidũt, neque ex eis ad quos accedunt, omnia aufferre conantur sed quantum ipsis ad opus necessarium fuerit comprendentes reliquum dimittunt. Nos etiam vt sobrij sapientésque quãtum congruum nobis propinquúmque veritati ex ipsis fuerit, persequamur: reliquum prætereamus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus: sic in talibus sermonib⁹ quidquid est vtile carpentes, noxium vitemus. *Basilius de legendis gentilium libris.*

Velut in rosis legendis sentes vitamus: Ita quantum vtiliter sumptum est accipientes, reliqua quæ nocere possunt declinabimus. *Ibidem.*

Velut florum, reliquis quidem vsque ad odorem & colorem est vsus, apes autem mel ex ipsis excerpere nouerunt: Sic & qui diligentes in legendo existunt, non solùm quod dulce iucundumque fuerit in eorum libris, persequuntur, sed quandam ex iis vtilitatem animo referre contendunt. *Ibidem.*

Quemadmodum ignem, & cibum, & ferrum, nec non alia per sese nec vtilia aut noxia esse scimus, sed quẽadmodum videtur vtentibus: quin ex reptilibus medicamenta etiam quædam theriacalia temperamus ad salutem: Ita & in illis, siquidem indagationem & contemplationem suscipimus, quum autem ad dæmones & errorẽ perducit, nec non perditionis profundum, contemnimus. Nam licet nequaquam nobis ad pietatem prosint, ex deteriori tamen id quod melius est seligimus, ac sermonem nostrum cum illo roboramus. haudquaquam igitur disciplinæ sunt vituperandæ, quemadmodum nonnullis videtur, sed rudes & imperiti, & qui ita habent, sunt negligendi. vellent enim omnes, tales quales ipsi sunt, esse, quo in communi ignorantia latére, & insciticæ argumenta effugere possent. *Nazianzenus, in orat. de laudib. Basilij.*

Quemadmodum quodlibet animal ruminans cibum semel deuoratum, & rursum sub dentes reuocatum atterit: Sic anima cuiuscunque disciplinarum studiosi postquam per aures recepit cõtemplatione dignum aliquid, obliuioni hoc non tradit, sed per ocium secum ipsa retractat singula, & cuncta sibi reducit in memoriam. *Philo, in lib. de Agricultura.*

Quemadmodum gulosus conuiua, vbi primùm discubitum venit, appositos singulos quósque cibos degustans, neque in præsentia voluptatis aliquid capere, neque in futurum vtilitatis potest, quando nec saporem vllum perfectè sentit, & omnia simul congesta stomachum digestionémq; impediunt: Ita qui hoc ipsum in legendis authoribus faciunt, nec in præsens aliquam percipiunt voluptatem, nec vtilitatis quippiam retinent in posterum. *Polybius lib. 3. Historiarum.*

Vt apes non quiduis ex omnibus colligunt, sed aliunde metyn, aliunde pissoceron, aliúde propolin, aliunde rhithacen, aliunde sobolem, aliunde mel: Ita non omnia petenda ex codé authore, sed ex vnoquoq; sumẽdum, quod habet vtilissimum. Ex poetis & oratoribus verborum splendor: è dialecticis argutia disserendi: è philosophis cognitio naturæ: è Theologis, præcepta viuendi. *Plinius. lib. 11. cap. 7.*

Vt bonaso cornua oneri sunt tantùm, nulli autem vsui, adeò sunt in se reflexa: Ita Sophistæ dialecticen habent, sed qua neminem retinere possint, adeò est intecta. *Idem lib. 8. cap. 15.*

Quidam Amethiptum adhibent in compotationibus aduersus ebrietatem: Multo magis in audiendis poetis præcepta sunt adhibenda, ne quid inficiat animum. *Idem lib. 37. cap. 9.*

Vt apicula per omnia circumuolitans, id quod est vtile, domum adducit: Ita studiosus ex vnoquóque quod ad mores confert, excerpit. *Idem lib. 21 cap 21.*

Ager nimium stercoratus aduritur, non stercoratus alget: Ita moderata lectione vegetãdum erit ingenium. nam lectione saginatur animus, non aliter quàm aurum stercore. *Idem lib. 18 cap. 23.*

Sicut vtilius est crebrò stercorari agrum, quàm multũ: Ita plus habet fructus assidua lectio, quàm auida *Ibidem in fine.*

Vt apes ex amarissimis florib. & asperrimis spinis, mel suauissimũ colligũt: Sic ex turpibus ac sceleratis fabulis, vtcunq; decerpi potest aliquid vtilitatis. *Plutarch. in Moral.*

Quemadmodum Vlysses auribus cæra obturatis, Sirenũ periculum præternauigauit: Ita nos si quid incidit blandè fœdum in authoribus præteruehi oportebit. *Ibidem.*

Vt in alienis oculis nosmetipsos cõspicimus: Sic in aliena dictione quid nos deceat, aut dedeceat, cõtemplandum est. *Ibidem.*

Vt in obsoniis non solùm sequimur voluptatẽ, sed etiam salubritatem. Sic in audiendis & legendis autoribus. *Ibid.*

LEX POLITICA.

VT in cythara non satis est in vno tantum neruo concentum efficere, sed vniuersi percutiendi sunt numerosè & decenter: Sic & in animi virtute non satis est nobis ad salutem lex vna sed vniuersæ summa cum diligentia conseruandæ sunt. *Chrysost. hom. 36. de virtutibus & vitiis.*

Quemadmodum vbi sunt multi medici, ibi multi sunt morbi: Ita vbi permultæ sunt leges, ibi plurimùm vitiorũ. *Arcesilaus apud Laertium lib. 4. cap. 6.*

Quemadmodum inter nauigantes qui faces turrium obseruant, ij maximè salui euadunt, portúsque inueniunt: Ita qui secundum legem viuunt, tutissimè per vitam transeũt, commodámque sedem nanciscuntur. Consiliario etenim iam quis homine vsus, pœnituit eum, at non lege. Tanto autem ciuitatibus est vtilior, quàm mœnia: quòd absque mœnibus multæ ciuitates perdurant, absque lege autem nulla ciuitas potest habitari. Non solùm autem conducit mortalibus, verumetiam diis. Nam mundus semper eandem legem immotam custodit, nihílque sempiternorum hanc transgreditur. Vnde puto & regina merito hominum atque deorum vocata est, violentiam dissoluens, iniuriásque destruens, dementiámque ad modestiam reducens, & maliciam puniens, priuatímque & publice omnes indigentes commodo afficiens, iniuriam quidem passis succurrens: de aliqua autem re hæsitantibus, iudicans quid oporteat fieri. *Dion orat. 74. De lege.*

Quemadmodũ neque homo ille est, qui sit rationis ex-

pers. Ita neque ciuitas illa fuerit, quæ legibus non gubernatur. Legibus autem gubernari non potest vnquam, quæ insipiens & immodesta est. *Idem oratio. 36. Borysthenica.*

Perinde atque medicorum affluentia & plurima pharmaca non paucos significant loci alicuius morbos: Sic vbi innumeras videris leges, illic certum est homines esse improbos, & inexhaustam morum iniquitatem. *Aristoteles apud Stobæum.*

Vt corpus anima carens cadit: Sic ciuitas nullis administrata legibus euertitur. *Demosthenes apud Maxim. serm. 58.*

Solon existimat, argentum numisma esse, priuatarũ commutationum causa inter priuatos repertum: Leges autem putat ciuitatis numisma esse. Itaque iudices oportet multo magis, si quis istud quod ciuitatis sit numisma, corrumpat, & adulterinum inducat, odisse & punire, quàm si quis illud quod priuatum sit. *Idem oratione contra Timocratem*

Quemadmodum corpus hominis emoritur, anima si emittitur: Sic ciuitas extinctis legibus. Vnde Demosthenes leges ciuitatis animam vocauit. *Stobæus serm. 41.*

Vt aranearum telas corui perrumpunt, muscæ implicantur: Ita leges plebeculam vexant, à potentibus violãtur impunè. *Anacharsius, apud Plutarch.*

Regula primùm recta sit oportet, deinde quæ applicẽtur corrigat: Ita princeps primùm ipse vitiis careat necesse est, deinde aliis leges præscribat, *Plutarch. in Moral.*

Vt ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis vtilitatem spectat, quoniam eius causa est instituta: Sic à legibus nihil conuenit arbitrari, nisi quod reipub. conducat, proficisci, quoniam eius causa sunt comparatæ. *Cicero, lib. 1. de inuentione.*

Vt corpora nostra sine mente: Sic ciuitas sine lege, suis partibus & neruis, ac sanguine & membris, vti non potest. *Idem in oratione pro Cluentio.*

Quemadmodum morbos antè extitisse necesse est, quàm remedia eorum atque medicamenta: Ita prius nequitia nata est, & scelus exortum, quàm leges conditæ: quæ obuiam irent nequitiæ, sceleríque flagitiosorum. Et quemadmodũ medelę plures, ad innumerabiles propè corporum morbos excogitatæ sunt: Ita leges innumerę ad infinitas animorum improbitates amputandas, sordésque emaculãdas conditæ fuerunt.

fuerunt. *Philippus Beroaldus, in oratione habita in enarratione Verrinarum.*

Quemadmodum perfecto Grammatico Musicóue nullis harum artium præceptis opus est, ei verò qui aberrauit in horum consideratione, leges præceptáque adhibēda sunt: Sic perfectus homo nullius indiget præcepti: vilis autem homo tum præcepto tum interdicto indiget, stulto verò admonitione doctrináque opus est. *Philo, lib. 1. Allegoriarum legis.*

LEX DIVINA.

NEmo legem reprehēdat propter supplicia. Quēadmodū non est reprehendendus medicus, quia morbū corporis auferat: ita nec legislator, qui ab iniustitia animam liberare vult. imò tanto laudabilior, quanto anima præstantior corpore. *Clemens Alexand. lib. 1. Stromat.*

Tu filium tuum scire vis literas liberales, verbi gratia rhetoricam disciplinam, nunquid eum vacuum & liberum esse concedis ab omnibus aliis? Omissis cęteris, huic vni studio operam dare iubes, pædagogos, magistros, libros, impensas das, nihilq; deesse concedis, quod ad profectū eius studij facit. Quis nostrum ita se ad diuinæ legis studia cōuertit? *Origenes hom. 12. in Exodum.*

Sicut hi quibus artificiū est signa ex ære facere, & statuas fundere, antequàm verum opus æris producant, aut argenti aut auri, figmentum prius luti ad similitudinem futuræ imaginis formant, non quod figmētum necessarium sit, sed vsquequo opus quod principale est, expleatur. Cum autem fuerit effectum opus illud propter quod figmentū luti fuerat formatum, vsus eius vltra non quæritur. Tale aliquid etiam in his quæ in typo & figura futurorū in lege & Prophetis, vel scripta vel gesta sunt. Venit enim ipse artifex, & auctor omniū, & legem quæ vmbram habebat futurorum bonorum, transtulit ad ipsam imaginem rerum, & quæ sequuntur. *Idem hom. 10. in Leuitic.*

Rex, profecturus in regionem præmittit ante se in equis præparatores prænunctos. Et quantomagis aduentus regis appropinquat, tanto plures sunt precones aduentū anticipantes, & in vrbibus aduentū prænunciantes. Vbi vero ve-

nerit iam rex in vrbem, quæ amplius est vtilitas prę conũ? Quid opus est equitibus, aut aliis denunciãtibus regis aduentum, quando ipse rex intus est? Sic etiam lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Vbi verò Ioannes predicauit vocem in deserto, & ostendit, Hic est agnus Dei: non amplius Prophetis opus est, quo veniant & predicent nobis Christi ex virgine aduentum. Opus autem fuit iis qui prænunciauerunt ipsius aduentum, ad aduentus ipsius confirmationẽ, quoniam prænunciatus fuit. *Epyphanius hæresi. 66.*

Quemadmodum enim siquis pædagogum haberet, velut etiam Apost. dicit, quod pædagogus noster est lex ad Domini aduentum: vbi peruenerit ad ætatem, & acceperit præceptorem, non omnino reiicit pædagogum velut inimicum: Sic & nos deducti sumus in lege & in Prophetis, vsque ad aduẽtum præceptoris. Reperto autem præceptore non reprobamus pædagogum, sed etiam gratiam ipsi confitemur, quod pueritiam nostram deduxit, & ad perfectiores disciplinas nos demisit. Aut quemadmodum siquis in mari nauigari vellet, & magnam nauem haberet, verum in parua scapha commotionem circa ripam maris trãsiret, & scapha hominem ad magnam nauem perferet: Homo ipse non omninò submergit scapham vbi magnam nauem reperit, sed cum hoc quod gratiam scaphæ habet, occupat maiorem salutis suæ nauim. Aut vt etiam dicamus, quemadmodum si quis expositus sit à matre sua genitrice, assumptus autem fit ab aliquo quocunque tandem, & postea vbi in virũ euasit, cognouerit suũ naturalem patrem, sit autẽ talis prudentia preditus nũquid vbi cognouit suũ patrẽ & propriam hæreditatem assequitur, ob id reprobat nutritorem, qui ipsum educauit, & non potius gratiam habet nutritio, quod non sinit ipsum in mortem tradi? Sic & nos gratiam habemus Deo qui dedit legem, & Prophetas, & gratiam habemus ipsi, qui dignatus est nos nouo filij sui testamento. *Epyphanius hæresi sexagesima sexta contra Manichæos.*

Quomodo corporis vmbra ortum habet ab ipso corpore, carnis tamen officium implere nequit: nam alligare vulnera, escam prebere vel loqui non potest vmbra, etsi manat à corpore, pręeedénsque declarat corporis pręsentiam: eodem modo lex vetus est vmbra noui Testamenti: præ

nunciat vmbra veritatem, non tamen suppeditat spiritum, *Macarius hom. 32.*

Porrò sicut vmbra nihil confert nec medetur doloribus: sic antiqua lex, animæ vulnera molestiásque sanare non potuit, quia vitam non habebat. *Ibidem.*

Audistis quoniam dictum est antiquis. Non mœchaberis. Cognouit difficile esse mandatum, non suapte natura, sed audiétium desidia. Multa enim quæ natura facilia sunt, difficilia fiunt cum pigritamus. Quod verissimum esse ex eo constat. Nam mel natura dulcedinem habet, atque eandem iocundissimam, sed ægrotis amarum quid, atque illitum est, non propria sed illorum ægritudinis natura: Sic lex tametsi videatur onerosa, non sua natura, sed nostra fit pigritia. *Chrysostomus hom. 8. de pœnitentia.*

Laboriosa lex & multum oneris habet, sic igitur & magnam habet coronam. Tu vero nequaquam laborem attende, sed retributionem consydera. Sic & in vitæ rebus fit. Si enim laborem perspexeris, graue & onerosum, si vero retributionem cogitaris, leue ac facile quod subest. Sic & gubernator, si fluctus viderit solum, nusquam portu scapha dirigetur, sed ipsam præ fluctibus vtilitatem commodúmque metietur, atque ita demum innabili se credit pelago. Sic & miles si vulnera cædésque viderit, non iam induet thoracem, si verò triumphos præ vulneribus, victoriásque in pratum quasi concurrit ad prælium, *Ibidem.*

Dic mihi, si quis feros homines ac semper malignos, in vnum colligens gladiis armaret, totámque circumire ciuitatem iuberet, atque obuios sibi quósque confodere, quid tandem hoc esset immanius? At si alius eos quidem qui ab illo armati essent ligaret, violentérque constringeret. eos verò qui interimendi erant, ab iniquis illis manibus liberaret, quid è contra isto homine inueniretur humanius? Hæc igitur ista ad legem transfer exempla. Quæ enim oculum pro oculo effodi præcepit, timorem quasi carnificē pectoribus immittēs, illius similis inuenitur, qui illos quos dixi cohibuit armatos. Vides ergo quomodo nullius crudelitatis, sed maximæ pietatis sint illa præcepta. *Idem hom. 16. in Math.*

Quemadmodum freno legitimè vtitur non is equus, qui lasciuit, neque qui mordet, sed qui pulchrè agitur: Ita & is

lege vtitur legitimè, non qui literæ necessitate, sobriè ac iu ste viuere cogitur, qui nouit quòd ipsa non indiget, nõ me tu legis rectè factis insistit, sed virtutis tantùm gratia, hic securè ac legitimè vtitur lege. *Idem homil. 2. in 1. Timoth.*

Quemadmodum literarum apices pueris proponuntur, porrò qui eas docet, non ex ipsis excellit, verùm aliunde peritiæ gloriam promeretur, atque ex ea eruditione præstantius vtitur literis: Ita & qui legem transcendit, nihil opus habet doceri lege: nam ipsam non metu exequitur, sed ex virtutis desiderio hic melius implet. Huic ad quid lex? Quemadmodũ & medicus confecto vulneribus, non sano, neque bona valetudine prædito. Nihil opus mã sueto equo & obtemperanti fræno. Nihil instructione opus est ei, qui pædagogo non indiget. *Ibidem.*

Lex & Prophetæ quasi repagula & frenum equo indomito, quibus eius contra rationem insultus compesceretur: ita equorum domitores solent. *Idem homil. 35. epist. ad Hebræos.*

Quemadmodum si lucerna quæ noctu præluxit, iam orto die, vetet nos obtueri solem, non solùm non præstaret officium, verumetiam læderet: Itidem & lex, si obstaret ad meliora pergentibus. *Idem in cap. 3. ad Galatas.*

Quemadmodum innumerabiles rami in vna radice: Ita quæcunque lex & Prophetæ sparsim in omnibus præcepe runt scripturis, in hoc compendioso comprehenduntur mandato: *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* *Idem homil. 18. operis imperfecti.*

Sicut vinea aut hortus maceria circundatur: Sic Iudæis lex, vt transgredi non liceat. *Idem hom. 17. ex variis in Mathæum.*

Sicut mammilla nutricis, quum omne officium suum impleuerit, & puerum ad firmiorem mensuram ætatis perduxerit, inutilis iam videtur, & parentes qui necessariam prius filio eius iudicabant mãmillam, mille illam postea irrisionibus prosequuntur: plerique autem eam non solùm verbis horribilem faciunt, sed etiam amaris, quibusdam herbarum succis oblinunt: vt cùm sermone nequiuerint importunum iam circa illam pueri desiderium compescere, ipsis saltem illud rebus extinguant: Sic etiam Christus à malo legem esse dicit: non quòd à diabolo esset, sed vt

Iudæos ab antiqua vilitate reuocaret. Et quomodo inquis, fieri potest aliquid nunc quidem bonum, nunc malum? In nostra hoc perpende natura. Portari in humeris hominum in prima ætate bonum est, postea miserrimum. Præmansit vti cibis inter principia vitæ bonum est, postea verò abhominationis horroríque pleníssimũ. Deinde vestem non indui puero quidem bonum est, viro autem pudendum. *Idem hom. 17. in Mathæum.*

Quid ergo peccabimus quia non sumus sub lege? Absit. Quippe & medici, febre laborantes eo incendio hberant, non vt sanitate abutantur in malum atque in perniciem suam. Nam præstaret morbo consenescere, quam ea ratione sanum fieri, vt in lectum deterius decidat: sed vt discentes infirmitatis incommoda & mala, non iam in eadem incidant, vt sanius charius amplexi omnia gerant, quæ ad eam conferre possint. *Idem hom. 3. ad Titum.*

Aureum vestimentum pulchrum quidem est, etiam cum videtur, multo pulchrius autem nobis videbitur nostro circumpositum corpori: Sic & Dei mandata pulchra quidem sunt, etiam cum laudantur, multò autem pulchriora, cum & explentur, apparent. *Idem homil. quinta ad popul. Antioch.*

Num cernis vt mulieres & parui pueri, pro magna custodia collo Euangelia suspendunt, & vbique circunferunt quocunque abierint? Tu Euangelii mandata & leges mente describas, non auro aut argento hic est opus, nec librum emere: voluntate sola vobis opus est. *Ibidem homil. decima nona.*

Quomodo medicina nõ est causa mortis si ostendat venena mortifera, licet his mali homines abutantur ad mortem, & vel se interficiant, vel insidientur inimicis: Sic lex data est vt peccatorum venena monstret. & hominem malè libertate sua abutentem, qui prius ferebatur improuidus, & per precipitia labebatur, fræno legis retineat, & cõpositis doceat incedere gressibus. Ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ, id est, viuamus sub præcepto, qui prius in modum brutorum animalium dicebamus, *Manducemus & bibamus cras enim moriemur: Hieronymus quæst. 8. ad Algasiam.*

Sicut æger non debet reprehendere medicinalem do-

ctrinam, si aliud ille hodie præceperit, aliud cras, prohibens etiam quod ante præceperat (sic enim habebat sanandi eius corporis ratio) Ita genus humanum ab Adam vsque in finem seculi, quandiu corpus quod corrumpitur aggrauat animum, ægrum ac saucium, non debet diuinam reprehendere medicinam, si in quibusdam hocidem, in quibusdam vero aliud prius, aliud posterius obseruandum esse præcepit, præsertim cum sic aliud præcepturum esse promisit. *Augustinus libr. 22. contra Faustum capit. 14.*

Recogitemus quali honore nobis Dei legatio sit accipienda. Si legatio à rege aut à iudicibus ad nos veniret, nunquid non mox aliis curis post habitis prompta voluntate, & cum omni deuotione literas accipiemus, & legentes implere fategeremus? Ecce de cœlo rex regum, imò redemptor noster per Prophetas & Apostolos dignatus est nobis suas epistolas dirigere, non vt seruitium sibi necessarium demandet, sed quæ ad salutem prosint, innotescat. *Idem lib. de salutarib. documentis.*

Per bonum mihi operatum est mortem. Ergo lex semper bona, siue obsit inanibus gratia, siue prosit plenis gratia, semper est bona. Sicut sol semper est bonus, quia omnis creatura Dei bona est, & quod dolentibus oculis ad videndum solem, hoc est gratia mentibus ad implendam legem. Sicut oculi sani non solis delectatione moriuntur, sed illis ictibus asperis radiorũ, quibus reuerberati in densiores tenebras pellebantur: Sic anima quæ per charitatem spiritus salua facta est, non iustitiæ mortua dicitur, sed illi reatui præuaricationis, quam lex per literam cum gratia defuit, faciebat. *Idem libro decimo quinto, capite decimo quinto contra Faustum.*

Non aliter nos de dominica lege querimur, quam queri de optimo medico impatiens ægrotus solet, quæ cum ingraueſcere morbos sibi fecerit vitio suo, imperitiam medẽtis accusat. Quasi vero curare vllam infirmitatem præcepta possunt, si eis non obedierit infirmus. Quid iuuat stomachũ abstinentia si statim dulcia subsequantur? Quid cõferunt phrenetico silentia, quem statim suus clamor occidit? aut quid prodesse potest antidotum, cui superfundi-

tur venenum? Et nobis itaque lex est antidotum, sed vitiositas venenum. Sanare nos non potest legis antidotum quos occidunt venena vitiorum. *Saluianus, lib. 5. de prouidentia.*

Plus tunc indulgentiæ erat, & plus licentiæ: tunc esus carnium prædicabatur, nunc abstinentia: tunc in omni vita ieiuniorum pauciſſimi dies, nunc quasi vnum ieiunium vita omnis: tunc læsis vltio suppetebat, nunc patientia: tunc irascentibus lex ministra erat, nunc aduersaria; tunc accusatori gladium porrigebat, nunc charitatem: tunc etiam carnali illecebræ lex indulgebat, nunc euangelium, nec aspectum: tunc corporeæ voluptates habebant quandam licentiam, nunc iubentur etiam oculi custodire censuram: tunc ad multas vxores recipiendas, vnius mariti thorum lex dilatabat, nunc etiam ad vnam excludendam casti affectus deuotione constringit. Superest enim, inquit Apostolus, vt qui habent vxores, sint tanquam non habentes. Sed quæret aliquis, quare plus nunc exigat Deus, è Christianis per euangelium quam à Iudæis ante per legem. Aperta istius rei ratio est: Ideo enim maiora nunc Domino nostro soluimus, quia maiora debemus. Iudæi quippe habebant quondam vmbram rerum, nos veritatem: Iudæi fuerunt serui, nos adoptiui: Iudæi acceperunt iugum, nos libertatem: Iudæi maledictum, nos gratiam: Iudæi literam interficientem, nos spiritum viuificantem: Iudæis seruus magister missus est, nobis filius: Iudæi per mare transierunt ad eremum, nos per baptisma introimus in regnum: Iudæi manna manducauerunt, nos Christum: Iudæi carnes auium, nos corpus Dei: Iudæi pruinam cœli, nos Deum cœli, qui cum vt Apostolus ait, in forma Dei esset, humiliauit seipsum vsque ad mortem. *Idem Saluianus, lib. 2. ad ecclesiam.*

Calceati in præparatione Euangelij. Ephes. 6. Sicut calceamenta terrestria carnalium pedum munimina sunt, & vel asperitati frigoris, vel serpentum morsui, vel spinarum resistunt aculeis: ita legis diuinæ præcepta, quibus gressus nostrarum mentium munire præcipimur, repugnant & serpenti diabolo, & asperrimo aquiloni gentilium & hæreticorum vndique compungentium spinis ac tribulis. *Gaudentius tractatu. 5. Exodi.*

Vinea & ficus sunt lex, & prophetæ. Lex ficus itidē fuerūt, quoniam infanti Israeli dulces fructus præferebant, terrestrium nempe bonorum promissionem. Si enim, inquit, audieritis me, bona terræ comedetis. Asperitatem quoque in foliis habent ficus, hoc est, transitoriis & facile marcessibilibus rebus, non enim gehennam interminabantur eis actenebras exteriores vel quod ex cœlesti regno excidere deberent, sed captiuitatem, seruitutem, mortem temporalem, talésque id genus pœnas. Hæc igitur nempe vitis & ficus ablatæ sunt ab Hierusalem, traditæque sunt gentibus, quæ volucribus cœli assimilantur, ob mentis suæ leuitatem, atq; dementiam, cóque quod principi potestatis aëris subiectæ fuerint, bestiis verò & reptilibus propter efferos mores assimilantur. *Theophylactus in Naum. cap. 3.*

Ego autem mortuus eram. Rom. 7. Illud mortuus eram duplici modo potest intelligi, vel quia deliquerim vel quia acriori supplicio obnoxius sum effectus, quod sane non legis est crimen sed eius qui legem attenderit. Exempli gratia, ægrotat quispiam, nec valetudine se affectum intelligit, accedens medicus laborare hunc morbo significat, iniungítque hoc vel illo cibo abstineat, qui augere ægritudinem queat, sic ille cum medico nihil obtemperat, moritur. Quēadmodum enim & medicus febricitanti cuiquam & gelidam potionem intempestiue optanti, quominus explere sitibundam illam permiserit auiditatem, eo magis augebit, nō imminet sitim, & medici officium sit potum eiusmodi interdicere, ægrotantis sine potione manere. Sic & lex ipsa homines instruebat, vt hos à concupiscendo abigeret, voluntas tamen peccati oblectatione detenta, prauam hāc propagauit cupiditatem, neque vnum aliquod huiusce cōcupiscentiæ genus, sed multiplex & varium proseminauit, malum enixè operata. Siquidem cum quis aliquid exequi, quod ferat animus, prohibetur, illico insanit & furit maximè & peccatum tum magis patebit, cum lex præteritur, nā sine lege delictum moritur, id est, nusquam esse existimatur. Lege autem extante, & decentia suggerente, viuit peccatum, id est, extat & delictum esse conuincitur, vnde sciēter delinquunt, qui legem transgrediuntur. *Idem, in cap. 7. ad Romanos.*

Lex Christi onus est alleuians aut iugum liberans similis pennis auium quæ corpulentiorem reddunt substãtiam & agiliorem. Grossescit inde natura, vnde sarcina alleuiatur, & quantum crescit in massa, tantum decrescit de pondere. Item & quadrigæ comparatur, quæ admota iumento sarcina, quæ abipso moueri non poterat, auget quidem, sed portabiliorem facit, onus oneri additur, & minus onerat. *Bernardus, epist. 72.*

Quemadmodum beneficio affici tollitur, si aufferamus benefacere: ita tollitur obedientia & fides, si nec præceptũ nec qui est ipsum explicaturus simul assumuntur. *Clemens Alexand. lib. 1 stromat.*

Ambulantes in tenebris sibimetipsis non possunt lumen ostendere, nisi vltroneum seipsos non videntibus offeratur lumen: Ita humana cæcitas ad Deum non dirigit viam, nisi ipse lucernam legis ostendat. *Cyprianus de singularitate clericorum.*

Videtur mihi Euangelicæ legis iugum ac onus persimile esse, vt si quis torquem maximi ponderis ac immensi pretij collo circumponat, vel ingentem auri massam, quam dono acceperit, humeris ferat, vtrúmque onus est, sed minimè sentitur, ob metalli speciem atque pretium, quin ij qui ea ferunt, lætantur & gestiunt, sibíque in eis placent. Idem cernimus viris euangelicis vsuenisse, qui gloriabantur, vt aiebat Paulus, in afflictionibus, & omne gaudium existimabant, cum in varias tentationes incidissent. *Isidorus, clarius orat. 9. tomi tertij.*

Christianæ philosophiæ facultas hoc à cæteris differt, quod reliquis diciplinis atque artibus aliqua illis discendis spatia assignantur, neque tam leuis vlla, tamque facilis ars reperitur, quæ non tempore egeat, vt eam quis assequi possit. Nostræ verò hoc est Christianæ philosophiæ ea maiestas est ac rerum copia, vt si quis in ea ab ipsa infantia exerceri cœperit, nulla ei quamuis longa annorum spatia satis sint ad illam adipiscendam Quare mirari sæpe soleo. maximam Christianorum partem, si non totam ætatem quod certè faciendum esset, in eam impendere volunt, non saltem curare, vt adolescens ætas ea ita imbuatur, vt reliquo vitæ tempore sensum illius præ se aliquem ferant, ne

cognomen quod ab ea acceperunt, frustra circumferre videantur. Nam in reliquis disciplinis atque artibus mutuo ab illis cognomen accipere audit, qui non solum eas calleat, verumetiam exerceat. Nam medicinæ quis artem callere exactè potest, quam tamen si nunquam exercuerit, non facilè medici cognomen, ei dabitur. Hic Christiani cognomen pleríque omnes vsurpant, qui tantum abest, vt hanc facultatem sedulò exerceant, vt vsque ad canos illius penitus ignari sæpissimè perducantur. *Ibidem, orat.* 17.

LIBERALITAS.

BEata planè res liberalitas, quæ cum auaritiæ contraria sit, quam Apostolus omnium malorum radicem rectè appellat, iure omnium bonorum radix & fons appellari potest. Quid enim non secum affert boni? Quem non illius vultus exhilarat? Est profectò veluti sol, qui cum orbi apparet, mortales omnes implet iucunditate: Sic liberalis, dum benignè omnibus facere studet, vbicunque conspicitur, quibus se cumque obuiam præbet, lucem quandam secum affert, quæ lætitiam omnibus parit. Vter fœlix dici debeat, auarus an liberalis? Auarus noctes & dies excrutiatur, vt opes opibus addat, & pro iis quidem quas nondum habet, sollicitus est, quo pacto eas assequatur, pro his verò quas habet, non minori vexatur solicitudine, ne re tam chara forte priuetur. Quod si accidat, dolores inferni, vt prophetæ verbis vtar, circundant illum, & hoc infœlicius morte arbitratur. Pecunias sæpe malè tutas in arca putat, quare in secretiori terræ parte eas infodit, sed ne tum quidem molestia caret, metuit enim ne si repentino aliquo casu moriatur, res sibi omnium charissima in perpetuum pereat, ac propterea etiam cum sanus est, hoc metu præmitur, multo vero magis si ægrotat. Tunc enim & fateri cuiquam timet vbi thesaurum reposuerit, metuens etiam filiorum infidelitatem, & non fateri dolor est, ob impendentis mortis metum. Reliquis opibus ita vtitur, vt illarum se manifestè seruum demonstret. Omnes auersatur quos opinatur petere à se quid-

piam velle, præsertim pauperes: quò fit, vt vicissim etiam alij illum auersentur & oderint. In tali homine quod fœlicitatis vestigium inuenies? Nunc refer animum ad liberalem. Nunquam tristitia eum inuadere potest, nisi cum benignè faciendi facultas deest, somnos ducit iucundissimos, vigilias iucundiores, omnium congressus gratos habet, præsertim egenorum. Huic verò non facilè inuenias qui insidias struat, ac nocere cogitet, quin potius optant omnes, vt seruetur diutius in vita. Cum vero tempus aduenit, quo vitæ cedat, primùm illius omnes mortem deflent, deindè eius recordatio beneficentiæ perpetua in hominum mentibus perseuerat. Cernis quàm dispar sit auari ac liberalis ratio, & ille quidem neque hic, neque in futura vita fœlicitatis partem attigerit, hic verò contrà semper fœlix fuisse deprehendatur? *Isidorus Clarius oratione 61. tomi primi.*

Vt vasa paria quorum alterum plenum sit, alterum inane, pulsata concentum faciunt διαπασῶν: Ita bene conuenit inter diuitem benignum, & pauperem indignum. *Erasmus in similibus.*

Vide Beneficentia.

LIBERVM ARBITRIVM.

EQuus paratur ad diem belli, *Dominus autem salutem tribuit.* Tamen dum curris dicito, Deus virtutem tribuit equo meo, vt currat, Deus dedit tibiis meis perseuerantiam vt starem. Non ergo putes quod te libertas arbitrij ita habeat, quasi nauem per quam vis euadere barbaros de littore, per quam vis euadere fluctibus pelagi, per quam vis ad patriam quam desyderas peruenire, sed si Dominus imperauerit ventis prosperis, & aduersis flatibus silentium dederit, si latentes vados demonstrauerit, & somnum tulerit gubernantibus nautis, & absque læsione portum ingredi fecerit, ages posthæc gratias Deo, non naui, gratias Deo non nautis. Nec ista dicens excludimus

nauem & nautas, sed magis & nauem ornamus & nautas, quibus Deum præsulem confitemur. Si enim nauis nõ fuisset, vtique quod Dominus gubernaret non esset si nautæ nõ essent quos dominus excitaret non essent. Ita ergo dicamus si arbitrium in te non fuerit bonæ voluntatis, non erit tecũ pax Dei. *Arnobius in psal. 146.*

Sicut nec terra sine semine, nec semen sine terra fructificat: Sic nec homo sine Deo, nec Deus sine homine iustitiã operatur in homine. *chrisostomus hom. 14. operis imperfecti.*

Sicut in mundalibus regnis nemo potest seipsum facere regem, sed populus creat sibi regem quem elegerit cum rex ille fuerit factus, & confirmatus in regno, iam habet potestatem in hominibus, & nõ potest populus iugum eius de ceruice sua depellere, & sic voluntas populi in necessitatem postea vertitur: Sic & homo priusquam peccet, liberũ habet arbitrium vtrum velit sub regno esse Diaboli: cum autem peccando se tradiderit sub regno ipsius, iam non potest de potestate eius exire, & sic prima voluntas eius in necessitatem vertitur. *Idem hom. 37. operis imperfecti.*

Deus seruorum neminem vult inuitum aut coactum, sed eos duntaxat qui sua eum sponte amplectuntur, vt seruitutis & se gratiam habere intelligant. Homines vt quibus necessaria seruorum opera est & seruitio opus, improbos & dicto non audientes seruos possessionis iure coercẽt. At deus cum sibiipsi sufficiat, & nullius indigeat, nostrę tantum salutis gratia cuncta operatur, nosque ipsos nostri esse iuris & arbitrii permittit, ideo cogit neminem, ad nostram tantum spectat vtilitatem. Quod si nolẽtes ad seruitutem traheret, non secus eis deberet, ac si nullum præstitissent seruitium. *Idem, Hom. 9. in Ioannem.*

Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Rom. 9. Quia illius est quid amplius est, eius dixit esse vniuersum, secundum consuetudinem hominum: sic quippe etiam nos facimus, Verbi gratia: videmus domum bene ædificatam, & dicimus quia totum artificis est: & tamen non omne opus eius est, sed etiã operariorum, & qui materiam tribuit domũi, & aliorum plurimorum: veruntamen quoniam ille amplius contulit, illius vniuersum opus esse dicimus: sic etiam hic. Iterum in multitudine vbi plurimi sunt, omnes esse dicimus: vbi autem pauci, nullum. *Ibidem. Hom. duode-*

cima ad Hebraos.

Currat equus tuus, sit præparatus ad bellum, dominus autem salutem tribuit. Tamen dum currit, dicito, Deus virtutem tribuit equo meo vt curreret, dedit tibiis meis perseuerantiam vt starem. Non ergo puto quod te libertas arbitrii tui ita habeat, quasi nauem per quam vis euadere barbaros de littore, per quam ad patriam desideras peruenire, sed si Dominus imperauerit ventis prosperis & aduersis flatibus silentium dederit, si latentes vndas demonstrauerit, & somnum tulerit gubernantibus nautis, & absque læsione, portum ingredi fecerit, ages post hoc gratias Deo, non nautis, non naui. Nec ista dicentes excludimus nauem & nautas, sed magis & nauem ornamus & nautas, quibus deum præsulem confitemur. Si enim nauis non fuisset, vtique quod Dominus gubernaret non esset. Si nautæ non essent, quos Dominus excitaret non essent. Si vela non essent, non essent quibus daret prospera flabra ventorum: Ita ergo dicamus, si arbitrium in te non fuerit bonæ volũtatis, non erit tecum pax Dei. *Augustinus in psal.* 156.

Sicut qui se occidit, vtique viuendo se occidit, sed se occidendo nõ viuit, nec seipsum poterit resuscitare, cum occiderit: ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est liberum arbitrium. A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Qualis vero potest esse serui addicti libertas, nisi quãdo eum peccare delectat? Liber est ad peccãdum, qui peccati seruus est. Vnde ad iusto faciendum liber non erit, nisi liberatus à peccato esse iustitiæ conceperit seruus. *Idem in encheridio. cap.* 30.

Sicut post inueteratã luxuriæ consuetudinem, reparatio continentiæ multo labore constabit: & sicut longo temulentiæ vsu captiuata sobrietas cum violentia rigidæ crucis vix recipitur quæ cũ prius læsa teneretur, paruo negocio seruabatur: & quemadmodũ post diuersa carnaliũ blãdimenta vitiorum, quæ facilè prima ætas statum suum retinens calcare potuisset, cum magno luctamine, velut contra ardui montis ascensum, ad virtutis viam reditur: Ita humani arbitrij à Deo concessa libertas, florem vigoremque gratiæ suæ perdidit, tamen ipsa non perijt, vt diuina munera non tam interdicta sibi sentiat, quàm cum summo labore ac sudore per adiutorii patrociniuum sibi repe-

tenda esse cognoscat. *Faustus regius De libero arbitrio li. 1. cap. 9.*

Deus sicut potentia sua corporis humani membra dispo-
suit: Ita etiam ordinatione sua ministerium vsumque mē-
brorum, homini agere ac dispensare permisit. Et sicut dex-
tram in omni homine ipse formauit, sed in potestate homi
nis posuit, vt eam quò vellet, extenderet, & ad diuersa o-
pera conferret. Pari modo sensum rationis, & arbitrium
voluntatis in vnāquanque animā inseruit, inspirauit, infu-
dit: sed eam in manu humani consilij moderandam & ex-
ercendam reliquit, eiusque officia iuri hominis dominio-
que permisit: vt si malum deprauatus appeteret, in arbitrij
libertate permissum sibi sciret, licere nescire: si aūt bonū
cuperet, actionē & perfectionem eius à cōditore deposce-
ret, ad mercedem verò illius officiosa deuotio pertineret.
Et ideo hominis formator & rector bonæ voluntatis, ho-
mini deputauit vsum, sibi verò reseruauit effectum.
Ibidem cap. 10.

Quemadmodum Deus, qui per se seruare potuit in di-
luuio vniuersali Noe cum suis, ne submergerentur, sed ta-
men voluit, vt ipse fabricaretur arcam & ingrederetur eā,
vt esset suæ salutionis cooperator: Ita vult vt omnes qui
spiritualiter saluantur, suæ saluti cooperentur per liberi
arbitrii motum, credentis in eum, qui iustificat impium.
Diuedo De captiuitate & redemptione hominis.

LINGVA, LOQVACITAS.

EQuis fræna in ora mittimus, ad consentiendum nobis,
etiam omne corpus illorum circumferimus. Et ecce na
ues cum magnæ sint, & à ventis validis minentur: circum-
feruntur tamen à modico gubernaculo, vbi impetus di-
rigentis voluerit Ita & lingua modicum quidem membrū
est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam
flammam incendit? Et lingua ignis est, vniuersitas iniqui-
tatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat
totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflā-
mata à gehenna. Omnis enim natura bestiarum & volu-
crum & serpentium & cæterorum dominatur, & domita
sunt à natura humana. Linguam autem nullus hominum
domare potest, inquietum malum, plena veneno morti-
fero. In ipsa benedicimus Deum & patrem: & in ipsa ma-

ledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio. *Iacobi. 1.*

Sicut nouacula acuta fecisti dolum. Nouacula ad nitorē vultus acuitur, vt abradens hirsutum atque horrentem faciē, læuiget. Hæc si potius vulneret, dolum fecit, quippe cum præparata ad ornatum, ministerium suum præbuerit ad vulnus: Ita lingua impij in malitia potentis, quam natura ad eloquendas rationabiles cogitationes consulti cordis præparauit, ipsa potius irrationabiles cogitat iniquitates. *Hilarius in psal. 51.*

Lingua mea calamus scribæ. Sicut calamus instrumentum est delineandæ scripturæ accommodum, ipsum manu viri periti promouente ad eorum quæ scribenda sunt characteres exprimendos: Sic lingua iusti spiritu sancto eam mouente, cordibus credentium verba inscribit vitæ æternæ tincta quidem non attramento, sed spiritu Dei viuentis. *Basilius in psalmum. 44.*

Linguam hominis similem fecit lenæ cuidam & conciliatrici, quæ parata est seu bouam seu malam concupiscentiam ad effectum perducere. *Idem in psal. 33.*

Si quidē non is qui in verbis sapit mihi sapiens est, neq; is qui linguam habet volubilem, animum verò ineruditū sepulchrorū instar, quæ extrinsecus sunt ornata & speciosa, intus autem mortuorum cadauera, & multum recondunt fœtorem: sed ille qui pauca de virtute loquitur multa verò ostendit operibus, fidemque sermonis per vitæ roborat actionem. siquidem longè mihi præstabilior est formæ pulchritudo, quæ conspici potest, quam quæ sermonis pingitur in dustria: nec non diuitiæ quæ manibus continentur, quàm quæ effinguntur somnio, ac sapientia quæ non sermonibus splendet, sed operibus collucet, intellectus enim bonus omnibus facientibus eam, scriptura inquit, & non qui predicant illam. *Gregor. Nazianz. oratione consolatoria cum pater eius ob grandius taceret calamitatem.*

In manu linguæ vita & mors. Media namque vtriusque partis lingua est, & si vtriusque est, Dominus es. Nam & gladius in medio positus si quidem fuerit aduersus hostes arreptus, salutaris accipienti reperitur: si verò tenentis, viscribus inferatur, mortem præparat inferenti: non quia talis ferri natura, sed quia vtentis tale consilium

est: ita & lingua estimetur gladius in medio positus. Armetur aduersus peccata tua, non ad fratris plagam præparetur. Et ideo Deus eam velut muro duplici voluit circundari. Nam dentium tegmine, & labiorum custodia continetur, ne verba improuida garrulitate proferantur. *Chrysostomus hom. 4. ad baptizandos.*

Magis vertice ipso, capitis linguam tuam custodias, regius quidam equus est lingua nostra. Si ei frænum immiseris doctrina tua gradarium feceris, ascendet in eum rex, & quiescet in eo: si autem nullo fræno domueris, sed huc atque illuc infrænem iactari permiseris, Diaboli eam vehiculum feciſti. *Idem hom. 51. in Matheum.*

Quemadmodum si Romanus fortè fuerit iudex, non percipiet rationes tuas, nisi Latinè loquaris: Sic & Christus non audit, nec attendit, nisi lingua sua loquaris, vtaris. Vt os tuum ita conformetur, vt os Christi sit, non opus est coloribus, nec vlla materia: sola virtute, humilitate, mansuetudine, huiusmodi os maximè conformatur. Os Diaboli conditur maledictione, cõtumeliis, contradictione, periurio mendacio. Diaboli linguam habet, qui vt diabolus loquitur. Quæ supplicia non perpẽdemus, quando linguam nostram, qua Dominicam carnẽ degustamus, Diaboli sponte linguam efficimus? *Idem hom. 76. in Math.*

Sicut ignis de modica scintilla magnum conflat incendium: Ita & sermo malus, de leui occasione magnam succendit inimicitiam. *Idem hom. 9. operis imperfecti.*

Nihil hac lingua sanctius quæ in aduersis Deo gratias agit. Certe non inferior est lingua martyrum, vtraque pariter coronatur. Nam & aduersis istam instat lictor, Deum per maledicentiam negare cogens, instat Diabolus argutis cogitationum quæstionibus lacerans, & animi angustiis obtenebrans. Si ergo dolores pertulerit & gratias egerit, martyrij coronam sortitur: vt pote morbo decumbit filiolus, & tamẽ gratias agit Deo. *Idem hom. octaua ad Colossenses.*

Ab ore & lingua dignoscamur. Dic enim mihi aues quæ psitaci dicuntur, vnde noscuntur? Nonne humano more loquendo? Et nos itaque loquendo sicut Apostoli, noti fiamus loquendo sicut angeli. *Idem hom. 26. ad pop. Antioch.*

Sicut in bello ex tessera & amici & hostes discernuntur: ita & in nobis fiat: Nã & nunc in bello sumus, vt proprios agnoscamus

agnoscamus fratres. *Ibidem homil.* 27.

Ne sit os tuũ sepulchrum, sed thesaurus. Thesauri enim multum à sepulchris differunt: quod hæc quidem corrũpunt quod acceperint, illi verò conseruant. Habe ergo tu quoque diuitias studii sapientiæ, quæ perpetuo permanẽt: sed non maleuolentiam aliquam & putrefactionem vel verborum vel dogmatum. *Idem in psal. quintum.*

Non dixit Dauid simpliciter aut absolutè sepulchrum, sed patens: ita significans maiorem fœtorem. Et nos in mortuis quidem corporibus contrarium facientes terræ illa tradimus: hi contra in verbis obscœnis & male sanis dogmatibus facientes, cum ea in imo locare oporteret, proferunt, & omnibus videnda proponũt & multos offendunt. Mortua autem verba multomagis tegenda quam cadauera sepelienda. *Ibidem.*

Sicut ianua balnei, si crebro aperiatur, cito calorem eius extrudit: Sic anima cum multa loqui vult, quamuis valde pulchra sint omnia, memoriam sui per vocale ostiũ distrahit ac disturbat. *Diadochus de perfectione spiritalis cap.* 70.

Si dolii os apertum manet, culices ingrediuntur, & vinum corrũpunt: Idem accidit in multiloquio, facetis & vanis sermonibus. *Sanctus Isayas oratione duodecima de vino.*

Quomodo conuiuiorũ luxuria, quomodo vestium ægræ ciuitatis indicia sunt: Sic orationis licẽtia si modo frequẽs est, ostendit animos quoque à quibus verba exeunt procidisse. *Seneca Epistola.* 114.

Muta cicada pro miraculo est, quod ipsum genus sit garrulum: sunt autem eiusmodi in agro Rhegino: Sic magis admiramur constantiam & silentium in fœmina, quod ipsũ genus mutabile sit & loquax. *Plinius lib.* 11. *c* 27.

In Asphaltite Iudææ lacu, itẽ in Aritissa Armeniæ maioris nihil mergi potest: Ita quidam quicquid cõmiseris, in ppatulo gerũt, neq; quicquã celare possũt. *Idẽ li.* 2. *c.* 1006.

Amygdalas, quia omnium stirpium primæ florent, pruinæ corrumpere solent: Sic homines ferè linguæ temeritas, & præceps loquacitas. *Euagrius apud Antoninum in Melissa, parte.* 2. *sermone sexagesimo & septuagesimo.*

Quemadmodum hirundines perpetuo garritu voluptatem familiaritatis perdunt: Sic loquaces perpetuò obtundentes molesti sunt auditoribus. *Maximus, sermone.* 47.

Vt procliue non est, auem è manu amissam recipere aut cohibere: Ita nec dictum semel ab ore profectum, propterea quòd ab aliis volat ad alios. *Plutarchus in Moralibus.*

Non vt nauem arreptam fluctibus, ancora licet sistere: Ita verbum è portu velut in altum emissum. *Ibidem.*

Vt pars corporis vitiata, attrahit etiam à vicinis vitiosos humores: Sic garruli lingua semper ardens, & inflàmmata, secretorum aliquid vndique colligit ad sese. *Ibidem.*

Iaculos & viperas proprij rumpunt fœtus: Sic garrulus vel cum sua pernicie promit arcana. *Ibidem.*

Vt triticum inclusum in vase, mensura auctum inuenitur fece vitiatum: Sic garrulus accepto sermoni semper addit, & maiorem eum reddit, sed fide iam carentem. *Ibidem.*

Qui aliis interrogatis, ipsi præripiunt responsionem: perinde faciũt ac si quem ab alio volentem osculari, priores occupent. *Ibidem.*

Vt puer glaciem nec retinere potest, nec vult amittere: Ita garrulus nec tacere potest quod accepit, nec potest obliuisci. *Ibidem.*

Erat porticus in Olympia, quam Septiuocam vocant, quòd pro vna voce multas redderet: Ita locutuleij quidã, vel vno prouocati verbo sermonẽ immẽsũ referunt. *Ibidẽ.*

Aiunt semen quod statim effunditur, inutile esse ad genituram: Ita sermo garrulorum ad nihil conducit. *Ibidem.*

Vt vbi dolet, ibi manum habemus: Ita si quid delectat, ibi linguam habemus. j. libenter eius rei facimus mentionem. *Ibidem.*

Vascula inania maximè tinniunt: Ita quibus minimum inest mentis, hi sunt loquacissimi. *Ibidem.*

Vide, Detractio, Sermo.

LVCTVS PRO PECCATIS.

Sicut post vehementes imbres mundus aer ac purus efficitur: ita etiam lacrymarum pluuias serenitas mentis sequitur atque tranquillitas, omnisque illa de peccatorũ tenebris offusa caligo dissoluitur. Et sicut ex aqua & spiritu: Sic rursus ex lacrymis & confessione purgamur, modo ne ad ostentationẽ istud faciam⁹. *Chrysost. hom. 6. in Matheũ.*

In secularibus iudiciis, quantumlibet post acceptam sententiam lamenteris & lugeas, non tamen effugies flendo iudicium, Hic verò si toto corde ingenueris ad Deum, soluisti repente sententiam. *Ibidem.*

Non sic semina delatus imber germinare & crescere facit, vt pietatis semen excitat & vernare facit ex lacrymis ruens imber: hic animam detergit, irrigat mentem. Ideò profundum sulcum proscindere necessarium. *Idem ho. 4. de pœnitent.*

Sicut is qui sententia contra se lata ad damnationē proficiscitur, nihil de spectaculis curat aut loquitur: ita nec ille quidem qui veraciter luget, ventrem fouebit aliquando, *Climacus de discretione gradu. 26.*

Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Psal. 125. Sicut sementis tempore iacitur semen vt multiplicatus fructus recipiatur: Sic sanctorum luctus multiplicatum gaudium proportione parit. Et cum rosaria plantantur, tum nihil præter spinas cernitur, neque tamen idcircò plantare desinunt. Ita & luctus Euangelicus. *Isidorus Clarius oratione octaua tomi tertii.*

LVCTVS PRO MORTVIS.

VEluti tragœdorum est fictio, personaque accommoda, quibus theatra constituunt. Sic tu ordine putas lugenti & personam, & formam conuenientem esse oportere, vestem in primis atram, comam squalentem, tenebrosam domum, sordidam, puluerulentam. Rerum euentum formidabo? non mentem auertam? Non sinam me à plaga improuisa præcipitem agi: iam diu probè instructus sum, nihil humanum stabile. Magnę ciuitates atque illustres & munitionum claritate, & colēdorum potentia, & reliqua copia domi forisque pollentes, in solis ruinis, signa veteris nobilitatis ostendunt. Et nauigium quod ex multis sæpe naufragiis seruatum sit, ac miles quidem mare velociter percurrit, milleque cōmeatus vectoribus tulerit, vno demum spiritu impulsus dissipatur. Exercitus quoque sæpe victor in prælio, hostibus quandoque mutata fortuna, miserum spectaculum factus est. Gentes item omnes & insulæ in magnam prouectæ potentiam: & aut tempore defierunt, aut simul libertatem cum seruitute

commutauerunt Denique quodcunque maximorum & intolerabilium malorum dixeris, nullum est, quod in vita piorum exemplum non habeat. Sicut enim pondera in vitę lancibus iudicamus, & auri differentiam lapidis fricțu probamus: Sic ad mensuram rerum nobis à Domino propositarum memoriam referentes, nequaquam à modo & ordine excidamus. Sicut qui oculis infirmi sunt, à rebus valde claris visum auertunt, in floribus & herbis conquiescunt: Sic & animam non iugiter tristia respicere, nec præsentibus rebus mœstis adhærere, sed ad variorum bonorũ contemplationem oculos tollere oportet. Hoc itaque modo vita gaudebit, si Deum semper susceipiat. *Basilius in Gordianum martyrem.*

Eum qui ob hominum mortem fletus edit, cumq; lugentibus in querulas voces erumpit, minimè conuenit putare Domini impleſſe mandatum, neque enim medicum laudauerim, qui cum debeat auxiliari ope occurrere ægrotantib⁹ vndiq; totus scatet morbis. Non item nauclerum ipse probauerim, qui cum artis gubernandi præsidio nixus debeat vtiliter vectoribus ac nautis præesse, confligere aduersus procellosam ventorum vim, effugere vndiuomas fluctuationes, insuper & spe bona arrigere animos vectorum immodico timore proscriptos: ipse interim fastidienter nauseat, nec minus ac cæteri rei nauticæ rudes, despondet animum. *Idem hom. in Iulitam martyrem.*

Sicut post vehementes imbres mundus aër ac purus efficitur: ita etiam lacrymarũ pluuias serenitas mentis sequitur atq; tranquillitas, omnisq; illa de peccatorum tenebris offusa caligo dissoluitur. Et sicut ex aqua & spiritu: sic rursus ex lacrymis & confessione purgamur, modo ne ad ostẽtationem istud & laudem faciamus. *Chrisost. hom. 6. in Math.*

Illum abiisse in prata florentia cum putes, ingentes cur aduersum te susci tas fluctus tẽpestatis? Hic autẽ fluctus prę sentis vitæ pernauigauit. nihil mirabile aut nouum factum est. Nam eadem ipsa quotidie resolui videmus, diem nox, noctẽ dies, hyemem æstas, æstatem hyems modo præcedit modo sequitur, nec plus quicquam est, & hæc eadem semper. Ita homines moriuntur vnus post alium *Idem hom. 3.*

Si ad imperandum regnandumq; hoc caduco mortaliq; regno, filius tuus adiisset, nolles eum inde redire, vt ipsum

videres. Nunc verò cum ad meliora maioraq; regna processerit, parui temporis absentiam ferre non poteris? Noli ergo plorare. reddidisti enim depositum, quod tibi creditũ erat. Non sis sollicitus, si videsi nuiolabili ærario thesaurũ tuũ esse depositum. Quod si etiam tam præsentis vitæ, quã futuræ conditionem intellexeris, & hanc quidem aranearum telam esse, atque vmbram, illam autem esse immobilem, & æternam, non indigebis vlla ratione. *Ibidem.*

Si quis nobis contumeliã inferat, lugem⁹ & cõtrahimur: si quid diripiat idem patimur, illorũ more paruulorũ infantiũ, quos astutiores coætanei pro nihilo irritant, sed ex minimis cõtristãtes occasionibus. Verumtamẽ & illos si ægrè ferre viderint, mordere pergũt: si verò ridẽtes, adsistũt. At nos illis stolidiores sumus: pro quibus oportebat ridere pro his lamentamur. *Idem hom. quinquagesima secunda.*

Mortuos ne lugeamus, sed perditè potius ex ista vita soluentes: Imitemur agricolas, qui cum dissoluit granũ videt, nihil turbãtur: vbi superstes, solidũq; & integrũ in agro iacet, metuũt, tremũt: mox vbi dissolutũ iam cõspicãtur, gaudent. futuræ enim sationis exordiũ est, solutum granũ: Ita nos cũ corruptibilis illa nostra domus ruit, gaudeamus cũ homo seminetur. Nec mirere quod sepulturã semen vocet, satio est multo optima. Vulgarem enim hãc nostrã sationẽ mors, labores, pericula, curæ consequuntur: illã si recte viuamus præmia, coronæ. Et hãc quidẽ corruptio, mortalitas: illam, immortalitas, incorruptibilitas, & mille præterea bona comitantur. In hac complexus, voluptates somnus, in illa, vox viua de cœlo descendens confertim omnia fecundat. Hîc qui surgit semel, in ærumnosam istam vitam non reducitur vnquam: dolor, tristitia, gemitus, mala omnia ponuntur. *Chrisostomus hom. 41 in 1. Cor.*

LVXVRIA.

SIcut dedit nobis oculos deus nõ vt spectemus, voluptatéq; capiamus, sed vt videamus propter eos qui pertinent ad vitæ necessaria: Ita genitalem corporis partem, quod nomen ipsum docet, nulla alia causa nisi efficiendæ bolis accepimus. *Lactantius lib. 7. cap. 25.*

Etenim qui mulieris alienæ tenetur amore, qui scortis

vacat, ebrius est. Et quemadmodum is qui multum ebibit merum, seseque ingurgitauit, illiberales voces effundit, aliudque pro alio videt. Sic & hic veluti mero quopiam sua cupiditate repletus, neque sana profert verba, sed obscœna omnia, sed pernicioſa, sed illiberalia, risusque plena, aliaque pro aliis videt, cæcutiens ad ea quæ cernuntur. *Chrisostomus oratione 5. aduersus Iudæos.*

Sicut nauclerus in portu naufragium faciens, neutiquam assequitur veniam: Ita vir post nuptialem portum, aliena coniugia inuadens, vel mulierem alienam curiosius spectans, nullam habebit defensionem, tam apud deũ quàm apud homines, etiamsi sexcenties naturæ voluptatem prætexat. *Idem hom. 3. de Ozia.*

Quid luxuria correptus à demoniaco differt? Non videtur nudus ambulare sed corporeis quibusdam vestibus amictus est, veris autem vestibus priuatus, summa hominis gloria caret, non lapidibus seipsum cædit, sed sceleribus, quæ lapidibus obscuriora asperioraque sunt. Quis hunc iuuare poterit? Quo fit vt nunquam sit in seipso, sed in sepulchris versetur. Sepulchra sunt meretricum diuersoria, cum multo fœtore, multa putredine sunt repleta. Non minæ, non exhortationes ipsum ligare poterunt, omnia hæc vincula spernit. *Idem hom. 29.*

Quia aspernatur non hominem aspernatur, sed Deum qui dedit spiritum sanctum in nos. Itaque siue reginam corruperis siue famulam tuam, nuptam existentem, pari culpa teneberis. Quare? Quia non personas læsas vindicabit Deus sed seipsum. Simul atque enim pollutus es Deum contumelia affecisti. Nam si quis purpura dignatus à rege, & mille aliis honoribus, iussusque acceptis honoribus dignè viuere abiens depraũaret illam in muliere quadam in quam caderet ignominia? an in purpuram vel regem qui illam dedisset? Contaminaretur quidem & illa, sed non æque vt rex. *Idem hom. quinta in primam ad Thessalonicenses.*

Sicut iniquum est, auiditate possidendi transgredi limitẽ agrorũ: Ita iniquum est, libidine cõcũbendi subuertere limitem morum. *Augustinus lib. 15. De ciuitate Dei.*

Duobus modis ignis extinguitur, scilicet dum subtrahuntur ligna vel aspergitur aqua: Sic luxuriæ flumina dũ subtrahuntur carnis incentiua, vel dum mens irrigatur

crymarum affluentia, suffocatur ne noceat. *Hugo victorinus lib. de carnalibus nuptiis vitandis.*

In fauo mellis duo sunt, scilicet mel & cera. In facie meretricis similiter duo sunt, scilicet decor & gratia, hoc est, pulchritudo oris & dulcedo sermonis. Cera succendit ignem, mel præbet dulcedinem, Sic pulchritudo meretricis ignem libidinis inflammat carnem, blandimento lenocinantis sermonis subuertit mentem. Stillat mel ex cera, dum meretrix verba sua mollit & facit dulcia. *Ibidem.*

Coccyx oua subdit in nidis alienis: Ita quidam alienas vxores faciunt matres. *Plin. lib. 10. cap. 9.*

Panthera sic auida est excrementorũ hominis, vt si in vase suspendantur altius, quàm vt possit attingere, enecet sese defatigati porrectu corporis: Ita nonnullis quod est fœdissimum, id dulcissimum est. *Idem lib. 8. cap. 27. & cap. 17. eod. lib.*

Vt quidam morbo aliquo, & sensus stupore, suauitatem cibi non sentiunt: Sic libidinosi & facinorosi veræ laudis gustum non sentiunt. *Cicero Philip. 2.*

Vt turpes sunt qui se efferunt lætitia, tum cum fruuntur veneris voluptatibus: Sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. *Idem lib. 4. Tusc. quæst.*

Nihil ita obruit animum vt lasciuia carnis. Nam auaritia tantum abest vt obruat animum quatenus pertinet ad solertiam & malitiam, & prudentiam huius seculi, vt etiam faciat astutissimos. In eundem modum ambitio quid non circumspicit? quàm lynceos habet oculos? quid non cauet? At qui sequis lasciuiæ se & vitiis carnis dedit, etiam illud naturæ acumen, quo sceleste etiam homines vti consueuerunt, amittit, vt de eo dici possit quod de sue prouerbio dicitur, datam esse illi animã pro sale. Homines enim huiusmodi, animum depressum habent, & inflexum in ventrem, & ea quæ sub ventre sunt, vt si illum intueri liceret, vt ea cernimus quæ videmus, hominis in eo vestigium non appareret. *Isidorus Clarius homil. centesima quinta tomi secundi.*

Fauus distillans labia meretricis, nouissima autem eius amara quasi absynthium. Prouerb. 5. Nolim ergo vt huius mellis experientiam capias, ne fellis demùm amaritudinem experiaris. Non libens quidem in his immoror, sed nisi

ista commemorem, impudentes animi non reuerebuntur. Nam & medicus cum vult saniem eiicere, prius digitos in vulnus immittit, & nisi primùm medicas manus inficiat, mederi non valet: Sic & ego, nisi his narrationibus os inficiam & quasi sordidem, vitiosos affectus vestros curare non potero. Quin potius neque hoc pacto os sordidatur, neque medicæ manus, quia nō est naturalis hæc impuritas, neque ex nostro ore, neque ex illius manibus, sed ex alieno corpore. Quod si vbi alienum corpus curandum admittitur, medicus suas sordidare manus non recusat, vbi nostrū corpus est, nos recusabimus? Corpus enim nostrum estis vos, infirmum quidem & impurum, sed nostrum tamen, Quid ergò supereſt dicendum? Iam dicam. Vestem quam seruus habet, nunquam indui tolerares, sed malles nudus incedere, quam illa vti: Corpore verò impuro ac sordido, quod pluribus se prostituit abuteris, nec abominaris? *Idem oratione 35. tomi 1.*

Non est difficilè si velimus, fieri temperantes, si nosmet ab his quæ lædunt ac vitiant animos, abducamus. Contrà vero scortationem effugere, facile non est, cum nolimus. Quid enim facilius quàm in foro ambulare? At multis ob mollitiem factum est difficile non mulieribus solum sed viris etiam. Quid facilius quàm dormire? At hoc ipsum nos etiam difficile fecimus. Nam multi diuites tota nocte agitantur, dum somni necessitatem non expectāt. *Ibidem.*

Quod si interea voluptatem habent, additamentum pœnæ est. Neque enim si quem cernerem nudum currere, cœno totum corpus perfusum, quem eius rei non puderet, sed sibi potius ob hoc placeret, ac in eo delectaretur, rem ego iucundam ac voluptuosam iudicarem, sed magis illum ob hoc deflerem, quod ne ignominiam quidem suam intelligeret. Vt verò manifestiorem hanc contumeliam faciam, alia vtar similitudine. Si quis virginem condemnasset, vt animalibus ratione carentibus permisceretur, deinde illa permixtione delectaretur, nónne ob hanc causam maxime lachrymis esset digna, quod ab hoc morbo liberari non posset ex eo, quod ne morbum quidem esse intelligeret? Hoc prorsus est manifestum. Quod si illud res molestissima est, hoc nihilo est infe-

ius. Nam à domesticis contumelia affici, miserabilius est, quam ab alienis. Hos homicidis ego deteriores iudico, nam mori præstat, quàm ita ignominiosè viuere. Homicida enim à corpore animam diuellit. Hic verò animam simul cum corpore perdit. & quodcunque peccatum dixeris, nihil huic sceleri æquale reperies. Si enim de scortatione disserens Paulus, dixit, *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est, qui autem scortatur, in proprium corpus peccat*, quid de hac insania furoréque dicamus, qui tanto scortatione deterior est, quantum ne dici quidem potest? Neque enim solum dicendum est, quòd qui hæc patitur, fit mulier, sed quòd perdit etiam esse virum, & neque in alteram mutatus est naturam, & quam habet, non seruauit, sed communis vtriusque proditor effectus est, dignusque qui à viris & mulieribus expellatur vt qui vtrumque genus affecerit iniuria. Atque vt discas quantum hoc sit, Si quis accedens polliceretur efficere, vt canis euaderes, nónne vt corruptorem illum caueres? Tu verò ipse te ex homine non canem fecisti, sed rem multò ignominiosiorem. Nam canis res vsui apta est, hic verò nulli rei vtilis. *Ibidem.*

MAGISTRATVS.

QVid inter coquos & medicos intersit, quis non videt? Hi quicquid ad sanitatem conducit, etiamsi ægroto ingratum videatur, solum magno apparant studio. Hi contrà suauia curant, vtilia negligunt. Ergo medicis sunt similes in ciuitate leges & magistratus legitimi, senatores iudicésque prouidentes communi saluti ac securitati, quibus adulator non facile palpatur: cupedinariis autem iuniorum turba est similis. Nam securi de commodis præsentem tantum voluptatem venantur. Et sicut impudica mulier, sic concupiscentia virum ciuilem adamat, sic alloquens: Heus tu prodi ad vulgum cum quo habitas, obliuiscere morum tuorum, studiorum, dictorum, factorum, in quibus educatus es. Mihi obsequare, me cole, age quicquid mihi placet. Nam tetricum pertinacem, veritatis amicum, rigidum, perpetuò grauem, nunquam

flexibilem, solum commodum spectantem, securum quid auditoribus placeat, non fero: sicut nec quorundam calumnias, quæ multæ deferuntur ad vulgum maritum meũ, tuum Dominum. At verè ciuilis vir non ignorat quidem penes populum esse potestatem tanquam Dominum, se tamen non seruum profitetur, sed liberum & qui suo morem gerat animo. Reclamabit igitur, Populi fauorem captare nec didici, nec vnquam volui, sed magistratum mihi commissum bona fide gerere, vt bonum procuratorem decet aut patrem beneuolum, absque dolo & mihi semper inuisa simulatione. *Philo. lib. de Ioseph.*

Sicut ignis quæcunque admouentur, ipse primùm innata sibi vi calet: nix contrà suapte natura frigida, infrigidat & alia: Sic iudex ipse debet esse plenus iustitia, si aliis ius administraturus est, à quo seu fonte promanant fluenta dulcia legum & potabilia sitientibus iustitiam. id ita demum fiet, si is qui ad iudicandum ascendit tribunal, iudicari se non minus quum iudicare cogitet, & vnà cum potestate assumat prudentiam ne decipiatur, iustitiam vt suum cuique tribuat, fortitudinem ne flectatur precibus aut misericordia quominus animaduertat in conuictos sceleris. *Idem lib. de Iudice.*

Vt fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu: sic animi aduersiones magnarum potestatum terrent latius quam nocent. *Seneca lib. 3. de ira Dei.*

Quemadmodum moderatus nõ occidit bestias nisi mordaces, si absit morsus periculum: Sic nullus legislator pœnam decernit contra iniustos quiescentes, sed quoties mouentur & exercent iniusta opera. *Philo, lib. De reſipiſcentia Noe.*

Alexander Bucephalum iam senem ab aliis equis gestandum curare solebat, donec ad hostem ventum esset, vt integer ad pugnam veniret: Ita senum magistratuum vtendum opera, vt eis adimatur quantum potest laboris, ad necessitatem vsus illorum reseruetur. *Plutarchus in Morelib.*

Medici morbos quos nõ possunt prorsus tollere, ad summa corporis in apertum euocant: Sic magistratus si clàm ciuitatis vitiis mederi non potest, vt quàm minimè medicis ac pharmacis, hoc est, suppliciis egeat. *Ibidem.*

Inter agathalos & acanthylides tantum est odium, vt si

anguis eorum vi miſceatur, continuò ſeparent ſe rurſus, ac diſſiliant: Sic inter patricios & plebem, etiamſi quando ro rerum vſu coniunguntur, durat tamen vſque odium na urale. *Ibidem.*

Hiſtrio ſic affectus ac mores addet fabulæ de ſuo, vt præſcriptum tamen, & numeros non prætereat: Ita qui magiſtratum gerit, ſic adminiſtret, vt præſcriptum regis non xceat. *Ibidem.*

Vt mulieres laborantes citta, aut ſtomacho nauſeantes, nalos quoſdam cibos ingerunt, ac paulo pòſt reuomunt: ic populus per ſtultitiam, aut inopiam meliorum, quoſ-is etiam creat magiſtratus, ac eoſdem paulo pòſt abii-it. *Ibidem.*

Qui in eadem vehuntur naui, & in iiſdem militant tento iis, ſeſe mutuò ferant oportet: Sic qui verſantur in repu-lica. At in conuiuiis non idem eſt neceſſe. nam illic peri-ulum eſt commune, hîc non item. *Ibidem.*

Vt non queas cognoſcere, vas integrum ſit, nec ne, niſi li uorem infuderis: Sic nec hominem, niſi imperium com-miſeris. *Ibidem.*

Arbores inuidæ, vetulæque ſubnaſcentes arbuſculas vm ra ſua premunt nec ſinunt efflorescere: Non ſic faciẽdum enioribus magiſtratibus: ſed inuitandi potius, & adiuuan-i iuuenes. *Ibidem.*

Vt qui præternauigatis Syrtibus, iuxta portũ frangit na-em, nihil magni fecit: Ita qui vno atque altero magiſtratu ectè geſto, in ſummo naufragium facit. *Ibidem.*

Quemadmodum mare natura ſua innoxium eſt rectè v-entibus & firmum, ſi verò violenti flatus in illud irruerint, ale redditur vtentibus, quales ſunt venti, à quibus circum-uaque impellitur: Ita & multitudo talis redditur vtenti-is, quales habet duces & conſiliarios. *Polybius, libr.* 11. *Hi-oriarum.*

Sicut medicus languentis vtilitati, nõ ſuæ, & gubernator orum quos vehit, conſulere debet: Sic rex eorum quibus nperat. *Patritius ſenenſis, lib.* 2. *tit.* 1. *De inſtitutione regis.*

Quemadmodum pictor inſignis non ſolùm oculos & fa em (quãquam potiora ſint) penicillo exornat, verùm totã naginẽ colorũ varietate honeſtat: Sic Magiſtratus in vrbe onus, nõ eo ordine rempublicam ſuam inſtituit, vt vnum

tantùm genus in ea felix existat, sed ciuitas vniuersa, beatitudinem per solam iustitiam consequetur. *Ibidem.*

Vt pulegium ipso brumæ die floret, cum marcent omnia: ita rebus pessimè vexatis, regnāt mali: quorum in pace nullus est respectus. *Plinius, lib. 18. cap. 25. & lib. 2. cap. 24.*

Vt qui primò musicen discunt, citharas aliquot perdunt & obterunt: ita magno Reipublicæ malo administrat magistratum, qui rudis accedit & imperitus. *Erasmus, in similibus.*

Vt magis est probanda medicina, quæ vitiosas corporis partes sanat, quàm quæ exurit: Ita melior est magistratus, qui ciues improbos corrigit, quàm qui tollit è medio. *Ibidem.*

Vt cibi, potus, cœlíque nouitas offendit, etiamsi mutes in paria, aut in aliquāto meliora: ita præstat ferre principem, aut magistratus pristinos, quàm nouos ascisceres, quòd omnis rerum nouatio non careat perturbatione. *Ibidem.*

Quemadmodum reliqui iuris ciuitatis æqua pars inest cuique: Sic quoque legis æquam partem singulis tribuendam esse putauit, qui eam tulit: & propterea scripsit, non licere legem facere de viro, nisi eadem ad omnes Athenienses pertineat, *Demosthenes, in orat. contra Aristocrat.*

Quæ sanè corporibus eueniunt ægrotationes, medicorum industria & ope curantur: Animorum verò ferocitatem propulsant ac eiiciunt legumlatorum sententiæ. *Idem. De legibus ac earum laudibus, Orat. 2. contra Aristogit.*

MANSVETVDO.

NIhil mansuetudine violentius. Nam sicut rogum cum valde accenditur, aqua iniecta restinguit: ita & animū camino magis exardescentem, verbum cum mansuetudine prolatum extinguit. *Chrisost. Hom. 58. in Genesin.*

Neque febricitantem medicus hominem tam cito liberauerit à febre per qualemcúmque sedulitatem, quam longanimis homo iratum & ira ardentem petens propriorū spiratione sermonum refrigerauit. Et quid dico medicum? neque ferrum ignitum, & aquæ immersum tam cito calorē amitteret, quam in longanimem mentem incidens ira cundus. Sicut autem si forum ingrediantur aues canoræ nugæ

ſſe viderentur: ita quidem & monita noſtra in iracundas nimas incidentia. *Idem. Hom. 29. ad populum Antioch.*

Anima mitis hominis ſolitudini cuidam eſt ſimilis, mul-ım habenti quietem: Irati hominis mens, cuidam foro & multui mediiſque ciuitatibus vbi multus euntium & re-eũtium ſtrepitus, clamor animalium, accedentium, aures ga ſonibus multo replentibus ſonitu ne conculcentur, & milis facta argentariis, çrariis vtrinque cudentibus, & his uidem moleſtiam patientibus, his autem inferentibus. At itis mens cuidam montis vertici ſimilis eſt, auram quidẽ abenti tenuem, purum vero radium, pura fontium fluen-, multáſque florum amœnitates, vernantiúmque pratorũ hortorum plantis & floribus frondentium, & aquis viri-antium irriguis. Si quis autem ſonus immurmuret, dulcẽ multam inſperget audientibus voluptatem, velut aues nim canoræ ſummis arborum inſident frondibus, & cica-æ & philomelæ & hyrundines, concentum quendam effi-iunt muſicum. Vel zephyrus arborum foliis ſenſim aſpi-ans, pinos & piceas ſuſurrantes, & cygnos frequenter imi-ans, & roſæ ac violæ & flores ſe leuiter inclinantes & viri-antes, quaſi mare ceruleum blandè fluctuans, exhibent. Quinimò multas aliquis inuenire poteſt imagines. Nam um in roſas inſpexerit, viride ſe videre putabit, cum vio-as, pontum fluctuantem, ac cum lilia, cœlum. Eſt alia quæ-lam vox, cum à vertice montis aqua per riuos ſponte de-uens, & ſubiectis lapillis, quieto ſono ſenſim immurmu-at, & ita membra reſoluit per voluptates vt ſtatim laxati-um oculis ſomnum ingerat, multo iucundior eſt mitis a-nima. *Ibidem.*

Beati pauperes, Beati mites. Math. 5. Sicut impoſſibile eſt ex-ra ordinem ſecundo ſiſtere gradui, niſi aſcenderis primũ: ic homo mitis eſſe non poterit, niſi prius pauper ſpiritu uerit factus. Quomodo ergo inter diuitias poſitus animus nter curas & ſolicitudines ſeculares, ex quibus negotia, li-es prouocationes, iræ, exacerbationes, ſine intermiſſione aſcũtur, quomodo inquam, inter hæc animus poterit eſſe itis & lenis niſi prius à ſe omnes cauſas iracundiæ, occa-ionéſque rixarum abrenunciando, præciderit? Non fit ma-e tranquillum niſi ceſſauerint venti, nõ extinguitur ignis niſi materiam incendij ſpinarúmque fermenta detraxeris

Sic nec animus erit mitis & quietus, nisi ea quæ exuscitant & inflammant fuerint abdicata, *Chromantius concione 1. de octo beatitudinibus.*

Vide Clementia, Humilitas.

MARIA.

QVid mirum videtur si virgo conceperit, cum orientis auem quam Phœnicem vocant in tantum sine coniuge nascivel renascendi constet, vt semper & vna sit, & semper sibiipsa nascendo, vel renascendo succedat? Apes certè nescire coniugia, nec fœtus sexibus edere, palam est. Sed & alia nonnulla deprehenduntur in huiusmodi sorte nascē di. Hoc ergo incredibile videtur diuina virtute, ad totius mūdi redingrationem factum, cuius exempla etiam in animium natiuitate cernuntur? *Cyprianus in symbolum Apost.*

Sicut quondam rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebat. Et sicut tres pueri in camino inclusi habebātur, & tamen eos non lædebat ignis incendium, nec ardor fumi erat in eis. Vel sicut fuit in Daniēle intra lacum leonū incluso, claustris non apertis, allatum est prandium ab Abacub: Ita hæc virgo genuit Dominum, sed intacta permānsit, mater effecta est, sed virginitatem non amisit. *Origenes, Hom. 1. in diuersos.*

Sed conuincere non student tam græci, quam Iudæi, & dicunt quod erat impossibile, Christum de virgine nasci. Græcis igitur, ex ipsorum fabulis os obstruamus. Qui enim dicitis prouectos lapides in homines mutari, quomodo virginem parere posse negatis? Qui ex Iouis cerebro natam filiāfabulamini, quomodo ex vtero virginali nasci aliquē, impossibile dicitis esse? Qui de fœmore vestri Iouis pignatum falso esse dicitis Bacchum, cur nostram veritatem reicitis? Scio me indigna præsenti auscultatione dicere: sed vt opportunè tu græcos redarguas, hæc attulimus, ex ipsorum fabulis ad eos dicētes. Illis verò qui sunt de circunciſione, sic occurrens perquire: Vtrum est difficilius, senem & sterilem, mulieribus iam deficientibus parere, sit præter naturam: aut vtrumque nega, aut vtrūque concede. Idem enim Deus vtrūque operatus est: neq; enim audebis dicere, quod

llic quidē possibile, hic autē impossibile est Deo. Et rursus
uę natura manū hominis vna hora in diuersas species mu
are potest, & rursus restituere. Quomodo igitur Mosis ma
us sicut nix alba apparuit, & rursus statim illa albedine
estituta est? Sed dices quia Deus voluit mutata est. Illic
Deus volēs potest: hic autē nūquid nō potest? O Iudæi vtrū
utē difficilius est, virginē parere, aut virgā in animal mu-
ari? Taceo hic quod & virga Aaron, quod reliquæ arbores
er annos plures faciunt, hoc per vnā noctem fecit. Quis e-
im nescit, quod virga cortice destituta, etiāsi in mediis flu
minibus plātetur, nunquā florebit. Quero igitur sic ab illis:
ua ab initio de quo nata est? quæ mater conceperat illam,
uæ matrē nō habuit? Accipiamus porrò aliud lōge maius.
Ex corporibus enim corpora gigni quāuis sit paradoxon,
ed possibile tamen. Sed puluerem terræ hominem fieri,
oc multò mirabilius. Ex vnius formæ puluere, & ossium
obur, & pulmonis leuitatem, & reliquorum diuersitatem
nēbrorū fieri, hoc admirabile. Lutum animatum circuire
erram, & seipsum mouere, & ædificare, hoc admirandum.
taque ô indoctissimi Iudæi vnde Adam factus est? Nonne
Deus accepit puluerem de terra, & creauit creaturam hanc
dmirandam? Quid igitur? Lutum quidē in oculū mutatur,
virgo non generabit? *Cyrillus Ierosolymit. catechesi* 12.

Despiciamus eos qui ex viro & muliere generationem
hristi asserūt, audéntque dicere ex Ioseph & Maria Chri-
um esse: eo quod scriptum est. Et accipe mulierem tuam.
Ieminimus enim & Iacob, qui priusquam Rachel accepe-
at, dicebat ad Labam: Da mihi vxorem meam. Sicut enim
lic ante nuptiarum cōstitutionem, cum tantum promissio
nterceſſisset, vxor Iacob nominabatur: Sic & Maria pro-
ter solam despōsationem, vxor Ioseph vocabatur. *Ibidem.*

Siue igitur mortua est, non nouimus: siue sepulta est, non
opulata fuit carni: absit. Quis verò collecta sibi amentia,
lasphemam quandam opinionē impingere voluerit, & os
llere, linguāque laxare, labia distrahere ex cogitatione
raua, imò pro hymnis & gloria, contumelias quasdā exco
itare, & in sanctam virginem debacchari, & vas honoratū
on colere? Si verò etiam ab alia quadam speculatione
as res accipere conuenit, attingamus quoq; rationū natu
e cognationes. Aiunt leænā nōpar ere præterquā semel &

vnum: habere autem hanc causam. Animal est voracissimũ, specie fuluum, robore solidissimum, & vt ita dicam, regalissimum genus super alia animalia. Habet autem conceptionem ex vno coniuge. Perficit autem immissum semen viginti sex mensibus in vtero, ita vt catulus intus ad perfectionem gestetur propter tempus, vt etiam omnes dentes habeat iam prius, quã ex vtero prodeat, & vngues in statura firma, clauiculares item appellatos, & dentes caninos, atque molares, & alia quæ adsunt huic animanti. Itaque dum est ipse in vtero in saltationibus motibúsque ac aliis moribus per vngues diuellere aiunt, incideréque matrices ac vteros prægnantes. Cum igitur mater ad pariendum venerit in illa die, ab omni molestia gestationis natura, ventrem alienum fieri. Nã vna cum partu etiam vteros ac matrices simul excerni dicunt rerum naturæ periti, vt ne amplius coitum appetat fœmina, nisi quis vim inferat: neque verò si contingat eam ad coitum cogi, amplius concipere possit, cum non habeat locos siue matrices. Nunquid igitur dedit nobis Deus hæc consequentia, vt exquiramus ad propositam rem, motionem quandam cognationis, ad vtilitatem potius quam ad detrimentum? Si enim catulum leonis Iudam obscurè dixit Iacob, Christum dicens: Si itaque Dominus leoni assimilatur, non secundum naturam, sed propter ænigma, profectò etiam genitricem ipsius leænam dixerim. Vnde enim gignitur leo, si non leæna matet vocabitur? Leænæ autem nõ contingit secundus partus: Ergo non amplius partum nouit Maria. *Epyphanius hæresi 78. contra Antidicomarianitas.*

Beata Maria non fortuitu, aut solum placito, vt quidam putant, sed diuina dispensatione nomen accepit. Ita vt ipsa quoque vocabuli sui figura, magnum quiddam innueret. Interpretatur enim stella maris. Nautis enim mare transeuntibus, vocare est opus stellam maris, longè à supremo cœli cardine coruscantem, & ex aspectu illius dirigere cursum, vt possint cursum destinatum apprehendere. Simili modo fratres oportet vniuersos Christicolas inter fluctus huius seculi confugere ad Mariam, quæ supremo rerũ cardine Deo proxima est, & respectu exempli eius cursum vitæ dirigere, quod qui fecerit, non iactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis aduersorũ, nec absorbebitur

voragine

voragine voluptatum, sed prospere veniet ad quietis æternæ portum. *Ambrosius in ser. de natuitate B. Mariæ.*

Christi flos campi & non horti. Campus enim sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo: Sic omnino virginis aluus floruit, sic inuiolata integra, & casta Mariæ viscera, tanquam pascua æterni nitoris floruerũt, cuius pulchritudo non vidit corruptionem, flos in perpetuum non marcescat. *Bernardus de aduentu Christi.*

Sicut Salomon in omnibus thesauris suis & opibus tantis, nil habuit tam pretiosum quod in opus illud magnificũ thronum scilicet gloriæ suæ iudicaret ebori præferendum: Sic Maria præ omnibus electis angelorum, & hominum inuenit gratiam apud Deum, vt videlicet Dei conciperet & pareret filium, atque ex ebore corporis eius thronum sibi virtus altissimi, sine manibus excideret gloriosum, *Guericus Abbas, ser. 1. de annunciatione Mariæ.*

Manifeste itaque in sua propria veniente Domino, & sua propria eum baiulante conditione quæ baiulatur ab ipso, & recapitulationem eius quæ in ligno fuit inobedientiæ, per eam quæ in ligno est obediẽtiam faciente, & seductione illa soluta, qua seducta est male, illa quæ iam viro destinata erat virgo Eua, per veritatem euangelizata est bene ab angelo iam sub viro virgo Maria. Quemadmodum illa per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum præuaricata verbum eius: Ita & hæc per Angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est vt effugeret Deum: Sic hæc sua sa est obedire Deo, vti virginis Euæ virgo Maria fieret adiocata. Et quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, soluatur per virginem, æqua lance disposita virginalis inobedientiæ per virginalem obedientiam. *Irenæus, lib. 5. aduersus hæreses.*

Illa stella maris quæ vulgo tramontana dicitur, in multis assimilatur virgini. Primo quantum ad substãtiam quia illa stella cœlestis est de incorruptibili materia: Sic virgo Maria cœlestis fuit conuersatione & incorrupta mente & corpore. Secundo quantum ad qualitatem stella illa est superior, quia in supremo polo, clarior aliis & vtilior, quia ducit nauigantes ad portum: Sic beata virgo est superior,

omnibus sanctis & angelis. Deo propinquior, clarior sanctitate, & virginitate semper rutilans. Tertio quantum ad quantitatem stella maris est minima in apparentia nobis, sed maxima in se ipsa: Sic beata virgo maxima in quantitate, & minima in sui mẽte propter humilitatẽ. Quarto quantum ad statum: quia status illius stellæ est quasi sine motu quia est vicina polo, & nunquam tendit ad occasum sicut alię stellę: Sic beata virgo est sine motu peccati venialis aut mortalis, aut originalis. Quinto quantum ad effectum quia stella illa nautas dirigit ad portum. Sic Maria peccatores ad cœlum. *Ioannes Maria verratus de Incarnatione, cap. 3.*

Gratia plena. Diuersimode dicitur hæc plenitudo gratiæ. Solemus enim dicere, aliquam domũ plenam esse diuitiis, tum primo quia diuitiæ non desunt, tum secundo, quia superabundant, tum tertiò quia plures diuitias capere non potest: Sic Stephanus erat plenus gratia, quia illa nõ defuit ei vllo tempore. Sed virgo Maria fuit plena gratia, quia illa superabundauit. Christus autem quia maiorem capere non poterat. *Ibidem.*

Quemadmodum fuerunt duo Adam omnino dissimiles, quia primus Adam de terra terrenus, secundus Adam de cœlo cœlestis, primus Adam factus fuit in animam viuentem, secundus Adam in spiritũ viuificantem: sed qualis terrenus, tales & terreni, & qualis cœlestis, tales & cœlestes: Ita fuerunt duæ Euæ. Prima incredula verborum Dei, quibus mortem fuerat comminatus, fructum vetitum manducantibus. At in secunda Eua quæ Maria est fuit firma fides ad angelum. Secundo in prima Eua fuit superbia. In secunda summa humilitas, qua se non reginam, nõ sponsam aut filiam Dei nominat, sed ancillam. Tertio in prima muliere fuit inobedientia. In secunda obedientia ad Dei legationẽ. *Ibidem.*

MARTYR, MARTYRIVM.

Illos nõ indignum fuerit, & columnas & scopulos & turres, & candelabra, & tauros simul appellare. Nam Ecclesiam sicut columnæ sustinent, sicut turres muniunt, & sicut scopuli omnes vndarum assultus repulerunt, multam interim ipsi seruantes tranquillitatem, sicut luminaria tenebras

ietatis discusserunt, & sicut tauri anima promptitudi-
ue eadem, suaue Christi iugum traxere. *Chrysost. ser. in In*
inum & Maximum martyres.

tenim sicut milites vulnera, quæ in prælijs sibi inflicta
i monstrantes fidenter loquuntur: Ita & illi manibus
ecta capita gestantes, & in medium afferentes, quæque
uerint apud regem cœlorum impetrare possunt.
em.

Martyrum interfectores similes sunt his, qui flammam
dem extinguere petunt, oleum pro aqua instillãtes, ar-
tiorem illam efficiunt, & sicut ignis rubum ardebat &
n consumebat. Quim potius sicut lignatoribus syluam
lentibus, multo plures pullulant propagines à radici-
s, quam sint rami qui inciduntur. Ita tunc quoque piis
npluribus interfectis, multò plures quotidie ad doctri-
n Euangelicam accedebant. *Theodoretus, ser. 9. de le-*
s.

Sanguini nostro patet cœlum, sanguini gehennæ, cœli
ernaculum & inferus omnium gloria pulchrior san-
nis titulus, & integrior corona signatum: sic quoties de
te triumphabilis spoliis, onustus spoliis miles ingredi-
, vulneribus suis gaudens. Sic quoties tempestatibus diu
ita fatigatus, litora tuta contigerit, fælicitatem suam de-
sso periculo ducit. *Cyprianus de laude Martyrij.*

Cum sit sublime excelsúmque martyrium, nũc magis est
cessarium, quo mundus ipse subuertitur, partímque orbe
ncusso, natura deficiens vltimi exitus monimenta testa-
. Nam & cũ cœlo imber incumbit, pluuias & triste præ-
dit: quoties atra tempestas horrenti imminet pelago,
interapertã fluminum noctem coruscantium fulmina
ucescunt, sedet, quum magnis mare fluctibus voluitur,
ulatim vnda se tollit, paulatímque æquor albescit, donec
ta sit postmodum ruere, vt in illis quibus retunditur sa-
spumam altius iaciat, quam vndam tumidam pelagus
puebat: Sic quum sublime excelsumque sit martyrium,
nc magis est necessarium, quo mundus ipse subuertitur.
dem.

Mors quippe integriorẽ facit. Mors magis deducit ad glo
m. Sic quotiescunque latentes stipulis distenta imbribus

frumenta turgescant, fœcundæ messes coguntur æstate: sic quoties ferro vitis abscinditur erumpétibus pampinis, melius vua vestitur. Nam in augmentum prouenturi temporis, quicquid iniuria sua proficit, flammas quippe plerunq; agris iubet immittere, quo calore vagantis incendij, cæca terræ spiramenta laxare iubet stipulas, crepitanti igne torrere, vt se in altius grauida seges tolleret, parturiētibus culmis dēsior arista floreret. Igitur talis & martyrij primò casus, postmodum fructus est, qui morte vitam condemnat, vt morte vitam custodiat. *Ibidem.*

Vide persecutio.

MATRIMONIVM.

NOnne quique Domini & disciplinæ tenacissimi, seruis suis foras nubere interdicūt, scilicet ne in lasciuiā excedant, officia deserant, Dominica extraneis promant? Nōne insuper consueuerunt seruituti vindicandos, qui cū alienos seruos, post Dominorum denunciationem, in consuetudinem perseuerarunt? Seueriores habebuntur terrenæ disciplinæ cœlestibus præscriptis, vt gentiles quidem extraneis iuncti, libertatem amittant. nostræ verò diaboli seruos sibi coniungant, & in statu suo perseuerent, scilicet denegabūt sibi à Domino per Apostolum eius denunciatum. *Tertuliani. lib. 2. ad vxorem.*

Sicut Christus exortus est à virgine vt ostenderet lumen à virgine orbi terrarum exortum: ita etiam primum signū in nuptiis fecit in Cana Galilææ, quo virginitatem quidem honoraret per partum, & luminis iactum per ipsam exortū: nuptias verò honoraret per diuina signa, quæ in nuptiis vinum fecit aqua in vinum transmutata. *Epyphanius hæresi 67. contra Hieracitas.*

Sicut mare si littora sua supergressum fuerit: Ita homo si supergressus fuerit licentiam maritalem. *Chrysost. Ho. 1. operis imperfecti.*

Quemadmodum si videas hominē assiduè amicitias medicorū colentem, ex ipsa re statim intelligis, quia infirmus est: Sic & cū videas siue virum, siue mulierem de dirimēdis vxoribus aut viris legem interrogantes, cognosce quia vir

laſciuus eſt,& mulier illa meretrix. *Idem, Ho.32.oper.imp.*
n vxorem manſuetus eſto. Nonne vides agricolas quan-
diligentia quæ ſemel ſemen acceperit, terrã colunt, quã-
innumera habeat vitia? vt exempli gratia, quamuis ari-
ſit, quamuis malas herbas producat, quamuis humoris
undantia loci natura offendatur, colit tamen. Hoc enim
ſto prior fructum & trãquillitatem conſequeris. Etenim
rtus eſt mulier,& maximùm ſecuritatis remediũ. Quod
rentis& fluctibus portũ liberaueris, ex foro reuerſus trã-
illè viues. Quod ſi perturbatione & tumultu impleueris,
ipſi longè grauius ſtrues naufragium. *Idem, Hom.26.in*
Cor.

Nam & mercator niſi cum ſocio pacta faciat, quibus pa-
ice inter ſe viuant, non prius deducit nauem, neque alias
ngit merces. Itidem & nos faciamus, vt vxorem vitæ ſo-
m & huius negotiationis & nauis ſumma cum tranquil-
ate domi contineamus. Hoc pacto cætera omnia nobis
nquilla ſuccedent,& ſecurè præſentis vitæ pelagus tran-
gemus. *Ibidem.*

Melius eſt nubere, quam vri. Si quis ſe incontinentem nõ eru-
erit confiteri, in languorem incontinentiæ reclamanti,
denegetur remedium nuptiarum. Quomodo ſi peritus
edicus, inquieto ægro & neganti ſe à pomis omnibus ab-
nere, concedat aliquantum ne illa periculoſa præſumat.
Ieronymus in cap.7.prioris ad Cor.

Iuſtus quamuis cupiat diſſolui & eſſe cum Chriſto, tamẽ
mit alimentum, non cupiditate viuendi, ſed officio con-
lendi: vt maneat quod neceſſarium eſt propter alios: Sic
iſceri fœminis iure nuptiarum, officioſum fuit ſanctis vi-
s non libidinoſum. Quod enim eſt cibus ad ſalutem ho-
inis, hoc eſt concubitus ad ſalutem humani generis. *Au-*
ſtinus de bono coniugali, cap.16.

Sicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſ-
s eſt,& in Ioanne qui paſſus non eſt: Sic nõ eſt impar me-
tũ continentiæ in Ioanne qui nullas expertus eſt nuptias,
in Abraham qui filios genuit. Nam illius cœlibatus, &
tius connubium pro temporum diſtributione Chriſto mi-
tauerunt. *Ibidem.cap.21.*

Quemadmodum agricola, poſtquam ſemina terræ man-
auit, meſſis tẽpus expectat, nec alia ſuperiniicit: Sic nobis

etiam concupiscentiæ modus liberorum procreatione definitur. *Athenagoras de resurrectione mortuorum.*

Omnia fac & satage, vt commodam, modestam, & obsequentem vxorem ducas. Nam si domos atque seruos empturi, curiosè scisitamur & perscrutamur vendentes pariter atque priores possessores, de illarum quidem fabrica, de horum autē corporis habitudine & animi studio inquirentes: multòmagis vxores ducturos, tantam ac longè maiorem etiam prouidētiam gerere oportet. domum enim vitiosam & seruum, si ineptus videatur, reddere venditori licet, vxorem vero ductam reddere his, qui dederunt non licet. *Chrysost. orat. de pulchritudine & vxore tomo 5.*

Quemadmodum qui nuptias in malis ponunt, suam virginitati laudem detrahunt: Sic qui coniugiū à crimine vindicant, non magis ipsum coniugium, quàm virginalem laudant castitatem. Etenim in corporibus non ea quæ mancis ac debilibus, sed ea quæ sanis & integris comparata excellunt, pulchriora dicimus. Bonum est connubium. Est verò ob eam causam virginitas admirabilis, quæ eo quod bonū est, melior existit, tantóque melior, quantò remigibus gubernator, quantò est militibus dux præstantior. Sed quemadmodum è naui si remiges sustuleris, nauigium submerseris, si milites submoueris è prælio, ducem hostibus constrictum tradideris: ita si matrimonium loco deieceris, virginitatis prodideris gloriam, & in summorum ordinem malorum compuleris. *Idem, lib. de virginitate.*

Sicut qui non ferunt seruos palam comedere & bibere, docet eos ingurgitare clanculum: ita qui non communicāt iocos, & lusus cum vxoribus faciūt, vt hæ quoque vicarios accersant maritis, & aliundè quærant ab alienis quæ sibi debel antur à propriis viris solatia. *Bernardus Scardæonius, de publicitia matrimonij, cap. 8.*

Quemadmodum ignis palea, vel leporinis facilè succēditur pilis, atque ocyus item restinguitur, contabescítque, nisi robustior, firmiórque materia fuerit admota, qua confoueri aliqua possit: Ita memento euanescere nouorum cōiugum amorem, forma solùm corporis conciliatum, nisi bonis præfultus moribus, ac prudentia coalitus, radices miserit altius. *Rhodiginus, lib. 28. cap. 21.*

Sicuti Geometræ ferunt, lineas & superficies non per se, rùm vnà cum corpore moueri: Sic vxorem affectum nullum habere proprium cõuenit, sed studia, curas, risum, cõunia habere cum viro. *Idem lib. 28. cap. 21.*

Luna quidem cum abest à sole, lucidam esse videmus, aramque: at eidem admotam obscurari, hebescereque ccultatam: Sed ediuersò modestam oportet esse vxorem, ddecetque assistente viro, sese visendam præcipuè exhibe . *Idem lib. 28. cap. 21.*

Vt vini, sic & matronæ austeritas, vtilitatis plurimum, marulenti nihil interfusù cõgruenter habere debet. *Ibidē.*

Vt medici astruunt in sinistra parte existentes plagas ad extram sensum referre: Sic vxorem viri, & virum vxos sentire doloris conuenit irritamenta. *Idem lib. 28. cap. 21.*

Quemadmodum febres ex occultis causis, ac sensim colectæ, magis metuuntur, quàm quæ ex manifestis & grauibus causis sunt ortæ: Ita occultæ ac pusillæ, cotidianæque offensæ magis dirimunt benevolentiam coniugatorum. *Plutarchus in moralibus.*

Qui prima virginum dissidia non ferunt ad tempus, dem faciunt quod ij, qui offensi labrusci, vuas maturas aliis relinquunt. *Ibidem.*

Qui pronubæ Iunoni rem diuinam faciebant, exemptũ fel abijciebant ad altare: significantes, à matrimonio bilem omnem procul esse oportere. *Ibidem.*

Vasa initio quauis occasione dissoluuntur. at tempore commissuris compactis, vix igni ferroque dissecantur: Ita prima coniugatorum consuetudo leui momẽto dirumpitur: sin coaluerit, longè firmior est. *Ibidem.*

Quæ malunt dominari dementibus maritis, quàm sanis ac prudentibus parere: perinde faciunt, ac si quis in itinere malit ducere cæcum, quàm sequi videntem, & viæ gnarum. *Ibidem.*

Vt Pasiphae maluit tauri congressum, cum vxor esset Minois: Sic quædam nuptæ moderatis ac seueris viris, ad intemperantium amorem deuergunt. *Ibidem.*

Vt vincula ex commissura vires accipiũt: Sic ex cõsensu viri & mulieris, familiæ status. *Ibidem.*

Vt humida miscentur omnibus partibus: Sic inter coniugatos omnia debent esse communia. *Ibidem.*

Vt vinum appellatur, etiam si maior aquæ pars sit admixta: Ita domus mariti dicetur, etiamsi mulier plus contulerit. *Ibidem.*

Vt corpus nihil potest absque animo, nec animus rectè valet, nisi corpore incolumi: Sic inter vxorem & maritum omnia sunt communia. *Idem.*

Vt qui in equum insilire nō possunt ob imbecillitatem, docent ipsum inflectere genua: Sic quidam generosas ac potentes nacti vxores, non dant operam vt ipsi meliores fiant, sed illas deprimunt. *Ibidem.*

Qui venenis piscatur, facilè interimit, & tollit piscem; sed corruptum & malum: Sic quæ philtris captant maritos, stupidos habent & inutiles. *Ibidem.*

Pro equi magnitudine temperamus frena: Ita pro vxoris dignitate moderanda gubernatio. *Ibidem.*

Vt Circe nō fruebatur iis, quos verterat in sues, aut leones, sed Vlyssem sanum vltra omnes dilexit: Ita quæ veneficiis nactæ sunt maritos, insuauem cum illis vitam agūt ob dementiam. *Ibidem.*

Vide Vxor

MEDIOCRITAS.

MEnsura semper desiderabilis, immodestia autem nequaquam. Modicæ scintillæ, multam lignorum pyram superpone, iam non ardentem videbis ignem, sed multum insuauem fumum. viro valde forti & magno onus impone vires excedens, & cum onere videbis humi iacentem & proiectum. Multum onus ingere nauigio, & graue feceris nauigium. *Chrisost. hom. 54. ad populum Antiochenum.*

Sicut inter ignem & aquam tenenda est via, vt nec exuratur homo, nec demergatur: Sic inter apicem superbiæ & voraginem desidiæ, iter nostrum temperare debemus, si cut scriptum est, *Non declinantes neque ad dextram, neque ad sinistram. Augustinus Epistola. 82.*

Vt nihil minus expedit, quàm agrum optimè colere. Ita sæpenumerò inutilissimum est, nimis esse in negocio diligentem. *Plinius, Lib. 18. cap. 17.*

Nilus famem adfert Ægiptiis, si vel parum exundarit,

ɔc eſt minus 12. cubitis: vel plus ſatis, hoc eſt vltra 18. Ita
riter obſtat ad bonam mentem fortuna vel nimium ſe-
nda, vel nimium maligna: hîc egeſtate vexans, illic de-
ciis auocans ab honeſto. *Idem libro* 18. *capite. eod.*

Luſciniis tantum eſt canendi ſtudium, vt certantes emo-
antur, ſpiritu citius deficiente quàm cantu: Ita nonnul-
literarum immodico amore, valetudinem extingunt, &
m à nullo vinci volunt eruditione, pereunt in ipſo co-
tu. *Idem lib.* 10. *cap.* 29.

Apodes auiculæ aut pendent volatu, aut iacent, propte-
a quòd pedibus careant: Ita quidam in vtrâque partem
mis vehementes, aut nimium tumultuantur negociis, aut
ti torpent ocio: nil medium eſt. *Idem lib.* 10. *cap.* 39.

Hedera pota neruis nocet, eadem foris adhibita prodeſt.
c Philoſophiam ſi penitùs imbibas, nocet ad pietatem: ſi
uiter, & veluti foris admoueas, prodeſt ad eruditionem.
em lib. 24. *cap.* 10.

Gallus Phrygiæ fl. ſi modicè bibas, medetur corporis ma-
: ſi immodicè, lymphatum animum agit: Ita ſi Philoſo-
niæ literas modicè attingas, proſunt: ſin totum te illi ad-
xeris ſtudio, ſanitatem mentis auferunt, & inanis gloriæ
rore quodam præcipitem agunt. *Idem lib.* 31. *cap.* 2.

Notatur Protogenes, alioqui ſummus in pictura artifex,
ròd neſciret manum tollere de tabula: Ita quidam ſcrip-
res immodica diligentia peccant, quibus nihil vnquam
tis emendatum videtur. *Idem lib.* 35. *cap.* 10.

MEMORIA

QVemadmodum in vndis euenire cernimus ſtãtibus,
vt quoties calculus iniiciatur, centrum oriatur aliud,
rculuſque ſuper alio ſuſcitatus, & aſſiduè dilatatus, ſem-
r diſſoluat extremum: illud idem & mihi palam in re
æſenti accidere video. dum enim mihi aliquid in mentẽ
nit, aliud elabitur, ac ideo circa electionem laboro, cũ
ſiduè id quod in memoria erat præoccupet illud quod
nuo efluat. *Gregor. Nazianzenus orat. in funere patris.*

Vt libri quos non euoluas, ſitu cohæreſcunt: Ita memo-
a euaneſcit, niſi ſubinde renoues. *Seneca.*

Memoria ſimilis reti quod maiora cõtinet, minora tranſ-
ittit. *Eraſmus.*

Lupis quos ceruarios vocant etiã in fame surrepit obliuio cibi, simodo respexerint, ac protinus alium quærunt: Ita nõnullis mox excidit, quod modò instituerãt narrare, si interiectis verbis aliquot animum illorum aliò deuocaris. *Idem & Plinius lib. 8. cap. 22.*

Vide obliuio.

MENDACIVM.

Hæc est Frater verè dementia, non cogitare nec scire, quod mendacia non diu fallunt, noctem tandiu esse quandiu illucescat dies, clarificato autem die, & sole oborto, luci tenebras, & caliginem cedere, & quæ grassabantur per noctem, latrocinia cessare. *Cyprianus lib. 1. epist. 3*

Quemadmodum qui putres & ruinam minantes parietes albo tectorio linunt non tamen eos possunt dirigere: ita & mendaces facile deprehenduntur. *Chrysost. hom. 67. in Ioan.*

Quemadmodum araneæ ex se telas nexunt: Ita quidam ex seipsis comminiscuntur fabulas ac mendacia, cum nihil subsit veri. *Plutarchus in moralibus.*

MERCATOR.

Quemadmodum qui ambulat inter duos inimicos ambobus placere volens & se commendare sine multiloquio non potest. Necesse est enim vt & isti male loquatur de illo, & illi male loquatur de isto: Sic qui emit & vẽdit, sine mendacio esse non potest & per iurio. Necesse est enim vt negociatoribus hic iuret, quia non tantum valet res, & ille iuret quia non tantum valet res, quantum cõparat eam. *Chrysostomus hom. 38. operis imperfecti.*

Quemadmodum si triticum aut aliquam bladi speciem in cribro dum huc illucque iactas, grana omnia paularim deorsum cadũt, & in fine in cribro nihil remanet nisi stercus solum: Sic & substantia negotiatorum, dum vadunt & veniunt inter empionem & venditionem minuitur, & in nouissimò nihil illis remanet nisi peccatum. *Ibidem.*

Molesta fames est, quæ ad hoc saginatur vt perdat. Pernicioſa esuries, quæ idcirco excluditur, vt peior in homine nutriatur. Dãnosa mercatio, si salus pro cibo impen

ditur, aut magnis vilia cõparãtur. *Idẽ. ho. de Iacob & Esau.*

Sicut fori est proprium, vt illic omnia venundentur & emantur, & inuicem se circumueniant ementes & vendentes: Sic in hoc mundo omnes vendendo & emendo viuunt, & inuicem sibi fraudem facientes vitam suam sustentant. *Idem. hom. 34. operis imperfecti.*

MERITVM.

QVotidie dominũm offendens, lætaris & gaudes, & nescis quidem quod peccasti, cum obliuioni cuncta tradideris: meritorum verò memoriam extrudere non potes licet res sit fortior metus. Nos autem contrarium facimus: nam quotidie quidem offendentes, nec animaduertimus: si verò pauperi modicum argẽti dederimus, sursum & deorsum circumuoluimus: quod est extremæ dementiæ, & maxima colligentis iactura. Tutus enim meritorum penus, obliuio meritorum. Et sicut cum vestes & aurũ in foro quidem exponimus, multos prouocamus insidiatores: si verò domi reponamus, & celemus, in tuto posuerimus omnia: Ita & merita, si iugiter mente gestamus, dominum irritamus, armamus inimicum, ad furtum vocamus: si verò sciat ipsa nemo, sed quem scire solum oportet, in tuto iacebũt. *Chrisostomus hom. 28. ad pop. Antiochenum.*

Sicut oculus nõ valet esset manus, nec manus valet esse oculus: Ita etiam licet distent ab inuicem differẽtibus meritis, tamen singulis sua præmia sufficientur. *Cyprianus de singularitate clericorum.*

Sicut stanni metallum, quod alicuius vtilitatis & gratiæ putabatur, fit argenti contemplatione vilissimũ: & rursum auri comparatione meritum euanescit argenti: aurũ quoq; ipsum gemmarum collatione contemnitur: & ipsarũ nihilominus quamuis insignium multitudo gẽmarũ vnius margaritæ cãdore superatur: Ita illa oĩa merita sanctitatis, quãuis non solùm in præsenti bona & vtilia sunt, verumetiam donum æternitatis acquirunt, tamen si diuinæ contemplationis meritis conferantur, vilia, atque (vt ita dixerim) vẽdibilia censebuntur. *Cassianus collat. 23. cap. 2.*

Vide opera.

SIcut bonus Dominus mali ſerui miniſterio bonam fa
eleemoſynam: Ita & per alium licet impœnitentem,
ſericors Dominus, alium reuocare vult à pœnitentia. C
prianus de luore & ſuperbia.

Ecce in nomine ſuo nihil quæſtuarij peragũt exorciſt
nec ſe eis deferre ipſi dæmones profitentur. Sed nom
Chriſti, etiam per lucrorum ſectatores ſuæ gloriæ retin
poteſtatem, & fiunt in talibus cauſis miniſtri mercenar
Sicut naues onerariæ, quæ per pelagus euehunt inſtitor
quarum rectores potius, eorum quos ducunt pecuniis i
hiant, quàm ſaluti. Et tamen mare huius ſeculi, neceſſari
habet huiuſmodi tranſuectores, alioqui ceſſabunt comm
cia, nec ex tranſmarinorum copia, aliorum inopia habeb
ſubſidium, nec occurrent ſibi ſolatia regionum, ſi vehicu
tollantur, imò & pelagus immeabile relinquatur. Bon
quippe ſæpe malorum miniſteria ſuffragantur. *Cyprian
ſermone de Baptiſmo.*

Si ſuperbus fuerit miniſter, cum Diabolo computatu
ſed non contaminatur donum Chriſti, quod per illũ flu
Purum eſt quod per illum tranſit, liquidum eſt, venit ad f
tilem terram, puta quia ipſe lapideus eſt, quia ex aqua fr
ctum ferre non poteſt, per lapideum canalem tranſit aq
ad areolas, in canali lapideo nihil generans, ſed tamen h
tis fructum plurimum affert. Spiritualis enim virtus ſacr
menti ita eſt, vt lux. & ab illuminandis pura excipitur, &
per immundos tranſeat, non inquinatur. *Auguſtinus tracta
quinto in Ioan.*

Qui malefacit, non predicat de cathedra Chriſti, inc
lædit, vnde malefacit, non vnde benedicit. Botrum carp
ſpinam caue. Nunquid colligunt de ſpinis vuam, aut de t
bulis ficus? Botrum carpe, ſpinam caue. Quia botrus de
dice vitis aliquando exortus, pẽdet in ſepe. Creſcit palme
inſeritur ſpinis, & portat fructum ſpina non ſuum. No
enim ſpinam vitis attulit, ſed ſpinis palmes incubuit. No
interrogare niſi radices. Quære radicem ſpinæ, extra inue
nies à vite. Quære originem vuæ, vitis hanc protulit à ra
dice. Cathedra ergo Moſis vitis erat, Phariſæorum more
ſpinæ erant. Doctrina vero per malos, palmes in ſepe. Bo

trum inter spinas caute lege, ne dum quæris fructum, laceres manum. Et cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. Quæ dicunt facite, legite vuas, quæ autem faciunt, facere nolite, cauete spinas. *Idem tractatu 46. in Ioannem.*

Quid est dignitas in indigno nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. Si enim viris in plebe positis, & mulierculis ipso sexu infirmioribus, talem ac tam perfectam Deus viuendi regulam dedit, quanto vtique esse illos perfectiores iubet, à quibus omnes docendi sunt, vt possint esse perfecti? *Saluianus lib. 2. ad Ecclesiam.*

Vide pastor, sacerdos.

MIRACVLVM.

QVemadmodum incantatorum Ægyptiorum potentia non erat similis mirificæ Mosis gratiæ, sed hãc diuinitus acceptam exitus declarauit, illam verò fuisse meras præstigias: Sic Antichristorum & ad similitudinem Iesu discipulorum, virtutem suam exercere conantium miracula prodigiáque appellantur mendacia, omni deceptione iniustitiæ ad perdendos homines efficacia: Miraculorũ autem Christi eiúsque discipulorum fructus erat non deceptio, sed salus animarum. Quis enim probabiliter diceret emendationem vitæ, quotidianósque à vitiis ad virtutem profectus, nasci ex deceptionibus. *Origenes libr. primo contra Celsum.*

Et quemadmodum vt Moisi crederetur à senatu populóque Iudæorum signis opus erat & prodigiis quæ in scripturis habentur: Ita quid mirum si Iesu fuit eis opus ad patrãdam fidem apud populum assuetum talia postulare, atque etiam maioribus quæ collata ad Mosaica possent eos auertere à Iudaicis fabulis, & humanis traditionibus, persuaderéque, nouum hunc doctorem tanta potentia præditum, maiorem esse quàm Prophetæ fuerint: Quidni? cum illorum oraculis ipse prædictus sit venturus Christus? *Idem libr. secundo.*

Sicut lac sine labore & sine opere dentium manducatur, & manducanté suauitate sua delectat: Sic & mirabilia nul-

lum laborem videntibus ponunt, sed videntes admiratio
ne delectant, & ad fidem molliter inuitant. *Chrysost. hom. 3*
operis imperfect.

Quemadmodum viro perfecto si dederis lac, fauces qu
dem eius delectat, membra autem eius non confortat,
autem panes manducet, non tantum fauces eius delecta
quàm præstat ei virtutem: Sic & viro perfecto in fide, & n
turo sensibus, si miracula ostendas, delectatur quidem as
ctu, nihil autem ei proficit ad ædificationem sensus, aut
notitiam veritatis, si autem verbum sapiētiæ exponas ei,
ratione delectatur, & ædificatur in fide. *Ibidem.*

Quemadmodū quòd sol oritur in malos & bonos, plu
que in iustos & iniustos, id non est eiusmodi, vt malos
iniustos confirmet in malicia & iniusticia, sed præparet
iustas pœnas: Ita non confirmat hæreticos in errore, qu
quædam miracula fiunt in eis. Si enim miraculorum eff
ctio, pietatis esset signum & demonstratio, nunquam D
minus reprobos & sua familiaritate indignos pronunci
ret eos qui dicunt: Domine, nónne tuo nomine Prophet
uimus, & tuo nomine dæmonia eiecimus, & tuo nomi
miracula multa fecimus. Quibus ille dicit: Nunquam n
ui vos: discedite à me, malefici. Nónne vos docui, cibum
potum dandum esse esurienti & sitienti? Multo magis ip
eorum similia quæ nos docuit, facit, congerens ignem
capita eorum qui fidei datorem non vt dignus est, cogn
uerint. *Iustinus in responsionibus ad Orthodoxos, responsione ad qu*
stionem quintam.

Sicut hæ omnes significationes pro suæ cuiusque soci
tatis consensione animos mouent: nec ideo cōsenserunt
eas homines, quia valebant ad significationem: sed ideo
lent, quia consenserunt in eas: Sic etiam illa signa quib
pernicioſa dæmonum societas comparatur, pro cuiusq
obseruationibus valent. *Augustinus lib. 2. cap. 24. De doctr*
Christiana.

MISERICORDIA.

VT à sancto & fideli viro argui se velle prudentis
quia ægris animis, & peccatorum morbo languētib
vtilis est seueræ obiurgationis sub honesto autore medi

na: Ita miserum est per peccati miserationē, vsq; ad ipsam peccantium misericordiam decedisse. *Hilarius in Psal. 140.*

Estote misericordes sicut pater vester. Magna est virtus misericordiæ & omnibus aliis virtutibus superior est. Vnde & per Prophetam dicitur, *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Vnde & bene apud græcos oleum vocatur. Sicut enim in liquoribus oleum, ita & in bonis operibus misericordia superior est. Quemcūque enim liquorē in oleum infundas, oleū semper desuper natat: oleo Baptismus sanctificatur, oleo Ecclesia consecratur. Nos quoq; oleo ideò sumus toties inuncti, vt semper misericordiæ memores simus, & nunquam pietatis & misericordiæ opera obliuiscamur. *Eusebius emissemus hom. dominica 3. post pentecosten.*

Vt qui consistunt in littore, eorum indolescunt vicē qui fluctibus immerguntur, neq; interim vllam adeunt iacturam propriæ securitatis, ob anxiam qua periclitantibus cōdolent, cogitationem: itidem & qui vltroneo mœrore se afficiunt ob peccata proximorum, haudquaquam per id lætiam exinaniūt suam, sed veriùs auctiorem eam & cumulatiorem reddunt, vt qui perfrui merentur Domini sui gaudio ob lachrymas in gratiam fratris sui effusas. *Basil. hom. de gratiarum actione.*

Sicut is qui absque compassione vulnera fratrū spectat, nullū inueniet qui se dignetur venia, si quādo & ipse peccauerit: Ita qui cū misericordia lapsum proximi iustificat, si quando & ipse supplātabitur, multos videbit manū porrecturos. *Chrysost. sermone de habenda cura proximorum.*

Dic oro, si quem fame pereuntem videres, nec cibo soluere sibi necessitatem curares, sed multo argento ac auro mēsam exornares: quas putas illum gratias tibi habiturum? Quid porro si frigore cōgelatum hominem aspiceres, nec vestē aliquam ei præparares? si aureas statuas ad laudē eius erigeres, nónne contemnere videreris? Ita te oportet in Christo etiam cogitare. cum errabundus & peregrinus circumuagetur, tecto indigens, tunc tu ipsum quidem nō suscipis, vermiculato emblemate pauimenta exornas, magnificos muros construis, ipsum verò nec visitare curas in carceribus vinctum. *Idem hom. in Mathæum 51.*

Vtà fonte riuus, ita à morū suauitate cura pauperū profluit. *Idem sermone de mansuetudine.*

Cæterarum quidem artium quælibet, vnum aliquem finem respicit, vt agricultura hominis pabulum, ars textoria nostrum amictum · imò verò nulla sola finem suum consequitur. Et primo in agricultura perscrutemur. Hæc enim nisi faber ferrarius vomerem, rastros, falcem, securim aliáque quamplurima mutuetur, nisi lignarius aratrum sibi fabricet, & iugum præparet, & vehiculum ad ferendas construat spicas, nisi à coriariorum artificibus corrigiam sumat, vniuersa agricultura euanuit. Cum verò misericordia liberaliter moti, aliquid facimus, nulla re alia præter voluntatem nobis opus est, cum singulæ artes altera alterius auxilio egeat. *Idem homil.* 53.

Non sic oleum corpus hominis roborat, vt animam misericordia stabilit, adeóque confirmat, vt superari à Diabolo nequeat: lubricum enim eleemosynæ oleum, corpus hominis constituit, ita vt manus diaboli propter lubricitatem facilè effugiat. Hoc igitur oleo crebro nos perungamus. *Idem hom.* 65.

Quemadmodum is qui se ab alienis cladibus minimè auertit, ne in suis quidem aliquid vnquam patiatur aduersi: ita & qui alienæ tristitiæ consors fieri renuit, in suis casibus acrius afficietur: ac sicut in corpore putrescente pede, manus ni compatiatur, expurgétque vulnus, & imponat medicamentum, ac diluat saniem, hoc ipsum in suis patietur malis: & quæ ministrare alteri noluit, cum esset morbo libera, morbo ipsa quoque erit obnoxia: quippe præsens inde malum ad ipsam quoque perueniet, iamque non de officio, ac ministerio, sed de cura & euasione periculi erit illi ratio: Ita sane & hîc, qui condolere aliis negligit, ipse dolebit: *Idem hom.* 7. *in* 2. *Timoth.*

Deus mendicat & nudus circumit tibi negotians vitam immortalem. Eum itaque ne despexeris. Non enim vult cibari sed cibare, non indui sed induere, & aureum tibi parare illud indumentum & regalem stolam. Nonne vides medicorum studiosiores, cum ægrotos lauant, & se, licet nihil indigentes lauare? sic & ipse propter te laborantem omnia facit. *Ibidem hom.* 35.

Si qui in vna domo habitarent, quam certissime sciremus ruituram, nobísque id prænunciantibus nollent credere, atque in ea manere persisterent, si eos inde possemus eruere,

eruere, vel inuitos quibus imminentem illam ruinam postea demõstraremus, vt redire vlterius sub eius periculum non auderent, puto nisi faceremus, non immeritò crudeles iudicaremur. Quid igitur de opere misericordiæ, pro vita æterna, pœna æterna vitanda, hominibus debemus impendere, iudicandum est, si pro salute ista, non solum temporali, sed etiam breui, sic hominibus subuenire, nos ratio vera & benigna compellit? *Augustinus libr. de correctione Donati starum capit* 21.

Sicut corpus nostrum non semel cibatum totius vitæ sub stantiam habet, sed quotidiano opus habet nutrimento: ita profecto in pietate per singulos dies ex operibus indigemus adiumenti. Multa namque nobis opus est misericordia: propter peccata namque nostra, clemens Deus illa facit omnia, nihil eorum quidem indigens, sed omnia propter nos faciens. *Chrisostomus hom. 49. ad pop. Antioch.*

Vide Eleemosyna.

MONACHVS.

EQuidem ad te scribere non sustineo qui in hoc extremorum finium recessu interdiu noctúque agito: tametsi enim vrbicas occupationes pro derelicto habui, vt sexcentorum malorum causas, me tamen nondum etiam habere pro derelicto quiui. Similitérque illis affectus sum, qui nauigandi insolentes, nausea perdite afflictantur. Namque illi magnitudine nauigij offensi, tanquam vehementius succutientis, in lembum aut nauiculam cum transilierint, sic quoque non secius à nausea laborant, nimirum molestia ipsos ac bile quocunque transierint comitantibus. Hu iusmodi quiddam nobis in solitudine agentibus contigit, qui domesticas perturbationes quoquo circumferentes gentium, vbique locorum perinde versamur in tumultu, quare non magnopere adiuti sumus ab hac solitudine. *Basil. Epist.* 1.

Qui in angelicæ iam dignitatis ordinem transiuit, is si humanis postea affectionibus sese contaminet, pardi assimilis efficitur pelli, cuius setæ neque ex toto albæ sunt, neque ex toto nigræ, sed cum sint dissimilium colorum mistione variegatæ & interpunctæ, neque in albis numerantur, ne-

que in nigris. *Idem de institut. Monachorum sermo.1.*

Conuenit igitur, vt quemadmodum qui in balneũ ingrediuntur, vestimentis se omnibus denudant: ita & qui colendæ pietatis causa, ad solitariam vitam accedunt, omni rerũ vitæ huius materia exuti, genus vitæ, quod est secundum Philosophiam ingrediantur. *Ibidem. serm. 2.*

Monachus rebus adhuc secularibus intentibus est veluti statua quæ solam monachi figurã circumferat, nimirũ quæ nusquam virtutibus sit animata. *Idem in constitut. monastic.*

Cum athleta tãtisper dum domi se continet, ac cum nemine manus conserit, imbecillitatem infirmitatémq; suam occultare aliis potest, vbi verò nudato corpore, in arenam decertaturus descenderit, tum facilè apparet, quid ille possit. Eadem ratione qui priuatam hanc & quietam vitam viuunt homines, solitudinem habent suorum vitiorum tanquam velamen quoddam, iidem rursus cum in mediũ prodierint, solitudinem illam, sicut vestem exuere, ac per aduẽtitios externósque motus, suos ipsorũ animos omnibus nudos exhibere coguntur. *Chrysost. lib. 2. de sacerdotio.*

Quemadmodum qui intra portũ ad gubernaculi regimẽ assidet, is non continuò sufficiens artis periculũ præbet. At vero qui in medio mari collocatus, nauem sæuiente tẽpestate eripere potuit, hunc certe nemo est qui non optimum gubernatorem esse dixerit. Proinde nec monachũ ipsi magnopere ac supramodum admirabimur, quod is apud se viuens neque commoueatur, neque in multa ac magna peccata prolabatur. *Idem lib. 6. de sacerdotio.*

Vbi sunt qui dicunt quod non sit possibile in media ciuitate versantem seruare virtutẽ: sed opus esse secessu, & montana quadam conuersatione. Videant iustum illum Loth cũ muliere & pueris & famulis, & in ciuitate degentẽ & inter tam malos ac impios conuersantem, & quasi scintillã quandam in medio lucentem, & non solum non extingui, sed & quotidie lucem clariorem emittere. Et hæc dico nõ prohibens secessum ab vrbibus: neque interdico montium & solitudinum conuersationẽ: sed monstro volenti sobriè agere & vigilare, nihil inde obstaculi esse. Sicut igitur negligẽti ac supino nihil prodest solitudo: neque enim locus virtute nos facit præditos, sed mens & mores: ita & prudẽs atq vigil nõ offenditur, etiam in media ciuitate viuens. *Idẽ hom. 43. in Genesin.*

Quemadmodum si quis ad auri fabrum aut rosetũ venerit, recipit ab auro & rosis quendã coloris splẽdorẽ: Sic qui ad monachos accedunt, nõnihil à fulgore illorum vtilitatis cõsecuti, à priore superbia plerũque liberantur. Ac veluti si quis editum locũ petierit, etiãsi minimus sit, magnus tamẽ atq; sublimis videtur: sic donec cũ illis fecerint excellentiores apparent, cum verò inde abierint, quasi à sublimiore loco descenderint, humiliores videntur. *Idẽ hom. 70. in Matth.*

Vide differẽtiam mensæ monachorum & diuitum. Vnde hæc colligitur? ex innumeris lacrymis, ex viduarũ oppressione, orphanorum rapina: Illa ex iustis laboribus. Et hæc quidem mẽsa similis est pulchræ ac speciosæ mulieri, nihil exteriorum indigenti, sed naturalem habenti pulchritudinem: illa verò meretrici cuipiam turpi atque deformi, multos quidem habenti fucos, neque tamen pulchritudinẽ obumbrare valenti: sed quanto quis propius accesserit, magis redargutioni obnoxiæ: *Idem hom. 57. ad populum Antioch.*

Beatos vulgus ducit qui gentium principes sunt, qui splẽdidis vehiculis feruntur, qui preconum clamorem, ac satellitum magnum assequuntur. Contra, Philosophantiũ vita, & eorum qui solitariæ vitæ institutum delegerũt, despicabilis est: atque illi quidem dum foras prodeunt, ad sese cõtuendos populum ipsum conuertunt: hi autem sicubi apparuerint, nullius oculos aut saltem perpaucorum ad sui spectaculum trahunt, & præterea horum nullus similis esse cõcupiscat: illorum contra, nemo non. Quanquam principatũ quærere, gẽtis alicuius impero potiri, arduum sanè ac supra vulgariũ hominũ vires ac quorũ animis imperij amor inesset, vis magna pecunia opus. Solitariã vero vitã eligere, Dei cultui vitam suã mãcipare, æq; omnibus procliue ac facile. Adde quod principatus possessio vna cũ vita hac desinit, seu verius dicam viuos etiam sui amatores destituit: vt taceam hîc multos olim extitisse, quos magnum in periculum, vel certè magnam in ignominiam coniecit. At solitudo iustos hac in vita multis cum repleuerit, à vitæ exitu hilares ac ludibundos ad Dei & saluatoris tribunal ducit. Age vero contendentes inter se regem & monachũ audiamus. Rex vrbium, regionũ, præfecturam gerit, prætores, propretores, exercitus, populos, senatus, suo vnius nutu agẽs: At monachus iræ, inuidiæ, auaritiæ, voluptati, imperat

assiduè speculans, ne suum animũ obscœnis affectibus non subiiciat. Inuenies hunc cum dæmonibus pugnantem, eundémque & superantem & vincentem, & à Christo coronam capientem: Regem vero cum barbaris bellantem cernas: quantò autem hominibus dæmones terribiliores sunt, tanto splẽdidior est, qui hos superat, eo, qui illos vincit. Quod si causam belli perdiscere cupis, magnam profecto inæqualitatem reperies. Alter pro pietate & Dei cultu cum dæmonibus bellũ gerit, vel vrbes, vel vicos ab errore asserere desiderás: alter cum barbaris digladiatur, pro locis, finibus opibúsve raptis, illũ auaritia, atq; adeo iniusti principatus ambitione ad pugnã prouocante, vbi certè pleríq; plerúnque reges, maiora cũ appetiuissent, parta amisere. Iam ad vtriúsque vitam & gesta descendamus. Re vera hunc inuenias cum Prophetis versantem, Pauli sapientia animum exornãtem, assiduè à Mose ad Esayam, ab Esaya ad Ioannẽ, à Ioanne ad alium quempiam transeuntem. At regem assidua cẽturionum, proprætorum & speculatorũ consuetudine abutentem. Porrò cum quibus assiduè quis versatur, horum mores similes habet. Itaque monachus animum suum ad Apostolorum & Prophetarum mores conformat. At rex ad mores ducum, scutatorum, satellitum, hominum vino seruientium, voluptatibus indulgẽtium, bonam diei partẽ in potu conterentium. Quod si & noctis tempore examinare voluerimus, monachum quidem videbimus Dei optimi cultu, ac precibus insignem, multo ante gallinaceos tẽpore canentẽ, Angelis conuictoribus vtentem, cum Deo colloquentẽ, cœlestibus bonis fruentem. Regẽ verò in lecto sternentem. Ille cibis his alitur, qui altum ab eo somnum minimè exigant: hunc autem delitiæ consopiunt & potus. Monacho & vestis & mensa moderata, & conuictores eiusdẽ virtutis æmuli. At regem necesse est, & lapillis & auro superbum esse, mensámque extruere splendidam, tum conuictoribus vti, siquidem imprudens ille fuerit, sua stoliditate dignis: sin autem mensam habeat, temperánsque sit, probis fortasse & iustis, sed tamen virtute his quos dixi longe inferioribus. Etenim rex in itineribus faciendis subditis grauis est, præterea, & vrbem habitans & pace fruens, & bello operam dans, tum tributa exigens, tum exercitus cõficiens, tum captiuos agens, & dum victor & dum victus est, subdi-

tos propriis malis replet. Victor quidem intolerabilis est victoria sese venditans, ac sibi placens, tum militibus præbens rapiendi licentiam, deprædandi, viatores iniuria afficiendi, vrbes obsidione cingendi, pauperum domos depopulandi. At vero monachus simulátque conspectus fuerit, statim tam diuitibus quam pauperibus donum aliquod afferens, vtrisque æque munificum se præstat, vno tantum amictu vtens, tam aquam libentius bibens quam vinum, quamuis admirabile, pro se quidem nullã neque paruam neque magnam à diuitibus gratiam postulãs: pro indigentibus autem tum multas, tum continuas, eásque vtrísque conducentes, hoc est, tam his qui largiuntur, quam his qui accepturi sunt. Sic fit vt communem ille agat medicũ diuitum iuxta & inopum, illos peccatis liberãs per bonam admonitionem, hos ab indigentia eximens. At rex tributa dũ minus grauia esse iubet, diuitibus magis quam pauperibus vsui est. Idem dum contra facit, paucarum facultatum dominos lædit. Nam diuiti tenuem admodũ iacturam attulerit tributorum acerbitas: at eadem pauperũ domos tanquã torrens distrahit, fletu complens vicos. Age verò examinemus quanã in parte monachus, qua cõtra in parte rex subditis beneficus sit. Igitur hic quidẽ aurum largitur: ille spiritus gratiam. Præterea idem hic dũ bonus est, paupertatẽ soluit: Ille autem animas dæmonum tyrannide oppressas precibus liberat. Quod si acciderit hũc & illum deturbari, hoc est, hunc quidem à virtute destitui, illum autem regno priuari, hic quidem paruo admodũ negotio ad se redit, ac statim per preces, per lacrymas per mœrorem, per pauperũ curam, peccatis absterſis, deintegro facile ad pristinũ principatũ recurrit. At rex solio deiectus cum fuerit, tum demũ multis sane sociis indiget, multis itẽ armatis militib', equis pecuniis periculis: deniq; salutẽ suã in aliis sitam habet. Iã mors regi terribilis est, eadẽ Philosopho minimè molesta. Quod si & hunc & illum iugulari contigerit, hic quidẽ pro pietate pericula sibi accersit, immortalem ac cœlestem vitam morte sua comparans. At rex tyrannum aliquem, & eum qui imperium affectat, iugulatorem suũ habiturus est. miserabile, idémque horrendum post cædem spectaculum. Adde his quod monachus bonorum suorũ affectatores habiturus est æmulatores ac discipulos, bona ex parte, cõpre-

cantes, vt ipsius similes euadant. At rex multos frustra in precibus sermones insumpserit, Deum rogans, vt nemo existat qui regnum affectet. Præterea illum interficere nullus audeat nisi si quis existimaturus est impium se in Deum futurum, si eum sustulerit. Huic verò multi iugulatores ingruunt, tyrannidis affectatores. Quamobrem alter adhibet milites corporis sui custodes, alter vrbes precibus suis tanquam muro communit. Quod si & certamen futurum examinare velimus, monachum quidē videbimus splendidū, ac cōspicuum rapi inter nubes, ad occursum Christi in aera exemplo ducis ac institutoris huiꝰ vitæ salutaris, omniúmque virtutum. At rex siquidem iustè & humanè imperium rexisse visus est, hoc autem admodum rarum, minorem salutem minorem honorem sortietur. *Idem lib. de compāratione regis & monachi tom 5.*

Quæ viuunt in monasterio, & quarum simul magnus est numerus, nunquam solæ, nunquam sine matre procedant. De agmine columbarum crebrò accipiter vnam separat, quam statim inuadat, laceret, cuius carnibus & cruore saturetur. Morbidæ oues suum relinquunt gregem, & luporum faucibus deuorantur. Scio ego sanctas virgines, quæ diebus festis propter frequentiam populorum pedem domi cohibent nec tunc egrediuntur, quando maior est adhibēda custodia, & publicum penitus deuitandum. *Hieronymus epist. ad Demet. eadem de virg. ser.*

Vt aqua turbata nisi consistat, fluere nequit: Ita monachus constitui sine quiete non potest. *Nilus in institutione ad monachos*

Monachus qui multa possidet est veluti nauis onerata, quæ in fluctuum tempestate facile mergitur. Quemadmodum enim illa singulis vndis aspergitur: sic opulentiis, solicitudinibus opprimitur. Monachus qui nihil possidet est veluti viator expeditus qui tectum vbique reperit. Monachus pauper est tanquam aquila in sublime volans, quæ tunc ad escam se demittit cum vrget necessitas. *Idem oratione 3. aduersus vitia.*

Quomodo nauis posteaquam pelagi fluctus euaserit, si in portu destinata non fuerit, de minutissimis guttis impletur & mergitur: sic & monachus deuictis & supe-

ratis seculi tempestatibus & mundi huius criminibus quasi periculosis fluctibus, cum ad portum monasterij venerit, si sub repentina & minuta & quotidiana peccata de animæ suæ sentina exhaurire neglexerit, in ipso portu naufragij discrimen incurrit. *Cæsarius Arelatensis, Hom. vigesima octaua.*

Dicere solebat Antonius, cognomento magnus, aquam piscibus alimento esse, solitudinem autem monachis afferre ornamentum, atque illos cum terram attingunt, vitam amittere, hos autem cum vrbes adeunt, monasticam grauitatem perdere solere. *Sozomenus, libro primo historiæ, cap. 13.*

Attendant nouitij, quia sic agit qui monachatus arripuerit difficultatem, quemadmodum infirmus qui grauem accipit potionem. Plerúnque etenim contingit, vt qui aliquam patitur infirmitatem corporis, potionem quærat, qua ab illa infirmitate curari valeat. Cúmque ei medicus dicit, vt illam vel illam potionem accipiat, & sic sanari poterit, emit eam, vel gratis eam accipit datam. Sed cum potio fortis eius viscera rimatur, membra omnia percurrit, malos humores contrahit, vires tollit, corpus dissoluit, terræ infirmum prosternit, desiderium maximum bibendi in eo accendit, vel dormiendi vel foras ad ventum eundi, eíque medicus hæc interdicit comminans: quia morietur si hoc fecerit. Heu me, infirmus inquit, cur potionem hanc accepi? male mihi erat, & modo est peius. Heu quanto meo malo illos vidi, qui hoc consilium mihi dederunt, nec mihi quia & hoc me oporteret pati prædixerunt. Sic iste conqueritur dum potione coartatur, cum verò mali humores defluere cœperint, totúmque corpus paulatim leuari, gaudet, exultat: quia talem potionem accepit, per quam ad pristinam sanitatem redire se sentit, & homines qui hoc cõsilium ei dederunt benedicit. Similiter vero multotiens accidit, vt aliquis qui animæ suæ infirmitatem considerat, medicinam inde spiritualem quærat, qua ab illa vitiorum suorum infirmitate mundari valeat. Cúmque ei spiritualis homo dicit, quod per monachatũ posset saluari, dat quicquid habet, vt in monasterio aliquo suscipiatur,

vel ei gratis aliquando conceditur & suscipitur. Sed cum ordinis difficultas cogit eum vigilare, dum vellet dormire, esurire dum vellet edere, sitire dum vellet bibere, tacere dum vellet loqui, legere vel cantare dum vellet quiescere, sedere, dum vellet stare. Me miserum inquit, quare hunc habitum suscepi? antea male agebam, sed modo peius ago; quia tot & tanta quæ mihi iubentur, adimplere non valeo, & vix nisi inuitus adimplere aliquid boni perficere valeo. Quid igitur? væ mihi, vt quid his credidi qui mihi hoc cõsuluerunt? Putabam quod omnes isti homines essent sancti. Hæc & his similia nouitius dicit, dum ordo illi imprimis videtur grauis. Sed postquam sentit & secum considerat, quia hæc patiendo sua posse aboleri peccata, totum quod antea graue videbatur, leue efficitur, & lætari incipit Deóque gratias agit. *Anselmus de similitudinibus, cap. 77.*

Solet esse contentio quædam inter nutritos monachos & conuersos. Attendunt nutriti se nulla crimina commisisse. Illos verò è contrario vixisse considerant. At contra cõuersi quia scientiam exteriorum habent, res monasterij sapienter tractant, nutritis ipsis necessaria inueniunt, ordinem quoque suum feruentius plerúnque custodiunt. Illos verò parum in his valere considerant, ideo se meliores illis æstimant. Sed si vere monachi essent, sic esset inter eos quomodo inter angelos in cœlis & homines sanctos. Angeli enim sunt quasi nutriti, sancti vero homines quasi conuersi. Sed nec angeli sanctos despiciunt, qui tentationibus aliquando victi sunt, nec sancti angelos quia nullam quam vincerent passi sunt tentationem. Si enim Michaël diceret Petro, tu Dominum negasti, posset Petrus respondere, verũ quidem est quod dicis, sed tu pro domino nunquam vel vllum colaphum sustinuisti. Quod omnino non faciunt, sed sunt concordes. *Ibidem, cap. 78.*

Optabilius est Deo bonum opus monachi quam hominis cuiusquam secularis. Solet quippe accidere duos esse homines sub Domino vno singulas habentes arbores in proprio solo. Arbores autem illæ fructum ferunt bonum vtrique. Verum vnus eorum quia Dominum minus diligit fert de fructu quantum ei visum fuerit. Adeo autem alius Deum amat, vt ad eum veniens arborem ei offerat. Sane

eius seruitium Domino magis erit acceptum. Sic & seruitium monachi Deo est magis acceptum quam secularis. Secularis enim Deo offert quantum voluerit. Monachus vero offert seipsum. *Ibidem, cap.* 84.

Sicut in denario tria esse debent, vt sit ex puro ære, recto pondere, monetáque legitima: ita monachus debet habere hæc tria. Eius quippe metalli puritas pura est eius obediẽtia. Rectum verò illius pondus, stabilitas est propositi eius. Illius autem moneta est habitus monachalis. *Ibidem, cap.* 90.

Sicut bubo dum in cauerna cum pullis suis est, lætatur & suo modo bene sibi est: dum vero inter coruos & corniculas seu alias aues est, incursatur ac dilaniatur, & omnino sibi male est, vtpote quia hic rostro percutit, ille alis in eum irruit, alter verò vnguibus discindit: Ita & monacho. Quando enim cum fratribus suis conuersatur, sibi bene est, quando verò remotus ab illis inter seculares conuersatur, hinc inde me variarum causarum incursus dilacerant, & quæ non amat secularia negotia, vexant. *Idem, ibidem. cap.* 187.

Quemadmodum qui se exonerat, sarcinas graues vestes aliáque impedimenta remouens, non ob id dicitur ascendisse aut esse in culmine montis, sed se in statu præfatæ ascensionis çonstituit, & ascendendo de hora in horam, appropinquat ipsius montis culmini: ita & is qui accepta cœlitus voluntate perpetuo continendi profiteatur vitam monasticam, non ex hoc ipso iam est perfectus in vita Christiana, sed se posuit in statu quidem altiori, quo facilius proficere valeat in dilectione, abiiciens impedimenta seu auocamenta. *Driedo in præfat. de ecclesiasticis dogmatibus.*

Merito stagnis monasteria comparantur, vbi quomodo incarcerati pisces, euagandi non habent libertatem, quo videlicet parati sint semper ad epulas spiritales. *Bernardus, ser. 1. de sancto Andrea.*

Nulla ars absque magistro discitur. Etiam muta animalia & ferarum greges doctores sequuntur suos. In apibus principes sunt. Graes vnam sequuntur ordine literato. Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est,

duos fratres simul habere reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Esau & Iacob bella gesserunt, singuli ecclesiarum episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator. In domo vnus Dominus. In quouis grandi exercitu vnius signum expectatur. Et ne plura replicando fastidium legẽti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in monasterio, sub disciplina vnius patris consortióque multorum, vt ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam. *Hieron. epist. ad Rusticum Monachum.*

MORBVS CORPORIS.

EX horto aliquo, qui ventis & tempestatibus verberatur, sume arbustum aliquod, & pone in opaco & aquoso loco, & videbis quòd multum à fortitudine & dignitate sua mutabitur, quam habuit in eo loco, vnde constat esse trãslatum: ita corpore molli reddito & delicato, necesse est & animam participare ex corporis morbo. Sicut in chordis contingit. cum enim sunt ipsi sonitus molles & delicati, & non conuenienter extenti, etiam artis ratio deprauatur, & cogitur vitio seruire chordarum: Sic etiam fit in corpore: multas ab eo anima susçipit læsiones, multas necessitates. Quando enim multa opus habet ad sui curationem anima, amaram sustinet seruitutem. *Chrysost., Hom. 20. in epist. ad Hebræos.*

Quemadmodum vermiculi teneris lignis innascuntur maximè: Sic dolores quoque in mollioribus hominum ingeniis ingenerantur. *Idem, ser. 28.*

Vt medica terra diu retinet semina propter asperitatem, vt serò emergant: ita morborum ac dolorum causæ in hominibus aliquoties diu latent, donec voluptas in febrem erumpat. *Plutarchus in Moral.*

Vt medici in vehementi fluxu pituitæ non statim succurrunt pharmacis, sed foris admouent, quod tempore cõ-

coquat humorem, ac tum medentur: ita in recenti dolore tacēdum, donec tempore mitior admittat consolationem. *Ibidem.*

Vt sapiens gubernator in tranquillitate tempestatem expectat: ita rebus tranquillis ad dolorem aliquem præparādus est animus. *Ibidem.*

Si ebrij comessatores irrumpant in domum luctu funestam, non solùm nihil adferent hilaritatis, sed eiulatum potius excitabunt: ita voluptates in corpore ægro offendunt quoque. *Ibidem.*

Qui ita corpus exinaniunt pharmacis, vt peregrinis rebus expleant, ac magis noxiis: perinde faciunt, ac si quis expulsis è ciuitate Græcis, inducat Persas aut Scythas. *Ibidem.*

Flosculorum odores per se parum efficaces, admixti oleo maiorem vim habent: Ita morborum causę, si in corpus incidant, iam humoribus collectis abundant. *Ibidem.*

Vt nautæ nimium onerantes nauem, deinde in exhauriēda sentina laborant: ita qui corpus onerant cibis, ac deinde clysteribus inaniunt. *Ibidem.*

Qui malè affecto corpore, vitæ ratione morbum accersunt, ij quasi cœnum commouent. *Ibidem.*

Vt nautæ sereno cœlo nonnihil laxant vela, cum est suspicio tempestatis, contrahunt: Ita corpori rectè affecto nōnihil permittendum: contrà si quid timebitur morbi, cautius agendum. *Ibidem.*

Qui corpus ægrè affectum ad balneas ac voluptates trahit: quasi putrem ac laceram nauem deducit in mare. *Ibidem.*

Homines tantùm pingues, ac robusti, duríque, similes sunt gymnasiorum columnis. *Ibidem.*

MORES.

QVemadmodum bene nutrita corpora, si nuda sint, vires ac vigorem apertius indicāt: Ita pulchritudo morum si ineptis nugis non inuoluatur, magis indicat animi magnitudinem. *Clemens Alex. lib. 2. pædagog.*

Non est eadem hîc quæ in cæteris peregrinationibus cõditio. In illis comprehensus aliquis limes & interrogati incolæ non patiuntur errare. At in moribus tritissima quæque via & celeberrima maximè decipit. Nihil ergo magis præstandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum est, sed quò itur. At qui nulla res nos maioribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea quæ magno assensu recepta sunt, quodque exempla pro bonis multa sunt, nec ad rationem, sed ad similitudinem viuimus. Inde tanta ista coaceruatio aliorum supra alios ruentium. Quod in strage hominum magna euenit, cum ipse se populus premit. Nemo ita cadit, vt non alium in se attrahat, primi exitio sequentibus sunt. *Seneca libr. de beata vita.*

MORVM INCONSTANTIA, ET VARIETAS.

OPorteret tales in tota vita videri & fingi eos qui Christo initiantur. Nunc autem nescio quomodo vna cum locis habitum & mores mutant, nõ secus ac polypos dicũt, petris quibus adhæresunt assimilatos, videri quoque colore esse tales. *Clemens lib. 3. pædagogi cap. 11.*

Ferula solis asinis gratissimum est pabulum, cæteris animantibus præsentaneum venenum: Ita sæpe quod alios offendit, aliis voluptati est. *Plinius lib. 24. cap. 1.*

Aiunt ignem Chimeræ montis semper ardentis, aqua accendi, cœno restingui: Ita quosdam quo magis ores, minus commoueas: si dehorteris, vltro volunt. *Idem. lib. 2. cap. 109.*

Vt Tygrides siquis tympanis circumsonet, in rabiem agi dicuntur, adeo vt seipsas denique discerpant: Ita quæ bonas mentes compescunt, feras & aggrestes irritant & efferant: ac quosdam offendit, quod aliis addit animum, vt musica, eloquentia. *Plutarchus in moralibus.*

Vt inter tot hominum millia, mile facies sunt per omnia similes, nec vllæ voces: Ita suum cuique ingenium est, suus cuique mos. *Erasmus.*

Quemadmodum plantæ & semina in regionibus montuosis ac asperis, non ita lasciuiunt, vt in campestri & moliore terra: Sic homines hominum quoque mores ad

regionis habitum immutantur, & mollis & fertilis regio molles & ignauos reddit homines. *Plutarchus in apophthegmatis.*

MORVM EMENDATIO.

QVod in pecuniarum sumptibus idem in peccatis faciamus. Statim cum surreximus à lecto, priusquam nos conferamus ad forũ, vel priusquã aggrediamur opus aliquod, vel priuatum vel publicum, vocato ministro rationem sumptuum petimus, vt sciamus quid bene vel male expenderit: & si viderimus paruum quiddam desiderari, omnibus modis cogitamus accessionum occasionem, ne inuiti perdamus. Faciamus igitur hoc in operibus nostris vocata conscientia nostra. Faciamus similiter rationem operum, verborum, cogitationum & scrutemur quid vtiliter insumptum sit, & quid in perniciem nostram, quis sermo male expensus in conuitia, in sales, in turpiloquia quæ concupiscentia oculũ in intemperantiam prouocarit, quæ cogitatio cum damno nostro in opus exierit, vel per manus vel per linguam vel cogitationes. *Chrysostom. sermone de pœnitentia.*

Medelam si apposuerit medicus, neque priori te die purgauerit, num eam rursus die altera non apponet? Est quisquam quercini roboris cæsor, is quercum si velit cædere, securim accipit, incidit radicem: si plaga vna percusserit, neque ceciderit infructuosa arbor, nonne secundam dederit, non quartam, non quintam non decimam? Sic & tu fac. Quercus est fornicator, glandes ferens, irrationabilium animalium escam, multo tempore tua in mente radicata. In arborum circuitu tuam deiecit conscientiam. Meus sermo securis est, vno audisti die, quomodo vno die cadet, quæ tanto tempore radices immisit. Si enim bis, si ter, si centies, si decem milies, non iam mirum. Modo incide vi rem malam, & fortem consuetudinem, malamque illam deiice, & gratiam impetrasti. Manna comedebãt Iudæi, & cepas de Aegypto quærebant, consuetudine ducti. Tam adeò turpis est consuetudo pessima quod non statim potest abiici, nec tempore breui. *Idem hom. 3. de pœnitentia.*

Si quando terræ operarius & ruriscultor agrum ſuum ſeminibus præparat, non ſibi ſufficere putat rudem campũ vomere proſcidiſſe, & aſſiduo aratro duras edomuiſſe glebas ac ſulcis frequentibus cõfeciſſe, ſed inſuper ſtudet agrum illum infæcundis germinibus emundare, noxiis euacuare ruderibus ſpinarum, ſtirpium fomites excuſſa radice conuellere, ſciens terram ſuam ſine purgatione mali germinis, boni feracem eſſe non poſſe: ad ſe dictũ putans illud, quod ad ſpiritalem agricolam pertinet, novate vobis noualia, & nolite ſerere ſuper ſpinas. Ita & nos qui Dei agricultura effecti ſumus qui ſpem fructuum noſtrorum non terræ credimus, ſed cœlo repoſitum: non nobis ſufficere putemus terram corporis noſtri vigiliarũ exercitiis edomare, vel ieiuniorum labore conficere, ſed imprimis mentem extirpatione vitiorum mundare conemur circuncidere mores excidere paſſiones, eradicare ſuperbiam, plantare humilitatem, effodere iram, fundare patientiam, amputare inuidiam, inſerere beneuolentiam, & huiuſcemodi virtutibus agrum cordis, quaſi quibuſdã bonæ frugis fœcundare ſeminibus. Cæterum ſi caro conteritur, & anima non fructificat, ſimile eſt acſi arari campus non deſinat, & nunquam tamen meſſis appareat. *Euſebius emiſſenus hom. 8. ad Monachos.*

Nõ vt Cæneus ſubitò è muliere factus eſt vir, optando tantum: Sic repentè ex improbo viro, probus euadit quiſpiam, vt qui cubitum abiit ſtultus, ſurgat ſapiens. *Plutarchus in Moralibus*

Vt aquæ ſalinę, pluuia incidente, dulciores ſunt cęteris aquis: Ita meliores ſolent eſſe quis è diuerſa vita muta uerit diuinæ gratiæ influxus: veluti Paulus. *Eraſmus in ſimil.*

Sicut Aminæa vina ſenio fiunt meliora: Ita quidam in iuuenta ſolutiores aut aſperiores, ætate & vſu rerum fiunt mitiores. *Idem.*

MORVM DEGENERATIO.

QVi è virtute in vitium ac malitiam decidunt, torrentũ ac fluuiorum more ex alto quodã loco in præceps,

concauumque ac terrestre delabuntur. *Olympiodorus in Eccle siast.*

Cum in fici arbore fructum esse videamus dulcissimum, folia autem & corticem & stipitem & radicem amarissima esse omnia. Quod enim arboris eius natura deterrimum in se habet, hoc vniuerso in iis quæ esui apta non sunt absumpto, optimum quod est, id in fructibus sincerum illa relinquere, videri possit. Ita igitur & agricolæ (ne enim repudiemus etiam viles similitudines, si plus profecturi his videamur, vt veritas percipiatur) illi igitur, fortassis sua sponte & natura magistra edocti, & malè olentia ad bene olentia, & dulcia ad acerba in conferendo adiungunt: vt quicquid terra habet deterius, id in vnum collectum solum maneat, attrahentibus singulis ea quę cognatæ naturæ sint, optimusque succus & halitus in melioribus radicibus sincerus relinquatur. Et hoc est, quo hortorum cōsitiones purgantur. Quemadmodū igitur acquisitum geometricum vnà cum altero se profert: ita ex hac disputatione hoc consequitur, in procreatione natu grandiores liberos omnium aliquando pessimos fieri. Et hoc est, quo seminum fit in generis cognatione purgatio, quando incontaminatæ & sinceræ virtutis sobolem Deus adornauerit. Itaque deinceps ea sequitur degeneratio, vt quod omnium maximè esse cognatum opinio sit, id reperiatur alienissimum. quod sanè in iis quę secundum naturam procedunt, non sæpe solet accidere, in quibus dimidia parte malum inest, & dimidia bonum. *Synesius, de prouidentia lib. 2.*

Est Indię gens dicta Pandora, quæ in pueritia cano sit capillitio, in senecta nigrescunt capilli: Ita nonnulli primis annis sobrij ac modesti, grandiores iam ad nugas & ineptissimas voluptates abiiciunt sese, & quasi puerascunt. *Plinius lib. 7. cap. 2.*

Vt si Venerem suam Apelles, aut si Protogenes Hialysum illum suum cœno oblitum videret, magnum acciperet dolorem: Ita si quis conspiciat eum corruptum, quem ad bonos mores instituisset, aut ignominiis affectum, quem ornasset honoribus, iniquo animo ferret. *Idem lib. 35. cap. 10.*

NEscit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo conprehenduntur, sic capiuntur homines tempore malo. *Ecclesiast.9.*

Dies ille Domini sicut fur in noctu veniet: Cum enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient. 1. *Thessalo.5.*

Quemadmodum infestum animalculum, cui nomen vespa, cum impetit petram, non eam lædit incursu. sed potius perdit aculeum: Sic & mors vehementer falsa est incurrens vitam, quæ est Christus Iesus. Non enim potuit eum tenere mors, sed ipsa potius aculeum perdidit, adeo vt quos prius terrebat aculeus, nunc insultent ac dicant: vbi tuus mors aculeus? *Athanasius de passione Domini.*

Vt liberaret eos quoquot metu mortis obnoxij erant seruituti. Tale enim est nunc quale si quispiam vinctum aliquem producēdum ad mortem, & semper hoc expectantem pinguem reddat ex multis delitiis. Tale aliquid erat etiam mors antiquo tempore. Nunc autem veluti si quispiam metu illo pariter cum delitiis eiecto, certamen denunciet & proponat agonem, vt iam non ad mortem sed ad regnum adducatur, ex quibus esse velles? Ex his qui in custodia pingueſcerent, singulis diebus sententiam sui interitus expectantes: an ex illis pugnaturis quidem multum & laborantibus vltronea voluntate, vt diadema tandem regni suscipiant. *Chrysostomus hom.4. ad Hebræos.*

Sicut cum lana intingitur naturalem habens colorem, vt coloretur purpurea, aut alicuius coloris accipiat dignitatem: Sic & nos in mortem descendimus corporales, & resurgimus spiritales. *Idem hom.35. operis imperfecti.*

Sed dolendum est (quispiam dicet) quoniam corpus post mortem corrumpitur. Ego verò gaudendum magis cēseo, quoniam corruptione corporis mors ipsa corrumpitur, mortalitas destruitur, non substantia corporis. vt quando æs funditur, vt inde statua confletur, nullam æris perditionem tunc esse dicimus, cum ad meliorem vsum traducatur: similiter de corpore tuo futurū est. *Idē ho.35. in Mat.*

Sicut vita ipsa bonum est si cum virtute viuitur: malum, si cum

si cum scelere: Ita & mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda est. *Lactantius, de falsa Sapientia lib. 3. cap 19.*

Quemadmodum in his qui posteaquam ad finem stadij peruenerunt, sese reflectunt, & priusquam in contrarium moueantur, consistunt paulisper, ac requiem aliquam interponunt: Sic & in mutatione vitæ videbatur necessarium, vt mors inter priorem & posteriorem vitam intercederet, quæ & præcedentem finiat, & initium det secuturæ. *Basilius, de Spiritusancto.*

Sicut torrēs pluuialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, & currendo decurrit, id est, cursum finiti Sic est omnis iste cursus mortalitatis: nascuntur homines, moriuntur: & aliis morientibus, alij nascuntur, succedūt, accedunt, decedunt, nec manebunt. Quid hic tenetur? Quid non decurrit? Quid non quasi de pluuia collectum it in abyssum? Quomodo enim fluuius repente collectus de pluuia, de guttis inbrium, it in mare nec apparet, quia nec apparebat antequam de pluuia colligeretur: Sic hoc genus humanum, de occultis colligitur, & profluit in mortem. Rursus in occultum vergit, medium hoc sanat & transit: de hoc torrente bibit Christus, hoc est natus est moriturus. *Augustinus in psal. 109.*

Velut ex alto vndarū iactus aliis atq; aliis superuenientibus in littoris extrema frangitūr: Ita in terminū mortis succiduæ allidūtur ætates. *Eucherius Lugdunensis ad Valerianū.*

Sicut hydria iuxta fontem attrita, aqua non perit nec euapescit, sed in fontem suum reuertitur: rursusque cum quis voluerit aquam, poterit haurire de fonte: Ita corpus quod in elementa resoluitur, in fontem suum terram videlicet ipsam redit, quando author ille voluerit, qui ab initio illud plasmauit. *Olympiodorus in Ecclesiasten.*

Sicut aqua dilabens in terram, à terra absorbetur, ita quòd amplius non videtur: Sic homo in terram per mortem cadens, ita consumitur & destruitur, quòd nunquàm amplius in hac mortalis sortis conditione inuenitur. *Idiota de contemplatione mortis cap. 10.*

Vt omnia flumina intrant mare: Sic quoque in hanc fluctuosam vitam qui veniunt, mare id est amaritudinem mortis necessario subintrant. Mors enim est omnium

pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina, omnium receptaculum. *Ibidem cap.* 13.

Sicut mare est hospitium omnium fluuiorum: Sic mors est finalis repositio omnium mortalium viuentium. *Ibidem.*

Ventus est vita nostra, quia inuisibiliter & incessanter, ac sine reditu transit, & comparatur vmbræ, quæ semper sequitur corpus. Nec aliud est vita nostra, quàm cursus ad mortem: & quamuis homines laborent, vt diu viuant, ac ad terminum vitę: nihil tamen est viuere, quàm ad finem currere. Quare ipsi ambulant quò peruenire volunt, ac currunt voluntarij ad terminum quem refugiunt. *Ibidem, cap.* 14.

Quemadmodum mutuata pecunia æquo animo reddenda est: Sic vitę munus, quod mutuo accipimus à diis, citra querimoniam est reponēdum. *Plutarchus in Moralibus.*

Vt nemo miratur liquefactum, quod potuit liquescere, sectum quod erat sectile, exustum quod exustibile: Ita mirandum non est mortuum esse qui erat mortalis. *Ibidem.*

Accensam lucernam nemo molestè fert, extinctam dolent omnes: Ita nasci iucundum, mori inamabile. *Ibidem.*

Vt cygni præuidentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriūtur: Sic omnibus, & bonis & doctis, est faciendum. *Cicero, lib.* 1. *Tusc. quæst.*

Adolescentes sic mori videntur, vt cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur. Et quasi poma ex arboribus si cruda sint, vi auelluntur: si matura & cocta decidunt. Sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. *Idem de senectute.*

Ignis qui valentē materiam occupauit, aqua, & interdum ruina extinguendus est: ille qui alimentis deficitur, sua sponte subsidit: Sic facilis est mors senum. *Seneca.*

Gladiator tota pugna timidissimus, cum moriendum est, fortiter aduersario iugulum præstat, & errantem gladium sibi attemperat: Sic mors admota etiam imperitis animum dedit, vt præsentem fortiter ferant, qui cum procul abesset, formidabant. *Idem.*

Quemadmodum clepsydra non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid antè defluxit: Sic vltima hora qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat. *Idem lib.* 2. *epist.* 24.

Quid per immortalem Deum tantopere mouere nos debet? Num volumus cum natura pugnare? Quæ tanta demẽtia nobis est? quæ deliratio? quæ tanta demum insania? An illud, quod Græcorum sapientissimus apud Homerum Vlysses loquitur, nunquam audiuimus?

Nil homine infirmius tellus animalia nutrit
Inter cuncta magis.

An qui mortales nati sumus, perinde atque Dei similes, quin potius supra Deum? Nam Deus ipse mori etiam voluit: veluti cum Deo ipso quo immortales futuri sumus, cõtendere audemus? An ignoramus non in hoc terreno cœno sed in cœlesti illa & triumphali gloria, immortalitatem parari nobis? Homo enim (vt inquit Plato) non terrea, neque immobilis planta est, sed cœli: cuius caput (in quo mẽtem, & rationem, & intellectum posuit,) & ex quo reliquũ corpus versum ad terram prodeat, veluti radix sit erectum ad cœlum. Quid præterea hæc vita, quæ tot tempestatibus, tot naufragijs, tot incendiis, tot ruinis obnoxia, ærumnosa planè mors est, adeò delectare nos debet: vt cùm eius ergastulis & vinculis nostrũm aliqui liberẽtur, flere, lamẽtari, lugere non desinamus? *Philelphus in oratione funebri pro Stephano Frederico Todeschino.*

Qui mortuis maledicunt, similes videntur catellis, qui lapides iactos mordent, ipsos autem qui læserunt, non attingunt. *Aristoteles in Rhetoricis ait Platonem huius similitudinis authorem esse.*

MORTIS MEDITATIO.

SIcut cibis omnibus panis vilior est & magis necessarius: ita præstat omnibus operibus mortis cogitatio. *Climacus de memoria mortis gradu.* 6.

Qui mortis diuinique memoriam iudicij semper in seipso continere cupit, curisque secularibus distrahendum se exponit, is ei similis est, qui dum natat plaudere manibus vult. *Ibidem.*

Messis tempore sementẽ facimus, & quãdo seminãdũ est, speramus lætitiam messis. Platanũ serimus, & proceræ arboris vmbram moramur. Plantamus surculum palmæ, & fructuum dulcedinem expectamus. Hæc autẽ fere in ipsa senectute, quãdo iam adest ætatis autumnus, & mortis hyẽs

aduentat, & vitæ residuum tempus est, non integer annus, sed tres aut quatuor dies. Cogitemus igitur nos qui ratione præditi sumus, quam fragilis fluxaque sit vita nostra, quam velociter labatur tempus, vt sisti cohiberique non possit, vt omnia quæ metitur, ad interitum ducat & trahat. Atque vtinam breue tantũ esset spatium vitæ, modo certum esset, modo reddendæ rationi non essemus obnoxij. Nunc autem illud merito torquere nos debet, quod & singulis horis instat periculum, & incorruptus atque integer adeundus est iudex: apud quem non solum eorum quæ fecimus, sed omnium quæ diximus reddenda nobis est ratio. *Gregorius Nyssenus de pauperibus amandis.*

Vt qui meminerunt se inquilinos esse, & in conducto habitare, & modestius se gerunt, & minus grauatim exeunt: Ita qui intelligunt domicilium corporis ad breue tempus à natura commodatum esse, & viuunt temperantius, & libentius moriuntur. *Seneca.*

Curæ sit tibi ex hac vita migratio. Curæ autem erit si te mori meditaberis, hoc est, si adhuc viuens, animam à corpore separaueris. Hoc enim mihi videtur Socrates appellasse: si quidem meditatio res est difficillima. Philosophare & considera, quid tibi & natura & lege magis est considerandum. In hoc duntaxat anima è corpore separatur, in reliquis rebus minimè: sed cum videt, audit, olfacit, gustat, adest corpus, quasi ex eodem capite vtrumque pendet. Cum igitur mortem non meditamur, molestior vitæ finis expectandus nobis est. Anima namque quasi delitiis quibusdam amicis, mœrore afficitur, & summa cum molestia vita cedit. *Diogenes in epistola ad Monemum.*

Resonet in ore nostro resurrectio semper, semper resurrectio ad nostræ mentis transmittatur auditum, vt mors quæ nostros sempe obsidet sensus, cum terrore suo, cum lamentis suis à nostris sensibus effugetur. Quia sic agricola fructus vberes, & exatiatas epulas cantat, vt imminentem vomeris laborem non sentiat & sudorem. Sic nauta portus modulatur. & lucra, ne vndarum ruinas, ne maris discrimina pertimescat. Sic miles ne vulnera metuat, vt gladios non pertimescat, prædas personat & triumphos, Vnde resurrectionem mente, ore, oculis aspectet, cantet, cogitet Christianus: vt totam mortis possit calca-

re formidinem. Mors est desperationis domina, incredulitatis mater, germana corruptionis, inferni parens, Diaboli coniunx, omnium malorum regina, quæ omne genus hominum tali ordine inexplebili impugnat, vt primum susurratricem suam desperationem præmittat talia suadentem, homo, cur tua perdis tempora? *Petrus Chrisologus sermone Centesimo decimo octauo.*

MORS IVCVNDA BONIS.

SI in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta de super tremerent, domus iam fatigata, iam lassa ædificiis senectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si te nauigãte turbida & procellosa tempestas fluctibus vi venti excitatis, prænunciaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam sui non iam senectute rerum, sed fine testatur: & tu non Deo gratias agis nõ tibi gratularis, quod exitu maturiore subtractus, ruinis & naufragiis, & plagis imminentibus exuaris? Considerandum est fratres dilectissimi, & idemtidem cogitandum, renunciasse nos mundo, & tanquam hospites & peregrinos hîc interim degere. Amplectamur diem qui assignat singulos domicilio suo, qui nos isthine ereptos, & laqueis secularibus exutos paradiso restituit, & regno cœlesti. Quis non peregrè constitutus, non properet in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, vt velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes nostros patiarchas habere iam cœpimus, quid non properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, de nostra sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? *Cyprianus sermone de mortalitate,*

Ita minori afficiemur tristitia, si citius ex hac vita emi-

gremus: imò potius lætabimur, si nos sermo hinc abduxerit, & in supernis statuerit, ac præsentem insuauitatē bono absconderit futuro, nobisque persuaserit, quòd ad dominum agamur bonum, & quòd melior sit habitatio firma, quàm peregrinatio incerta, quodq; nauigantibus portus est tranquillus, id iis qui in huius vitæ iactantur tempestate, transmigratio hinc fit, & translatio. Aut quemadmodum ij, qui iam longam præoccupauerunt viam, peregrinantibus & adhuc laborantibus vegetiores sunt, & minus defatigantur: Ita qui hospitium assequuntur quod ibi est illis, qui adhuc vitæ præsentis terunt inæqualia & precipitia, feliciores & quietiores existunt. *Nazianzenus in oratione de morte patris.*

In hora mortis iucunda bene actæ vitæ memoria, quasi tranquillitas post tempestatem veniens, conturbatam facilè animam consolatur. Sed quoniam sicut insensati vitam agimus, in decedendo ex hac vita proculdubiò aderit. Nā qui vinctus propter sua scelera fuerit, cum soluitur, cum ad iudicium produci queat, tunc maximè tremit, tunc formidat, quando ad tribunal iudicis iam appropinquat, quando ad relationem rationum iam deuenit. Idcirco terribiles visiones narrare solent morituri, quarum speciem nullo modo ferentes, & lectulos plerunque ipsos magno iacentes impetu concutiunt, & toruis eos qui adsunt aspiciunt oculis: vel quia vi à corpore rescinditur anima, vel quia spirituum speciem ferre non possunt. Si timemus terribiles homines, quid faciemus cum minaces angeli, & rescindentes animam à corpore virtutes nos inuadent, cū à corpore anima tracta multum incassum deflet? *Chrysostomus hom. 64. in Math.*

At inquies, mortuus putrescit. Hoc nimirū lætandū maximè: Etenim si quis veterē domū ac cōquassatā ædificatur est, primū ei⁹ incolas ex illa eiicit, deindè domū ipsam diruit, & cā magnificētius reædificat. Quodquidē lætandū puti⁹ quā dolendū ei est, qui ex vetere habitatione eiect⁹ est. Nō enim præsentē ædium demolitionē spectat, sed domū antequā videatur, animo concipit & cōprehēdit. Ad eundē modū facturus deus, corpus nostrū demolitur, & animū in eo habitantē, vt ex domo aliqua eiicit, vt cum aliam magnificentiore ac præclariore opere exædificarit, illum

maiori cum gloria in eam introducat. Ne igitur in demolitionē intueamur, sed in futurum splēdorem. Si quis ad hæc statuā rubigine ac tēpore exesam magnáque ex parte detritā habet, eam confringit ac in fornacem coniicit, vt fusura splendidiorē reddat. Quemadmodum igitur statua, quæ in fornace eō fringitur, haud deletur, sed renouatur. Sic cum corpus nostrum moritur, non perit sed instauratur. Cū igitur videris statuā in fornace liquescentem, ne committe vt in huius rei inspectione conquiescas, sed tantisper expecta donec conflata fuerit: quanquam ne hac quidem mensura contentus esse debes, quin longius cogitando progrediēdū est. Et enim statuarius corpus aliquod ex ære in fornacem cum iniicit, auream tibi ac immortalem ex ære imaginem efficit. Et verò Deus ipse ex fictili ac mortali corpore in fornacem iniecto, auream & immortalem statuam effingit. *Idem in dictum Apostoli, de dormientibus nolo vos ignorare fratres.*

Omnibus laborantibus dulcis est finis. Viator libēter interrogat vbi sit mansio: mercenarius frequenter computat, quando annus completur: agricola semper tempus messis expectat: negociator die ac nocte thecæ suæ discutit rationē: mulier prægnans semper de decimo mense cogitat: Sic serui Dei libenter de morte sua cogitant. Vbi enim thesaurus eorum, ibi & cor est. Si haberes solidorum quantitatem in arca tua, oculos illic sæpe haberes: Sic sanctiillum locum aspiciunt, vbi repositam habent coronam. *Idem hom. 46. in Math.*

Quemadmodum nauim eligam nauigaturus, & domum habitaturus: Ita mortem vtique qua sum exiturus è vita meliorem. *Seneca lib. 2. epistola 71.*

Supra modum deditus vino, fæcem quoque exorbet: Sic admodum vitę auidus, qui ne extrema quidem senecta vult mori. *Idem.*

Vt felicior est, quem ventus acrior citò in portum pertulit, quàm quem venti segnes, & longa tranquillitas lētissimo tædio delassarunt: Ita fortunatior, quem festinata mors statim his vitæ malis eximit. *Idem.*

Quemadmodum ex dormiēdo excitari contingit, & qui dormit, nō omnino in eodem habitu manet, vt semper dormiat, sed rursus resurgit: Sic etiam viuere ex morte continget, & non omnino qui mortuus est, postquam mortuus

fuerit, in eodem manet. *Epyphanius hæresi 64.*

Nota sunt mortis præludia. Nihil iucundi, nihil læti occurrit eis, quos homicida mors persequitur. Nihil terribilius morte, nihil crudelius: nimirum quæ ad respiciendas hominũ cæca, ad audiẽdas preces surda, ad omnes mortales, citra vllius exceptionem, perimendos immisericors, atrox, effrons, insana, neq; bonorum neque malorũ habens rationem aliquam: imò bonos non rarò, & virtute prẽditos prius accipiens, quàm sceleratos & malos. Præterea quamuis accidere nequeat sine summo cruciatu mors, hoc est, corporis & animi separatio: tamẽ ipsa ratio dictat, iuniores difficilius oppetere, quàm natu grandiores: quãdoquidem illi seu eruda & immitia poma velluntur ex vitæ arbore, hi tanquam sole cocta, atque iam caduca sponte sua decidũt. *Diego Philonius in Tiliano, vel de scientia bene Mo iendi.*

Haud inscitè veteres poetę, Mortis fratrẽ Soporem dixêre: hoc ipso innuẽtes, mortẽ somno esse persimilẽ. Hinc est illud Sinopæi Cynici. Is enim quũ esset vicinus morti, quæ Græcis mas est, & præter solitũ somno premeretur, & medicus ipsum subinde expergefaceret, ac dehortaretur: Nemireris, inquit, frater fratrem anteuertit. Et sic quidem ille lusit in re vtique nõ ludicra, nullis gemitibus, nullis lamẽtis & vociferationib. editis in morte sua, quales tu edis in aliena. Sed neque ineptè ille, aut inscitè. Etenim si rẽ exactiore pensites iudicio, nihil aliud est mors corporum nostrorum quàm somnus diuturnior solito: neque tamen diutius, quã ad nouissimum Christi aduentum duraturus. *Ibidem.*

MORS METVENDA MALIS.

QVandiu hic sumus, anima voluptatum illecebris delinita, tristia ægrè admittit animo, cum verò migratura ex corpore est, tunc iam maiore continetur metu, quippe quæ ad ipsa iudicij peruenerit limina: Ita fermè & latrones, quandiu in carcere viuunt, absque metu degũt: vbi verò ad velum sisti cœperint, soluuntur metu. Cum enim pulsare animam metus mortis incipit, ignis instar præsentis vitæ omnia succidens, Philosophari eam cogit, & futura solicita mente versare. *Chrysostomus homil. quinta in 2. Timoth.*

Inter nos & sanctos quanta differentia? Illi si quidem cũ

peregrini erant, liberari postulabant de hac vita, & ad patriam suam remeare. Nos autem contra facimus. Si febris accedat, omnia relinquimus, sicut pueri planctuosi mortem timemus. Et meritò hoc patimur. Non enim quasi peregrini conuersamur in hac vita, & non veluti qui festinãt ad patriam, sed veluti ad pœnas ituri. Propterea dolemus & timemus, quoniam istis rebus nõ sumus vsi sicut oportet, sed peruertimus ordiné, propterea lamentamur & pertimescimus veluti homicidæ quidam & duces latronum, cũ perducendi sunt ad tribunal, cum omnia mala considerant, quæ gesserunt, & propterea gemunt & tremunt. *Idem hom. 24. ad Hebræos.*

Pueri parui laruas quidem timent, ignem verò nõ timẽt: sed si ad lucernam lumen habentem portari contingat, inconsideratè manum immittunt lucernæ & flammæ, & contemnendam quidem personam horrescunt: at verè timendum ignem non timent: sic & nos timemus mortẽ, quæ est larua contẽptu digna, peccatum verò non timemus, quod verè timendum, & ignis more conscientiam comedit. *Idem hom. 5. ad pop. Antioch.*

Sicut vermis ex ligno nascitur, & illud rodit & comedit, suã ab ipso originem habens: sic & tristitia & mors de peccato natæ sunt, & peccatũ absumunt. Igitur ne timeamus, mortẽ, sed peccatum duntaxat, & propter illud doleamus. *Ibid.*

Igitur sicut Paulus quotidie morere, & mortẽ deride, prę sentémq; contemne vitam. Es enim miles, & semper in cõflictu constitutus es, miles vero mortem timens, nunquam generosè se geret: Ita neque Christianus. *Ibidem.*

In futuro seculo, post hominis mortẽ, non ieiunij suppeditatio, nõ pœnitentiæ vocatio, non eleemosynæ ostẽtatio, imò neq; criminalia opera, non bellũ, non adulteriũ, non petulantia, imò neque iustitia & pœnitẽtia. Sicut enim post messem spicæ, non datur vt crescat granũ, non vt vento corrũpatur, non vt alia aliqua læsio accidat. At ne dixeris mihi horrei corruptelas, hoc est vermes & tineas. Hę enim per ea quæ in hoc seculo sunt, fiũt. Verùm similitudo hęc, est intra portas receptorũ, & horreo munitorũ, & est fidei exẽplar atq; imago, vbi neq; latrones perfodiũt, neq; tineę disperdũt velut diuinus sermo ait: Sic neq; pietatis neq; pœnitẽtię suppeditatio, velut dixi, post mortem est. *Epyphanius lib. 2. to. 2.*

Quicquid diabolus antea leue alicui proposuit, vt persuaderet peccatum, id graue facit tempore mortis. Réfque hic habet non secus atque cum trunco ligneo, qui cum in flumine natat, facile ab vnico pertrahitur. Ad litus autem vbi fuerit ventum, ibi decem oportet manus, viréfque adhibeant, vt extrahant. Ita plane peccatum leue est, donec perueniat ad litus mortis, vbi tandem aggrauatur & graue putatur. *Ioannes Maria verratus de incarnatione, cap.* 12.

PRO MORTVIS ORANDVM ET SACRIFICANDVM.

NVm sentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cum super illis fiunt conuentus & peractiones bonorum? Respondet: Si non aliquo beneficio participarét ex illo, non vtique in cura & exequiis fieret cõmemoratio. At sicut vitis floresçit extra in agro, & odorẽ eius sentit in vase vinum reclusum, sicque conflorescit etiam ipsum: Ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficentia, exangui immolatione & gratificatione pro ipsis facta, sicut solus ordinat & præcipit, qui viuorum & mortuorum potestatem gerit Deus noster. *Athanasius de variis quæstionib. ad Antiochum. quæst.* 34.

MVLIER.

SIcut boum iugum quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illã, quasi qui apprehendit scorpionẽ. *Eccl.* 26.

De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic comparat dicens: de vestimento procidit tinea, & à muliere iniquitas viri. *Cyprianus de singularitate clericorum.*

Ex improuiso vel transeunter ad horam fœmineus aspectus occurrens, velut sagittas alienis oculis iactat. *Ibidem.*

Vni contingit per tẽpestates nauigia fœliciter explicare & alteri talis fœlicitas nõ potest euenire: hic vnus sine querela cum mulieribus conuersatur, alius cadit. *Ibidem.*

Sicut secretissima naturæ in magnete lapide nouimus, nõ

ipsum ad ferrũ duci, sed ad se potius ferrũ attrahere: Ita & fœmineũ corpus aduersus masculũ ineffabilẽ accepit vim, per quã ferme dixerim ignorãte anima, quæ in ipso est, viri corpus vltro ad concubitum pertrahit. *Basilius de virginitate.*

Expertus sum mulierem esse quandam mollem terrã vel aliud tale quid. Cor enim ipsius quasi sagena prætereũtes concludit. Quod si manu sola cõtingat, tenet: sin amplexetur, vinculis trahit. *Gregorius Neocæsariensis in Ecclesiasten.*

Mulieres quidem plantulis arborum aut herbarũ similes sunt: quæ nisi aliò transferantur, euellantúrq; à solo in quo natæ sunt, frugi esse non possunt. Aut enim iusto plus adolent, aut arescũt Quod in lactucis rectius aut brassicis, si voles, aspicies. *Elisius Calentius epistola ad Mulgarnum.*

Quod mulieres sub vmbraculis degunt, quod oleo vngũtur, quod frequentibus lauacris vtuntur, quod assiduè vnguentis abundantibus & aromatis perfunduntur, & iacent in stramínibus delicatis, hoc est quod facit eas debiles & infirmas. Et vt melius hoc intelligas, attẽde quod dico: Ex horto aliquo in eremo cõstituto, qui ventis & tẽpestatibus verberatur, sume arbustũ aliquod, & pone in opaco & aquoso loco, & videbis quod multũ à fortitudine & dignitate sua mutabitur, quam habebat in hoc loco vnde constet esse trãslatum. Attende mulieres quæ in agris agunt vitã: fortiores namque viris sunt qui sunt in ciuitatib⁹. Et si eas permittas cum illis athletico more certare, multos huiusmodi viros sine dubio superabunt: Ita corpore molli reddito & delicato, necesse est & animam participare ex corporis morbo. Sicut enim in chordis, cum sunt ipsi sonitus molles & delicati, & non conuenienter extenti, etiã ars deprauatur & cogitur vitio seruire chordarũ: sic fit in corpore: multas ab eo anima suscipit læsiones, multásque necessitates Quando enim multa opus habet ad sui curationem anima, amaram sustinet seruitutem. *Chrysost. hom. 49. ad Hebræos.*

Quid est speciosa mulier? Sepulchrum dealbatum, nisi fuerit sobria casta, pudica. Si ergo videris virum aut mulierem speciosam, ne admireris: Nam & roboreæ arbores, cum densæ sint foliis & altitudine excelsæ, attamen non habent fructum hominibus aptum, sed porcis afferũt cibum: vinea autem per terram repens, maturũ vuatũ affert fructum: quid ergo vis vineã habere an arborem?

Puto te vineam eligere magis quæ lætitia est ad hominum vsus, quam arborem animalium escam. Quid ape vtilius est? Quid pauone pulchrius? Quid formica sapientius? Et apis quidem dulcedinem in se habet, & aculeum: pauo verò solummodo impennis est, non in fructu decorus, formica verò cõtemptibilis hominibus, sed magistra virtutum est. *Idem, in Psal. 50.*

Alligabit quis in sinu suo ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, & nõ ardebit? Quomodo igitur qui ignem tetigerit statim aduritur: Ita viri tactus & fœminæ, sentit naturam suam, & diuersitatem sæpius intelligit, *Hyeronymus, lib. 1. contra Iouinianum.*

Mulierum aspectus sagitta veneno illita, quæ ferit animum & venenum immittit, & quo diutius manet, eo magis vulnus computrescit. Qui vitare cupit eiusmodi vulnera, is à publicis spectaculis abstinebit, neque in celebritatibus versabitur. Satius est enim vt domi maneas, quã dum putas te celebritates venerari, in manus inimicorum incidere. *Nilus, orat. 2. ad ueſus vitia.*

Ad ignem potius ardentem quam ad mulierem iuuenem iuuenis appropinqua. Nam si ad ignem accesseris, dolore affectus resilies: At si fœminæ verbis incensus fueris, haud ita facilè recedes. Florent olera prope aquam sata, & libidinis semina mulierum familiaritate excitantur. *Idem.*

Vt nemo sentit, qua parte stringat calceus, nisi qui indutus est: ita nemo nouit ingenium mulieris, nisi qui duxit vxorem. *Plutarchus, in Moral.*

Muta cicada & miraculo est, quòd ipsum genus sit garrulum: sunt autẽ huiusmodi in agro Rhegino: Sic magis admiramur constantiam & silentium in fœmina, quòd ipsum genus mutabile sit & loquax. *Plinius, lib. 11. cap. 27.*

MVLIERVM ORNATVS.

VT vultures & scarabæi maxime vnguenta abhorrent quia illis mortem inferunt: ita faciunt mulieres. *Clemens Alexandrinus, lib. 2. pædagogi, cap. 8.*

Sicut boues annulis & funibus: ita intemperãs suffitibus & vnguentis & suaue olentibus cõronarum odoribus trahitur. *Ibidem.*

Quemadmodum qui naribus sunt sagacibus canes, feras odore inuestigant: ita ex nimis curiosa vnguentorum fragrantia qui moderati sunt & temperantes venantur intemperantes. *Ibidem.*

Quemadmodum Euam serpens decepit: ita etiam mulieres alias mundus aureus. *Ibid. m, cap.* 12.

Apelles cum vidisset quendam ex suis discipulis pinxisse Helenam, multò auro ornatam, O adolescens ait, cum non posses pingere pulchram, fecisti diuitem: Tales sunt quæ nunc sunt mulieres, quæ non sunt verè pulchræ, sed multis ornatæ diuitiis. *Ibidem.*

Quemadmodum apud Ægyptios templorum parietes lapidibus externis & artificiosè depictis resplendent ita vt nihil desit: ædes auro, argento, & electro collucent. Sed si penetralia templi adieris, & imaginem quæ templum habitat quæsieris, inuenietur non Deus, sed felis crocodylus vel serpens indigena, vel aliqua eiusmodi belua templo indigna: ita mihi videntur fœminæ quæ aurum gestant, & in crispandis crinibus exercentur, & in genis vngendis, oculisque pingendis, & pilis tingendis versantur. Sed si quis veli templum aperuerit, vittam, vestem, aurum, fucum, tanquam veram inuéturus pulchritudinem, scio esse abhominaturum, neque enim imaginem Dei intus inueniet habitantem, sed loco eius fornicatrix & adultera animæ adytum occupant, & vera esse bestia conuincetur, non enim est mulieris sed meretricis, nimium istud ornandi studium. *Idem, lib. 3 cap.* 2.

Quemadmodum cui est impositum cataplasma, & cui inuncti sunt oculi, vel ipso aspectu præbet morbi suspicionem: ita fuci tincturæ & colores illiti animam intrinsecus ægrotare significant. *Ibidem.*

Sicut notæ inustæ fugitiuum: ita floridi colores adulterã indicant. *Ibidem.*

Quemadmodum militis & nautæ: ita etiam pudicæ fœminæ est propria vestis quæ est minimè elaborata. *Ibidem. cap.* 11.

Quemadmodum aurum suis immunditia cœnum suo rostro conturbantis: ita quæ sunt paulomagis luxui deditæ mulieres, si à nimiis copiis incitentur, ad libidines & impudicitiam probro ac dedecore veram pulchritudinem affi-

cientes, eam inquinamentis veneris polluentes. *Ibidem.*

Diuino operi, Satanæ ingenia superducere quàm scelestum est? Serui nostri ab inimicis nostris nihil mutuantur, milites ab hoste imperatoris sui nihil concupiscũt. De aduersario enim eius in cuius manu sit, aliquid vsui postulare transgressio est. Christianus à malo illo adiuuabitur? nescio an hoc nomen ei perseueret. Quantum autem à vestris disciplinis & professionibus aliena sunt, quàm indigna nomine Christiano, facié fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur: effigiem mentiri, quibus lingua non licet: appetere quod datum non sit, quibus alienum abstinendum: speciem exercere, quibus studium pudicitiæ est? Credite benedictæ, quomodo præcepta Dei custodietis, lineamenta non custodientes? *Tertullianus, lib. de cultu fœminarum.*

Sed enim Dominus ait, *Quis vestrum potest capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro?* Hæ verò quæ reuincunt Deum. Ecce, inquiunt, pro albo vel atro flauum facimus gratiæ faciliorem: quamuis & atrum ex albo conantur facere, quas pœnituit ad senectam vsque vixisse. Senectus cum plus occultari studuerit, plus detegetur. Hæc est æternitas nostra de capitis iuuentute. *Ibidem.*

Quid alteri periculo sumus? quid alteri concupiscentiam importam⁹? Nescio an impunè abeat, qui alicui fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul in tua forma si concupierit, & admisit iam in animo quod concupiuit, & facta es tu gladius illi. Vt à culpa vaces ab inuidia non liberaberis. Vt cum in alicuius agro latrocinium gestum est, crimẽ quidem Dominum non constringit: dum res tamen eius ignominia notatur, ipse quoque infamia aspergitur. Expingamus nos, vt alteri pereant, vbi est ergo diliges proximum tuum sicut teipsum? *Ibidem.*

Aliæ quibus plane maior est palma omni fimbria & filo non minus capite suo abutuntur, vt bestia quædam magis quàm auis licet pennata, breui capite, pro tracta ceruice, cætera alte gradia. Hanc aiunt cum delitescendum habet, caput solum planè totum in condensum abstrudere, reliquam se in aperto relinquere. Ita dum in capite secura est, nuda qua maior est, capitur tota cum capite. *Idem, de Velandis virginibus.*

Si quis pingendi artifex vultum alicuius & speciem, &

corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato iam consummatóque symulacro manus alius afferret, vt iam formata iam picta quasi peritior reformaret, grauis prioris artificis iniuria, & iusta indignatio videretur. Tu te existimas impunè laturum tantæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Vt enim impudica circa homines & incestà fucis lenocinantibus nõ sis corruptis violatísque quæ Dei sunt, peior adultera detineris. *Cyprianus de habitu virginum.*

Miror ita vehementer obtusos fœminarum sensus, quæ cum pleræque omnes summum bonum speciem corporis arbitrentur, ad illam quæ in Euangelio promittitur, comparandam non inflammentur. Sic enim cogitare deberent, Si quis mulieri cuipiam polliceretur, fore, vt si vno anno fucum omnem & corporis ornatum negligeret, centum post annis omnium mulierum quæ vsquam essent, pulcherrima appareret, profectò conditionem acciperet libentissimè. Rursus si diceretur ei, permitti quidem illi, vt vno anno omnibus fucis omníque ornamentorum genere vteretur, verùm eo peracto reliqua tota vita omnium mulierum esset turpissima, nihil dubitandum est, eam mulierem omnem oblati illius anni ornatum recusaturam, metu secuturæ deformitatis. At hæc omnia vsu euentura sunt, eáque tantò maioris ponderis, quantum æternitas tempori antecellit: & tanta in re tam oscitanter se habẽt. Futurum enim est, vt quæ in hac vita, quæ si æternitati comparetur, non annus, sed vix exiguum est momentum, modestè ac temperatè, & sine fucis superuacuísque ornamentis vixerint, corpora sint habituræ claritatem solis æquantia, atque adeò glorioso ipsi Ghristi corpori quam simillima, idque in sempiternum, quæ verò in hac vitæ scena conspicuæ apparere voluerint, æternam deformitatem cum diabolo & angelis eius sint consecuturæ. Hæc certè sciunt futura, & pro æternitate non eligunt, quod pro temporaria forma, & vmbræ simili essent electuræ. Quis hanc stupiditatem satis admiretur. *Isidorus Clarius oratione 53. tomi primi.*

Circulus aureus in naribus eius, mulier pulchra & fatua. Hoc modo circulũ aureũ, infixeris in naribus suis, id est, porci. Ille dum pergit terram vertere ac fodere naso, immergit circulum aureum in volutabrum luti, & tunc perdit circulus

aureus decorem quem habuit. Similiter & mulier fatua, si habet pulchritudinem vultus, vel si accipiat ornamenta inaurium monilium simul & vestimentorum, sordidat pulchritudinem suam, & amittit decorem, si se cœno libidinis coinquinare diligit, & adulteriis corrumpit. *Salonius in parabolas Salomonis.*

Vir non debet velare caput, quia est imago Dei. 1. Cor. 11. Principem qui ad regem accedit, principatus insigne habere oportet. Quemadmodum igitur nemo principum sine toga & zona ante regem venire auderet: ita neque tu sine signo principatus, quod est vt detecto capite ad Deum accedas, neque teipsum & qui te honorat contumelia afficias. *Chrysostomus, Hom. 26. in* 1. *Cor.*

Quæcunque mulieres ornamenta aurea fertis, Pauli desyderate vincula. Non ita vos quod circa collum est monile illustres reddit, quemadmodum ferreorum ille vinculorũ illius ornatus relucet animæ vestræ impositus. Si quis illa Pauli vincula desiderauerit, ista prosequetur odio. Quæ namque communio mollitiei cum animi virilitate? Ornamento corporali cum Philosophia? Illa vincula venerãtur Angeli: ista verò deridentetiam. Illa vincula à terra in cœlum subuehere solent: ista verò de cœlo in terram detrahunt. Sunt enim re vera ista vincula, non illa. Illa sunt ornatus, ista verò vincula. Ista cum corpore & animam stringunt: Illa cum corpore & animam exornant. *Idem, Hom.* 10. *ad Colossenses.*

Dicite: Si tibicinis aut choraulis habitum esses & instrumenta induta, ? non dedecus esset? Atqui aurea sunt eorũ indumẽta. Verum hoc ipso dedecus esset quod aurea sunt. Sumptuositas enim scenæ, tragœdis conuenit, hypocritis, mimis, saltatoribus, illis qui cum bestiis pugnant: mulieri verò fideli alia sunt à Deo data indumenta, nempe ipse vni genitus Dei filius. *Quotquot enim in Christũ baptizati estis, Christum induistis.* Dic mihi, si quis tibi regalem dedisset vestem, tu verò supra illam seruile quoddam nacta indumentum superindueres, an non præterquam quod dedecus committeres, pœnas quoque merito dares? Cœli & angelorum Dominum induta es, & terrenis adhuc immoraris? hæc ideo dixi quod magnum quidem in seipso malum est studium illud ornandi, etiamsi nullum aliud malum ex eo nascere-

tur,

tur, sed liceret tuto & citra periculum habere. Quid enim ornaris? dic quæso, vt viro placeas? Igitur domi hoc facias. Hic vero contrarium fit. Si enim proprio placere vis viro aliis ne cura vt placeas. Si vero aliis placere vis non potes placere tuo. *Ibidem.*

Sit quispiam putredine plenus absque vulneribus, quantumlibet circumluat corpus, nihil proficiet, nullúsque erit cassi laboris finis. Quod si purulentum corpus nihil iuuare potest, cum exterior cutis circumluitur, assiduéque respergitur: quando fuerit putredo animæ insita, quid nobis proderit munditia corporis? Nihil profecto. *Idem, Hom. 6. in 2. Timoth.*

MVNDVS.

SIcut domus in vsum habitandi facta per se nihil sentit, dominóque subiecta est, qui eam fecit, aut incolit: ita mundus per se nihil sentiens factori Deo subiacet, qui eum in vsum sui fecit. *Lactantius, lib. 2. cap. 6.*

Vniuersa hæc mundi moles perindè est ac liber literis exaratus, palam contestans ac depredicans gloriam Dei, illiúsque augustissimam maiestatem arcanam alioqui & inuisibilem abundè enuncians tibi intellectili creaturæ, quatenus ad cognitionem attinet veritatis. *Basilius, Hom. 11. exameron.*

Sicut turbines à primo ipsis indito ictu sequentes afficiũt conuersiones vertiginésque, cum ipso centro fixo in seipsis versantur: Sic & naturæ series inde ab illo imperio principio sumpto per omne tempus eodem ordine progreditur, quoúsq; tandem ad ipsam communem vniuersi peruenerit consummationem. *Basilius, Hom. 5. exameron.*

Et vidit omnia quæ fecit quod essent valde pulchra. Lapides ingeniose cæsi & expoliti etiamsi non coniungantur, vt inde statua fiat, verùm sparsim & coniunctim iaceant, seu partes ex quibus statua conficienda & connectenda sit: attamen pulchri videntur, si non cuiuis idiotæ, at ei qui eos ex ratione artis considerat & intuetur. Si his cõpares lapides ignarios, etsi per se minimè pulchritudinem teneant, tamen ratione vniuersi nequaquam sua pulchritudine destituuntur. Nam si eos coaptaueris ad pulchritudinem alicuius ædificij, licet sint despecti, attamẽ si totum ædificium respicias, superant longè vnam statuam, vtcumque sit decorata. Sic

existimandum existimo de partibus totius vniuersi. Si quæ per se videtur deformes, collatæ ad rationem vniuersi pulcherrimè deprehendentur. *Procopius gazeus in Genesin, cap. 1.*

Quemadmodum videmus coagulationem repente lacti accedere: ita repente accedit mundo esse. *Iustinus, quæst. 3. earum quas gentes ponebant Christianis.*

Deserto mundus comparatur, adhuc incultus, sterilis, infœcundus, in quem negat nobis Dominus ita prodeundum. *Ambrosius. lib. 5. in Lucam.*

Sicut arcam, scamnúmque fabrefactum videntes, non solùm opus laudamus, sed & opificem: Sic etiam videntes nauim fabrè compactam, sic monile fabrefactum, aurificem laudamus: Sic in mundi fabricam oculos tendentes, Deum laudemus: qui non mirati sunt hæc, imò qui nec iam mirātur, inexcusabiles sunt. *Theodoretus, ser. 3. de prouidentia.*

Sicut Deus omnibus speciebus vel generibus, quæ in mundo sunt, distributor dispensatórque est bonorum, id est sensus animæ & vitæ: Sic & mundus præstitor est & retributor omnium quæ mortalibus videntur bona, id est, alternationis partium, temporalium fructuum, natiuitatis, augmentorum, & maturitatis, & horum similium. *Mercurius Trismegistus, in Asclepio.*

Vide, Dei Opificium.

MVNDI AMOR ET VANITAS.

QVidam homines sunt qui mundo adhæserunt, vt pisciculi quidam, qui vocātur Phyrcia, petris marinis, cōtemnunt immortalitatem. Sicut senex Ithacensis, qui non veritatem, & patriam cœlestem desyderabat, sed fumum. *Clemens Alex. in exhortatione ad gentes.*

Quemadmodum iidem oculi cœlum & terram pariter nequaquam aspiciunt: ita mundi amor, & Dei pariter in vno corde habitare non possunt. *Cyprianus, de 12. Ascensionibus.*

Fratres nolite pueri effici sensibus. Etenim pueri magna non desiderant, vilia solent admirari, currus, equos, aurigas, ro-

tas luto factas, hoc aspectu delectantur. Quod si regem in curru aureo sedentem, & mulos albos iunctos, & eximium cultum viderint, ne respiciunt quidem. Præterea & puellas ex Creta ornant, veras autem pulcras nesciunt, & in multis aliis rebus itidem afficiũtur. Tales nonnulli nunc reperiũtur, nullo his cœlestium cura, sed ad lutea, tanquam pueri obstupescunt, & terrenis diuitiis blandiuntur, & gloriam, & voluptates huius seculi magnipendunt: quæ ita puerilia sunt vt illa. Quæ verò & vitæ & gloriæ, & requietis causa sunt, non curant: sed vt pueri his priuati desient, illa autem ne desiderare quidem norũt: ita & multi in ætate prouecta. Pecunias concupiscis, non diuitias permanentes, sed pueriles ludos. Si quem plumbeum nummum admirantem, & ad eum colligendum inclinantem se videres, nonne eum quam pauperrimum iudicares? Tu autem & viliora congregans, inter diuites te annumeras. *Idem. Hom. 80. in Ioannem.*

Cur perforato aquam dolio ingeris? Nihil enim aliud est pro presentibus istis laborare, quàm flammam decerpere, quàm pugnis aera cædere. Certè frustra curris. Nónne vniuscuiusque artis finis quidam est? Ita profectò. Ostende igitur mihi finem huius secularis studij: sed non potes. Vanitas enim omnia. *Idem, Hom. 77. in Math.*

Sicut difficile est arborem iuxta viam positam fructus suos vsque ad maturitatem seruare: sic difficile est virum fidelem iuxta istum mundum viuentem, id est, in actibus eius, iustitiam immaculatam vsque in finem seruare. *Idem, Hom. 30. in 21. Math.*

Terrenis inhiamus, & à terris nolumus abscindi. Sicuti quidã vermes ex terra in terrã, & iterũ ex ipsa in ipsam cõuertũtur: sic & nos nec modicũ respicere volumus, nec auferre nos à causis mũdi, sed quasi quadã satietate & ebrietate demersi ac percussi, obstupuimus imaginãtes. Et sicut qui graui & dulci somno detinẽtur, nõ solũ nocte, sed etiã ipsa luce veniente, & claro die facto, iacent in lecto, & non erubescũt suæ voluptati indulgere, & tempus operationis & festinationis, tẽpus somni & segnitię faciẽtes: sic nos die extante, cuncta quæ noctis sunt, operamur, dormiẽtes, somnia videntes, imaginationes deliciantes, & clausis oculis

mentis & corporis insanimus, aliena loquimur, ac si quisquam nos alieno confodiat vulnere, nec sic sentimus, ac si nobis omnem quisque diripiat substantiam. ac si ipsam nobis incendat domum: imò non expectamus alios vt faciãt, sed nos ipsi hoc facimus, stimulantes nos ipsos omni die. *Idem, Hom. 24. ad Hebræos.*

Qui præsentibus inhiant negotiis, & nullam futurorum habent memoriam, sed delectationes corporales incessanter desiderant, similes esse arbitror homini fugienti à facie furẽtis vnicornis, quem dum fugeret ne deuoraretur ab eo, incidit in baratrum. Dum autem caderet, manibus extensis arbusculam quandam apprehendit, & fortiter tenuit, & in basi quadam pedibus impressis, visum est sibi in pace de reliquo fore & stabilitate. Respiciens ergo vidit duos mures, album vnum, alterum nigrum corrodentes radicem arbusculæ, & iam prope erat vt abscinderent. In imo barathro vidit draconem aspectu terribilem ignem spirantem & deuorare eum cupientem. Intuens vero rursus basim illam super quam pedes habebat firmatos vidit quatuor aspidum capita de pariete prodeuntia. Eleuans autem oculos vidit de ramis arbusculæ illius exiguum mel distillans. Dimittens ergo considerare quæ circundederãt eũ mala, seipsum dulcedini illius mellis tradidit. Hæc similitudo est eorum qui seductioni præsentis seculi adhæserunt. Cuius expositio hæc est. Vnicornis figurã tenet mortis quæ semper persequiter genus humanum. Baratrum vero mundus est ipse plenus omnibus malis & mortiferis laqueis. Arbuscula autem quæ à duobus muribus incessanter incidebatur quam apprehendimus vitæ nostræ mensura est quæ cõsumitur & diminuitur per horas diei & noctis & incisioni paulatim appropiat. Quatuor vero aspides cõstructionẽ humani corporis ex quatuor elementis significant quibus inordinatis, compago dissoluitur. Draco infernus est qui cupit suscipere eos qui delectationes præsentes futuris præponunt. Stilla vero mellis dulcedinem significat delectationum mũdi. *Damascenus, in hist. Barlaam & Ioasaphat. cap. 12.*

Humanum genus nunquam ante faciem huius crudelis tyrannidis (mundi scilicet) habet statum, sed est sicut colũba quæ fugiens aquilam vel accipitrem, mutat se de loco ad locum, nunc quidem huic insidens arbori: vnde rursus

mota, immergit se vepribus, deinde statim cauernis petrarum, & diuersis spinarum desitatibus semetipsam committens, nusquam tutum inueniens refugium, in motu & defectione tribulatur assidua. *Ibidem.*

Sicut mersi in aquis periclitantur, videas eos tenentes tenere, nec vlla ratione deserere, quod primũ occurrerit manibus, quicquid sit illud, licet tale sit, quod omnino prodesse non possit, vt sunt radices herbarum, cæteráque similia. Nam & si qui fortè ad eos veniant, vt subueniant, nonnunquam solent apprehensos inuoluere secum, adeò vt iam nec sibi, nec aliis auxilium ferre præualeant: Sic pereunt in hoc mari magno & spacioso, sic pereunt miseri, dum peritura sectantes, omittunt solida: quibus apprehensis, emergere & saluare possent animas suas. Ita inquã pereunt, qui omissis veris & salutaribus studiis, caduca & trãsitoria quærunt, à quibus nequeunt diuelli. *Idem, ser. 1. de aduentu Domini.*

Pix est mundus: quamlibet leui attactu tangentes inquinat. Viscus est mundus: qui suos miratores in modum aucupis, peccati & mortis æternæ inuoluit. Laqueus est mundus: qui voluptatibus & opibus velut escis obiectis allicit atque capit incautos & secum trahit in nassam interitus. Vnde mihi vix possibile videtur, vt qui mundi legibus viuit, purus ab inquinamentis mundi & immaculatus hinc emigret. *Hugo Philonius de scientia bene moriendi.*

Mundus est meretrix quæ desiderio pulchritudinis suæ ad concupiscentiam trahit videntes eam: qui autem particulariter eius amore deceptus ipsum fuerit amplexatus, à manibus eius non potest euadere donec spoliet eum vita sua: & cum expoliauerit omnibus, eiiciet eum domo sua, & in die obitus sui homo cognoscit eum. *Ysaac presbyter de mundi contemptu, cap. 2.*

MVNDI CONTEMPTVS.

SIcuti qui proficiscuntur ad ciuitatem volentes amicos & familiares suos inuisere, licet multis per nundinas occurrant, ab his tamen nullo modo impediuntur: quia hoc habent in animo, vt amicos reperiant, qui cum foris ianuã pulsauerint & accersierint, læti aperiunt amici illorum: Sin autem moram traxerint in eiusmodi nundinis, illuduntur

& retineantur ab his qui illis occurrunt, tandem claudun-tur fores, & nemo illis aperit: Ita qui ad Christum Domi-num nostrum verum amicum peruenire desiderat, reliqua omnia debent aspernari & prætermittere. *Macarius, Hom. 15.*

Sicut qui sunt in naui, non hauriunt aut bibunt è mari, nec ex eo victum aut vestitum sumunt, sed aliunde impor-tant in nauem: hoc modo Christianorum animæ non è sæ-culo isto, sed desuper è cœlo cibum cœlestem & indumen-ta capiunt spiritalia: & inde viuentes in naui boni viuifici-que spiritus incedunt, & transgrediuntur aduersarias prin-cipum & potestatum diras facultates. Et quemadmodum ex vna ligni natura naues omnes construuntur, quibus mo-lestum mare poterunt homines traiicere: Sic omnes animæ Christianorum, vnica diuinitate lucis cœlestis, variis gra-tiarum donis vnius spiritus confirmatæ, omnem præteruo-lant nequitiam. *Idem, Hom. 44.*

Velut infans circundatus margaritis & indumentis pre-tiosis, vbi esurierit nihili facit quæ gestat: sed neglectis illis omnem solicitudinẽ habet sitam in alimenti mãmilla, quo pacto lac sumat: Sic Christianus contemptis omnibus mũ-di huius illecebris totus in Deo est. *Idem, Hom. 45.*

Anima quando diuino amore & desiderio verè corripi-tur, ad nihil huius vitæ se conuertit: sed sicut mente moti contemnunt ignem & ferrum, & feras, & pelagus, & omnia: ita pij furore quodam maximè spiritali ac honestissimo insaniunt, deridentes omnia quæ vident. *Chrysostomus, Hom. de Profectu Euangelij.*

Sicut qui obuiam vadit alicui, in via stat, & expectat eũ, quandiu veniat: ita qui credit in Christum, sic debet in hoc sæculo viuere, quasi peregrinus, & non in suis sed in transi-tu positus. *Idem, Hom. 52. operis imperfecti.*

Hospites sumus & aduenæ, nullæ nos molestiæ angant. Neque enim si ex clarissima patria, & claris parenti-bus ortus in longinquam regionem nemini notus, sine fi-liis, sine diuitiis & te quispiam contumelia afficeret, ægre ferres ac si Domi talia fierent. Quod enim certo te hos-pitem aliena in patria versari vides, omnia æquo animo, & contemptum & famem, & sitim, & huiusmodi ferre per-suadet. Ciuitatem habes cuius opifex & author Deus est,

quo breui accersemus. Dic quæso, si quis præueniens seruos suos aliquantulũ in diuersorio expectaret & vel diuersorii dominus, vel alius quispiam incognitum illum exasperaretur, & male diceret: nonne illius ignorantiam rideret? Nonne errot ille magis hominem delectaret? Ita & nos faciamus, in diuersorio sedemus expectantes huius viæ socios. Cum omnes conueniemus, tunc quos læserint intelligent, tunc deiicient oculos, tunc dicent, hi sunt quos stultè habuimus in derisum *Idem hom. 78 in Ioannem.*

Nemo quicquam suum esse dicebat, Et quasi hi qui ad magnos quosdam principatus accersiti, regias inhabitaturi ciuitates omnem substantiam suam in pecuniam commutant, & sic illo migrant: ita plane & tunc faciebant homines illi ad cælum vocati ad supernam metropolim & ad regnum quod illic est. Nam persuasum habentes illic esse patriam omni substantia sua in pecuniam commutata, pecuniam per Apostolorum manus illo præmiseruut. *Idem sermone in illud Apostoli, oportet hæreses esse.*

Apueris discamus ad prestantiora tontendere. Nucibus exempli gratia & talis & pila ludunt, his illi se ludis oblectant, & sibi honori ducunt hæc comparare, quo ad prudentia sunt imperfecta. At cum aliquis eorum in virũ euaserit, ea abiicit, & ad gerendam rempublicam omne studiũ confert. Nos autem in infantia persistentes ludicra & risu digna suspicimus, neglectisque melioribus, prudentiã viris conuenientem sumere recusamus, & terrenis in rebus studium ac delectationem nostram collocantes, risum mouemus his, qui natura duce recte iudicant. Quemadmodum enim turpe est, virum ætate prouectum in cinere aut puluere cõsidentẽ puerilia describere: Ita turpe, imo longè turpius est eos, qui de rebus alterius perfruẽdis deberent esse solliciti, in rerum terrenarum puluere volutari, & studiorum pulchritudine professionis suæ fœdare perfectionem. *Nilus in lib. ascetico.*

Si illi qui in mari nauigant, sæuiente tempestate merces negligunt, & proprijs manibus onera in mare proijciunt, & fortunis vitam anteponunt, ac ne nauis põdere oppressa demergatur, eam subleuant, & pretiosissima quæque vel in profundũ iaciũt: cur nõ etiã nos propter vitã præstãtioré ea despicimus, quæ animum in profundum demergunt?

Cur idem non poteſt Dei timor, quod poteſt timor maris? Illi caducæ vitæ cupiditate, aliarum rerum iacturam leuẽ putant, nos qui ad vitam æternam aſpiramus, propter illam nihil quamuis abiectum, contemnimus. ſed malumus ſimul cum onere perire, quam illo proiecto ſeruari. Agite exuamus omnia, nudus enim conſiſtit aduerſarius. Nunquid induti luctantur pugiles? Nunquid certaminis lex iubet eos nudos ſtadium ingredi? Nudum verò & vnctum oportet certare. Nuditas enim facit vt ab aduerſario luctator apprehendi non poſſit: vnctio autẽ vt ſi quando fuerit apprehenſus, elabatur. Propterea luctatores puluerem aduerſariis conantur aſpergere, vt olei læuitatem puluueris iniectione exaſperent, atque ita facilius eos apprehendere valeant. Iam quod illic eſt puluis, id in noſtro certamine eſt in terrenis rebus occupatio, Et quod illic eſt oleum, hic eſt quietis ſtudium ab omni ſolicitudine vacuum. *Ibidem.*

Nonne vides vt etiam in hac vita quiſque prouidus locum aut agrum in quo diutius ſe commoraturum putat, copioſis in vſum faciat impendiis, & vbi paruo quis erit tempore parua prouidet, & vbi maiore, maiora procurat? Nobis quoque quia in preſentiarum breuiſſimum coarctãtibus anguſtiis, tempus eſt, & futura ſecula erunt, competentibus copiis vitam exaugeamus æternam, competentibus inſtruamus exiguam, ne prouiſione peruerſa impendamus breui tempori curam maximam, & maximo tempori curam breuem. *Eucherius epiſtola ad Valerianum.*

MVNDI CONSVMMATIO.

Sicut cadũt folia de vite ſic ſtellæ de cælo cadent. Sicut enim vites cum vuarum fructibus prægrauantur, foliorum auxilium neceſſarium vt protegantur, expoſcunt: cum autem depoſuerint fructum, neceſſe eſt vt foliis denudentur: Sic ſe habet hoc ſeculum: quandiu habuerit in ſe humanum genus, tenebit & cœlũ ſtellas, ſicut & vitis folia. Nam nocte pereunte ſine dubio ſtellarum vtilitas ſimul cum nocte deficiet. *Chryſoſtomus hom. ad neophytos.*

Homo circa ſinẽ phantaſias videt, Sic & mundus in exitu

ſuo multos patietur errores. *Idem hom. 48. operis imperfecti.*

Quemadmodum corpus iam aduentãte morte innumeris malis afficitur, & domus prope caſum, in rimas fatiſcit: ita orbis terrarum ad finem properans tantis malis cõteritur. *Idem hom. 33. in Ioannem.*

Sicut in ſcena aulæo ſublato varietates diſſoluuntur, & omnia coruſcante luce ſomnia auolant: Ita nunc quoque cõſummatione veniente tam communi quàm vniuſcuiuſque omnia diſſoluuntur & euaneſcũt. *Idẽ hom. 55. de diuerſis.*

Sicut morituros ſe eſſe quotidie audiunt homines, nam quotidie alios mortuos vident, & tamen non credũt ſe morituros: Ita & ſi audiunt periturum mundum tamen non credunt. *Idem hom. 24. operis imperfecti.*

Sicut quando videmus ſenem hominem, ſcimus quia propemodum moriturus eſt, quando autem, neſcimus: Sic & mundum quando perturbatum videmus, caſurum cognoſcimus, diem autem ignoramus. *Idem hom. 50.*

Vide iudicium extremum.

MYSTERIA INDIGNIS NON COMMVNICANDA.

QVomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus & qua ratione compingãtur oſſa in ventre prægnantis: Sic neſcis opera Dei qui fabricator eſt omnium. *Eccleſi. 11.*

Vt præludium certaminis certamen eſt: Sic ea quæ præcedunt myſteria, myſteria ſunt. *Clemens Alexand. lib. 1. ſtrom.*

Quomodo lyram pulſandi imperitis, non eſt lyra tãgenda: ita nec ſunt attingenda negotia, his qui non acceperunt cognitionem, & neſciunt, quomodo his vti oporteat, ex verbo vitæ. *Idem lib. 6.*

Vt qui exiguo vectus nauigio ingreditur mare, donec terræ vicinus eſt minus metuit, quum verò paulatim in altum fuerit progreſſus, & vndis intumeſcentibus, vel in excelſum attolli cœperit, vel iiſdem dehiſcentibus, in ima deduci, ibi verò mentem pauor ingens, & formido percutit, quod exiguam ratem tam immenſis fluctibus credidit: Ita etiam nos pati videmur, qui exigui meritis, & ingenio tenues inire tam vaſtum myſteriorum pelagus au-

audemus. Sed si orantibus nobis, Dominus dignetur spiritussanctì auram nobis prosperam dare secũdo verbi cursu portum salutis intrabimus. *Origenes hom. 9. in genesim.*

Cum autem catechesis recitatur, si catechumenus ex te quæsierit, quid dicebant doctores: nihil dicas extra: mysteria enim tibi, & spem futuri seculi tradidimus. Custodi hoc mysterium retributori, nec vnquam dicentem aliquem audi: Quid obest, si & ego didicero? Etiam ægroti vinum quãdoque postulant, quod si intempestiuè illis detur, phrenesin conciliat: & duo hinc nascuntur mala: nam & æger interit, & medic⁹, malè audit. Sic & catechumenus, si audiat mysteria à fideli, phrenesin patitur, nescit enim quid audierit, & tamen arguit rem ignotam, dictaque irridet: fideli verò tanquam proditor condemnatur. Iam ergo tu in finibus nostris cõstitutus, caue nequid effutias: nõ quod digna non sint narratione ea, quæ ibi dicũtur, sed quod indignus est illo audire cui referes. *Cyrillus Ierosolymit. præfat. catecheseõ.*

Nolite sanctum dare canibus. Sicut si canibus dederis sanctum aut porcis margaritas, nec sanctum canes sanctificat, nec margaritæ nutriunt porcos, sed contra canes coinquinant sanctum, & porci margaritas sordidant vel confringunt: Sic si hominibus caninos, vel porcinos mores habentibus, sanctũ dederis, aut mysteria secreta tradideris, nec sanctũ illos sanctificat, nec mysteria veritatis illos illuminãt, sed è contra ipsi sanctũ coinquinant, & mysteria veritatis blasphemant. *Chrysostomus hom. 17. operis imperf.*

Sicut margaritæ incluſæ cochleis positæ sunt in profundo maris, sic & diuina mysteria in verbis incluſa, posita sũt intus in altitudine sensus scripturarum sacrarum. *Ibidem.*

Sicut non omnis potest se mergere, & de profundo tollere margaritas, nisi artifex qui habet vsum rei illius: Sic nõ omnis homo potest descendere in altitudinem sensuum & inuenire mysteriorum absconditas margaritas, nisi vir spiritualis, qui habet exercitationem spiritualium narrationũ Dei. *Ibidem.*

Sicut infanti si dederis fragmentum panis, quoniam angustas habet fauces effocatur magis quam nutritur: Sic & homini imperfecto in fide, & puero in sensibus, si altiora mysteria volueris dicere, angustam habens, fidẽ & sensum magis scandalizatur quàm ædificatur. *Idem hom. 38.*

Quemadmodum expers literarum cum etiam libros intuetur, scripturę vim non intelligit, neque nouit quod oculorum sensu percipit: qui autem in literis eruditus est: multam in his conditam vim, & totas vitas & historias, & epistolas inueniet: verum harum ignarus, chartam duntaxat & attramentum putabit: expertus, & voces excipiet, & alloquetur absentem, & quodcunque voluerit per literas rogabit: Eodem modo in mysterio vsuuenit. Incredulis enim quamuis audiant, non tamen videntur audire: fideles autem per spiritum experientiam assecuti, in absconditis virtutem intuentur. *Idem hom. 7. in. 1. Cor.*

Qui ea quæ non intelligunt reprehendentes, lepram vel scabiem vel verrucas legis esse dicunt, promissiuas figuras sacramentorum, similes sunt hominibus, quibus displicent ea, quorum non capiunt vtilitatem, velut si surdus videns moueri labia loquentum, tanquam super fluos oris motus, deformesque reprehenderet, vel si quisquã cæcus laudata sibi aliqua domo, vellet palpando probare quod dicitur, & parietũ leuitatem manu pertractãs, in feneſtras corrueret, easque velut inconuenientes illi æqualitati redargueret, cauernasque ruinosas putaret. *Augustinus lib. 22. contra Faustum. cap. 6.*

Quemadmodum igne qui vult calefieri, sufficit vt tangat illum. nam si interius mittat manum, pro eo quod potuit calefieri, comburitur. Sic & qui profundius vel altius de Deo, disputare præsumit, pro eo quod glorioſius quid vult ostendere, in blasphemiam cadit, dum comprehendere altitudinem diuinorum dogmatum non possit. *Hesychius in Leuiticum lib. 11. cap. sexto.*

Vide curiositas, Dei opera inscrutabilia.

NATVRA.

Accipe lapidem, & mitte in cœlum, aut si phonem aquę, & eiaculare in cœlum: & vide si possis pertundere cœlũ. At grando minimum granum est: & quum cadit super caput hominis, quomodo dolores præstat? Aut vide stillicidium quod à tegula cadit in terram, & cauat lapidem. Sic igitur minima quæ deſursum cadunt super terram, magnam habent virtutem. *Hermas.*

Quemadmodum omnis aqua suapte natura quieta est, quoties secundus ventus à puppi aspirat, omni rudente

moto plenis velis naues in portum inferuntur: quoties autem repentè aduersus à prora incumbit, multam iactationem ac strepitum excitat, interdum etiam subuertit nauigium: & tamen innoxio mari crimen hoc ingeritur, cum satis appareat, remissione vehementiáque ventorum aut fluctus tranquillitatem fieri: Ita natura quæ rationem auxiliatricem habet, quieta quidem est per se, eúmq; felicem meritò reddit, qui contra omnes impetus potest bene vti. *Philo, in libr. De Cherubim.*

Quemadmodum nemo sanus ægrè fert à se reposci debitum aut depositum: Eodem modo natura quod suum est repetente, non arbitratur indignè ferendum, sed necessitati consentiendum. *Idem lib. de Abrahamo.*

Quemadmodum in periculosis morbis medicus interdũ corporis partem resecat, vt ad sanitatẽ id perducat: gubernator quoque tempestate occupatus, iacturã facit, dum saluti nauigantium prospicit: nemo tamen vel hũc vel illum incusat quasi noxium, imò vterque re bene gesta laudatur, quòd vtile dulci prætulerit: Eodem modo rerum natura semper suspicienda est contentis statu rerum præsentium, modò absit malicia voluntaria: nec inquirendum quàm iucunda sint quæ obueniunt, sed an more bene constitutæ reipub. mundus regatur ac gubernetur salutari ordine. *Idem lib. de præmiis & pœnis.*

Natura nihil patitur imperfectum. Et imago quæ tãtùm ex parte media videtur, non visum ac spectatorem admodum delectat. Et itineris labor inanis quidem, nisi ad statutum perueniat locum, quò viator præscripsit. Et currentes in stadiis, vno sæpe tantùm gradu deficientes, à palma excidunt. *Basilius.*

Vt nauem & ædificium, idem destruit facillimè, qui construxit: Sic hominem eadem optimè, quæ conglutinauit natura, dissoluit. *Cicero, de senectute.*

Vt in ædificiis architecti auertunt ab oculis naribúsque dominorum ea, quæ profluentia necessariò tetri essent aliquid habitura: Sic natura res similes procul amandauit à sensibus. *Idem lib. 2. De natura deorum.*

Agilitas spontaneus motus est. Adeò autem non adigit illa ad hoc doloris timor, vt in naturalem motum etiam dolore prohibente nitatur. Sic infans qui stare meditatur,

& ferre se assuescit, simul tentare vires suas cœpit, cadit, & cum fletu toties resurgit, donec se per dolorem ad id quod natura posceit, exercuit, *Seneca, lib. 2. epistola 122.*

Qui de natura queritur, quòd quædam genuerit homini noxia, dissimulatis tot bonis, perinde facit ac si quis Nilum calumnietur alioqui frugiferum Ægypto, quòd crocodilũ habeat, aut aspidem: nec postea velit frui prognatis frugibus, sed tantùm queratur de venenis, quæ nutrit. Aut si quis in copiosa oratoris oratione, quæ multis exuberet virtutibus, de pauculis voculis temerè elapsis cauilletur. *Plutarch. in Moralibus.*

Bos ad aratrum adhibendus, equus ad currum, ad venatũ canis, inquit Pindarus: Sic quisque debet eam vitæ rationẽ capessere, ad quam natura sit appositus. *Ibidem.*

Quemadmodum ex eodem luto licet fingere animantia, ac rursum confundere, atque continenter aliud ex alio facere: Sic natura ex eadem materia genuit maiores nostros: his extinctis, nos: deinde alios atque alios. *Ibidem.*

Natura rerum omnium nihilò secius habet quam amnium defluxus, & fumo in aerem euanescente fugacior est, & vmbra præcurrẽte inanior. In his si Philosophatus fueris, nec suauia te poterunt inflare, nec molesta deiicere. *Chrysostomus hom. 6. cum Sartoninus & Aurelianus acti essent in exilium.*

Vide homo, vita præsens.

NOBILITAS.

MAlis hominibus prognatis ex honestis maioribus, nullus locus esto inter nobiles. Quid enim prodest oculis orbato suorum maiorum perspicacitas nequaquam hereditaria? Quid prodest ad dicendum elingui, paterna vel auita eloquentia? Quid conferunt ad vires tabe diuturna ex succi aridíque, & vix ossibus hærentis, principes generis propter athleticum robur ascripti fastis Olympiacis? Imò quid etiamsi fuere victores in omnibus sacris Græciæ certaminibus? Certe nihil ea de causa decedit vitiis corporis, nullam opem ex præterita familiæ fœlicitate sentientibus. Ad eundem modum iniustis liberis iusti parẽtes, luxu perditis, sobrij, & in vniuersum malis boni vtilitatem nullam

adferunt: sicut nec iura iuris violatoribus, ad quorum contumaciam pœnis coercendam inuenta sunt. Et sunt leges non scriptæ, nimirùm vita exemplàque sectantium virtutem hominum. Ideo puto ipsam nobilitatem, si Deus ei formam vocémque daret humanam, sic allocuturam istos cõtumaces posteros. Gentilitas non sanguine solo æstimatur, apud veritatis iudicem, sed factis studiisque similibus. At vos in contrarium tenditis, quæ odi amatis, quæ probo, improbatis & auersamini. Apud me honor est pudori, veritati, moderationi, modestiæ, innocentiæ, vos hæc in nullo pretio habetis. *Philo Iudæus lib. de nobilitate.*

Quemadmodum lateres figulini ex luto tantùm originem ducunt: Sic nobilitas ex obscuris parentibus quoque nascitur. *Gregorius Nyssenus apud Antonium monachum in Melissa.*

Vt fugitiuis ab altaribus ac templis reuulsis, nihil superest præter mortuorum sepulchra: Sic qui vera suáque gloria destituti, maiorum imaginibus efferunt sese. *Plutarchus in Moralibus.*

Quanto maioris habetur ædificare domum, quàm habitare, aut ornare ædificatam: tanto præstabilius est atque excellentius, ab se partam nobilitatẽ possidere, quàm seruare ab aliis acceptam: cum alter suis viribus & lumine resplendeat, alter præ se ferat alienũ. Quare soli virtuti palma nobilitatis tribuenda est. Atria verò maiorũ imaginibus referta, porticus signis ac tabulis ornati, magnificæ villæ, tẽpla constructa, varia domus ornaméta, plus admirationis aspicientibus quàm nobilitatis secum ferunt. Hũc Antisthenes secutus, scripsit eosdẽ sibi videri nobiles & virtutis studiosos: in sola virtute nobilitatem constituens: Stoici hanc Platonis sententiam complectuntur, & solos sapientes nobiles esse volunt. *Poggius Florentinus lib. de nobilitate.*

Iam nobilitas quid est aliud, quàm nascendi sors & opinio, à populi stultitia inducta? aut quæ sæpenumerò latroci niis quæritur. *Ludouic. Viues in introductione ad Sapientiam. cap. tertio.*

Quemadmodum equus non generosus vocatur ac iudicatur, qui instructus apparatu magnifico fuerit, sed qui natura sit egregius: Ita neque vir bonus, qui dominus est preciosæ supellectilis, sed qui animum generosum possidet.

Socrates apud Stobæum sermone 1. De prudentia.

Minimi cancri, quos pinnoteras vocãt, quo tutiores sint, inanium concharum testis se condunt: & cum accreuerint, migrant in capaciores: Ita quidam maiorum suorum titulis tuentur sese, cùm suis diffidant virtutibus. *Erasmus.*

Vt lampyrides non sunt conspicuæ nisi noctu, aut obscuro: Ita quidam non sunt illustres, nisi inter humiles & idiotas, obscurantur autem inter egregios. *Idem.*

NOX.

Sicut piæ matres aut nutrices cum fortè natos suos ad requiem prouocãt, in gremiis positos complecti brachiis ad se constringere, ac tunica operire faciem & oculos solent, vt obscurior eis aer redditus somnum eis per quietem facilius inuitet: Ita & Deus tanquam velamen quoddam per vniuersum mundum tenebras obducens, hominum genus ad silentium gratissimæ quietis inuitat. Quod si nõ ita tempus istud munisset Deus, vt est genus hominum negotiis ac cupiditatibus, atque auaritiæ semper intentum, non solum subiectos sibi læderent, sed semetipsos laboribus consumerent. *Chrysostomus, lib. 2. de compunctione cordis.*

OBEDIENTIA.

Si probos quósque seruos pro ingenio dominico conuersari videmus, siquidem artificium promerẽdi, obsequiũ est: obsequij verò disciplina, morigera subiectio est, quantomagis nos secundum Dominum moratos inueniri oportet? seruos scilicet Dei viui cuius iudicium in suos non in compede aut pileo vertitur, sed in æternitate aut pœnæ aut salutis. Et tamen nos de hominibus modo seruituti subnixis, vel quolibet alio iure debitoribus obsequij, verumetiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus, intelligentes vsibus nostris easã Domino prouisas traditásque. Meliora ergo erunt in obsequij disciplina quæ nobis Deus subdit. Agnoscunt denique quæ obediunt: nos cui soli subditi sumus, Deo scilicet, auscultare dubitamus? *Tertullianus lib. de patientia.*

Si non aliter, saltem vt famuli nobis nostri, ita Deo seruiamus. Nónne vitam illi omnem in hoc exponunt, vt nobis requiem parent? & hoc illis opus est, istud studium, vt dominos curent. Nonne illi quæ Domini sunt, tota die curant, sua verò dici vix exigua parte? Contrà vero nos, nostra quidem semper, quæ Domini, vix vnquam curamus. Et quidem cum nostris Deus non egeat obsequiis, vt Domini famulorum, sed hęc omnia nostris cedunt commodis. Illîc famuli ministerium Domino prodest: hîc serui obsequium Domino nihil, seruo multum confert. Dic enim, quæso, si ego iustus sum, quid inde Deus lucratur? Quid perdit si fuero iniustus? Nónne natura illi immortalis, inuiolabilis & omni labe superior? Serui nihil habẽt proprium, sed omnia Domini sunt, quantumuis illi diteſcant: nos plurima habemus propria, neque absque ratione à rege omnium honoris tantum accepimus. Quis vnquam Dominus pro seruis suis filium suum tradidit? Nemo certè, sed omnes pro filiis seruos dare eligent. Contrà hîc filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, pro nobis inquam omnibus, seruis, infirmis, impiis, inimicis suis, odio eum habentibus. Serui si grauia eis imperentur, ne sic quidem indignantur, maximè si ingrati ij sint. Nos autẽ grauiter plurima ferimus. Erubescamus si vt nobis famuli seruiunt, ita nos Domino seruire non studeamus. Seruis herus nihil tale pollicetur, quale nobis Deus. Sed quid? libertatem præsentem omni sæpe seruitute duriorem: & vbi fames inualuerit, acerbiorem, pro summo tamen munere id habetur: apud Deum verò mortale nihil aut corruptibile. Sed quid? *Non vos*, inquit, *dicam seruos: vos amici mei estis.* Philosophantur illi necessitate coacti, nihil plus accipientes quam victum ac vestitum necessarium: plerúmque etiam minus, pane duntaxat vescentes, contenti seruili thoro dormiẽtes, & vitam reliquam summa cum vtilitate ducentes. Nihil sæpe delinquentes, iustè & iniuriis anguntur, nec tamen interim contradicunt, non criminantur, non indignantur: tantum deprecantur, & Philosophos omnes superant silentio. nos inter delitias iniurij sumus. *Chrysostomus homil. decima sexta. in 1. Timoth.*

Nunquid dicit figmentum factori suo cur me ita fecisti? Sicut lutũ quocunque manus se formantis duxerit, sequitur: ita homi

nem

nem quæcunque Deus iusserit, ea sequi, & quæ ille intulerit, grato animo perferre conuenit nihil omnino reluctando vel curiosè addiscere quærendo. *Idem lib 1. de prouidentia.*

Eum equum laudarim maximè qui vlla fine habenarum vi pro nutu compescitur, si vero freno cogente cum cõmode subegeris, nequaquam mirum: neque enim pecudis generositate sed fræni necessitate ipsa modi obseruatio reputabitur. Idemtidem & in homine licet intueri, quod imminente timore si tranquille perseuerat, nequaquam mirum: Cum verò tentatio ipsa quieuerit, atque timoris quis amouerit frænum, tunc vim mihi philosophantis animæ ostéde, modestiámque omnem. *Idem hom. 4. de pœnitentia.*

Cedendum potius voluntati Dei, sicut lutum obsequitur suo figulo. *Iustinus de recta confess. sine de S. & coessentia. Trinitatis.*

Quemadmodum decet, vt iumenta nobis obsequantur: Ita rationem nostram obtemperare oportet Deo. *Procopius in Leuitic.*

Sicut Adã in mortem incidit præuaricãdo: Ita & Saluator obediẽdo mortem trucidauit. *Thalassius ad Paulinum presbyt.*

Non immerito reluctantur bestiæ hominibus, quum ipsi Deo suo rebelles sint, cui sol, luna, stellæ obediunt: mare nõ transit fines suos, cum tamen habeat legem, vt homines, in tabulis scriptam. Sed sicut equus freno retrahitur: Ita mare ne abundet. *Theodoretus. serm. 3.*

Quemadmodum terra non modo quæ huic demandantur producit: Sic & anima ipsa nequaquam esse debet præceptis iam feciſſe satis contẽta, nisi & factis illa excesserit. *Theophylactus in cap. 1. prioris ad Thessal.*

Sicut sine duce non confiditur de victoria, ac sine gubernatore non peruenitur ad portum: Ita & absque obediẽtia impossibile est in huius vitæ pelago non periclitari. Ita enim hominem facit triumphare. *Laurentius Iustinianus, de ligno vitæ cap. 2. de obedientia.*

Ne simus minores Iudæis qui in vmbra tantum declarãt obseruationem. Sicut enim illi adhuc candelæ assistentes, tantoperè illa obseruarunt, Ita nos postquã sol Iustitiæ nos illustrare dignatus est, vt relicta vmbra adueritatem manu ducamur, similem obseruationem erga hoc spirituale sacrificium declaremus. *Chrysostomus hom. 60. in Genesim.*

Inter seculi homines si quis militum præter regis voluntatem facit, ad regē non admittitur: sed munere & dignitate exautoratus, vltimo afficitur supplicio: itidem & nos cū cupiditati seruimus, cum rapimus, cum vim inferimus, cū verberamus, cum nō facimus eleemosynam: illuc nullo pacto admittemur. Sed id nobis quod virginibus accidet, quibus ad sponsum ingredi nō licuit, sed extinctis lāpadibus, hoc est gratia deficiente, abierūt. Etenim ignem illum quē spiritus gratia statim accipimus, modo velimus, augebimus: sin minus extinguetur, quo extincto solæ tenebræ animas nostras occupabunt. Vt enim ardente lampade, lux vndiq; diffunditur: ita extincta occupāt tenebræ. *Idē ho. 49. in Ioan.*

Quemadmodum si quis in Ischomacho studiū posuerit, eum faciet agricolā: & si Lampidi, nautā: & Charidemo, imperatorē: & Simoni, equitandi gnarum: & Perdici, cauponē: & Crobylo, obsoniorū conditorem: & Archilao, saltatorē: & Homero Poetā: & Pyrhoni, contentiosum: & Demostheni, oratorē: & Chrysippo, dialecticum: & Aristoteli, physicū: & Platoni, Philosophum: Ita qui paret Domino, & per eū datā sequitur Prophetiam, efficitur ad magistri imaginem Deus qui in carne versatur. *Clemens Alexandrinus lib. 7. strom.*

Sicut qui virum bonū lædit, declaratus est seipsum multare: ita qui cedit præstantioribus, quamuis dicatur illis præstare beneficium re vera de seipso bene meretur. *Philo, lib. quod deterius potiori insidietur.*

Est ex legibus nostris hæc vna admodum lau datissima, & optimè per spiritum lata, quæ possibilitatē honestati admisc uit, & ita statuit, vt quēadmodū serui obtēperant dominis & vxores viris, & Ecclesia Domino, & discipuli pastoribus & magistris: Ita etiam homines cuncti, potestatibus subditi sint sublimioribus, non solū propter irā sed & propter conscientiam, ac ideo & tributum soluāt, & legem nequaquam ob malefactorum prohibitionem odio habeāt, nec gladiū expectent, sed timore purgati à potestate laudētur, atqui & amussis hæc est vnica, recto enim parcit: superfluū verò abscindit, vnus est sol, attamen sanos illuminat oculos, cum debiles magis obscuret. Vis vt aliquid etiam de nostris dicere audeā? Vnus est Christus, sed in ruinā positus est, & in resurrectionem, in ruinam infidelibus, in resurrectionem credētibus, & his quidem petra est offensionis, & lapis scā

dali, qui non cognouerunt nec intellexerũt, sed in tenebris ambulant, vel idola colunt, aut vsque ad literam vident, & super hanc nec illuminari volũt nec possunt. Alij autem lapis angularis & petra laudabilis, cui colligantur sermone, & in ipso ambulant, aut si vis margarita illa quã bonus ille mercator, omnibus quæ habebat diuenditis, emit. Nobis autem fratres tale quid accidit, cum vitam nostram emẽdare nolimus, sed cõtra potestatem indignamur, quale & iis qui Agonotheten incusant tanquam malum, cum ipsi in certaminibus sint ignaui, aut medicum tanquam imperitũ & temerariũ incisionibus & adustionibus, cũ ipsimet male sint affecti, & austerioribus indigeãt remediis. *Gregor. Nazianz. oratione ad subditos timore perculsos.*

Vt Adæ indignamur meritò omnes, quod vxori suæ potius obedierit, quam Deo: Ita nobis displiceamus, quod carni nostræ aut quibuslibet aliis creaturis, magis quam Deo placere studemus. *Bernardus serm. 1. de omnibus sanctis.*

Magna est dissimilitudo inter bonum & sequacem, atque inter durum & pertinacem. Nam huic dicere habet prælatus: Quid tibi faciam? quod Dominus ad eum nondum illuminatũ ait. At perfectus & obediens populus, dicit id Pauli dictum: Domine quid me vis facere? *Idem de Pauli conuersione sermone 1.*

Vt non est attendendum ad opera seu acta referẽtis imperialia mandata: Ita nec priuatorum, sed tãtùm summi regis attẽdenda iussio. *Honorius serm. de malis sacerdotibus.*

Solent inseri arbori agresti duo ramusculi alicuius nobilis arboris, deinde arboris quę prius fuit agrestis, perdũt flores, frondes & fructus, secundum naturam arboris nobilis à qua ramusculi sunt assumpti: Sic obediẽtia alienũ sensum & alienam voluntatem assumit, & cordi eius, qui promittit obedientiam, inseruit, & iam cor illud secundum sensum & volũtatem sui superioris operatur. *Guil. Peraldus, in summa virtutum, tractatu 5. capit. 20.*

Quodsi seruorum nequissimus habetur, qui Dominum suum fuga deserit, isque verberibus, vinculo, er gastulo, & cruce & omni malo dignissimus iudicatur, etsi filius eodem modo perditus, atq; impius existimatur, qui patrẽ suũ dereliquerit, ne illi obsequatur, ob cámq; causam dignus putatur, quod sit exhæres, & cuius nomen de familia perpetuò

deleatur, quantò magis qui Deum deserit, in quem duo vocabula, Domini & patris æque veneranda conueniunt? Nã ille qui seruum pretio comparat, quid in eum beneficij cõfert, præter alimenta quæ illi vtilitatis suæ gratia submini-strat? Et qui filium generat, non habet potestatem vt concipiatur, vt nascatur & viuat. Vnde apparet & non esse illum patrem, sed tantummodo generandi ministrum. Quibus ergo suppliciis dignus est desertor eius qui Dominus verus & pater est, nisi quæ Deus ipse constituit? qui spiritibus iniustis æternum parauit ignem, quod ipse per vates suos impiis ac rebellibus comminatur. *Lactantius firmianus lib. 5. cap. 19. institut.*

OBIVRGATIO.

VT elleborum si parcius sumas magis offendit, quod in hæreat viscеribus inficiátque corpus: sin copiosius erumpat, liberius: Ita nõ est obiurgandus amicus, nisi ea vehementia, quæ vitio liberet illius animum. Nam lenior expostulatio contristat amicitiam nullo fructu. *Plinius libr. 25. cap. quinto.*

Medici pharmacis amaris nonnihil admiscent, vt alliciant: Ita parentes obiurgationis asperitatem lenitate debent mitigare. *Plutarchus in Moralibus.*

Vt statuarij primum ictibus incîdunt lapidem, posteà polliunt, atque æquant: Sic amicus obiurgationem lenitate mitigabit. *Ibidem.*

Qui in rebus leuiculis acriter obiurgat amicum, perinde facit, ac si medicus amarum & acre pharmacũ ac sumptuosum in leuissimis morbis passim admoueat. *Ibidem.*

Vt bonus medicus mauult morbo mederi somno cibóque, quàm scammonio aut castorio: Sic amicus, pater, præceptor, magis studet laude corrigere, quam obiurgatione, si liceat. *Ibidem.*

Vt qui sacris initiantur, perferunt primos illos insultus, spe secuturæ dulcedinis, ac lucis: Idem faciendum iis, qui à Philosopho obiurgantur. *Ibidem.*

Quemadmodum medicus, vbi secuit carnem, nõ statim desert sectum, sed rigat ac lenit: Sic qui acrius obiurgauit, debet reliqua vitæ consuetudine lenire eam molestiã. *Ibid.*

Pharmacum non adhibitum in loco, dolet absq; fructu: Sic obiurgatio non vt debet admota. Atque idem facit amicus cum molestia, quod adulator cum voluptate. Lædit enim vterque. *Ibidem.*

Vt Telephi vulnus eadem hasta sanatum est, quæ vulnus inflixerat: Ita vulnus obiurgationis ab eodē sanabitur, qui fecit. *Ibidem.*

Vt perniones & facit & tollit frigus: Item ignis ambusta frigus. Item ignis ambusta sanat: Ita amici obiurgantis oratio dolori quem facit, eadem medetur. *Erasmus.*

Vide admonitio.

OBLIVIO.

VErum ut quod natura lynces insitū habent, ne post tergum respicientes, meminerint priorum, & mēs perdat quod oculi videre desierint: Ita nostrę es necessitudinis penitus oblitus, vt illam Epistolā quā in corde Christianorū scriptā Apostolus refert, non patua litura, sed imis, vt aiūt, ceris eraseris. Et illæ quidem quas diximus ferę, sub frondēte captātes arboris ramo capreas, aut timidum ceruos animal comprehendunt, currentémq, frustra prædam, dum hostem suum secum vehit, rabido desuper ore dilaniant, & tandiu meminere prædandi, quandiu fame venter vacuus siccum fame guttur exasperat. Vbi verò sanguine pasta feritas, viscera distēta cōpleuerit, cū securitate succedit obliuio tandiu nescitura quid capiat, donec memoriā reuocauerit esuries: Tu necdum satiatus è nobis, cur finem iungis exordio? cur amittis antequam teneas? Nisi forte negligētię semper excusatione socia, afferas te nō habuisse quod scriberes, cum hoc ipsum debueris scribere, te non habuisse quod scriberes. *Hieronymus epist. ad Gryfogonum.*

Lynces clarissimi omnium animantium cernūt, sed mira illis obliuio rei ab oculis semotæ: Ita quidam acri ingenio, sed obliuioſi. *Erasmus.*

Vide Memoria.

OCIVM HONESTVM.

QVemadmodum volucres videmus procreationis atq; vtilitatis suæ causa fingere atque constituere nidos,

eaſdémque autem cum aliquid effecerint, leuandi laboris cauſa paſſim ac liberè ſolutas opere volitare: Sic poſtri animi, negociis atque opere defeſſi geſtiũt, & volitare cupiũt, vacui cura & labore. *Cicero, lib. 2. de Oratore.*

Quemadmodum cælator oculos diu intẽtos ac fatigatos remittit atque reuocat, & (vt dici ſolet) paſcit: Sic nos animum aliquando debemus relaxare, & quibuſdam oblectamentis reficere: ſed ipſa oblectamẽta opera ſint. ex his quoque ſi obſeruaueris, ſumes quod poſſit fieri ſalutare. *Seneca, lib. 2. epiſt. 59.*

Vti nouales licet alternis interquieſcant annis, tamen eã ceſſationem vbertate compenſant: Ita relaxatio ingeniorum mediocris facit, vt ad ſtudia reuerſi, plus efficiamus vigore animi, licet breuiore tẽporis ſpatio. *Plin. lib. 18. cap. 16.*

Vt ſunt vices ſomni & vigiliæ, noctis & diei, tempeſtatis & ſerenitatis, belli & pacis: Ita labores leuandi ocio & luſibus. *Plutarchus in Moralibus.*

Lyram & arcum remittimus, quo melius poſſint tẽdi: Ita recreandus ocio animus, vt ad labores reddatur vegetior. *Ibidem.*

Auriga non ſemper adducit habenas, ſed aliquando remittit: Ita pueris nonnihil indulgendum. *Ibidem.*

OCIVM IGNAVVM.

POteſtne labi vir habens donum gratiæ? Vtique labitur ſi negligat. Nam hoſtes nunquam quieſcunt, nec mouere bellum dubitant. Quantominus ceſſare debes ab inquirendo Domino Deo? Damnum enim tibi non modicũ imminet ſi negligas, licet in ipſo gratiæ myſterio probatus videare. *Macarius hom. 15.*

Sicut ſchœnobatæ qui in funibus ſurſum deorſúmq; extẽtis aſcẽdere & deſcendere ſolent, ſi parum reſpexerint, precipites in orcheſtram decidunt, & pereunt: Ita & in hac via ambulantes, ſi parumper fuerint deſides, in preceps ferũtur. Via enim hæc & anguſtior & directior necnon & periculoſior, quam finis ille, imò & multo ſublimior eſt. *Chryſ. hom. 3. de Oſia.*

Si quis aditurus annonæ præfecturã, ſibi parat quicquid ad vitæ vſum pertinet, atque vt ſibi nonnihil dignitatis aſſequatur, & pecunias conſumit, & tempus impendit, & in-

numerabiles suffert labores quo malo nos digni fuerimus si cum tanta socordia regnum cœlorum adierimus, neque vlla cura nosmetipsos ad hoc præparemus priusquam accipiamus: quin & postquam acceperimus socorditer egerimus. *Idem, Hom. 1. in acta Apostolorum.*

Quod ignauis famulis vsuuenire in foro solet, vt ministeriis necessariis posthabitis ad quæ peragenda à Dominis suis amandantur: inconsulto ac temere sibi occurrentibus affixi, ocium illic absumant: hoc ipsum sane & nobis quoque accidat necesse est, quoties à Dei mandatis aberramus. Stamus enim admirati diuitias, corporis pulchritudinem, & alia item ad nos nihil pertinentia, illorum famulorum exemplo, qui mendicis morionibus, ac per præstigias quasdam miracula repræsentantibus intenti, sero domum vbi redierint, extremis plagis cæduntur: multi autē & propositum iter prætereunt, secuti alios turpiter & inhoneste in huiusmodi facinoribus se gerentes. Nos verò caueamus ne similia patremus. Etenim dimissi quidem sumus ad multa, & ea vrgentia peragenda: qui si omissis illis steterimus oscitantes ad hæc infructuosa, tempore omni nobis frustra & incassum absumpto, extremum luituri sumus supplicium. *Idem, Hom. 4. in epist. ad Rom.*

Adde quod ingenium longa rubigine lesum,
Torpet & est multò quam fuit ante prius.
Fertilis assiduo si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager,
Tempore qui longo steterit, male curret, & inter
Carceribus missos vltimus ibit equus.
Vertitur in teneram cariem, rimisque dehiscit,
Si qua diu solitis cymbia vacabit aquis.
Ouidius lib. 5. de tristibus elegia 12.

Nihil boni facere hoc ipsum est malum facere. Dicas enim velim, si famulū quempiā haberes, qui etsi nec furaretur, nec cōuitiaretur, nec contradiceret, imo nec inebriaretur, nec reliquorū malorū quicquā designaret, sederet tamē perpetuo otiosus, nec aliquid cosū q̄ seru⁹ hero præstare debet, faceret: nū flagellares illū? Atqui nihil dū mali operat⁹ esset. Itaq; hoc ipsum malū est. Ponamus verò & reliquæ vitæ rationem. Sit agricola quisquam qui nulla in parte

lædat noſtra bona, nec illis inſidietur, nec furtum intentet, duntaxat ligatis domi manibus otioſus ſedeat, nec ſeminans, nec ſulcum proſcindens, nec boues ſubiugans, nec vitem colens, nec alium quenquam eorum laborum faciens, qui ad terræ culturam pertinent. An huiuſmodi non puniemus? Atqui nihil iniuriæ intulit. verum hoc ipſo quod otioſus fuit, iniuriam intulit. Iniuriam enim committit communi ratione, qui quam debet vtilitatem non præſtat. Quid enim dic queſo, ſi quiſque opificum & artificũ, eum qui alterius artis eſſet, imo qui & ſuę, nihil quidem læderet aut impediret, quieſceret verò & otiaretur duntaxat, an nõ hoc pacto omnis vita noſtrá perderetur? Vis vt& ipſum corpus in hanc rationẽ ducamus? Manus igitur nec caput verberet, neque linguam excidat, nec oculũ effodiat, nec aliud quicquam eiuſmodi mali committat: tantú verò otioſa maneat, & miniſterium ſuum quod debet, toti corpori nõ præſtet, an digna non eſſet, quæ amputaretur potiũs, quam circumferretur otioſa, totique corpori nociua? Quid ſi os, nec manderet manum, nec morderet pectus, quę verò ſui ſunt officij omitteret omnia, an non melius obturatum eſſet os tale? Multomagis iſtud vtique in corpore Chriſti erit. Quid enim proderit dic quæſo, ſpinas incidere, ſi bonum ſemen iactum non fuerit. *Chryſ. ſt. Hom. 16. ad Epheſ. & ſermone de vitiis & virtutibus.*

Si ſeruum habueris non ebrium, non cõtumacem, ſed ſobrium, modeſtum, omni flagitio vacuum: hic ſi domi quotidie otioſus ſedeat, ſi quorum à ſeruo vſus debetur, Domino nihil efficiat, dic obſecro, nónne flagellabis eum? nónne tormẽtis afficies? Et tamen nihil flagitij commiſit. Satis eſt igitur mali hoc ipſum, nihil boni feciſſe. Sit nobis agricola quidam, nihil porrò peculij noſtri diſſipet, neque dolis, furtóve ſurripiat, tantùm ſuas manus compreſſas domi tenens ſedeat, ſemina non ſpargat, rura non ſcindat, vites non colat, & quod ad agriculturã pertineat, nihil prorſus efficiat: nónne ab eo ſupplicium ſumemus? Et tamen nihil intulit iniuriæ, nec habemus omnino, quod illum accuſare poſſimus. Sed hoc ipſum arbitramur iniuriam. Et noſtro quidẽ in corpore abſtineat capite manus, non linguam excidat, non oculos eruat, non denique tale quicquam mali faciat, otioſa tamen fuerit, nec ſui quicquid eſt officij, toti corpo-

ri sufficiat: nónne ipsam potius fuerit abscindere, quàm nihil agentem & inutilem toti corpori manum circumferre? Quod autem os, si neque manū absumpserit, neque pectus momorderit: quæ verò ad se pertineant, prorsus omiserit: nónne illud omnia obsignasse melius fuerat? In his igitur, si non modò aliquid feciſſe mali, verumetiam aliquid omi fisse boni, magna comprobatur iniuria: porrò diuinis in rebus idipsum multò magis appareat. *Idem, Hom. 36. de virtutibus, & vitiis.*

Si torpeamus, remissio nos perdit. Sicut enim aurum etsi aquis immoretur, propriam præstat speciem: siue in cōflatorium ceciderit splendidius rursum apparet: lutum autem & fœnum, siue aquis immiscerī accidat, hoc quidem marcescit, illud verò dissoluitur: siue in igné ceciderit, hoc quidem frigefit, illud autem comburitur: Sic certè & iustus & peccator. Ille quidem sine remissione fruatur, manet splendidus, sicut aurum aquæ immersum: siue in tentationé ceciderit. splendidior fit, sicut aurum igne examinatum. Peccator verò siue remissionem nanciscatur, dissoluitur & marcescit, sicut fœnum & lutum aquæ immorans, siue tentationem sustineat: cōburitur & perditur sicut lutum & fœnum ab igne. *Idem ho. 5. ad pop. Antioch.*

Sicut per rimam sentinæ aqua latenter intrat, & excrescit donec nauis per nautarum incuriam demergitur, ita ex otio atque ignauia cogitationes prauæ & concupiscentiæ multiplicantur, donec nauis cordis eis succumbens, in peccato periclitetur. *Bernardus, ser. de S. Andrea.*

Aues quæ conuiuiis comparantur, vt immotæ facilè pinguescant, in obscuro continentur: Ita sine vlla exercitatione iacentibus, tumor pigrum corpus inuadit, & superbam vmbram iners sagina succrescit. *Seneca, epist. 122.*

Sicut aqua quæ caret decursu ac iacet in foueis putrescit ac humano vsui aliena efficitur, repletúrque animalibus venenatis & noxiis: ita & corpus & otij tabe confectum concupiscentiarum carnalium parit insaniam. *Laurentius Iustinianus, lib. de perfectionis gradibus, cap. 9.*

Vt Herculem parum decebat exuto leonis exuuio, vestis Milesia cum seruiret Omphalæ: Sic parum decorum ciuili viro depositæ quam gessit persona, ad otiosam ac voluptariam vitam se conferre. *Plutarchus, in Moral.*

Apodes auiculæ aut pendent volatu, aut iacent, propterea quod pedibus careant: ita quidam in vtramque partem nimis vehementes, aut nimium tumultuantur negociis, aut toti torpent ocio. *Plinius, lib.* 10. *cap.* 39.

OPERA.

OPera sequuntur cognitionem, nõ secus ac vmbra corpus. *Clemens Alexand. lib.* 7. *Stromatum.*

Vt in hac vita seculari, alendis sustinendísque pignorib⁹ quo maior est numerus, hoc maior est & sumptus: ita & in vita spiritali atque cœlesti, quo amplior fuerit pignorũ copia, esse & operum debet maior impensa. *Cyprianus, sermone de Eleemosyna.*

Cibi sunt opera bona quæ nos ad futuram vitam, velut fidele viaticum comitantur. *Origenes, Hom.* 1. *in Iosue.*

Sicut in deserto sex diebus colligebant manna, in sexta autem die non vnius diei modum, sed quantum sufficeret in crastinũ, colligebãt, & vnusquisque edebat in die sabbati, quæ collegerant in die sexta: ita etiã nũc velut sexta quędã dies putanda est, domini nostri aduentus, & tempus hoc dispẽsationis eius, quã passione sua hoc seculo procurauit. Et idcircò dũ in die sexta sumus, colligamus manna dupliciter, vt sufficere nobis possit, dũ aduenerit vera sabbati obseruatio populi Dei. Si autem non collegerimus duplices cibos, qui nobis & in præsenti, & in futuro seculo sufficiũt, in duobus futuris non saturabimur. *Idem, Hom.* 3. *in Psal.* 36.

Aliud est de pane & mensa verba facere: & aliud edere ac sumere dulcedinem panis, vt inde corroborentur omnia mẽbra. Aliud est verbotenus disputare de potu suauissimo: & aliud abire, & ex ipso fonte capere ac ipso gustu suauissimi potus impleri. Aliud est sermonem habere de bello, strenuis athletis ac bellatoribus: & aliud abire quempiam in aciem bellicã, & cũ hostibus cõmittere, ingredi, egredi, accipere, dare, & victoriã referre. Ad hunc modum se res habet in spiritalibus. Aliud est notitia quædam & intellectu sermones explicare: & aliud in Hypostasi, opere, certitudine, & in interiori homine habere thesaurum, gratiam, gustũ, & efficaciam sancti spiritus. *Macarius, Hom.* 27.

Beatus vir qui non abiit, &c. Psal. 1. Quemadmodum igitur

in gradu scalari, prima est ascensio ab humo recessus: Sic in exercitatione diuinæ conuersationis, principium profectus est digressus à malo. Omnino autem facilius est otiari, quam qualecúmque opus facere. Verbi gratia: nõ occides, non mœchaberis, non furaberis. His omnibus otio tantum & immobilitate est opus. At qui diliges proxium tuum, sicut teipsum: & vende substantiam tuam & da pauperibus, actiones sunt athletis competentes. *Basil. in Psal. 1.*

Quomodo facit dextera, quod nescit sinistra? Cum intẽta mente & fixo desiderio placendi Deo, agimus opera Dei & omni sollicitudine constringimur, ne discedamus à via recta & ab opere legitimo, tunc nullus prorsus extrinsecus, neque membri nostri recipimus cogitationem, nisi solius Dei: & eius operis quod explemus, tanquã si artifex faciẽs vas, indesinenter & eius meminit qui opus iniũxit & vas quod versat in manibus. *Basilius de institutione Monach. cap. 29.*

Venite & videte opera Domini. Psal. 45. Quemadmodum corporis oculis accidit, semotiora interualla eorum, quæ se eõ spicua offerunt, apprehensionem reddunt obscuram & vix apparentem: contra propior accessio speculantis agnitionem rerum visibilium exhibet tanto expressiorem. Idem contingit & in multimoda mentis cõtemplatione. Qui per bona opera sese Deo familiarem ac propinquum non reddit, ipsius Dei opera puris mentibus videre nõ potest. *Idem in Psal. 45.*

Quicunque vni ex minimis fecerit, mihi fecerit. Si fortè rex quẽpiam de populo appellauerit, atq; ad seruos dixerit: Reddite gratias huic meo nomine quamplures, qui me inopia laborantem nutriuit, qui mihi beneficia in tempore permulta cõtulit: num certatim quisque pecunias eius omnes appenderit, cui rex gratias dederit? Si ergo in hominem tãtum honoris res ipsa tribuit, cogita Christum in illa die ad angelos dicentem: Hic me in terra susceptit hospitio, hic mihi innumera contulit beneficia, hic me peregrinum existentem cõfouit inducens. Cogita decætero fiduciam, inter angelorum populos gaudium. *Chrysost. Hom. 9. de pœnitentia.*

Quemadmodũ mercenarius malus qui intra tẽpus locationis suæ comedit oẽs mercedes, cũ autẽ tẽpore completo recesserit, nudus egreditur. Sic & homo, qui propter homines facit bonum, vacuus vadit ad Deũ. *Idem, Ho. 13. oper. imp.*

Sicut oleum accendit lumen lucernæ: ita & bona opera excitant fidem cordis, & dant confidentiam animæ. *Idem hom.15.*

Sicut qui pulsat ostium non tantum voce clamat, sed manu: Sic qui bona opera facit, quasi manu pulsat Deum operibus bonis. *Idem hom.18.*

Sicut oleum lapadis fouet: Ita opera bona subministrant confidentiam fidei, ac vigorem accendunt. *Idem hom.52.*

Qui operibus bonis florent, & Deum pietatis ignorant similes mihi videntur reliquiis mortuorū pulchrè quidem indutis, sensum autem pulcrorum non habentibus. Quæ enim vtilitas animæ mortuæ, Deo quidem mortuæ fide & ratione, bonis autem operibus vestitæ. *Idem hom. de fide & lege naturæ.*

Nox præcessit, dies autem propinquauit. Illa igitur finitur, ista aduenit, exerceam' quæ huius, non quę illius sunt: nam & in temporalibus hoc fit. Quando enim noctem ad diluculum vsque properare videmus, garrientemque hyrundinem audimus, proximum sibi quisque excitamus: & licet nondum prorsus nocturnæ solutæ sint tenebræ, quoniā tamen quod reliquum est transit, sollicitando alius ad alium diem esse factum dicimus: & quicquid diurni est temporis induti, à somniis liberati, excusso prorsus sopore, facimus ne non paratos orta dies inueniat. Atque ita nondum solis exorto iubare exurgere & ad facienda contendere incipimus. Quod igitur in temporalibus facimus istud & hic faciamus. Exuamus phantasias, liberemus ab huius vitæ somniis, & c. *Idem hom.23. in epist. ad Rom.*

Si cuius opus arserit detrimentum patietur. Quod inquit arserit, id est, non feret ignis impetum. Sed quemadmodum si quis aureis armis igneum fluuium traiecerit, splendidus egreditur. Si autem fœno onustus, non modo nihil lucratur, sed & seipsum perdit. Idem in operibus vsuenit, non enim tanquam personarum substantia ardeat, hoc dicit, sed formidinem magis augere vult, & ostendere eum qui in malitia viuit, omni carere securitate. Idcirco dicit, detrimentum patietur. *Idem hom.6. in 1. Cor.*

Quemadmodum in bello, non eorum qui plurimum iactant ab se gesta, sed qui plurima gesserunt: Itidem hoc in loco non loquentium sed facientium victoria est. Glo-

riaris in facundia inquit. Verum si rhetorum certamen & tempus est, recte inde gloriaris. Sinautem apostolorum veritatem annunciantium, & signis eam confirmantium, quidnam in re superflua, & nullius momenti, & in his quæ ad præsentia nihil conferre possunt, inflaris? Quare addidit: *Non in sermone regnum Dei, sed in virtute. Ibidem hom. 14.*

Sicut aurum videtur splendidum priusquam mittatur in fornacem, verum postquam traditum fuerit igni, tum verò certo dignoscitur, eo quod adulterinum est, ab eo quod est sincerum separato: Sic & nostra opera, vbi diligenter examinaueris, tum euidenter retegentur, videbimusque nos ipsos multis criminibus esse obnoxios. *Idē in cap. 6. ad Gala.*

Quemadmodum in semente qui seminat, non potest ex hordeo metere triticum, eo quod oporteat & sementem & messem eiusdem esse generis: Sic & in operibus. Qui in carne deposuerit delitias, temulentiam, concupiscentiam absurdam, quæ hinc prouenient metet. Quæ autem sunt ista? supplicium, vltio, probrum, risus, corruptio. *Ibidem.*

Quid prodest regi qui conchyliatus purpuratusque est, quique bellicorum armorum instructu non caret, si idem subditos nullos habeat? sed omnibus obiectus sit, insultare, iniuriamque afferre volentibus? Eadem ratione nullum Christiano ei lucrum accedet, qui fidem habuerit, affectibus autem obiectus obnoxiusque interim fuerit, sic enim maior illi contumelia, maius dedecus inuretur. Nam quemadmodum ille diademate redimitus, purpurea veste amictus, ab eo quidem ornatu non solum nihil quicquam lucri ad domesticam dignitatem tuendam assequitur, sed & illam quoque per primatum dedecus contumelia afficit: Ita & fidelis perdite viuens, non solum non veneratione dignus, sed magis ludibrio habendus. *Idem homil. vndecima in epist. ad Rom.*

Qui cētum annōs viuens nullum opus bonum demonstrauit, sed tantum quia non peccauit, magis autē quia neq; hoc, sed quia gratia sola saluatus est, alios autem videt coronatos, splendidos & probabiles, etiamsi non eat in gehēnam, nunquid sustinebit mœrorem? dic mihi. Proponam duos milites, vnus furetur & appetat aliena, alius nihil horum operetur, sed benignitatem solam ostendat, virtutes plurimas operetur, in præliis trophæa multa constituat,

optime currit præter viam. Nonne ergo erat melius & tolerabilius vt esset gubernator ille aliquanto inualidior, vt cum labore & aliqua difficultate gubernacula regeret, & tamen rectum debitumque cursum teneret, rursumque ille pigrius etiam & imbecillius, tamen viam ambularet, quam præter viam fortiter curreret: Optimus ergo ille, qui & viam tenet, & bene ibi ambulat, sequentis autem spei, qui & si aliquantulum claudicat, non omnino errat, aut remanet, sed progreditur, & si paulatim, fortasse enim bene sperandum est eum quò tendit, etiam tardius peruenturum. Ergo ex fide iustificatus est Abraham, sed fidē opera non præcesserunt, tamē secuta sunt. Nunquid enim fides tua sterilis erit? Si sterilis non es, sterilis non est ipsa. Aliquid mali credidisti, & igne malitiæ tuæ radicem tuæ fidei concremasti. Tene ergo fidem operaturus. *Augustinus in psalmum.* 31.

Sicut non impediunt à vita æterna iustum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur. Sic ad salutem æternam non prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficilimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur. Verū sicut in regno Dei velut stella à stella in gloria differunt sanctis: Sic in damnatione pœnæ sempiternæ tolerabilius erit Sodomæ quā alteri ciuitati, & erunt quidam duplo amplius quibusdam gehennæ filij. *Idem de spiritu & litera cap.* 28.

Sicut vna sæpe fauilla ingentem syluam consumpsit: ita vnum reperitur bonum quod magnorum scelerum ingentem multitudinem delere possit. *Climacus de discretione gradu.* 26.

Qui fidem non habet & bona quædam forte operatur, is ei similis est qui haustam aquam in perforatum dolium immittit. *Ibidem.*

Oculus sic factus est vt videre lumen possit, sed videre nō potest, nisi se illi lumen infuderit. Ita bonum quod facis, gratiæ ascribendum. Nam quod videt oculus beneficiū est luminis, quo si careret, cæcus remaneret in tenebris. *Fulgentius ad Theodorum senatorem.*

Vti summa confusio est, alienis ornamentis se extollere, Ita insanire est manifeste quenquam qui gratias quæ à Deo solo profectæ sunt, virtuti suæ attribuit. *Ibidem.*

Quod est corpus sine anima, hoc est opus sine intentione bona. Quælibet ergo actio quamuis bona videatur, quasi mortua iudicetur nisi per consilium ad intentionem bonam animetur. Et sicut vita à corde procedit, & se per omnia membra diffundit: sic & intentio bona de consilio surgit, & virtutum opera ad meriti vegetationem animare consueuit. Recte igitur per sapientem præcipitur, Omni custodia custodi cor tuum. *Richardus Victorinus de statu interioris hominis parte prima cap. 7.*

Sicut corporis huius vitam ex motu suo dignoscimus: ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima per quam mouetur & sentit, vita verò fidei charitas est, quæ per illam operatur. *Bernardus sermone. 1. de resurrectione Domini.*

Non ist volentis neque currentis sed miserentis Dei. Sicut cum bonos atque vberes fructus ad perfectam maturitatem pertulit seges, nemo pie & conuenienter dicet, quia fructus ipsos agricola fecit, sed à Deo fatebitur præstitos: ita etiam nostra perfectio, non quidem nobis cessantibus & otiosis efficitur, nec tamen consummatio eius nobis, sed Deo qui est prima & præcipua caussa operis ascribetur. Sic cum nauis superauerit marina discrimina, quamuis multo labore nautarum, omnis nauticæ artis opere impenso, & gubernatoris studio atque industria adhibita res agatur, ventorum quoque aspirantibus flatibus & astrorum signis diligenter notatis, sitamen nauis vndis & fluctibus fatigata ad portum salua peruenit, nemo sani sensus nisi misericordiæ Dei salutem nauis ascribet. Sed ne ipse quidem nauta vel gubernator audet dicere. Ego saluam nauem, sed totum ad Dei misericordiam refert: non quod sentiat se nihil ad saluandam nauē vel artis adhibuisse vel laboris, sed quoniam sentit à se quidem laborem, salutem vero à deo præstitam naui: Ita etiam in nostræ vitæ cursu à nobis quidem dependendus est labor, & studium atque industria adhibenda, laboris vero nostri fructus, à Deo sperenda est salus. *Origenes lib. 3. periarchon. cap. 1.*

Non est qui faciat bonum non est vsque ad vnum. Veluti si quis fundamēta iaciat domus, & vnū aut duos parietes extruat, aliquid etiam materiæ conuchat, nunquid dicetur fecisse domū, quāuis operatus videatur in domo. Sed ille dicitur

domum

domum feciſſe qui totius ædificii ad perfectum ſingula quęque membra produxerit. Ita arbitror & hic Apoſtolum dicere, neminem feciſſe bonitatem, à nullo eam ad perfectum & ad integrum conſummatam. Si autem requiramus qui ſit vere bonus & qui perfectam fecerit bonitatẽ, illum inueniemus ſolum qui dicit. Ego ſum paſtor bonus. *Idem lib. 3. in Epiſtolam ad Rom.*

Quemadmodũ ſi aliquis cum nigris veſtimentis inueniatur in nuptiis, ſordidat gloriam nuptiarum: Ita & qui opera habet tenebroſa, & inter Chriſtianos quaſi vnus ex eis conuerſatur, ipſi Chriſtianitati facit iniuriam. *Chryſoſtomus hom. 41. operis imperfecti.*

Sicut dominorum carnalium ſeruis eligere omnino non licet, quæ ex præceptis ſeruilibus faciant, aut quæ non faciant: Sic nos qui ſerui noſtri Domini ſumus, illicitum omnino exiſtimare debemus, vt vel illa quæ placent, pro animi oblectatione ſumamus, vel illa quæ diſplicent, pro ſuperbiæ abuſione calcemus. Sed acquieſcamus tamen iis, qui ex præceptis Dominicis idcirco forſitam nos volunt maiora dicere, quia ſe putant minora complere: non quia ſufficiat ad ſalutem, ſi maioribus ſpretis, minora faciamus. *Saluianus, De vero iudicio & prouidentia Dei.*

Sicut præparata eſt per prædeſtinationem voluntas à Domino, qua bonum velimus: Sic etiam opera bona præparauit Deus, vt in illis ambulemus. *Fulgentius, lib. 1.*

Vſus docet quòd quanto quis vberiores vult colligere fructus, tãto diligentiori & ſolicitiori cura terram excolit vomere ſenteſque de eâ eradicare conatur, ne naſcentes ariſtas præfocare poſſint. Nam ſi inculta permaneat, vepribus vrticisque repletur, & hominum vſibus omnino inutilis efficitur. Neque verò minori diligentia humani corporis terrena ſubſtantia, diſciplinæ ſpiritualis vomere colenda eſt, ſi ex ſe bonos Deo valeat producere fructus. *Laurẽtius Iuſtinian⁹, de diſciplina & perfectione monaſtica, cap. 20.*

OPERVM MERCES.

SEd retributionem quæris? Multi quidẽ & hîc receperũt, ſed non hoc recepere modo, ſed nõ ideo plus habituri nihil hîc recipiẽtibus. ſed quidã horũ tanquã infirmiores, quoniam illîc repoſitis, non ſatis trahebantur. Et ſicut

guloſi, inſolentes, expertes honeſtatis, & ventris ſerui ad regale vocati conuiuium, nec congruam horam expectantes, paruulorum infantium more ſuam corrumpunt lætitiã præuenientes, & vilioribus ſcipſos cibis ſaturantes: Ita ſcilicet & hi mercedem hîc exquirentes, & accipientes, futuram diminuunt. Et fœnerans quidem poſt multos annos ſortem recipere concupiſcis, cum periculo neque ſortem recipiendi, vt mora maius accipias fœnus. Hîc vero ſtatim repetis. Et hæc cum non hîc ſemper, ſed illîc continuè ſis manſurus: non hîc iudicari, ſed illîc pœnas ſubire debeas. Et ſi quis tibi quidẽ domos vbi manere nõ debeas, paraſſet, magnum exiſtimares detrimentũ id factum: nunc autem hîc vis locupletari, vnde frequenter & ante veſperã es migraturus. *Chryſoſtomus hom. 36. ad pop. Antiochenum.*

Si quis aurum tibi debens, in altera moranti regione neque ſeruos habenti, neque domum reportare valenti, mutuum ſe dare promitteret, etiam ac etiam rogares, ne tibi peregrè, ſed domi potius id erogaret. Illa vero ſpiritalia & ineffabilia vis hîc accipere? Et quãtæ ſunt iſta dementiæ? Nam ſi hîc quidem ceperis, omnino corruptibilia recipies. Si verò tempus illud expectes, incorrupta tibi reddet & immortalia. Si recipis hîc, plumbum recepiſti: ſi verò illîc, probatum aurum. *Ibidem hom. 53.*

Quando laborat cum gaudio operarius in agro? Quando attendit in arborem, & fructum videt, quando attendit ſegetem, & fructuare proſpicit vbertatem, non ſine cauſa laborauit, non ſine cauſa dorſum incuruauit, non ſine cauſa manus attriuit, frigus & æſtus tollerauit · hoc eſt quod ait Apoſtolus, vt cum gaudio hoc faciant, non cum triſtitia. Non enim expedit vobis, ſed illis, ſi cum triſtitia faciunt. Simul ergo in agro Dominico operemur bonum, vt ſimul deinde gaudeamus. *Auguſtinus De verbis Domini in Matth. ſermone. 16.*

Vide Gloria inanis, vita æterna.

OPERVM OSTENTATIO.

HOſtes ad rapinam prouocat, qui latronum notitiæ diuitias denudat. Quouſque enim ab æternæ patriæ

ſecuritate diſiungimur, per latronum inſidiantium iter ambulamus. Quod ergo in itinere deprædari formidat, abſcondat neceſſe eſt bona quæ portat. *Gregorius lib. 8. moliũ cap. 37.*

Quo arbor altius ad ſuperiora ſurrexerit, eo ventorum vim vehementius ſentit, quo quiſque plus in bonis operibus attollitur, eo ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur. Si arbor adhuc in ſemine eſt, metuendum ne putrefiat. Si adhuc virgultum prodiit, curandum ne hanc manus elationis tangat, atque à viriditate ſuæ actionis, arefaciat. Si valente iam robore, ad alta ſe ſubleuat, valde formidandum ne hanc admotæ laudis ventus grauiora radicitus euellat. Qui ſe auditis ſuis laudibus extollit quid aliud iſte quam aurum, vel argentum reprobum fuit, quem videlicet linguæ fornax conſumpſit. Arbor ſæpe quæ vnius venti impulſu ita impellitur, vt ne iam poſſe erui videatur, alterius è diuerſo vomentis flatu erigitur, & quæ hac ex parte inflexionem pertulit, ab alia ad flatum redit: ita nos Dei moderamine ſæpe, cum vox laudantis eleuat, lingua detrahentis humiliet. *Idem lib. 2. cap. 8.*

Stoici qui ſe dicunt inuictos, improhibitos, & cætera, cum omnia ſecus patiantur, ſimiles ſunt nauibus quibus inſcriptum eſt, εὔπλοια, καὶ προνοιασώζουσα καὶ θεὰπρεια· hoc eſt ſplendidi, ac magnifici tituli: at nihilo ſecius interim iactantur fluctibus, conminuuntur, ac ſubuertuntur. *Plutarchus in Moralibus.*

Chamæleon maximum habet pulmonem, & nihil aliud intus: Ita quidam præter oſtentationem & ventoſam iactãtiam nihil habent. *Plinius lib. 11. cap. 32.*

Quemadmodum oues in paſcua dimiſſæ, minimè apud paſtorem ſuum gloriantur veſpere, multo ſe paſtas gramine, ſed lac ei affatim, vellusque præbent: Ita nec quiſquam prædicare debet, quantum didicerit, ſed quid didicerit, afferre in medium. *Politianus in Lamia.*

Quemadmodũ medici quo doctiores videantur, diuerſas rerum ſpecies ex diuerſis mundi partibus petitas inter ſe commiſcent: Ita quidam oſtentatores orationẽ parum eruditam videri credunt, niſi ius Cæſareum ac Põtificium, poetas, oratores, philoſophos; ſophiſtas ſimul commi-

fcuerint,& pluribus authoribus ac literis cõfareinauerint, quàm Mithridaticum ferũt fuiſſe concinnatum:id conſtabat quinquaginta quatuor diuerſis rerum generibus. *Eraſmus in ſimilibus.*

Sicuti terra quæ venas aquarum occultat, nebulam quandam exhalat ante ſolis ortum, longius intuentibus: Ita qui verè boni ſunt,& eruditi, etiam ſi non oſtentent, tamẽ ſemper aliquid ex ſe produnt, vnde qui obſeruet, deprehendere poſſit ſubeſſe vim boni. *Ibidem.*

Vt non eſt optima imago quæ materia teſtatur opes locatoris, aut artem pictoris, ſed quæ rem proximè repræſentat: Ita optima eſt eloquentia, quæ non oſtentat ingenium dicentis, ſed rem aptiſſimè oſtendit. *Ibidem.*

Vt oua plena ſidunt, inania fluitant: Ita qui veris virtutibus aut literis eſt prædituſ, minus oſtentat ſe, quàm qui ſecus. *Ibidem.*

Animantia quibus longa ſunt crura, iiſdem longum ſit collum oportet: Ita qui magno ſtrepitu ſtudent viuere, lõgius rapiant neceſſe eſt, vnde ſuppetat ſumptus. *Ibidem.*

Vt ſol quo magis in alto eſt, hoc minores iacit vmbras: quo terræ propinquior, hoc maiores, puta mane ac veſperi: Ita virtus quo maior eſt,& excelſior, hoc minus videri cupit, minusque ſeſe oſtentat: contrà qui minus ipſa re valẽt, magis ſeſe dilatant oſtentatione. *Ibidem.*

Vide Gloria manus.

OPORTVNITAS, TEMPVS.

MEllis ſatietas vomitũ mouet quãtum vis ſit mel. Breuiter vt Salomoni ſic & mihi videtur ſuum cuique negotio deſtinatum eſſe tempus. Et videmus quę per ſe bona ſunt, ſi non bene quoque tractentur, boni gratiam amittere. Non aliter atque hibernis menſibus ſunt intempeſtiui flores. Nec mulieres virilis nec viros muliebris ornatus decuerit. Vt nec luctui conuenit muſica, nec in potum lacrymæ. *Gregor. Nazianz. lib. 1. de Theologia.*

Quemadmodum totius mũdi quidam circuitus ſunt fœcunditatis ſterilitatisve cauſæ animalium atque plantarum: Ita ſingulis actionibus aliud conuenit, aliudque tempus ad actionẽ hanc aut illam perficiendam. *Proclus, de anima & dæmone.*

Quemadmodum locus vnicuique corpori ab ipsa natura propriè destinatus est: Sic & tēporis partes aliæ aliis cōueniunt actionibus. *Ibidem.*

Morus nouissima omnium germinat, & tamen parit inter primas: Ita qui tempus idoneum operiuntur rei conficiendæ, etiāsi serius cœperint, tamen maturius cōficiunt. *Plinius, lib. 15. cap. 24.*

Apes peragunt opus suum non statis diebus, sed quoties cœli commoditas inuitat: Ita suo quæque tempore rapienda est occasio. *Idem lib. 11. cap. 6. & 10.*

Perfica ob id ipsum pluris venibant, quòd non durarent, nisi in triduum: Ita auidius rapiendum, quod citò præteruolat, vt iuuenta. *Erasmus in similitudinibus.*

ORATIO, PRECES.

QVi accedunt ad dominum, debent in silentio, pace & tranquillitate multa preces fundere, nec vti clamoribus parum decentibus & confusione plenis: sed cum intentione cordis & cogitationibus castis Deum præ oculis habere. Veluti dum quis morbo laborans cauterio aduritur, aut à chirurgo tractatur, hic fortiter, ac patienter illatum fert dolorem, sine aliquo tumultu & perturbatione se ipsum cohibens, licet sint alij dolore affecti, qui dum cauterium patiuntur, aut tractātur à chirurgis, vociferationibus importunis vtantur: cum alioqui par sit dolor clamantis & non clamantis, agitantis se, & quiescentis. Sunt nonnulli qui dū ita affliguntur & anguntur, tranquillo animo ferunt, ac sine perturbatione cogitationes animi sui coērcent. Sunt & alij eadem afflictione laborātes, qui dum illam iniquo ānimo ferunt, cum tumultu & perturbatione Deum orant: ita vt qui audiunt, inde scandalum accipiant. Sunt etiam alij, qui licet nullo dolore premantur, tamen ad ostentationem, aut ex more, ineptis clamoribus vtuntur: vt qui putent hac ratione se Deo placere posse. *Macarius hom. 6.*

Quemadmodum igni circa vas æneum exterius appositō, si subieceris ligna, accenditur: & quod intra vas est, coquitur, feruet, igne extrinsecus accenso: sin minus ligna submittas, incipit ignis tepescere & propemodū extingui: ad hunc modum gratia, quæ est ignis cœlestis, intra te est:

postmodum si precatus fueris, & contuleris cogitationes tuas ad diligendum Christum, quodammodo ligna subiecisti: & cogitationes tuæ conuertuntur in ignem, & desiderio Dei tinguntur. At verò si quis ignauia laborans, paulatim rebus secularibus & occupationibus seipsum tradat, denuò vitium accedit, & complectitur animam, totumque hominem incipit affligere. *Idem hom.* 40.

Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Isa. 1. Plane hæc causa est quare Deus oculos suos deflexit ab istis, cum alioqui manus suas extēderint, quod signa depromendę supplicationi accommoda verterint in occasionem exasperādæ iræ Dei, veluti si quispiam filium alicuius vnicè dilectum neci tradiderit, isque manus filij sanguine eatenus cruentatas supplex exporrigat ad patrem vehementer illi infensum, dexteram amicitiæ indicem efflagitans, vtque apud ipsum veniæ locū obtineat. An non responderemus filij sanguiné in manu filiici dæ ad iram tanto acrius exacerbare patrem tali iniuria affectum? Equidem Iudæorum preces sic se habent. *Basil. in cap. 1. Esayæ.*

Quomodo quis inter orandum non distrahetur? Si certo credat Deū se ante oculos habere. Si enim principem aliquis aut præsidem intuens, & cum eo loquens, oculos ab eo dimouere non solet, quî non tandem credibilius est, intentam mentem habiturum illum, qui Deo preces adhibeat, in eum qui scrutatur corda & renes? & illud facturū quod scriptum est, leuantes puras manꝰ sine ira & disceptatione? *Idem hom. in reg. breuiorib. inter rogat.* 201.

Quemadmodū in coronis nō satis est, flores esse puros, nisi pura sit & manus eas cōtexans: Sic & in sacris hymnis oportet non verba tantū esse pia, verūetiam animū hymnos concinentē. *Chrysostomus. hom.* 10. *cū presbyter esset designatꝰ.*

Neque perinde amnium fontes floridos reddant hortos, vt plantam deprecationis, fontes lacrymarum irrigantes faciunt in summā altitudinē excurrere. *Idem hō. de Anna Samuelis educatione.*

Ne rogaueris pro populo hoc. Ieremi. 7. Vbi videt vaticinium esse completum, simulque tēpus vocare ad reditū, tunc orat, non simpliciter, sed in ieiunio & sacco, & cinere: & quod in hominum moribus euenire solet id fecit erga deum.

Nos enim cum videmus aliquos qui famulos post multa grauiáque commissa coniecerunt in vincula, non protinus in principio exordióque punitionis admouemus supplicationem, sed vbi sciuerimus illos aliquot dies temperatiores esse factos, tunc adimus eos, nacti iam & ab ipso tempore auxilium: hoc sane & Propheta fecit. Posteaquam enim pœnas dederant, haudquaquam dederant dignas admissis, attamen iam adit Deum pro illis verba facturus. *Idē oratione 2. aduersus Iudæos.*

Qui cum rege terreno loquitur, de his tantum verba facit, de quibus voluerit audire, & de quibus rex fuerit percontatus. Quod siquis ausit iniicere secus quam ipse velit, extremo supplicio afficitur. Tu verò cum rege regum colloquens, cui cum horrore seruiunt Angeli, omisso cum illo sermone, de luto, de puluere, de telis arancarum loqueris. Nihil enim aliud sunt huius vitæ negotia. Et quomodo sustinebis istius contemptus pœnam? Quis autem te ab hac vindicta liberabit? *Idem hom. 1. super illa verba Isaiæ. 6. Vide Dominum.*

Quemadmodum nullo pacto fieri potest, vt qui solis radiis fruitur, non effugiat tenebras: Ita nulla ratione fieri potest, quin qui cum Deo consuetudinem agit, desinat esse mortalis siquidem ipsa dignitatis sublimitas nos ad immortalitatem transfert. Etenim si qui cum Cæsare miscent sermones, familiaritérque cum eo versantur, & hoc honoris ab illo sunt adepti, non possunt esse pauperes, multominus fieri potest, vt qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales. *Idem lib. 1. de orando Deum.*

Quemadmodum corpus hoc nostrū, si non adsit anima, profecto mortuum est, ac fœtidum: Sic anima nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est ac misera, ac grauiter olens. *Ibidem.*

Quemadmodum siquis mulierem mendicam, sordidis pannis vestiri solitam, post aureis vestibus ornatā videret, nequaquā agniturus sit mulierculam: Ita si quis eam ciuitatem prius nouisset mendicam, hoc est, vacuam omnibus thesauris spiritualibus, nimirum ignorasset quęnā esset illa ciuitas in qua trāsmutanda tantum valuisset deprecatio, vt

& mores & vitam reduceret. *Ibidem.*

Quemadmodum alij quidem reges incolumitatis suæ spem ponere consueuerunt in militum peritia, & arte belli gerendi, in sagittariis, in cataphractis, in equitibus: Ita magnus ille Dauid, sanctis precibus mœnium vice suum cinxit exercitum, nequaquam respiciens imperatorum, tribunorum, ac centurionum ferociam, neque pecunias colligens, nec arma comparans, sed orãdo, diuinam armaturam è cœlo deportans. *Ibidem.*

Quemadmodum ciuitas quæ muris cincta non est, facile venit in potestatem hostium, propterea quod prorsus absit id quo fuerat hostium incursus arcendus: Sic & animam non munitam precibus, diabolus facile in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni scelere implet. *Idem lib. 2. de oratione.*

Quemadmodum qui cum rege collocuti sunt, ab hoc sermones placidos honorémque sunt consecuti, non dignantur in contubernium venire mendicorum & abiectorũ hominum: Ita qui cum Deo fabulatus est, eíque sua vota protulit, nequaquã dignabitur mali & impij spiritus familiaritatem admittere. Nam vero profecto quisquis voluptatibus seruit, cum dæmonibus habet familiaritatem, atque eorum insaniam imitatus est. Sicut è diuerso, qui tẽperans est ac iustitiam exercet, cum Angelis habet commercium, & illorum æmulatur dignitatem. *Ibidem.*

Vt arbores quæ radicem altius miserint, quamuis summum ventorum excipiant impetum non frangi aut euelli possunt: Sic orationes quas animus Deo suo reddiderit, per quàm tutè affixæ, efferunt sese in excelsum, nullóque perturbantur aggressu agitationum. *Idem hom 5. de incomprehensibili natura Dei.*

Non leonis rugitus bestias sic fugat, vt iusti oratio dæmones. *Idem hom. 3. in acta Apost.*

Precatio seu radix & basis, omnibus cæteris virtutibus substernitur. Neq; secus ac nauem & domum, ea quæ substrata sunt validam reddunt, ac ne soluatur, continent: ita nostram vitam orãdi studium continet: & vbique firmam reddit. His de causis Paulus nos monet: *Deprecationi instate, vigilantes in ea cum gratiarum actione. Idem lib. 1. de orando Deum.*

Si quis dicat animæ neruos esse deprecationem, videbitur verum dicere. Quemadmodum enim corpus neruis cohæret, currit, stat, viuit, & compactum est, adeo vt si neruos incideris, vniuersam corporis hármoniam dissolueris: itidé animæ per sanctas preces sibi constant, & compungũtur ac pietatis cursum facile peragunt. *Idẽ lib. 2. de orando Deum.*

Si teipsum oratione destitueris, perinde feceris ac si piscé ex aquis extraxeris. Vt enim piscis vita est aqua, ita tibi deprecatio. *Ibidem.*

Quemadmodũ aurum, lapides pretiosi ac marmora constituũt domos regum: sic deprecatio templa Christi, vt inhabitet Christus in cordibus nostris. *Ibidem.*

Quemadmodum vbi regina quepiam ingreditur ciuitatem, necesse est vt omnis opulentia pariter consequatur: sic videlicet posteaquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur. *Ibidem.*

Ab hominibus cum aliquid exposcis, & molestus omnino & onerosus videris: Deum verò quãdo id non facis, tũc amplius vt tibi indignetur accẽdis. Si verò permaneas postulando, etiamsi non continuo accipias, accipies tamen. *Idem hom. 24. in Mathæum.*

Si quo die legitimam liberis operam dedisti, crimen non fit licet, in sacris orare non audes, conuitiatus (quod gehẽnam meretur) priusquã teipsum mundes, manũ ad cœlum tollis? Tu ab immaculato honorabilis connubij lecto surgens, times ad orandum Deum accedere, à diabolico lecto horribile Dei nomen audes inuocare? Est enim conuitiũ & simultas, diaboli lectus, imò adulter pernicioſus, occulta voluptate cum animo adulterãs, & ex pernicioso spermate diabolicas patiẽs inimicitias, contráq, omnia quàm matrimoniũ peragens. Hoc enim pacis vinculo vnit, & duos in vna carne coniungit. Illud etiam coniunctos dirimit, scindit, lacerat. *Idem hom. 52.*

Dic sodes, si stercore manus atque cœno illitas haberes, auderésne ita sordidus orare? Minimè inquies. Atqui hoc nullũtibi damnũ afferret: illud omni peste pernicioſius est. Quomodo igitur ea quæ indifferẽtia sunt, vereris: quæ autem certam perniciem habent, ex desidia abiicis? Quid igitur? an non est orandum, inquies? Orãdum quidem tibi est, sed non sordido, neque ita deturpato. Nã siquis pedes tuos

ſtercore ſordidatis manibus, ſupplicando tangeret, nō modo non exaudires, verumetiam calcibus expelleres. Quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare? Nā qui orat, quaſi manu lingua vtitur, qua genua Dei ſupplicando attingit. *Ibidem.*

Sicut thymiama bene confectū delectat hominē odorātē Sic oratio iuſti ſuauis eſt, ante Deū. *Idē hom.* 13. *operis imperfecti.*

Sicut nec miles ſine armis eſt aliquis, nec arma ſine milite: ſic nec oratio ſine ieiunio, nec ieiunium ſine oratione. *Ibidem hom.* 15.

Sicut res aliqua ſine odore quidem poteſt eſſe, odor autē ſine re aliqua eſſe nō poteſt: Sic opus ſine oratione aliquid eſt, oratio autem ſine opere bono nihil eſt, & ſi oras, non ex fide oras. *Idem hom.* 18.

Omnes medici pecuniis: Deus autem ſola oratione placatur. *Idem hom.* 18.

Bellum eſt in foro, pugna ſunt actiones illæ quotidianæ, inundatio ſunt & tempeſtas. Opus itáque nobis eſt armis. Bona autem armatura eſt oratio. In proſperitate ventorum oportet nos diſcere omnia, vt poſſimus longitudinem diei ſine naufragio pertranſire, & ſine vulneribus. Multi quippe per ſingulos dies ſcopuli oppoſiti ſunt, & ſæpius in illos eliſa nauis demerſa eſt propterea opus eſt nobis oratione, maximè autem matutina & nocturna. *Idem hom.* 14. *ad Hebr.*

Non ita rubignem ignis excoquere ſolet, ſicut oratio nocturna noſtrorum rubiginem peccatorum. *Idem hom.* 42. *ad pop. Antioch.*

Non ita fontes aquarum hortos reddunt fertiliores, vt orationis plantam lacrymarum fontes irrigantes, ad maximam excreſcere faciūt altitudinem, & orantem corā Domino conſtituunt: hinc enim maximè fit vt exaudiatur. *Ibidem hom.* 79.

Et tu dicis, quid mihi opus eſt oratione? Propter hoc indiges, quia indigere te non credis. Nam ſi Deus noſtrum in orationibus torporem & negligētiam exquirat, & quod in eius conſpectu poſiti & orantes, neque tātum ei præbemus honorem, quantum dominis ſerui, quantum ducibus milites, quantum amicis amici: amicum enim alloquens, hoc cum attentione facis: Deo autem pro peccatis occurrens, pro tótque criminibus veniam petens, & rogans tibi remiſ

sionem fieri torpes: & genibus tuis humi prostratis, circa forum & domum mentem tuam vagari frequenter dimittis, ore tuo frustra nugante & incassum: nec hoc semel & bis, verum & frequenter patimur. *Ibidem.*

Qui orans ieiunat binas possidet alas quibus vētos ipsos volando præteruehitur, nō enim oscitat, nec extēditur, nec torpet orando, sed igne ardentior & terra superior, quare terribilis hostibus redditur. Nihil enim homine probo orā te potētius. Nam si mulier crudelem dæmonibus iudicem, qui nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur flectere potuit, multo magis propitium Deum faciet, qui continuè orationi adhæret, ventrem superat, delitias spernit. *Idem hom. 71. ad pop. Antioch.*

Homo qui cū Deo loqui didicerit, vt par est cum qui cū Deo loquitur, erit deinceps Angelus, etiamsi pauper, famulus, priuatus & indoctus. Non quærit enim Deus linguæ elegātiam & verborum compositionem, sed animæ pulchritudinem, ea si quæ ipsi placuit loquitur, re tota effecta recedit. Vides quanta facilitas. In hominibus oportet eum qui ad hominem oratum accedit esse dicendi præditū facultate: blanditiis sibi cōciliare principum assecias, aliáq; excogitare multa, quo gratus sit & acceptus. Hic alio nullo prę terquam sola sobria & vigilanti mēte opus. non est miles, aut assistit qui expellat, aut interrumpat satelles, quive dicat, Nunc tempus nō est, veni postea. Cum veneris, stat audiens, etiamsi tempore prandij aut cœnæ, nocte intēpesta, in foro, cubili, via iudicio. Non est quod dicas, vereor accedere, orare: adest inimicus, eum non attendit. semper potes interpellare. Nulla difficultas. nō opus ianitoribus qui introducant, non dispensatoribus, procuratoribus, custodibus aut amicis, sed cum ipse per te accesseris, tunc maxime, & quidem plus quam per alios te audiet. *Idem in Psalmum quartum.*

Enimverò si cum ad homines accedimus, tanto studio nostri curam agimus, vt prope stantes sæpenumero non videamus, sed colligimus mentem, & ad eum solum spectamus quem accedimus: quantomagis apud Deum idem facere continuò & iugiter precibus insistere congruit? Propter hoc & Paulus scribens, dicebat: Orantes in omni tempore, orate & in spiritu:

non lingua tantum, & cum perpetua, inquit, vigilantia, sed & in spiritu. *Idem Hom. 3. in Genesin.*

Sicut nullum in vulnere valet medicamentum si sit intus ferrum: Ita nihil proficit illius oratio in cuius pectore mortiferum versatur odium. *Augustinus de rectitudine Catholicæ conuersationis.*

Quemadmodum serpentis quoddam genus est, cum ad bibendum, prius quam ad fontem venit, omne venenum euomit: ita Christianus cum ad orandum accedit, omnē iracundiam & odium proximi deponat. *Idem de perfecta iustitia ad Iulianum comitem.*

Sicut si velles implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum sit quod dabitur, extendas sinum, vel saxi, vel vtris, vel alius rei, vt extendēdo facias capaciorem: Sic Deus differendo (petitionem) extēdit desyderium, desyderando extendit animam, extendendo facit capacem eorum quæ oculus non vidit, & auris non audiuit. *Idem tractatu 4. in epistolam Ioannis.*

Sicut fures cū arma regis aliquo in loco posita viderint, non illuc facile ascendunt: ita & qui cordi orationem coniunxit, non fortuito ab intellectualibus latronibus violari poterit. *Climacus de discretione gradu 26.*

Orantes laboremus, vt nulla nobis extranea cogitatio subripere possit. Si enim apud aliquam personam potentem velles aliquam causam necessariam allegare, & subito auersus ab illo, media interlocutione dirupta, aliquibus te velles scurrilitatibus occupare, qualem putas iniuriam illi personæ cum qua loquebaris, infe res? aut quomodo cōtra te illius iracundiam commoueres? *Cæsarius Arelatensis, Hom. 29.*

Quid indigebat Christus vt taliter supplicaret? Non ille quicquam indigebat, sed nobis exemplo suo orationis remedia præparabat. Orat misericordia & non orat miseria. Orat charitas, & non humiliatur iniquitas. Prostratus in terra orat medicus, & non inclinatur ægrotus. Orat innocentia & non orat nequitia. Orat qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius: & nō se prosternit multis peccatis obnoxius. Orat iudex & desiderat parcere, & non orat reus vt indulgentiam mereatur accipere. *Ibidem.*

Sicut reuelatur facies terræ per radios solares, ab obscu-

ritate aeris occupante: ita potens est oratio soluere & anni hilare ab anima nebulas vitiorum & irradiare mentem luce lætitiæ & consolationis, quod gignere consueuit in cogitationibus nostris, & maximè cum habuerit pabulum à pagina sacra, & vigilantia, quæ mentem illuminat & illustrat. *Isaac presbyter de mundi contemptu.*

Sicut iuxta Dei sententiam vulneri medicamentum si adhuc ferrum in eo manet non proficit oratio illius cuius adhuc dolor in mente vel odium manet in pectore. *Beda in natali innocentum Martyrum.*

Laudate Dominum omnes angeli eius. Consuetudo imo vis quædam naturaliter imperat pullis, vt suo cantu à nocte diuidant noctem. Qui clamant quidem vt alios excitent ipsi vero cunctis vigilantibus dormiunt. Quod ergo ad ruborē dixerim nostrum, qui excitamus ad laudem Dei eos, qui in cœlo sunt, dicentes laudate Dominum vos qui estis in cœlis. Ipsi vero dormimus cum talia opera nō facimus in quibus laudetur Deus. Sed quod peius est nomen Dei blasphematur, cum in iudicio personas accipimus, cum ad vestimentum, & ad annulos & ad glorias hominum attendentes, personas pauperum refutamus. *Arnobius in Psal. 148.*

In' tranquillitate es, ora Deum vt ipsa tibi tranquillitas maneat. Tempestatem vides grauem, ora Deum vt auertat ipsam, & ex ipsa tranquillitatem faciat. Exauditus es, gratias age, quod exauditus es. Non exauditus es, perseuera vt exaudiaris. Et si differt aliquando Dominus, non id odio facit, neque te aduersatur, sed differendo diutius te secum seruare vult. Sicuti & patres filios indulgentius amantes, quo illos diutius apud se detineant, quos desides vident, dedita opera morantur aliquid daturi. *Chrysost. Hom. de profectu Euangelij.*

Sicut veneranda res est sobrios & sui compotes ire ad vota & sacrificia: sic è diuerso ridicula, si quis corpore animóque præ vino labente id facit nisi fortasse quoties Domini & parentes & principes adeundi sunt, curare decet seruos & filios, & subditos vt sobrij sint, nequid dicto factóve peccent, néve pœnam incurrant, si videantur dignitatem maiorum cōtemnere, aut si clementius cum eis agatur, certè irrideantur: omnipotentem vero patrem aliquis adora-

turus cibum, potum, somnium, cæteráque quorum vsum natura postulat non moderabitur. *Philo, lib. de temulentia.*

Rectos decet collaudatio. Quemadmodum enim pedi obtorto atque obliquo, calceus rectus non admodũ probè aptatur: Sic obtortis cordibus diuina laus minimè conuenit. *Basil. in Psal. 33.*

Quinam seruus rei suæ domesticæ curam gerit vnquam priusquam herile ministerium expleuerit? Quomodo igitur absurdum non est, inter homines quidem, vbi dum & inane nomen dominatus est, tantum pudorem & obedientiam Dominis exhibere, enimvero qui non modo verè noster sed & superarum potestatum Dominus est, ne eo quidẽ ipso quo conseruos nostros dignatur, cultu dignari? *Chrysost. Hom. de non contemnenda Dei ecclesia.*

Veluti ex sonora vocum dulcedine psalterij vel organi docta agnoscitur artificis manus, & ex verborum ornata prolatione doctoris patet facundia: Sic ex effectibus variis orationis, illius percipitur excellẽtia. *Laurentius Iustinianus, in ligno vitæ, cap. 2. de orat.*

Vt mens cibi auiditate laxata, perdit orationum vigorẽ, dum carnis nimia lassitudine prægrauata compellitur dormitare. Ita rursum nimietate voracitatis oppressa, emittere ad Deum preces ac laudes non poterit. Nam per indiscretionis excessum debilitatum quemlibet ad illum statũ reuocari necesse est, in quem negligens per incuriam deuenit. *Ibidem, cap. 3.*

Quemadmodum qui terram colit, solerter sentes debet eradicare, vt vberiores valeat colligere fructus: ita qui cõcupiscit dulcedinem deuotionis in oratione gustare, summopere studeat ipsius impedimenta declinare. Quia frustra currit ad portum orationis, quisquis illi aduersantia non tota intentione refugit. Multa enim sunt orationis impedimenta. *Ibidem, cap. 4. de oratione.*

In rebus humanis ille sagacior prudentiórque cognoscitur, qui in agẽdis negociis propriis vel alienis, seruato modo, loco ac tempore opus arreptum ad finem ducit. Aeque in spiritualibus fatendum est, & præsertim in orationis actu: quia quantò est excellentior actio, tanto prudentius debet fieri. *Ibidem, cap. 9.*

Quemadmodum preces quæ attentè ac puro animo funduntur, à Domino reportant quod petunt: ita despiciuntur

leues, diffidentes, mutiles, ac seculi curis anxiæ, rebus temporalibus implicitæ, ac bonorum operum fructibus infœcundæ. *Isidem.*

Sicut certaminis brauium non assequitur, qui antequàm ad metas attingat, deficit: Sic orationis fructu priuatur, quisquis in illa non extiterit importunus. *Ibidem.*

Quemadmodum ignis quãtomagis in vnum colligitur, tanto amplius nutritur, & flammas euaporans rursum impetuosius erumpit: ita & mens cum diutius intra se commorata fuerit, & ardentius per amoris incendium vrit in se, & per desyderium eleuatur in Deum. Sed si tunc verba quædã protulerit, tota ignita, sapientiæ nectare condita, veritatis splendore irradiata, & diuinarum laudum suauitate plena erunt. *Idem, de perfectione monastica, cap.* 5.

Quicúmque hoc orandi dono præditi sunt, ingenti priuilegio sunt donati. Similes enim sunt, quos reges ita familiares habent, vt eorum ingressus ad eosdem reges non prohibeatur, quod summi honoris loco cẽsetur, & quibus hoc permittitur, inter omnes beatissimi existimantur. At verò per hanc orationem in auctoris omnium Dei familiaritatem venire, quantæ dignitatis esse iudicandum est. Quod si quis moueatur, quod cum Deus sciat, priusquam petamus, quid nobis opus sit, cur expectat, dum postulemus? Qua in re sciendum est precationes nostras non idcircò adhiberi, vt ad eas flectatur Deus, & inclinetur ad nos, qui paratissimus est ad nobis benefaciendum, ac nobis vltrò se offert. Sed est oratio quemadmodum præstantissimi ante nos dixerunt, veluti aurea catena è cœlo in terram demissa, per quam qui ascendere velit, videtur quidem catenam ad se trahere, re autem vera trahitur ipse ab illa in cœlum. Non est ergo necessaria oratio ad permouendum Deum, sed ad nos illius donis præparandis suscipiendos. *Isidorus Clarius, orat. de fructu orandi tomo* 1.

Multa interdum optamus, quæ si darentur, essent nobis perniciosissima, propterea admonebat Salomon, *Ne temerè quid loquaris coram Deo. Eccl.* 5. Et sanè turpe esset, Christianos in tanta veritatis luce ab ethnicis superari. Nã de Lacedemoniis scribit Plato, solere eos orantes petere, pulchra & bona sibi dari, nec plura illos precari quenquam audiuisse. *Ibidem.*

Si is qui coram principe ſtat, cúmque alloquitur, multo cum timore ſtat, non leuem aut vagum tenens, & exteriorē & interiorem animi aſpectum, nequādo periculum ei creetur, quanto magis coram Deo ſtare oportet cum timore & tremore, totámque mentem intentum habere in eum ſolum, & nuſquam alibi, propterea quod non ſolum exteriorem hominem aſpicit, verumetiam interiorem intuetur? *Ibidem.*

ORATOR.

RAnis ſimiles ſunt oratores. Hæ enim in aqua clamitāt: illi verò ad clepſydram. *Lycon apud Maximin, ſer.* 47.

Vt periculum ſit, ſi omnes inclinent in idem latus nauis, ſed aliis alio inflectentibus, nauis optimè libratur: Sic ſeditio & diſſenſio inter rhetores tutiorem reddit ſtatum ciuitatis. *Plutarchus in Moral.*

Vt ridiculus ſit cantor, qui rem grauem lydiis efferat modis: ita ridiculus qui de aliis, aut rectè viuendo verba faciens, rhetoricis laſciuiat fleſculis. *Ibidem.*

Medicus in deſperatione, gubernator in tempeſtate cognoſcitur. horum omnium famam præcedentia pericula extollunt: quæ profectò deliteſcit, niſi vbi probetur, inuenerit: Sic & magnus orator ſi negocium aggrediatur anguſtum, tunc amplum plauſibilibus manifeſtat ingenium. *Sidonius, in epiſt. ad Rauricium ſuum.*

Vt qui pila ludunt, etiamſi non vtuntur in ipſa luſione artificio proprio paleſtræ, ſed indicat ipſe motus, didicerintne palæſtram, an neſciant, & qui aliquid fingunt, etſi tum pictura nihil vtuntur, tamen vtrum ſciant pingere, an neſciant, non obſcurum eſt: Sic in dicendo facilè declaratur, vtrum is qui ad dicendnm omnibus ingenuis artibus inſtructus acceſſerit. *Cicero, lib. 1. de Oratore.*

Sicut medico diligenti priuſquam conetur ægro adhibere medicinam, non ſolum morbi eius cui mederi volet, ſed conſuetudo valentis, & natura corporis cognoſcenda eſt: Sic equidem cum aggredimur ancipitem cauſam & grauem, ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione, curáque verſari debemus, & odorari, quàm ſagaciſſimè poſſumus, quid ſentiant, quid exiſtiment, quid expectent,

expectent, quid velint, quò duci oratione facillimè posse videantur. *Idem, lib. 2. de Oratore.*

Vt nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igni, ignem concipere possit: Sic nulla mēs est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam & ardens accesserit. *Ibidem.*

Vt in Græcis artificibus aiūt eos Aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerunt: Sic nonnullos videmus qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris studium deuenire. *Idem, orat. pro Murena.*

Vide sermo.

PARENTES.

INdignissimum est si quis parentes honore nō prosequatur. Feræ si quidem pro accepto beneficio norunt gratiā reponere. Canes domos custodiunt, & cadunt pugnando pro Dominis circumuentis aliquo periculo, alij gregibus seruandis adhibiti, vsque ad mortem decertant pro salute pecorum, ne damnum accipiant pecuarij, & non fatebimur probrum esse longè turpissimum, hominem gratiis natum gratitudine superari à carne audaci, asperāq; bestia? Quod si à terrestribus virtutem hanc non discimus, eamus ad volucres præpetibus pennis vltrò citróque volitantes per aerem, discamus ab his saltē quid nos deceat. Ciconiæ senes impotes volandi nido se continent: ex his prognati terra maríque volitant, & cibos parentibus afferunt. Sic illæ vt earum ætate dignum est, quiete fruuntur & copia: iuniores verò laborem comportandi solantur pietate, ac spe recipiendæ in senectute gratiæ debitum persoluentes interim quod tempus postulat: & eadem opera natos implumes effœtósque parentes educant, naturæ instinctu, & pullis & decrepitis alacriter præstando mutuum officium. Et postea non obuoluent faciem præ pudore homines parentum cōtemptores, dānabuntque suam incuriam in re quæ vel sola erat curāda, vel ante alias præsertim cū non tam cōferatur quam referatur beneficium? *Philo, lib. de Decalogo.*

Iniquissima volucris aquila in educanda sua prole dicitur esse. Duos enim mox vt exclusit pullos, horum alterum alarum verbere cæsum nido deturbat in terram: alterũ autẽ & eum solum exceptum vt proprium adiungit sibi familiariter. Quin hũc quoque quem ipsa genuit ob nutricationis difficultatem a se ablegat: sed hunc (vt aiunt) exceptum ossifraga disperire non sinit, potius exceptum vna cum suis educat pullis. Eiusmodi parentes hi sunt in liberos præduri & inclementes, qui prætextu à paupertate quæsito suos infantes exponunt, aut certè iniquissimos se declarant patrimonio in filios partiendo. *Basilius Hom. 8. exameron.*

Ne imiteris auium, quæ curuos vngues habent, sæuitiam, quæ vbi cernunt pullos suos volatum aggredi velle, eiiciũt è nido, alis verberantes & propellentes, neque vllam eorũ posthac curam suscipiunt. Laudatur cornicis studium in filios, quæ etiã iam volantes comitatur, quærens eos & multo tempore nutriens. *Isidorus Clarius, orat. 57. tomi 1.*

Vide Amor, Educatio.

PASTOR, PRAELATVS.

NOn similiter omem contemplatur coquus & pastor. Ille quidem, vt sit pinguis diligenter scrutatur: hic verò lac ouis obseruat an sit generosum. *Clemens Alex. lib. 1. stromat.*

Quemadmodum futuro imperatori necessaria sunt exercitia venatoria: Sic admouendis ad curam Reipublicæ propriè pastoralis ars congruit velut præludium quoddã magistratuum. *Philo, in vita viri ciuilis.*

Boni pastores, vbi fuerit ouis abrepta, vellus saltẽ eruere conantur. Si vellus interemptæ ouiculæ seruare bonum est, anima hominis digna nõ est, quæ è faucibus lupi eripiatur? *Basilius, Hom. de pœnitentia.*

Etenim si quis præfectus est procurandæ regiæ pecuniæ, esto de reb⁹ iis quæ partæ iam sunt, nihil interuerterit omnino, adseque transtulerit: is tamen, si quæ præterea acquiri potuerant, negligentia sua non acquisiuerit, sed passus sit deperire, nihilominus tamen in crimine est: quam graue

tandem censere debemus iudicium illis immínere : qui in rebus Dei nomini iam consecratis, vindicandis lentè ac negligenter se gesserint? *Basilius in regulis fusius disputatis interrog. 9.*

Sane nequaquam & rerum & ordinis apud nos laudo cõfusionem, cum aliquando peruerse à quibusdam præsidetur in gradibus, siquidem non omnes accusare audeo, neq; visum est, obiter tamen legem laudo naturarum, quæ prius gubernatori remum in manus dat, indéque in proram deducit, & vlteriora concredit. Itaque tandem super gubernacula, cum multa maris experientia, & ventorum statuit cognitione. Pariter & in rebus fieri solet bellicis. Miles sub initium quis efficitur, deinde ordines regit, tandem etiã in ducem euadit. si quidem ordo ipse optimus est incipientibus pariter & vtilissimus. Res verò nostræ multum dignæ essent, si ita se haberent: nunc verò sanctissimus apud nos periclitatur ordo, næ præ rebus cunctis fit ridiculosissimus, non enim ex virtute magis quàm ex malitia oritur præsidentia: neque digniorum sed potentiorum sunt throni. Samuel inter prophetas futura præuidẽs, sed & Saul abiect⁹. Roboam Salomonis inter reges, quin & Ieroboam seruus & desertor, at nec medicus aut pictor vllus est, qui non prius ægrotantium considerat naturas, aut colores temperat multos, & delineat figuras. Cathedra verò etiam sine vllo acquiritur labore, non secus ac cum fabulæ gygantes fingunt, vnius diei sanctos facimus, ac sapientes esse iubemus eos qui nulla præditi sunt sapientia, & qui nil ad gradum præterquàm velle afferunt. Et hic quidem inferiorem amat locum, & humilis consistit, cum dignus sit sublimi, ac multum in literis exercitatus diuinis, multúmque carnem ad spiritus domauerit subiectionem. Alius verò sedet arrogans, superciliáque tollit contra meliores, nec tremit ob thronos, minus horret aspectum, modestè deorsum aspiciens: sed longè se viribus suis & seipso meliorem esse censet, male sentiens, ac sapientiam à potestate desumens. *Greg. Nazianz. orat. funebris in laudem Basilij.*

Hæc ego cum sciam & quod nemo magno Deo, ac sacrificio & pontifice dignus est, qui non prius seipsum Deo offert sacrificium viuens, seu potius qui non factus est

templum Dei viuentis, ac viuens, ac igitur quomodo ego non audacter diuinis me ingererem sermonibus, aut boni consulerem, si alij se audacter ingererent? quando quidem desiderium tale nunquam laudabile est, conatus verò terribilis, ac ideò decet vt vnusquisq; primo se expurget, deinde cum puro conuersetur, si non velimus Manue illud audire & dicere, cũ in Dei contẽplationem incidimus, Perij õ mulier, quia Deũ vidi: seu Petri instar Iesum à nauicula repellere, tãquam minimè eo ob timiditatem digni, aut sicut Centurio ille, qui sanitatem pro filio expetebat. Dicat igitur vnusquisque è nobis, quandiu Centurio est, & multæ in malitia potentiæ, Cæsaríque deorsum trahẽti, & huius mũdi militat Domino, non sum dignus vt tectum meũ subeas. Cum autẽ Iesum videbo, etiamsi ætate spiritali adhuc sim paruus, Zachæi illius instar, & super Sycomorum attollar, mortificans membra super terram, ac euacuauero corpus humilitatis, tum Iesum excipiam & audiam, hodie facta est salus domui huic. *Idem, orat. de statu Episcopali.*

Ego cum apud vos agerem, minimè sentiebam affectum, eum verò separatus essem, desiderium cognoui, tyrannum illum dulcẽ. Nec nouum quid. Si enim bubulcus adeo conqueritur, cum vitulus ab armento aberrauerit, & pastor cũ ouis gregem dereliquit, aut auicula quæ fœtum suum desiderat, quem nuper reliquerat, vt fistulas fumat, & in speculam quandam ascendat, ac tristitiæ inflet calamos, reuocétque aberrantia tanquam rationabilia: & si exaudiunt, plus gaudet quam ob alia cuncta simul, quorum curam non gerebat. Anicula verò cum stridore ad nidum aduolat, ac in stridentes incidit pullos, aliísque confouet, quanto maiori curæ, oues rationales idoneo pastori esse debent? præcipuè cum aliqualiter pro illis fuerit periclitatus. Nam & id amori aliquid addit. Ac ideò graues istos lupos timeo, ne tenebras obseruantes, gregem nostrum diripiant sermonibus direptitiis & violentis. Tẽporis enim opportunitatem quærunt, qui in aperto vires nullas habẽt. Timeo & latrones ac fures, ne atrium transcendant vel per impudentiã cõpilent, vel per deceptionem furentur, vt iugulent, occidãt ac perdant, rapientes rapinas, deuorantes animas, quemadmodũ ex prophetis quidam inquit. Timeo & posticam, ne aliquis ex his qui heri ac pridie à nobis stabant, illam apertam in-

veniat, sicque perinde ac domesticus ingrediatur, tanquam alienus verò insidietur. Multæ enim ac variæ sunt insidiæ illius qui hæc operatur, nec aliquid talis est architectus ac tam versipellis, quemadmodum sophista malitiæ, aduersarius ille. Timeo quóque quod canes iam violéter pastores esse contendant, quod mirum quidem est, cũ nihil habeant pastorale præterquam vt comam præscindant, quam male produxerant qui neque canes permanét, nec pastores fiũt, excepto quod dilaniant, discerpunt, ac laborem dissoluũt alienum, quoniam longè facilius est destruere, quam conseruare. Et homo quidem, inquit Iob, nascitur labore, fabricatur & nauis labore, per laborem etiam domus construitur, occidere verò vel dissoluere, aut incidere vnicuiq; est per facile. Quapropter ne nunc quidé admodũ glorientur, qui canes in gregẽ instigare contendant: qui nec vnicã quidé ostendere possunt, quã congregassent vel saluassent, nõ enim benefacere didicerũt, qui scelera perpetrant. Si autem gregem perturbant, hoc & tempestas modica, hoc & morbus paruus, hoc & bestia vnica subito inuadens facere potest. *Idem, orat. cum reuerteretur ex agra.*

Religioni ac doctrinæ nostræ opprobriũ nascitur, quod sacerdotia vel ministeria, ambitione potius & gratia, quam meritorum iudicio deferuntur. Cuius rei vitium vel labé, etiamsi prohibere supra nos est, at certè erubescere & auersari, pars aliqua pietatis est. Quod vero magis me omnibus, & supra cuncta quæ superius diximus, deterrebat, illud est: Veniendum namque ad summum ipsum verbi fastigiũ, & proferendum quæ vera sunt. Neque enim fas est in talibus fallere. Arbitrabar nõ esse simile, sicut & nunc quoque arbitror, pecora vel armenta regere, & hominibus præesse, atque animas moderari. Ibi enim studium est, gregem vel armenti vel pecoris, validum membris, & lætum carnibus facere. Quod prospiciens vel armentarius ille, vel pastor, comantes herbis & viridis nuis deligit campos, quos fœcundiores probarit ad pabulum, & hos ipsos alternis pastibus innouat, & ab aliis ad alios gregem transmouet saltus. Sed ad requiem perquirit nemorosa cubilia. Agit autẽ gregem interdũ virga, præcipuè tamen calami vel fistulæ suauitate permulcens. Nec aliud vltra operis vel armentario imminet vel pastori, nisi quod parua quædam sollicitudo

requiritur aduersum insidias atque improbitatem luporũ. Et sicubi forte ægrum pecus, vel reuisere oculo, vel palpando curare, vmbras in æstibus prospicere, strata recubãtibus mollia atque herbida prouidere, perflaríque recubantium locum auris spirantibus sinere, quem prope decurrentibus riuis, frigida vmbra perstringat, cantare quoque & velut alloqui greges, aut antiquitatis aliquid aut amoris. Ad hæc vel iugulare pinguius quódq;, vel in pretium vertere licet. Virtutis verò & industriæ nulla cura eiusmodi pastoribus imminet, per quam necesse habeant voluntati gregis magis quàm suæ obsequi. Homini vero perdificile cũ sit scire regi, id est regenti se obtemperare, multo difficilius est scire alios regere: & regere secundũ istã nostram disciplinã, quæ ex diuina lege descendit, atque ad Deũ ducit. Cuius quantò spes & gloria maior est, tanto periculum grauius: quippe habentibus intellectũ. Quẽ rectorẽ primo omnium vt mihi videtur, oportet sicut argẽtũ vel aurũ probari, & ex omni parte circũspici, atque in omni tẽpore & actibus cõtemplari, ne quid forte habeat intra se admixtionis alienæ, vel materiæ vilioris: & raucum sonum æris vel plumbi admixtione respondeat: & lateat intrinsecus adulterium aliquod, quod examinet & resoluat. Quod malum vtique tãto fiet perniciosius, quanto numerosioris populi rector extiterit: sicut certe grauius est, in multos diffundi pestẽ, quã vnũ pestilẽtia consumi. Nec cadaueris fœtor ita pernicioſus est, si vnũ polluat locũ, sicut si sparsim sæuo nidore diffuso corrupti aeris morbum pluribus generet. Ita siquis est in rectore vitiorũ morbus, facile in eos qui ei ad obtẽperandũ præsto sunt, trahitur atq; trãsfunditur: & multò facili' quod est malũ ab eo transit, quã si quid in eo virtutis & industriæ fuerit. In quo ego quoq; soleo crebro apud memetipsum, de talibus cõferens admirari plurimũ, quod tã facile & sine aliquo labore, atq; vllis adminiculis malitia proficit: & ita nil tã facile est quã effici malũ, etiamsi nemo doceat, nemo cõpellat: rarũ autẽ & perdifficile sit fieri bonũ: & ita quasi condescensus sit arduæ cuiusdã rupis præruptæ ascensus, licet plures prouocent, licet multi inuitent, etiamsi omnes faueant & hortentur. *Idem in Apologetico.*

Re vera mihi videtur esse ars artium & disciplina disciplinarum, hominem vel regere vel imbuere, qui certe est

inter omnes animantes, maxime & moribus varius, & voluntate diuersus. Haud segnius sane quis etiam ex medicina corporum, curam quoque contemplabitur animarum. Et quanto difficilem captu corporalem inuenerit medicinam, tanto difficiliorem reperiet animarum. si quidem & substantiæ qualitas multo est præstantior, & finis rerum multò pretiosior. Illa namque corporalibus exhibet medicinam, & erga temporalem materiam, curam adhibet ac diligentiam &c. locorum ac temporum & ætatis cæterorumque similium differentias requirunt medici, quando & qualibus, vel medicamentis vel cibis opus sit, vel qualiter à noxiis abstinendum, vti ne artis disciplina superetur per desideria ægrotantium, interdum & ferri sectione vtuntur, & virulentioribus medicamentis. Quæ omnia quamuis magno cum labore peraguntur, nihil tamen in his tale geritur, quale est mores corrigere, vitia purgare, emendare vitas, & propositum ad meliora conuertere: atque omnia quæ intra nos vel etiam & extra nos geruntur, sedula circumspectione moderari: vt omne quod in nobis est belluinum & ferum, à natura separantes, si quid lenitatis & mansuetudinis est, siquid homine dignum & Deo charum, pro illis omnibus inseramus, æquumque iudicium inter animam habeamus & corpus. *Ibidem.*

Sicut enim (verbi gratia) si fieri posset, vt ex multis animalibus ac bestiolis genere ac specie diuersis, magnis & exiguis, ferocioribus & mitioribus, asperioribus & leniioribus, vnum aliquod animal & bestia constaret, hæc vtique ad mitigandum si cui crederetur, quantum ei immineret operis ac laboris, quantum eius requireretur industriæ, vt vnicuique bestiarum vel animalium, prout mos exigit singulorum, vel prout natura poscit: quoniam quidem neque eadem vox apta est omnibus, neque eisdem (vt ita dicam) sibilis aguntur, sed nec cibus quidem vnus atque idem est, nec palpandi, ac fouendi mos vnus est bestiis, ita vt interdum iisdem ipsis quibus mitigantur aliæ, ad furorem aliæ suscitentur. Quibus ergo se modis singulis, quibusque bestiæ huius eruditor ille aptabit? quomodo se ad vniuscuiusque naturam atque ingenium accommodabit? Non necesse erit eum, cum sit apud semetipsum simplex ac constans, tam fieri varium & tam in diuersa

mutabilem, quam poscit ipsa diuersitas bestiarum, vt vnũ quodque animal, pro naturæ & ingenij sui opportunitate curetur, quòd possit totius bestiæ corpus ex tanta diuersitate compositum, rectè inter se inuicem bestiolis moderatis, in pace ac tranquillitate persistere: ita ex multis ac diuersis & moribus ac linguis & institutionibus, velut vnũ animal compositum sibique dissimile, commune hoc corpus ecclesiæ qui instituendum suscepit ac regendum, cum esse debeat ipse apud se semper immobilis & idem necesse habet tamen singulorum & moribus se & institutionibus conformare, ac sermonem suum singulis aptare oportunum: quoniam quidem alij lacte indigent, hi videlicet, quibus prima adhuc religionis fundamenta traduntur, & cum sint paruuli in fide virilis adhuc (vt ita dixerim) cibi vigorem ferre non possunt. *Ibidem.*

Nauigent alij, & ingentium lucrorum spe subeant marina discrimina: mihi satius est supra solidam terram stanti; exigui cespitis sulcis herbam frumenti requirere, & in rebus egenis tenuem vitam ducere, quam peregrinas diuitias in fluctuũ quærere periculis. Fortioribus quidem & potentibus damnum est, non officia administrare maiora, neque erga plurimos exercere virtutem, sed in paruis rebus & modicis coarctari. velut si quis ingentis luminis lampade, locum parui conclauis illuminet, aut arma potentia: & virilia exiguo velit corpori & puerilibus membris inferere. Paruis autem tutius est paruum onus & non supra vires leuare, ne vel derisui fiant, simul & periculum subeant. sicut nec turrim quidem ædificare conuenit alij, nisi ei cui impensæ quoque perficiendi presto sunt. *Idem in Apologetico.*

Pastores qui curam sibi à Deo commissam negligunt, videntur mihi esse meretricibus similes, quæ statim vt pariunt, infantes suos aliis nutricibus tradunt educandos, vt suam citius libidinem explere valeant. Sic & isti infantes suos, id est, populos sibi commissos, aliis educandos tradunt, vt suas libidines expleant, id est, pro suo libitu secularibus curis inhient, & quod vnicuique visum fuerit, liberius agant. Pro talibus enim animæ negliguntur, oues pereunt, morbi crescunt, hæreses & schismata pro-

dent, ecclesiæ destruuntur, sacerdotes vitiantur, & reliqua mala proueniunt. Non taliter dominus docuit, nec Apostoli instituerunt, sed ipsi qui curam suscipiunt, ipsi peragant, & ipsi propr is manibus domino repræsentent. Nam ipse ouem perditam diligenter quæsiuit, ipse inuenit, ipse propriis humeris reportauit, nosque idipsum facere perdocuit. Si ipse pro ouibus tantam curam habuit, quid nos miseri dicturi sumus, qui etiam pro ouibus nobis commissis curam impendere negligimus, & aliis eas educandas tradidimus? Corrigantur hæc, fratres, necesse est, quia qui plus laborat maiorem mercedem accipiet. Audiant quid beatus Iacob, qui pro vxoribus diu seruierat, dixerit socero suo, Viginti annis fui tecum, oues tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam, & quicquid furto perierat, à me exigebas: diu noctuque æstus vrgebat & gelu, fugiebat somnus ab oculis meis. Si ergò sic laborat & vigilat qui pascit oues Laban, quanto labori quantisque vigiliis debet intendere qui pascit oues Dei? *Damasus papa epistola 4. dist. 8. Corepiscopi.*

Quando quidem & patres filios delinquentes frequenter ex ædibus exigunt, & à mensa submouent, non vt semper illinc exulent, sed vt hac correptione redditi meliores cum debita laude in paternum redeant contubernium. Idem sane faciunt & pastores, dum oues scabie oppletas, à sanis segregãt, vt misero morbo leuatæ, denuo tutò ad sanas reuertantur, potius quam ægrotæ, gregem vniuersum suo illo morbo impleant. *Chrysost. hom. 3. de Dauid & Saule.*

Quandoquidem & pastores quandiu noxia bestia molesta non est, sub illicem aut populum porrecti, fistulas canunt, sinentes oues liberè pro suo arbitratu pascere, Verùm simulatque senserint, alicunde luporum incursionem imminere, mox abiecta fistula, fundam arripiunt, & omisso calamo, fustibus & saxis obarmant sese, proque sepuis consistentes, magno longoque eiulatu vociferantes, frequenter ipso clamore feram priusquam irrumpat, abigunt: itidem & nos facimus. Superioribus enim diebus in scriptura velut in prato ludentes atque dicentes, nihil

in oratione attigimus contentioſi ſermonis, eoquòd nullus eſſet qui nobis obturbaret, aut moleſtus eſſet. Cæterùm quoniam hodie lupis omnibus ſæuiores Iudæi omnes, nobis circumuallaturi ſunt, ad pugnos & pugnam accingamur oportet, nequid nobis ereptum cedat in prædam ferarum. *Idem orat. 1. aduerſus Iudæos.*

Quemadmodum aliquis ingreſſus vineam, vitesque cõtemplatus pampinis comantes, fructu grauidas, maceriis ac ſeptis vndique munitas, haud quaquam deſiderat cuiuſquam qui demonſtret vinitoris induſtriam, & agricolę virtutem. Itidem & hic, ſiquis ingreſſus conſpiciat vites ſpirituales veſtrumque fructum contempletur, nihil opus habuerit, vt ex cuiuſquam oratione diſcat qualis ſit veſter præpoſitus. *Idem oratione de B. Philogonio.*

Nam ſi quoties videmus ſeruorum pecuariorumque noſtrorum curam à quibuſdam ſuſcipi, ex eo ſtudio aduerſus illa impenſo, colligimus ab his nos amari etiamſi illa ipſa eiuſmodi eſſe ſoleant, vt pecunia veneant qui neque pecunia, neque alia re vlla, ſed morte propria armentum redemerit, ſuum ipſius ſanguinem gregis pretium obtulerit, quanto queſo præmio gregis huius paſtores ac rectores remuneraturum olim credimus? *Idem libro 2. de ſacerdotio.*

Porro exteri quidem iudices cum facinoroſos homines legis tranſgreſſores fuiſſe deprehenderint, magna preditos auctoritate ac poteſtate oſtendunt, eoſdemque vel inuitos ſuos ipſorum mores mutare cogunt. Chriſtiano verò non vim afferre, ſed ſuadere tantum oportet, atque hac ratione meliorem efficere, quem emendandum ſuſceperit. Etenim qui oues perdiderit, vel lupis rapientibus, vel latronibus adorientibus, bellua aliqua, aut alia id genus, caſu ſæuiente, fortaſſis veniam nõnullam à domino gregis impetret, ſin & pœnas ille exiget, damnum ipſum pecunia conſtat. At verò cui homines ipſi, rationalis Chriſti grex concrediti ſunt, hunc primum ouibus perditis non pecuniarum, ſed animæ propriæ iacturam facere oportet, tum verò & certamen longe maius, ac multo moleſtius ſuſtinere. *Ibidem.*

2. Quium paſtor gregem habet è veſtigio ſubſequentem, quocũq; præierit, quod ſi quæ de recta via oues deflectant

ac feraci pabulo posthabito, sterilia atque abrupta loca depascantur, satis habet pastor altius aliquantulum inclamare, vt palantes atque dispersas reducat, atque in gregem cogat. Sin verò à recto Christianæ fidei tramite aberrauerit quis, hic pastori magnum onus incumbit, magnum negotium, magna tolerantia. *Ibidem*

Quemadmodum qui corporum amore capti sunt, donec propinquos eos habet, quos amant grauius quidem morbi sui tormentum vimque sustinent, cum autem quàm longissime sese ab illorum conspectu eduxerint, tum furorē ab animo excutiunt: Sic & qui honoris istius quem dico cupiditate titillantur, dum proprius adsunt, malo ferendo impares sunt. Cæterùm quum sese illinc summouerint, honoremque desperauerint, fit vt desiderium vna cum expectatione extinguant. *Ibidem.*

Si quem ipsi suspicemur fabrum esse, ad opus vocemus, sequaturque ipse, deinde manus admouens materiæ ad ædificandum paratæ, ligna item lapides auertat, opus autem sic coagmentet, sicque domum ædificet, vt statim collapsura ea sit, nunquid ille se abundē hac defensione tutatus est, si dixerit, ab aliis se coactum, non etiam vltrò ad ædificandum accessisse? Certè nequaquam. Idque iustè ac merito, oportebat enim vel aliis ad id vocātibus pedem retrahere ac tergiuersari. Itane verò qui ligna ac lapides subducit, huic prorsus nullus suffugij locus, quominus pœnas pendat. Qui verò animas negligenter edificans perdiderit, hiccine alienam vim abundans sibi suffugium præsidiumque putabit? *Idem lib. 4 de sacerdotio.*

Si qui suum ipsorum corpus ad athleticam habitudinem cura adhibita componunt, necessarius est vsus & medicorum & pædotriuarum, & temperatæ diætæ & exercitationis assiduæ, & infinitæ à Deo obseruationis. Quibus sorte obtigit Christi corpus hoc dico curandum, hi quibusnam artibus cōseruare illud syncerum atque incolume poterunt, nisi omnifariam animæ curationem congruam cōuenientem, atque humana virtute longè superiorē calluerint? *Ibidem.*

Si ij qui pretiosos lapides & gemmas quærunt, in mari molestiam & laborem ferentes, quò desideratis potiantur. Multo magis nostrum fuerit intendere

vt qui in profundo latent, lapides pretiosos comprehendamus. *Idem hom. 13. in Genesin.*

Perpendamus ouium pastores illos qui in Capadocum regione sunt, qualia & quanta pro pecorum suorum custodia patiantur. Illi sæpenumerò vniuersum triduũ niue adobruti perdurant. Dicuntur autem & qui in Lybia sunt, nõ minora malà ferre, dum integros menses difficilem illam solitudinem, pessimarúmque bestiarum plenam vagando circumeunt. Si tantum erga pecora diligentiæ impendunt pastores illi, quam quæso excusationem habebimus, quib' rationales animæ concreditæ sunt, quod profundum hunc somnum dormimus? *Idem hom. 29. in epist. ad Rom.*

Si in asino & diuinatore operata est gratia Dei propter dispensationem & vtilitatem Israelitarum, manifestum est quod neque in nobis operari detrectabit, sed hoc facere sustinebit propter vos. Et hoc vt discatis ad Caym loqui dignatus est propter Abel, diabolo propter Iob, Pharaoni propter Ioseph, Nabugodonosor propter Danielem, Baltasaro quoque propter eundem. Et magi quoque reuelationé sunt consecuti, & Cayphas cum esset occisor Christi, prophetauit propter sacerdotij dignitatem. Dicitur & Aaron huius gratia lepra non esse correptus. Nam die quæso, qua ratione, cum vtrique Moysi obloquti essent. Maria sola pœnas dedit? Nec mireris. Si enim in externis ac mundanis dignitatibus, etiamsi mille modis quisquam incusetur, nõ tamen primum ad iudicium ducitur, nisi prius principatum deposuerit, ne ille cũ ipso opprobriis pateat: multomagis in prælatura spirituali, quisquis tandem ille sit qui eam gerit, operatur gratia Dei. *Idem hom. 3. ad Colossenses.*

Obedite præpositis vestris. Malum est vbi nullus principatus. Sicut enim si ex choro ipsum choryphæum auferas, nequaquam modulatus chorus, vel ordinatus existit: & phalanx militum si ducem non habeat, nullo modo numero acies illa, vel ordine procedit: & nauis si gubernatore priuetur, pessum eat necesse est: & gregi si pastorem abstuleris, cunctus dispergetur & peribit. *Idem hom. trigesimaquarta ad Hebræos.*

Monachorum quidem labor multus & certamen ingens, sed qui volet eius instituti sudores cum sacerdotij administratione conferre, tantum inter illa duo discrimen esse cõ-

periet, quantum inter priuatum & regem interuallū. Tanto hoc recte administrare, quam illud bene exercere difficilius. Monacho siquidem labor corporis animíque communis est, vel potius maiori ex parte corporis constitutione absoluitur. Nam ieiunare, humi cubare, vigilare, & id genus monastica ad durandum castigandúmque corpus exercitia, statim depereunt, nisi sufferendis actionibus par fuerit: & animi promptitudo nisi id valens fuerit non habet quomodo in opus exeat. Hic verò nuda simplicíque arte opus, tali certe quæ corporis habitudine nō admodum indigeat. Quid enim præsidij corporis robur afferat animi virtutibus, quibus Paulus Episcopum instruxit, exercēdis? Vt præstigiatoribus necessaria est instrumentorum, rotarum, funium, gladiorum copia & varietas: contra Philosophus artem vniuersam in animo reconditam habet, externorum nihil indiget: sic monachus alienis rerum locorum que ad vitam illam commodis indiget, vt sunt anni, cœli aëríque temperies. Sacerdoti autem quod ad ipsius vsum pertinet, adeo non eis opus, vtpote qui sese cum minimè curiosum, tum promiscuum omnibus his in rebus quæ dānum non afferunt, præstare, tum verò scientiam omnium in animi thesauro reconditam habere debeat. *Idem libr. 6. de sacerdotio.*

In militaribus præliis quod quisque opus peragendum susceperit, hoc adorientes hostes defendit. At hîc haudquā sic res habet. Nisi enim qui victoriam reportaturus est; dimicandi artes ad vnā omnes calluerit, nouit diabolus parte vna aliqua forte neglecta, piratis prædonibúsque introductis pecudes diripere. Non ita cum pastorem senserit omni scientia instructum, insidiarúmque eius omniū probè gnarum. Omnibus ergo eum partibus munitum esse oportet, omnium artes notas eundem habere, non vt extera militia sagittarium, funditorem, centurionem, manipularem, militem, ducem, peditem, equitē, & naualis & muralis pugnæ peritum esse. *Idem lib. 4. de sacerdotio.*

Qui brutum gregem perdere quærunt, vbi viderint eius præfectum fugæ se mandare, omissa contra illum pugna, contenti sunt pecudum raptu. At hîc vt vniuersum gregem cœperint, ne sic quidē à pastore manus abstinent, sed hoc magis instant: nec dimicandi finem prius faciunt, quamvel

illum supplantarint, vel victas ipsi manus præbuerint. *Idem lib. 2. de sacerdotio.*

Est & aliud præsentaneũ pecudum ægritudini remediũ. Magna cum auctoritate pastores eas medicinam porrectã capere coguñt, vinciunt, vrunt, incidũt. Quoties opus, diutius, quando id conducit asseruant, aliud pro alio pabulum præbent, arcent à fluentis, & quęcunq; alia pecudum saluti conferre probauerint, nullo negocio adhibent. Hic vbi se morb⁹ prodiderit, tibi tum maius successit negotium. Nec enim homini eadem licet auctoritate homines, qua oues curare. Nõ est liberum vincire, vrere, secare, cum medendi hæc facultas & curationis susciptendæ in ægroto tantum, non etiam in medico posita sit. Externi quidem iudices cum facinorosos homines leges transgressos deprehenderint, eos vt magna præditi potestate, vel inuitos suos ipsorum mores mutare cogũt: At pastoribus minime omnium licet vi corrigere. Hîc non vim afferre, sed suadere tantum oportet. Nec enim tanta nobis facultas ad coercendos delinquentes à legibus data: ac ne si dedissent quidem, haberemus vbi eam exercere valeremus, cum Deus coronet non coactos, sed certo proposito à peccato abstinentes. *Ibidem.*

Non aliunde arbitror tã multas in Ecclesiis turbas nasci quam ex Episcoporum antistitúmque electionibus casu potius ac temere, quàm diligenter ac accuratè factis. Nã caput valentissimum quidem esse oportet, vt prauas exhalationes ab inferiori reliqui corporis parte sursum ascendentes dispensare, & eas rite atque ordine componere possit. Cum enim per se caput infirmum est, ac fumorũ illos morbificos insultus repellere non potens: tum fit vt ipsum etiã infirmius in dies reddatur, tum autem reliquum corpus secum perdat. *Idem lib. 3.*

Sicut mater filium febricitantem cernens, dolenti & ardenti assistens, lugens ægrotanti dicit filio: vtinam fili febrem ego susciperę possem, & in me flammam attrahere: Sic & pastor, vtinam possibile esset me pro vobis laborantem omnibus recte agere. Sed non licet, hoc non licet, sed quemque necesse est à se commissorum pœnas pendere. *Idem hom. 13. ad pop. Antioch.*

Neque arborem dixerim custodire fœcunditatem naturæ, quæ luxuriat in foliis, vanescit in fructu. Nec terram illam dixerim custodire fructus suos, quæ cum filicem inuisam pascit, agricolis edere frumenta non solet. Nec pastor custodire videtur pecus, qui eligere pabula profutura non nouerit, lupos cauere, canibus vallare ouilia sua, nesciat potum cum opus sit ministrare. Nam producere tantum sine vlla cura mutum pecus, tantumdem est quantum seri pturas legere tantum populum Iudæorum, & nescire vbi sunt spiritalis pascua Sacramenti, vbi litera occidat, vbi intelligibiles incurrant lupi, vbi sit requies refectionis, vbi spes resurrectionis, qui sunt canes, qui pro gregis possint latrare custodia, populus & ipso grege magis mutus ignorat. *Ambrosius in Psalmum decimum octauum, sermone decimo tertio.*

Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ars artium est regimen animarum. Quis cogitationum vulnera occultiora esse nesciat, vulneribus viscerum? Et tamen sæpe qui nequaquam spiritualia præcepta cognouerunt, cordis se medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim nesciunt, medici videri carnis erubescunt. *Gregorius in pastorali parte prima, capite primo.*

Sicut crudele est ex ore famelici infantis manibus panem rapere, ita & seipsum & operarium lædit, qui animas suscipit regendas, nisi illi coronas, quantas illum sustinere posse nouit, horis singulis prouidere satagit, siue per contumelias siue per ignominiam siue per obiectiones, siue per ludibria. *Climacus de obedientia, gradu quarto.*

Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, & innumera dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum & numero panum cum ministris quotidiana discussio est, rara admodum celebratur collatio cum presbyteris de peccatis populorum. Cadit asina, & est qui subleuet eam, perit anima, & nemo qui reputet: Sic optimi æstimatores rerum qui magnam de minimis, paruam vel nullam de maximis curam gerunt. *Bernardus lib. 4. ad Eugenium.*

Sicut deformis pictor facere potest pulchram imaginẽ, nec vitium pictoris statua deturpat: Sic & prælatus malus facere potest bonum præceptum & cui sine periculo subditi obedire possunt, imò debent. *Peraldus in summa virtutum.*

Quemadmodum peregrinantibus, si contingat per sylue stria incedere loca, in quibus vel indomitæ latitẽt feræ, vel latrunculi viatores deprædari cupientes obsideant, maxima, vt securi cœptum iter peragere possint, adhibenda est prudentia: Ita qui ad regimen vocantur animarum, summa cum diligentia obseruare debent, à quo vocentur, quóve ad illud moueantur affectu: quoniam ministerium difficillimum accepturi sunt. Circumspiciendum igitur summa cura, ne in animarum cura in pericula nos coniiciamus. *Laurentius Iustinianus de institutione ac regimine prælatorum, capite secundo.*

Medicæ artis periti hoc habent proprium, vt non omnibus æqualiter, sed singulis diuersa, prout expedire perspexerint, impertiantur medicamenta languoribus. Nũc quippe ferro, nunc cauteriis, sæpe verò variis vtuntur vnguentis. Interdum ægrotantes ciborum attenuant parcitate: nõnunquam autem exquisita alimentorum qualitate sustentant. Naturam vtique singulorum attendunt, ac vitam, atque iuxta vniuscuiusque necessitatem remedia tribuunt. Idem faciet Ecclesiæ pastor, animæ medicus. *Idem De institutione ac regimine prælat. cap. 8.*

Vsus quidem docet, vt quoties contingat duos simul dimicare exercitus, miles per se sit quisque solicitus, qualiter videlicet illæsus hostes possit euadere, illos etiam inuadere, deprædari, atque subigere. Singuli propria tractant negocia, & pro sua laborant salute. At verò totius dux exercitus, præter suam gerit omnium curam. Prouidet námque quibus ipse exercitus alatur cibis, quibúsque vestiatur equorũ stramentis. Secum tacitus cogitat de vniuersorum indemnitate: quomodo scilicet valeat aduersarios decipere, aduersus illos insidias ponere, dissimulare fugam, ac superare incautos. Cæteris, quippe ludentibus, prandentibus, vagantibus, dormientibúsque, ipse clàm inimicorum perlustrat castra, si fortè eos improuisos reperiat, inuadat, trucidet, & disperdat. Omnis profectò industria pro tuitione exercitus, tam in instituendis excubiis, in mittendis explora-

exploratoribus, quàm in mutandis custodibus ex ipsius animi sagacitate dependet. Ad illius quoq; imperiũ mouẽtur castra, acies diriguntur, certamen geritur. Ipse nẽpe in hora conflictus hortatur trepidos, vrget pigros, robustos accẽdit, retrogradientes impellit, deordinatos ordinat, & cum pugnãtibus desiderio & adhortationibus pariter & ipse cõcertat. Quod autẽ de visibili est dictum exercitu, hoc de spirituali & inuisibili censendum etiã non ambigo. Porrò istũ spiritualem exercitum congregationem dixerim omnium esse fidelium: qui in Ecclesia, tanquam in cãpo, sub diuersis gradibus, distinctis videlicet agminibus sunt ordinati ad bellum, aduersus aereas potestates: quæ profectò mille modis, occultisque machinationibus, fraudibus innumerabilibus, & implacabili crudelitate die noctúq; Dei castra oppugnare nõ desinunt. Ad quorum siquidem defensionẽ, instructionem, & regimen instituti sunt spirituales duces, animarũ videlicet pastores atq; rectores, quatenus ipsorum salubri prouisione, exercitatione laudabili, admonitione sancta, cœlesti sapientia plebs tota credentium, quę per se minus est valida ad pugnandum, animetur indefeciẽter, iugiter erudiatur, protegatur orationibus, atque ad certaminis perseuerantiam consiliis salutaribus roboretur. Istis prorsus incumbit cunctarum gubernatio Ecclesiarũ, omnium tradita est cura fidelium: quibus quẽadmodum adscribitur ad meritum vniuersorum corona vincentium, ita è regione pereuntium de ipsorum manibus requiretur sanguis: si tamen erga eorũ salutem reperti sunt desides, atque vitæ monita eisdem insinuare neglexerint. *Ibidem, cap.* 17.

Quemadmodum signum in sublime & in publicũ expositũ, ne ventorũ impulsum flatib. corruat, necesse est vt funibus, aut clauis, aut vectibus firmetur: Ita de vnoquoq; homine in cathedra Ecclesiasticæ dignitatis cõstituto hoc idẽ censendũ esse nõ ambigo: idque eo accuratius, quo signo insensibili pretiosior est homo, casus maior, pernicisiorq; ruina. Nam si deiiciatur vel labatur signum, aliud absq; alicuius detrimento vel scandalo loco sui erigitur. Nõ autem sic de homine in regimine posito. Si enim suam trãsgreditur professionem, aut delinquat publicè, notorium Ecclesiæ infert scandalum, derogat dignitati, authoritatem adimit regimini, præbétque exemplum delinquendi iis, quibus

formam virtutis exhibere debuerat. *Ibidem cap. 20.*

PATIENTIA.

SIcut solatiũ est super eo quod frui nõ datur, vice lãguentium, qui cum vacant à sanitate, de bonis eius tacere nõ norunt. Ita miserrimus ego semper æger caloribus impatiẽtiæ, quam non obtineo, patientiæ sanitatẽ & suspirem & invocem & perorem necesse est, cũ recordor & in meæ imbecillitatis contẽplatione digero, bonam fidei valetudinẽ, & dominicæ disciplinæ sanitatem, non facile cuiquã, nisi patientia assideat, prouenire. *Tertullianus de patientia.*

Sicut in partu, paupercula & regina iisdem laborant doloribus: itidem terra diuitis ac pauperis, nisi conuenientem acceperit imbrem, non potest alicuius pretij fructus ferre: Haud secus in operatione animæ, non sapiens, nõ locuples regnat in gratia, nisi per patientiam, afflictiones, & labores frequentes. Si quidem Christianorum vita mel imitari debet: quod cum sit dulce, acerbi aut venenosi nihil admittit: Ad hũc modum isti, quæcunque obuenerint siue prospera, siue aduersa, benigni sunt, vt inquit dominus, *Estote benigni sicut pater vester cœlestis*. Quod enim lædit & inquinat hominem, intus est. *Macarius hom. 42.*

Sicut ad laudes tuas si veritatem excedunt, efferri nõ debes: ita nec ad probra in te non verè iactata, minimè dolere. *Basil. hom. de ira.*

Quod dixi de voluptate, quod voluptas non in ciborum apparatu, sed in comedentium affectu sita est: hoc & de cõtumelia dico, quod contumelia non à contumeliantiũ sentẽtia, sed à patientiũ affectu constituitur vel destruitur, verbi gratia, Multa quidã in te fanda atq; nefanda cõtumeliose egit: si contumelias deriseris, si verba non susceperis, & vulnere superior sis: contumeliam non es passus. Et quẽadmodũ si corpus adamãtinũ haberemus, & sinnumeris vndiq; telis percuteremur, non tamen vulnera susciperemus: non enim à manu tela torquente, sed à corporibus patiẽtibus vulnera fiunt. Sic & hic non à contumeliãtium insania, sed à patientium contumelias imbecillitate: iniuriæ & iniuriarũ contumeliæ constituuntur. *Chrysost. ho. 2. ad pop. Antioch.*

Sicut qui pecunias colligere volunt, & huius seculi, negociationẽ exercent, non aliter possunt augere suas opes, nisi

multa pericula terra marique sustinuerint. necesse enim est vt ferant latronum & pyratarum insidias. Attamen omnia magna alacritate suscipiunt, & ob expectationem lucri vix sentiunt amara quæ ferunt. Eodem modo & nos cogitãtes diuitias & spirituales merces, quæ nobis hic colligere licet oportet gaudere & exultare, & non contemplari quæ videtur, sed oculis mentis imaginari ea quæ non videntur. *Idem hom. 63. in Genesim.*

Medici quãdo iniuriis & calcibus cædũtur furentũ, tunc illorum magis magisque miserentur, tũ maximè ad reddẽdam illis sanitatẽ parantur, scientes quod excellentiã morbi significat ea iniuria. Et tu de inimicis eandem teneto sententiã, sicq; vtere tibi iniuriari cupientibus. Illi námq; sũt maxime ægroti, omnémque violentiam sustinẽtes. Libera te igitur è pessima læsione. Libera te à sæuissimo dæmone, propriæ scilicet mentis furore. Etenim cum alíquos à dæmone actos videmus, sæpe lacrymamur, non autem agimus vt eadem ipsi patiamur. Noli insultare iacenti, quinimo miserere. Etenim si videamus aliquem miserabiliter vexatum, & vertiginis suæ tenebris obtectũ, quique etiam malignum illum humorem vrgeatur euomere, porrigimus manum & supportamus huc illúcque iactatum. Et si vestimenta nostra polluat, non auersamur, sed tantummodo requirimus quomodo eum à tam grandi angustia liberemus. Quando autẽ eiusmodi æger à passione requieuerit, tunc li quido cognoscet à quãta illũ turbatione sanaueris, & quid dico, te honorabit vt Dominũ. Nonne vides parientes fœminas, quemadmodum assistentes sibi sæpe commordeant, & tamen illæ minimè dolent? imo dolent quidẽ, sed ipsum dolorem fortiter ferunt. Harum igitur memineris, & noli esse fœmina mollior. *Idem hom. 18.*

Cogita quia non est in se qui vituperat, & non molestè feres contumelias eius. Nam & dæmoniaci plerunque nos verberant, nec solum non mouemur, verumetiam eos deflemus: Ita tu facito, misereat te cõtumeliantis. Magna enim bellua, ira scilicet & furore, & pernitioso dæmone detinetur, solus ipsum qui ab huiusmodi dæmone vexatur, & sic insaniendo breuissimo temporis spatio maximo solet afficere malo. *Idem. hom. 89.*

Sicut Ioseph dimisit pallium in manu meretricis, & fugit cum meliore pallio castitatis: ita & tu proiice pallium in manus calumniatoris, & fuge cum meliore velamento iustitiæ, ne fortè dum vis vendicare vestem corporis, pretiosissimum animæ vestimentum perdas. *Idem homil. 12. operis imperfecti.*

Quemadmodum sagittæ in durum aliquod signum immissæ, magno impetu huc illuc disperguntur, mollius verò assecutæ, figuntur & desinũt, ita & maledicos & feros repugnãdo magis exasperamus, cedendo mitigamus facile, & eorum mollimus insaniam. *Idem hom. 41. in Ioannem.*

Iniuria affectus, in mentem veniat, quod illi supplicium maneat: & nõ modo nulla in proximũ ira fereris, sed deplorabis vicem eius. Neque enim febribus laboranti, neque tumido quisquam irascitur: huiusmodi est irati animus, qui si in te prosiliet, tace & opportunam ei plagam infliges. Si cõtumeliam cõtumelia prosequeris, ignem excitabis. Sed pusilli animi arguemur, inquies, si tacebimus. Imo tuam admirabimur sapientiam. Quod si contra contumeliose responderis, materiam dabis vt vera putentur, quorum argueris. Quare diues si pauper appellatur, ridet? quoniam falsum id nouit. Itidem & nos si iniurias ridebimus, magnum erit argumentum quod falso reprehendamur. *Idem hom. 48.*

Si quis pro charissimis aliquid passus, gloriatur: si quis propter Deum quid tolerat, quam sentire molestiam putandum est? Oportet in rebus grauibus & molestis, nõ labores, sed præmia considerare. Quemadmodum mercatores non maris pericula sed lucrum expectant, Ita & nos cœlum & Dei præsentiam. *Idem hom. 76.*

Ne vincaris à malo sed vince in bono malum. Quando quidem & istud vincere est. Pugnans enim tum potissimum vincit, non quando suum ipsius corpus pugnæ exponit, vt plagas excipiat: sed quando seipsum eruens, efficit vt omnem suã potentiam aduersarius in aera frustra & inaniter effundat. Sic enim nec ipse plagas excipit, & omnes aduersarij vires dissoluit: id quod & in cõuitiis fit. Nam quãdo vicissim cõuitia regeris, vinceris nõ abhomine, sed quod turpius est, ab illibero illo iræ affectu permotus exuperaris. Si vero tacueris: & vincis, & trophæum fugis, & innumeros acquiris qui te coronent, quique conuitium ipsum, mendacij

condemnent. *Idem hom. 21. in epist. ad Rom.*

Ex diabolicis legibus est malefaciendo viuere. Propterea & in olympicis certaminibus diabolo consecratis, ad eum modũ vincunt, quotquot illic decertant. In stadio verò Christi, non ea est certandi lex, sed omnino contraria. Hîc enim nõ eum qui percutit, sed qui percutitur, coronari decretum est. *Ibidem.*

Non per fidem modo paratur nostra salus, verũetiam per hoc quod talia ferimus ac perpetimur. Quemadmodum enim Pancratiastes admirandus est & illustris, bonáque corporis habitudine, etiam cum artem intra se habet: cæterum cum artem ac vires suas exerit, cum ictus tolerat, cum ferit aduersariũ, tũ verò maxime clarus est & illustris, eo quod maximè tum profertur corporis habitudo, maximéque declaratur quantum arte præstet: Sic vestra salus tum maximè exeritur, hoc est ostenditur, augescit cum tolerat, cum patitur, cum omnia fortiter sustinet. *Idem homil. secunda in secundam Cor.*

Fert magnum discipulo in mari solatium, magnámque fiduciam cum meminit magistrum fere naufragiũ fecisse, & fuisse seruatũ. Neque enim arbitratur iam fluctus illos, atque tempestates ex propria imperitia iustitiáque sed ex ipsius rei natura contingere. At id permagnum est ratione solatij. Fert item in bellis tribuno, vel duci, maxima incitamenta virtutis, cum imperatorem viderit vulneratum primo, tum demum euadere ex vulnere: ita & fidelibus quibús que multum affert solatij quod Apostolum cernũt tolerasse plurima. *Idem hom. 4. in 2. Timoth.*

Longanimitate & patientia iram extinguimus. Sicut enim ferrum ignitum cum in aqua tingitur, amittit ignem: Sic iracundia in longanimem incidẽs, nihil eum lædit, sed etiam iuuat. Nam inde redditur continẽtior huiusmodi homo. Sed sicut adamantina corpora non vulnerãtur: sic etiã animæ tales. *Idem hom. 22. ad Hebræos.*

Si quando iracundus quisquã ferocit, tu ride: Ridere autem noli palam, ne illum irrites amplius: sed ride apud teipsum tui gratia. Etenim pueros cum nos percusserint cũ indignatione, tanquam vlciscentes seipsos ridemus. Si igitur rideas, tantum erit inter te & illum quantum inter puerum & virum. Si autem te exacerbãris, factus es puer. Et

re vera ſtultiores ſunt pueris qui iraſcuntur: Si enim attendat quis ad puerum exacerbatum, nónne irridet? *Ibidem.*

Quemadmodum qui nihil hic patiuntur mali, maiorem illic ſubeũt vltionis pœnam: ſic & hi qui ſe officiosè gerũt, qui multa hic tolerant aduerſa, multo illic honore dignantur. *Idem hom. 5. de patientia Iob.*

Si quis tua diripuit, noli eius velle diripere: iniuriauit, nõ iniuries. Dic enim mihi obſecro. Si quiſquam pauper lutum iacens in atrio tuo tolleret, nũ propterea eum ad iudicium traheres? Nequaquã. Quare? Ne teipſum iniuries, ne te omnes inculparẽt. Hoc etiam fac. Pauper quippe eſt ille diues, & quãto ditior eſt, tanto pauperior extitit, paupertate quæ re vera paupertas eſt: lutũ eſt aurũ in atrio proiectũ, nõ in domo tua. Domus quippe tua cœlũ eſt propterea itaque ſi moues iudicia, putas quod non te culpabunt ciues ſuperioris patriæ? Non te excludent à ſua patria, te tam humilem, tam ſordidum, tam infimum, tam abiectum vt etiã pro modico luto eligas litigare? Vſquequo inuicem inſidiamur tanquam beſtiæ, ſicut piſces maris? Atqui & bẽſtiæ nõ inſidiantur inuicem, ſed alienigenis: vt puta vrſa vrſam nõ facile interimit, nec ſerpens ſerpentẽ. Tu autem cũ indigena etiam decem millia habens iura naturæ, cognationẽ, rationẽ, cognitionem Dei, & alia decem millia, interimis eũ, qui eandem tecum cognationem habet naturæ, eum tu interimis, & innoluis decem millibus malis. *Idem hom. 25.*

Sicut fabrica quæ ſuper arenam fundata eſt etiãſi flumina ventique non vrgeãt, ipſa tamẽ paulatim effluẽs, inſtabilis arena ædificij crepidinem ſubruit & euertit. Nam & arenæ ſponte rũpuntur, adamas verò nec malleis cæſus infringitur: ita ergo qui à ſemetipſo non læditur, etiamſi tundatur, ab aliis nõ poteſt lædi: qui verò animi ſui ignauia proditur, etiam nullo perurgente defluit & reſoluitur. *Idem hom. quod nemo Ledatur niſi à ſeipſo.*

Sicut mercator nõ ſentit nauigationis laborem, lucrorum ſpe releuatus: & pugil generoſe fert capitis vulnera, coronã reſpiciens: ita profectò nos quoque in cœlum, & cœleſtia intendentes bona, quæcunque inferantur grauia, generoſe cuncta feremus, bona futurorum ſpe roborati. *Idem hom. 16. ad pop. Antioch.*

Laudauerim virtutem gubernatoris qui nullas procellas

senserit, & cursū nauigij direxerit, nulla tēpestate iactatus. Sed illum laudauerim, qui aduersus ventos renititur, insurgit aduersus fluctus, non timet vel cum eleuatur vndis nauigium, vel cum ad profundi ima deponitur: Ita & ille laudandus est gubernator sui, qui ea quæ aduersa sunt vincit patientia, virtute superat, secundis non extollitur, aduersis nō frangitur. Rege ergo teipsum, quādo turbatur animus, mens fluctuat. *Ambrosius, ser. 8.*

Arca Noë, quæ figuram gessit ecclesiæ, ædificata est lignis quadratis. Quid est quadrari? Attendite similitudinē. Quadrati lapidis similis esse debet Christianus. In omni tribulatione non cadit, etsi impellitur, & si qua vertitur, non cadit. Nam quadratum lapidem quacúmque verteris, stat. Stantem te sic inueniat omnis casus. *Aug. in Psal. 86.*

Quemadmodum his qui crudo sunt stomacho, amarum prodest absynthium: Sic male moratis mala tolerare, vtile est. *Marcus Heremita de lege spirtali.*

Nos vero cum verbum vllum in nos dictum audimus, canes imitamur. Hi enim si quis in eos lapidem iecerit, iaciente dimisso, lapidem remordent. Ita nos Deo relicto, qui nobis tribulationes huiusmodi ad peccatorum nostrorum purgationem procurat, ad lapidem, hoc est, ad proximum currimus dicentes, Quare hoc mihi locutus est? quare hoc fecit? Cúmque ex his proficere admodum possimus & mereri, negligentia nostra demeremur. *Dorotheus, de accusatione sui ipsius, doctrina 7.*

Qui debitor alicuius fuerit, donec reddiderit debitum, quouis locorum abeat, debitor est, nec habet potestatē sedendi cum quiete. Quod si afficiatur ignominiis ab hominibus, erubescit, tunc debitum soluit, ac sic liber fit, & cum fiducia & audacia potest in populo esse, & vbicúmque voluerit, sedere. Sic homo cum patienter tulerit iniurias, ob peccata commissa humilitatem discit, & laborem, & ita recedunt ab eo peccata, iuxta quod scriptum est, Vide humilitatem meam & laborem meum & dimitte vniuersa delicta mea. *Idem doctrina 20.*

Ego dico vobis, non resistere malo. Math. 5. Nonne quoties miserum hominem choleræ inflammauerit incendium, & dominante febre vesanum reddiderit ægrotantem,

turbatur sensus, mens deperit, feritas accedit, recedit humanitas, & ne multis, moriente homine furor viuit. Hinc est quod frendit dentibus, parentes laniat, scindit proximos, cædit pugno, morsu agit atque afficit obsequentes: tunc medicus ad virtutis laudem, ad artis gloriam, ad famæ cumulum, armatur patientia: tolerantiam sumit, iniurias despicit, morsus sustinet, fert labores, & non leues pœnas patitur, vti à pœna liberet laborantem, fouet oleo, insistit curis erogat medicinam, certus quod medicinam repenset ęgrotus dum receperit sanitatem. Ergo fratres si talia perpetrantes grauissima phreneſi laborare cognouimus, obediamus Christo, & furentium fratrum morsus, verbera, onera, tota pietatis virtute portemus, vt & fratres nostros liberemus à pœna, & nos æternum patientiæ præmium consequamur. *Petrus Chrysologus. ser.* 18.

Siquidem hoc spectat medicus, vt morbo liberet ęgrotũ, non vtrum merito an immerito sibi morbum contraxerit. Tu quoque igitur medicus esto ei qui te læsit, vnum hoc quære, quo pacto morbum illi adimas. *Chrysost. Hom.* 1. *de David & Saule.*

Si miles periculũ belli sustinet, dum sperat victoriæ prædam: Quanto magis vos opprobria mundi non debetis timere, qui regni cælestis præmium expectatis? *Idem, Hom.* 9. *oper. imperf.*

Sicut aquam denegare sitienti crudele est: Ita patientiæ præclaræ virtutis præconia silentio tegere malum est, quia in illo subtrahitur alimẽtum corpori: in hoc via clauditur, qua spiritus ad cœlum deducitur. *Laurentius Iustinianus, in ligno vitæ, de patientia, cap.* 2.

Quemadmodum in corporibus reparat sanitatem medicina: ita in animabus patientiam tribulatio generat. *Ibidem, cap.* 3.

Sicut nihil est deformius, quãm respondere furiosis: Ita nihil est vtilius, quàm tacere nobis prouocatis. Nullus est enim finis inimicitiis, nisi ad tempus obtemperemus iratis. *Ibidem, cap.* 4.

Sicut proprium est eorum qui nouiter consuetudinẽ peccandi reliquerunt, ac in Christi militia ascripti sunt, peccata sua deflere, tanquam qui frequenter ex ipsorum recordatione pulsantur: Sic patientiæ status est, patienter ferre

aduersa. *Ibidem, cap. 6.*

Ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus obaudit. *Seneca, lib. 2. de ira, cap. 15.*

Pusilli hominis est, & miseri, repetere mordentem, vt mures, & formicæ: ad quas si manum admoueris, ora conuertunt. Imbecilla se lædi putant, si tanguntur. *Ibidem.*

Quemadmodum remedia tristiora sunt ipso morbo, vt satius sit oppetere mortem, quàm his aucupari salutem: veluti fugere sanguinem è vulnere recenti gladiatorum morientium: ita quãdóque satius est ferre iniuriam, quàm maiore incommodo vlcisci: ferre pacem, etiamsi parum commodam aut æquam, quàm bellum cum immensis malis suscipere. *Erasmus, in Simil.*

Vide Iniuria.

PAVLVS.

NIsi præcesserit pugna non potest esse victoria, cũ fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc datur vincẽtibus & corona. Nam gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Delicata iactatio est, cum periculùm non est, conflictatio in aduersis, probatio est virtutis. Arbor quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non mouetur, & nauis quæ forti compage solidata est, pulsatur fluctibus, nec fertur. Et quando area fruges terit, ventos grana fortia & robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portatæ rapiuntur: Sic & Paulus post naufragia, flagella, post carnis & corporis grauia tormenta, non vexari, sed emendari se dicit in aduersis. *Cyprianus, ser. de mortalitate.*

Sequor autem si comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo. Quo pacto comprehenditur à Deo? Quemadmodũ si tyrãnus captiuos quosdam abducat, quos rapuerat: deinceps recuperentur à vero rege: ita quoque Paulus cum à tyrannico peccati spiritu torqueretur, persequebatur & deuastabat ecclesiam: at quoniam non odio Dei, sed per ignorationem hoc agebat, tanquam certans pro veritate, nõ est neglectus: sed apprehendit eum Dominus, cœlestis rex &

verus, vbi circunfulsisset arcano modo: illúmque voce suâ dignatus, in faciem percussum, vt seruum liberauit. *Macarius*, *Hom.* 44.

Hoc nimirum & parentes sepenumero faciunt erga filios, dum quispiam corripiens filium suum corruptũ, multáque operatum mala, quamuis sibi persuasum habeat, illũ ex propria malitia ad perditos mores exorbitasse, frequẽter tamen in alios culpam reiicere ita loquens. Noui non fuisse tuum delictum, sed alij te corruperunt ac seduxerunt. Illorum est totum hoc peccatum. Nam hæc audiens filius, poterat paulatim à malitia respiscens, facilius ad bonam frugem reuerti, dum pudefit erubescítque, hac laude videri indignus. Idẽ fecit Paulus scribens Galatis. Post multos illos ac prolixos sermones, postquam non commemorandas accusationes quibus illos accusarat sub epistolæ finem, volens ab illis amouere culpam, vt aliquantulum à criminibus recreati ad excusationem venire queant, hunc in modum loquitur, *Ego confido de vobis, quod nihil aliud sentietis.* Cæterum qui vos perturbat, feret iudicium quisquis ille fuerit. *Chrysost. Hom. de Dauide & Saule, magnum esse bonum non tantum exercere virtutem, verumetiam laudare.*

Sicut in famulis vsuuenire solet, quod obscuri fiant si quã primum fugam inierunt, sua nomina mutarint: Ita & in Paulo contigisset, si mox vt relictis Iudæis ad nos venit, aliud nomen sortitus fuisset. Nemo enim sciuisset quod persecutus esset ille Euangelistas. *Idem, ser. de conuersione Pauli.*

Medicum tunc maximè admiramur, quando febrem cũ infestior, & flãma morbi cum vehementior est, extinguere, & penitus abolere potest. Id quod & in Paulo contingit. Vox enim Domini quasi res quædam desuper cadẽs, à morbo in ipso feruore flammæ liberauit. *Idem.*

Etenim qui excindere vult arborem, ramis relictis radicem ipsam execat: ita sane & hic adortus est discipulos, radicem prædicationis volens eximere. *Ibidem.*

Quemadmodum Dominus qui seruum mercatus est, ostendere volens se Dominum serui, nomen illius immutat: ita & spiritussanctus fecit, vbi Paulum captiuum accepit, vocabulum eius mutauit, vt etiam inde disceret Paulus se habere Dominum. Nominum enim impositio Domini

signum est. *Idem, Hom. de serendo reprehensionibus.*

Propter quod & vinctus sum vt manifestem illud, sicut oportet me loqui. Coloss. 4. Vinctus erat Paulus & confidētiores reddūtur discipuli. Merito. videbant enim non impediri euangelij prædicationem. Num enim linguam alligare poteris? hac potissimum currit prædicatio. Quemadmodum enim nisi cursoris pedes ligaueris, cursum illius non impedieris: ita euangelistæ cursum, nisi linguam alligaueris, non prohibueris, sed quomodo si cursuri lumbos vincieris, magis currit & in cursu solidatur, ita & iste magis prædicat: idque cum maiore fiducia. *Idem, Homilia decima ad Colossenses.*

Maius nescio quid Paulus de se dicit quam Prophetæ. Illi aduenas se vocabant & peregrinos, hic captiuum. Ad captiui enim modum ducebatur atque tractabatur, & omnibus patiendi forma proponebatur, imo peius etiam habebat, quàm captiui. Nam illos quidem hostes captos in magna deinceps securitate conseruant, curam eorum habentes, tanquam rerum & possessionum suarum: hunc verò vt hostem agebant & ferebant omnes, eum distrahentes, verberantes, vituperantes, calumniantes, & quid quæso, non? *Ibidem, Hom.* 11.

Optimi medicorum cum altè secuerint, & per incisionem fecerint doloris augmentum, solatium statim afferunt & remedium illi loco, vbi dolor inest, & perturbatam refouent animam: postquam autem recreauerint, alteram, iam non adiiciunt sectionem, quinetiam illa quæ facta sunt, medicaminibus mitioribus, & valentibus magnitudinem mitigare doloris, confouent: hoc etiam Paulus fecit. Postquam enim concussit animas Hebræorum, & compunxit mentione gehennæ: & fidem fecisset, quia omnibus modis perire oportet iniuria Dei gratiam afficientem, ne multo timore desperantem animam absorberi faceret, consolatur eos per laudes, & hortationes dicens: *Redeant vobis in memoriam pristini dies, &c. Idem, Hom.* 21. *ad Hebræos.*

Patientia vobis necessaria est. Heb. 10. O quanta magnitudo exhortationis & consolationis, veluti si quis ad athletā hoc diceret, qui cunctos superasset, ac deiecerat, & nullum

reliquum habet, qui sibi concertaret: & deinde futurum non nisi vt coronaretur, & dilectionem ferre non posset, dum arbiter certaminis adueniret, qui coronam daret: ille autem impatienter ferens, vellet exire & fugere, non tolerans sitim & flammam æstuationis. Ita & Paulus hoc loco. *Ibidem.*

Sicut is qui in paupertate intra vile tugurium vixit, si forte regem videat auro multo ac margaritis refulgẽtem, vltra non vult tugurij pauperis recordari, sed agit omnia quatenus possit à splendore & gloria regis, quem contuens admiratus est & dilexit, inseparabilis effici: Ita & Paulus vbi perspexit illa quæ in cœlis sunt, contempsit ista quæ egestatis & squaloris in terra plena sunt, & cum hominibus quidem pro necessitate terreni corporis conuersabatur: mente verò & sollicitudine totum se illuc transferebat, quo eum amoris sui ducebat intentio. *Idem lib. primo de compunctione cordis.*

Quemadmodum mulieres quotquot dolorũ partus experimenta sumpsere, cum matres fiunt horum quos parturiunt, quocunque fuerint, vinculo continuo alligantur: Sic & Paulus adeo multo fortius, semper enim discipulis suis adhærens, atque affixus erat, eoque fortius, quo naturalibus spiritualia vincula sunt fortiora. Nam sic nõ semel, sed eosdem bis parturiuit, & clamauit dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio.* Id adeo mulier nunquam pateretur, neque sufferret eosdem iterum labores. Sed tolerabat hoc Paulus quod in natura non est videri. *Idem hom. 10. de pœnitentia.*

Cui comparauerit quis Pauli verba? Mari vel oceano? sed nihil par est: illo sunt verba eius copiosiora, puriora & profundiora. Et sic non peccarit quis si cor Pauli mare ac etiã cœlum dixerit, cum ob puritatem tum ob profunditatem. Mare est, nauigantes non à ciuitate in ciuitatẽ, sed à terra in cœlum vehens. Si quis in hoc mari nauigauerit, secunda aura nauigat. Non est in hoc mari ventus, sed pro vẽto spiritussanctus, qui in illo nauigãtes animas vehit, non ibi procella, non scopulus, non bellua sed omnia tranquilla. Mare est portu tranquillius & securius, nihil habens falsum, sed purum ac dulcem laticem, sole lympidiorem & magis perspicuum. Qui vult in hoc mare descẽdere, non opus habet natatione, vel remo sed magna gratia: inueniet autem in

eo omnia bona quæ sunt in regno cœlorum & poterit fieri rex, & totum mundum accipere, inq; summo honore esse: qui in hoc mari nauigat nunquam naufragium faciet. Et quemadmodum hi qui imperiti sunt maris, suffocantur: ita & hîc fit: id quod & hæreticis euenit, qui plusquam vires permittunt, attentant: oportet sanè profunditatem nosse vel non attentare. Nauigaturi hoc pelagus, pauperes simus ac humiles. Paremus nobis naues, studium alacritatem, preces, vt in silentio hoc pelagus transeamus. Etenim aqua hæc viuens est. Vt autem paulina verba intelligãtur vita pura opus est. Sicut enim stomachus sanos & difficilis concoctionis cibos non suscipit: ita etiam anima torpida, inflata, æstuans, sterilisque, spiritalem sermonem accipere non poterit. *Ibidem. hom. vltima in acta Apostolorum.*

Patitur & Apostolus aliquid quod nõ vult, pro quo ter dominum deprecatur. Sed dicitur ei, sufficit tibi gratia mea, quia virtus in infirmitate perficitur, & ad reuelationis humiliandam superbiam, monitor quidam humanæ imbecilitatis opponitur, in similitudinem triumphantiũ quibus in curru retro comes adhærebat, per singulas acclamationes ciuium, dicens, hominem te esse memento. *Hieronimus epist. ad Paulam super obitu Blesillæ filiæ.*

Nutritor pius nisi totus fuerit redactus in paruulum, nũquam paruulũ perducit in virũ: deniq; tũc vocé tenuat, verba ponit, agit nutrib', sensus seponit, infirmat viscera, abiicit vires, membra dissoluit, gressũ tardat, gestit non ambulare sed repere: ridere simulat, timere fingit, flere mentitur, quia est in illo mendacium pietas, desipuisse prudentia est, est infirmitas virtus. Hoc reor beatum Paulum fecisse: cum dicit, factus sum paruulus in medio vestri, tanquam si nutrix foueat filios suos. *Petrus Chrisologus sermone. 62.*

Mira pietas, quæ vt largiatur exorat. *Obsecro inquit, vos per misericordiã Dei.* Medicus austera remedia cum recipere persuadet ægrotos, agit precibus, non compellit imperio: sciẽs infirmitatis non volũtatis esse, quod salutaria respuit, quoties profutura repellit infirmus. Et filium pater non potestate, sed timore ad rigorem per trahit disciplinæ. nõ ignorans quam sit aspera immaturis sensibus disciplina. Et si corporalis infirmitas ad curam precib' sic mouetur, si puc

rilis animus ad prudentiam ducitur blandimentis, quid mirum si Apostolus, qui semper est & medicus & pater, humanas mentes morbis carnalib⁹ sauciatas, vt ad remedia diuina subrigat, sic precatur, *Obsecro vos &c. Idē sermone 108.*

Nocte ac die obundantius orantes vt videamus faciem vestram. Orabat herum vt liceret conspectu frui, nec sane minor cupiditate, quā solet agricola quispian, cum audit quem optimè coluerit agrum, fructus verò vberrimos protulisse, & reuisere eumdem, & oculis perlustrare mox cupiat. *Theophilactus in prioris ad Thessalo. cap. 3.*

PAVPERTAS.

VEnatio leonis onager in deserto: Sic pascua diuitum pauperes. *Ecclesiast. 13.*

Neque medicus quisquam ferro manuque admotis sic accuratè putrida vulnera secat, vt pauper egena manu porrecta stipem flagitando vulnerum cicatrices tollit. Et quod mirum citra dolorem citra⁹ suspirium, pulcherrimam conferunt medicinam. *Chrysostomus hom. 30. in. 1. Cor.*

Quemadmodum inter animantia ceruus & lepus ob innatam sibi timiditatem maximè cæteris obnoxia sunt, sus autem & taurus & leo, haud facile in potestatem insidiatoris cadunt: Tale videre quiddam in diuitum & pauperū gente licet. Hic leoni, tauro similis est: Ille lepori, ceruo. Quem enim non metuit dives? an nō latrones? an non potentes? an non inuidos, an non calumniatores? & quid calumniantes aut latrones dico? familiares suos suspectos hab et. aut quid viuens dico? quando ne mortuus quidem grassantium improbitate liber est: & ne mors quidem ipsa tutari prorsus diuitiis cadauer potest, quin sceleśti homines expilent, tam est periculosa res opes. *Ibidem hom. 25.*

Ob paupertatem ne maceremur. Nec enim cum pictos in tabella diuites videmus, dignos admiratione putamus, vt nec mendicos istic exaratos, miseros, sint pictis licet viuis nostris diuturniores: faciliusque licet pictus in tabella dives quam in rerum natura consistat: in centesimum sæpe annum tabella durat: cum qui tam bellę sibi dives placet, vnius anni spatio rebus omnibus exuatur. *Ibidem homilia. 38.*

Amicos qui ad prandiū vocat, nihil magni facit. recepit enim hinc mercedē, qui pauperem, Deū habet debitorem. Retribuet, si non retribuerit homo: sin homo retribuerit, non est retributurus Deus. Amicum si vocaueris, ad vesperam vsq; durabit gratitudo: sin pauperem, nunquam ea peribit. Debitor enim dominus perpetuo reminiscitur, nunquam obliuioni tradet. vulgaris amicitia velocius quouis momento consumitur. Instruantur mensæ duæ, vna pauperibus omne genus repleatur, diuitibus altera. Illic argenti nihil, nec vini multum, sed quod tamen ad hilaritatem sufficiat: hic vasa aurea & argentea, ministri multi atq; splendidi, & sumptuosa fercula. In vtra estis accubituri? In hac vestrum opinor, plurimi: ego ad illam propero. Hæc homines, illa Christum: seruos hæc: illa dominum habet recumbentem. Itaq; etiam si maior illius quam huius voluptas, quāto iucundius cum rege quam cum famulis accumbere. In illa ego quique mecum eam elegerint, multa cū libertate animiq; delectatione & loquemur & audiemus omnia: vos autem in hac trementes, ac timidi simulq; discumbentes subueritiq;, manū quidē protendere audebitis, quasi ad pædagogiū nō ad prandium ingressi, & coram molestis ac sæuis dominis trementes, & seruorū more eadē cum heris mensa cōmunicantiū abiecte loquētes. Nos verò non ita. Duplici ergo nomine vos superamus, libertate scilicet ac honore: quibus quod ad voluptatē attinet, nihil cōferendū *Ego qui pe malim cū libertate, amicitia, gratia, panem & olera, quam cum seruitute & amicitia vitulum saginatum & mille fercula. Pro. 5.* Quicquid enim diuites dixerint, cogūtur laudare qui præsentes sunt, aut certè offēdere, nisi parasitorū locū subeāt. imò illis etiā peiores sūt Hi enim cū dedecore licet, libere tamē opprobrādi ius habēt: vobis verò nec hoc quidē licet, tātā illic vtilitatē habētibus, honorē nō itē. Priuata ergo oī iucūditate diuitū mēsa, pauperū quauis animi delectatione referta est. Sed ferculorū quoq; naturā describam°. Illic vel inuito necesse est multo cibo vinoque rumpi. Hic nihil nolentem cogit comedere vel bibere, ita voluptatem eius quæ ex ciborum est qualitate repletionis illic occupans aufert molestia, corpora non minus corrumpens & dolore afficiens quam fames, imò multo peius. Est enim fames repletione tolerabilior, illam viginti dies ferre posses: hāc

ne solos quidem duos. Qui cum illa continuè luctantur, in agris nempe, sani sunt, nihil opus habent medicis: hanc nisi continuè medicos voces, vtique non feras: imò & medicorum hæc tyrannis auxilium sæpe fallit. Potior itaque pauperum mensæ voluptas, quanto honor ignominia suauior: sui iuris esse quam subesse, libere loqui, quam tremere iucundè agere, quam meticulosè: necessariis quantum satis est frui, quam delitiis mensuram excedere: & pauca insumere, quam multa. Nec conuiuis modo, sed & conuiuatoribus plus affert voluptatis. Qui diuites adprandium vocat, id multos ante dies præparat & accurat: nec noctu dormit, nec die quiescit, multa ipse comminiscens: plura coquis popinatoribus & structoribus præcipit facienda. Imminente conuiuij die timidior, quam quibus depugnandum est, ne quid contra præscriptum fiat, ne quis inuideat, cauilletur, criminetur aut exprobret, & multos inde acquirat irrisores. hac omni cura liber est qui pauperes inuitat, mensam ex tempore parans nihil diu ante curans. Ad hæc post omnia tot tanraque mox ille gratiam perdit: Deũ iste debitorem habet, bona spe nutritur singulis diebus ab ista mensa saturatus, cibis quidem consumptis, sed non consumpta gratia, quotidie magis gaudet, quam qui adeò cibi vinique multum ingurgitat: vt nihil animum tam oblectat, quam bona spes & placida. Videamus reliqua. Illîc tibiæ, lyræ, fistulæ: hîc hymni & psalmodiæ illîc laudantur dæmones: hîc omnium Deus: hic gratia, illîc stupor & ingratitudo. Nam dic mihi. Pauit te Deus ex bonis suis, vnde pastum te oportebat gratias agere, tu dæmones introduces? Quæ enim musicis canuntur instrumentis, vix aliud quam dæmonum sunt cantilenæ. dicendum erat. Benedictus es Domine, qui me aluisti. At tu nec horum vt canis quidam recordaris. Imo canes siue quid accipiant, siue nihil, domesticis adulantur, herum mulcent: tu non ita: sed & cum acceperis, in Dominum sæpe latras. Rursum canis si quid ab alieno acceperit, nec sic inimicitiam aduersus illum remittit, nec ad amicitiam eius trahitur. Tu innumera à dæmonibus mala passus, eos ad conuiuia tua admittis. ille famem etiam patiens hero adulatur: si quem curatum à dæmone audieris, mox Deum tuum deseris. Sed vis & finem videre? A mensa illa surgentes, insanis & amentibus

amentibus similes sunt, iracundi, temerarij, ebrii, sobriis mancipiis ridiculi. Hi prandium gratiarum actione claudentes, domum sic abeunt, iucundè dormiunt & exurgunt, omni turpitudine liberi: illi tales intus, quales foris, cæci claudi & mutili: & qualia eorum corpora, tales animæ iisdem morbis correptæ: horum & corpus & anima splendida, ornata & alacris. Illic finis voluptas, risus, ebrietas turpiloquium, insania. Hic benignitas, mansuetudo, & gratiarum actio. Nec Dei tantum gloria, sed maior & ab hominibus commendatio. Illi etiam inuident, hic veluti communem patrem suspiciunt omnes nullo etiam beneficio affecti: nec minus predicat, quam quibus factum est bene. Illic inuidiæ multum, hic prouidentiæ plus & auxilij, multæ ab omnibus precationes. Et hæc in hac sane vita: in futura autem cum Christus venerit, stabunt hi multa cum securitate, coram orbe vniuerso audientes: *Esurientē vidisti & pauisti & cætera.* illi contraria. *O seruo malepiger &c.* Et væ delitiatis somnolentis, vinolentis, delibutis, vnctis. Quid igitur, inquis, si & ista & illa fecero, diuitibus scilicet & pauperibus communia? Multus hic in ore omnium sermo. Et quid necesse est? cum possis omnia vtiliter facere & quæ nihil prosunt, ab his quæ vsui sunt discernere. Si colligenda esset pecunia, non hoc diceres, sed vndique colligeres. Hic verò non ita. Si fœnerandum sit, non dicis, cur hæc egentibus, illa ditibus dabimus? demus his omnia. Hic verò vbi lucri tantum est, non reputabis istud, & cessabis vanè sumptum facere, & frustra bona perdere? Sed illinc, aiunt, lucrum est. Ecquod quæso? Amicitias auget. Nihil amicis vtilius ita comparatis. nihil talibus parasitorum amicitiis frigidius. At pauperum mēsæ amicitiam generant: erga Deum auctam atque cumulatam. Qui partim in pauperes, partim & in diuites insumit, det licet multa, nihil tamen magni facit. Qui omnia in pauperes impenderit, modica licet dederit, totum tamen perfecit. Non quæritur quam multa dies aut modica, sed an non minus quam possis. Vidua illa quæ pauit Eliam, quæ duos obolos in gazophylacium misit, non dicebat, Quid nocuerit si vnum quidem obolum mihi retinuero, alterum autem dedero? Sed omnes vitam suam

dabant. Tu verò in tanta abundantia sordidus es. *Idem hom. prima ad Colossenses.*

Nisi essent pauperes peccatorum difficile sarcinam ponerent. Medici illi sunt vulnerum tuorum, manus eorum tibi medicamenta præstant. Non ita medicus, vt medicamẽta imponat, extendens manum curationem exhibet, vt pauper abs te accipiat porrigens manum. *Idem Hom. 14. in 1. Timoth.*

Sicut diuitiæ negligentiam pariunt salutis: ita egestas dum saturari querit, à iustitia declinat. *Ambrosius in epist. ad Rom.*

Thesaurus cœli est manus pauperis, quod suscipit ne in terra pereat, reponit in cœulm. Thesaurizate, inquit, vobis thesauros in cœlo. Manus pauperis est gazophylacium Christi, quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, vt accipias cœlum. Da nummum vt accipias regnum. Da micam vt accipias totum. Da pauperi, vt des tibi; quia quicquid pauperi dederis tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. P. *Chrysologus de iesunio & eleemosyna sermone. 8.*

Sed ridiculus est pauper (ais) etiam si virtute præditus sit non apud homines sed carentes ratione. Neque enim si asini in nos irrudant, & inclangant graculi, sapientes autem laudent. horum dimisso consensu stultorum clamores nos moueant. Sunt enim graculis haud absimiles & asinis peiores qui præsentia mirantur. Nam si terrenus rex te laudet nihil multitudinis sermonibus, & somnes irrideant: Cum autem omnium Dominus te laudat de cantharidum & culicũ laudibus cogitas? *Chrysost. ho. 75. in Ioan.*

Cur fugimus paupertatem? cur opes miramur? cur non animum potius ferendis omnibus præparamus? Nam qui domum struit, non hæc spectat, vt ne pluuiam super ipsam defeendat ne radius incumbat, quando istud quidem nulla ope caueri potest, sed qui sustinere domus hæc facile possit. Et nauem fabricans, non hoc agit vt ne fluctus obturbet, vndæ ne tollantur impossibile est, sed vt nauis compages & latera ad omnia idonea fiant. Et corporis curam habeas, non hoc agit, ne vlla maleficia, aut inæqualis aeris vis oboriatur sed qui corpus omnia tolerare possit. Hoc ipsum intus conari etiam

oportet nō qui suffugias paupertatem, qui opes assequare sed qui ad salutem vtrumque si incidat conuertas : Missa igitur ista solicitudine ferendæ paupertati, ferendis opibus, mentem idoneam reddamus. *Idem hom 35. in. 1. Cor.*

Ne contumeliis inopem lædas, remedio indiget qui te adiit non vulneribus. Nam siquis lapide percussus, cæteris omnibus neglectis ad genua tua sanguinolentus refugerit, alióne tu iterū caput eius percuteres, & vulnus vulneri adderes? Nequaquam certè sed priori vulneri mederi velles: Cur igitur in paupere oppositum facis? An ignoras quantum prodesse iucunda, quantum nocere potest amara oratio? Melius est inquit sermo pius quam datio. Non putas aduersus teipsum ense abuti, grauioreque ictu confossum iacere. cum dolore pauper commotus, gemens atque lacrymans silentio abs te discesserit, nempe à Deo ad te missus fuerat. Nam si famulus tuus ad alium similiter famulum, argentum tuum repetiturus quod illi dederis iussu tuo profectus sit, nec inde solum inanis, verum etiam omni conuitio, atque contumelia pulsus redierit, quo supplicio famulum tuum punires, cum teipsum ab eo spretum atque contemptū censeres, pariter de deo cogita. Ipse enim est qui ad nos pauperes mittit. *Idem hom. 36 in Matth.*

Patientia pauperum non peribit in finem. idest, nunquam, sed proprium fructum recipiet, quod non semper eueniet in rebus ad victum pertinentibus, sed finem sæpe non consequuntur pereūtibus laboribus. Agricola quidem expectat, & mercator. At non rarò propter aëris iniquitatem aut aliunde fructu sui laboris excidunt. In Deo non ita fit, sed suum quisque in eo finem consequatur necesse est, quod magnam vtique consolationem affert, de fine nunquam frustrando confidere. *Idem in psal. 9.*

Nemo paupertatem defleat, neque ob vitæ inopiam desperet, cui nulla reliqua sit domi supellex. Oculos referat ad hirundinem ingeniosam. Nam illa nidum compingens festucas ore fert, cum verò lutum portare pedibus nequeat, alarum summitatem aqua irrigans, deinde tenuissimo puluere inuoluens, hoc pacto luti vsum excogitat, & paulatim festucas inter se luto illo, veluti glutino quodam colligans, ibi pullos

nutrit, quorum si quis oculos pungat, habet à natura curationem quandam ac medendi artem, qua ad sanitatem filiorũ oculos reuocat. Hæc te admoneant ne ob paupertatem ad malefaciendum conuertaris, neque in molestissimis afflictionibus omni spe abiecta, ipse te deseras, sed ad Deum refugias, qui hirundini talia largitur multò profecto maiora dabit hominibus, qui ad eum toto corde clamauerint. *Isidorus clarius oratione. 57. tomi primi.*

Si regis aut imperatoris alicuius charissimus frater, hanc vrbem ingrederetur, sciremusque eum qui beneuolũ erga illum animum præberet, esse ab ipso rege maximam vicissitudinem beneficij recepturum, profectò certaretis muneribus, alter alterum superare, spe illa recipiendorũ beneficiorum illecti. At verò rex maximus Christus profitetur, pauperes esse fratres suos, polliceturque se ob vnã erga illos beneficentiam regnum cœli repensurum, & nullus tantis promissis commouetur. Iam pene duo anni sunt, cum episcopus vobis sum datus, neque dum rei quæ tanti à Christo fit, est prouisũ. Quod si ille quem dudũ dicebam regis frater hanc vrbem ingressus, non dico duobus annis, sed duobus diebus, atque adeo duabus horis moraretur sine hospitio, iudicaretis rem fieri nefandissimam. Fratres Christi vagantur tam diu per vrbem, neque dum tempus eorum colligendorum existimabimus? *Idem oratione vndecima.*

Diues vt multis aduletur necesse est, tum principibus, tum subditis, & vt quamplurimis indigeat, & turpiter seruiat necnon metuat & tremat, & inuidorum oculos suspectos habeat, & sycophantarum ora timeat, aliorumque auarorum cupiditates. At talis non est paupertas, sed plane diuersa, locus tutus est & securus, portus tranquillus, palæstra & gymnasium Philosophiæ, angelicæ vitæ imitatio. Mihi verò paupertas similis esse videtur modestę cuipiam virgini, honestæ ac forma eleganti. Auaritia verò mõstrosa mulieri, Scyllæ cuidam & Hydræ. Sed & ipsam virginis pulchritudinem consideremus. Si quidem ipsius oculus est clarus & purus, nihil habens turbulentũ vt habet auaritiæ oculus, nunc quidem furore plenus, nunc verò voluptate oppletus, nunc autem intemperan-

tia perturbatus. At talis non est paupertatis oculus, sed mansuetus, tranquilus, suaue ad omnes respiciens, placidus clemens, nullum odio prosequens, nullum auersans. *Chrysostomus hom. vltima in Mathæum.*

Labor, ieiunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas, non omnibus sunt onerosa tolerantibus, sed tolerare nolentibus. Siue enim grauia hæc, siue leuia animus tolerantis facit. Nam sicut nihil est tam leue, quod ei graue non sit, qui inuitus facit: sic nihil est tam graue, quod non ei qui id libenter exequitur, leue esse videatur: nisi fortè antiquis illis priscæ virtutis viris, Fabiis, Cincinnatis, graue fuisse existimamus, quòd pauperes erant qui diuites esse nolebant, cum omnia scilicet studia sua, omnes conatus suos ad omnia emolumenta conferrent, & crescentes reipublicæ vires priuata paupertate ditarent, *Salmanus de vero iudicio & prouidentia Dei, lib. 1.*

Quemadmodum ex adhibito remedio ægroti, medici peritia agnoscitur: Ita interdum ex occurente inopia, miserantis Dei prouidentia sentitur. *Laurentius Iustinianus lib. de contemptu mundi. c. 11*

Sicut pallium sordidum non obstat corpori, quominus sanum & quadratum sit: Ita paupertas nihil orationis liberam fiduciam prohibet. *Socrates apud Stobæum serm. 11.*

Vt hi qui geniti sunt inter Persas, non desiderant in Græcia habitare, & illic in fœlicitate frui: Ita etiam pauperes, quibus diuitiarum nota est natura, etsi in summa inopia nati sint, non tamen ob illa irritamenta malorum student diteſcere. *Epictetus apud Stobæum sermone 11.*

Pauperum vita similis est nauigationi iuxta littus: diuitum autem, ei quæ in profundo pelago fit. Illis enim facile est funem eiicere, appellere, & nauim extrahere. Diuitibus non item. *Aristonymus apud Stobæum serm. 95.*

E corporis morbo quidam hoc excerpunt commodi, quòd vacant negociis, quibus distringebantur: & quosdam, labores obiecti reddidêre validos: Sic quibusdam exilium, paupertas, naufragium, occasio fuit philosophandi. *Plutarchus in morali.*

Vt qui vestes flagellant, corpus non attingunt: Sic qui generis vitium aut paupertatem exprobrant, non propriè

tangunt ipsum hominem, sed externa calumniãtur. *Ibidem.*

Vide Diuitiæ, Eleemosina.

PAX.

TAnquam in musicis si harmonia chordarum fuerit consonanter aptata, sonum suauem modulati carminis reddit. Si verò sit aliqua in fidibus dissonantia, ingratissimus sonus redditur, & carminis dulcedo corrumpitur: Ita & hi qui Deo militant, si dissensiones & discordias inter se habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum Deo videbitur, etiamsi multa bella conficiant, etiamsi spolia multa deferant, & multa munera offerant Deo. Ego autem amplius aliquid dicam. Nisi talis fueris, vt in nullo dissentias à mandatis Dei nec in aliquo discrepes ab euangelicis præceptis, non poteris superare inimicum. In eo enim ipso, quo dissentis, victus es à Diabolo. *Origenes hom. 26. in Numeros.*

Quemadmodum corporis membra cum multa sint, vnum tamen sunt corpus, & se mutuo iuuant, ac vnumquodque proprio fungitur officio: verbi gratia, oculus pro vniuerso corpore videt, manus pro omnibus membris operatur, pes quocunque pergens ambulat, circumferens vniuersa membra, & nihilominus aliud membrum compatitur: Sic & fratres sibi inuicem cedant: neque is qui precatur, operantem damnet quod non precetur: neque qui operatur, orantem condemnet, inquiens, Ille quiescit & ego operor, neque qui ministrat, alterum iudicet: sed quisque cum agit quidpiam, ad gloriam Dei faciat. *Macarius hom. 3.*

Respiciamus in cœlum sursum, & in terram deorsum, & discamus leges creaturæ, quod cœlum & terra & mare & vniuersus hic mundus magnum Dei elementum, & perquam celebre: quæ cuncta Deus tacite predicans nobis ostendit. Donec enim quietem & pacem inter se habent, ac in propriis naturæ remanent terminis, & nullum contra aliud insurgit, neque benevolentiæ dissolvit vincula, quibus opifex verbum vniuersa colligauit; decor est quod dicitur, & pulchritudo ineffabilis, nemoq; his vnquã splé-

dius quid aut magnificentius nouit Quamprimũ aũt pax ceſſat, etiam mundus eſſe deſinit. Nunquid enim cœlum bene ordinatum tibi eſſe videtur, cum aere & terra communicans, cum huic quidem lumen, illi autem pluuiam, beneuolentiæ impartitur lege, terra autem & aer, hæc quidem alimenta, ille verò reſpirationem cunctis præſtat animantibus, quæ propter hæc vitam obtinent, dum elementa hæc paternum imitantur amorem. anni autem tempora, nónne placidè temperãtur, ac paulatim ſibi inuicem ſuccedunt? caloríſque ac frigoris auſteritatem nimiam, immutatione ſua reddunt mitiorem, & ad voluptatem pariter & vtilitatem perquàm commodè paci ſubminiſtrãt. Quid autem & nox & dies? nónne æquas inter ſe portiones ſortiuntur? & hîc quidem ad opus nos excitat, illa verò quietem reddit. Quid verò Sol & Luna, ſtellarũmque pulchritudo, ac multitudo? quæ omnia ſuo ordine oriuntur & occidunt. Mare autem & terra nónne placidè inter ſe commiſcentur? & vtiliter ac humaniter ſe hominibus exhibent, illíſque affluenter & liberaliter opes ſuas impertiunt. Flumina autem per valles & planiciem currentia, nonne in eo vtilitatem ſuam oſtendunt? quod terminos ſuos non tranſgrediuntur, & retro conuerſa terram abſcondunt? Elementorum autem permixtio & temperatura, nec non membrorum cõmenſuratio & conſonãtia, animaliũ quoq; cibus, genitura, & habitatio, nónne omnia inter ſe ſunt diſcriminata? Et hæc quidem præualent, alia autem ſubiacent, quædam verò nobis obtẽperant, nonnulla ſunt libera. Cum igitur hæc omnia ita ſe habeant, & propter primas harmoniæ cauſas, ſiue confluentias & conſpirationes directa ac educta, quidnam aliud ex his intelligere oportet, quam quod per ea amicitia prædicetur ac concordia, & quòd hominibus legem ferant, vt & ipſi inter ſe probè cõueniant. Si verò contra ſeipſam pugnaret materia & fieret deſpicabilis, diſſolutionem propter ſeditionem moliens, aut Deus harmoniam aliqualiter propter peccantium timorem & ſupplicium cõcuteret, ſeu mare terminos ſuos egrederetur, aut imbres deciderent peregrini, aut ſol abſconderetur, aut anni tempora vltra ſolitum durarẽt, omnia ornatũ ſuum perderẽt, & timẽdum foret ne pacis bonũ ſeditione euerteretur: vt interim ciuitates populos ac regna

omittam, nec non de regionibus, exercitibus, & domibus, de nauium supplemento, coniugiis & amicitiis fileam, quæ omnia pacis bono consistunt, seditione verò dissoluuntur. *Gregor. Nazianz. de reconciliatione Monachorum.*

Dicamus fratres, his qui nos odio habent, si saltem suscipere velint: parcam tibi in re aliqua parua, vt maius aliquid, concordiam nempe, accipiamus: vincamur, quò vincamus. Videtis pugilum leges & palestræ certamina, quod hi qui succubuere sæpius superant eos qui superiores erant. Hoc imitemur, non conuiuas insatiabiles, aut mercatores: ex quibus illi sine mensura ingurgitant quæ sunt apposita: Hi autem nauem onerantes, citius illam frangerent aut submergerent, quàm aliquid ab insatiabilitate remitterent, & vt parua lucrentur, in magnis faciunt iacturam. *Idem sermone tertio de pace ad Amphilochium.*

Non veni pacem mittere, &c. Quomodo ergo omnes Prophetæ pacem tempore ipsius futuram prænunciarunt? Quia videlicet præcipua singularisque pax tunc præstatur, quando quod tabo vel sanie corruptum est, abscinditur atque proiicitur: quando factiosa & improba pars repellitur, aut omnino destruitur: sic certe cœlis terra coniungi potest. Nam & medicus hoc modo reliquum corpus conseruat facile, si quod reduci ad sanitatem nõ potest, ceciderit atque abiecerit: & militiæ dux ad soluendam militum conspirationem, alterum in alterum concitat. Sic in turre factum videmus, quando pernicioſa illa pax, per discrepantiam dissoluta, tranquillam atque laudabilem pacem reddidit. *Chrysost. hom. 6. in Math.*

Studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Quemadmodum ignis si quando arida ligna nactus fuerit, vnam pyram ex omnibus facit: si vero humida fuerint, neque in illis operatur, nec illa conglutinat: ita & hic nihil eorum quæ frigida sunt, vnitatem hanc complecti poterit, sed quicquid velut magna ex parte feruidum fuerit. Ex hoc igitur dilectionis feruor nascitur: vinculo igitur pacis omnes nos colligari vult Apostolus. Nam quemadmodum si quando teipsum alteri cuipiam alligare volueris, alia ratione illud non potes, nisi illum tibi colligaueris, (Nam si quidem duplex volueris efficere vinculum, oportebit & illum tibi alligari) ita & hîc alligari nos inuicem

vult, non simpliciter pacificos esse, neque vtcunque diligere sed in omnibus vnam esse animam. Bonum est hoc vinculum. Isto siquidem & nos inuicem mutuo, & Deo nos ipsos colligabimus, non stringit vinctas manus, nec premit hoc vinculum, sed & relaxat, & in spatiosam veluti campestrem latitudinem constituit, solutisque alacriores facit. Qui robustus est, si fuerit infirmo alligatus, & illum portabit, & perire non sinet; & si cum pigro ligatus fuerit, excitabit illum. *Idem hom. 19. ad Ephesios.*

Quid si cum isto pacem habuerimus, cum altero vero bellum ac pugnam? Quid hoc profuerit? Neque enim in corpore, si quædam ex elementis bene quidem & pacificè habeant, reliqua vero dissideant, sanitatem vnquam consistere possibile fuerit, sed illa consistet ex omnimoda omnium moderatione, consonantia & pace. Et in animo nostro, nisi omnes cogitationes sudatę sint, pax non erit. *Idem hom. 3. ad Colossenses.*

Pacem sequamini. Nihil ita & maximè in tentationibus superabiles facit ac facile subiiciendos, sicut separari ac seiungi. Dic namque mihi, Si aciem ruperis in bello, an non sine vllo labore hostes superabunt, & vinctos abripiēt sigillatim separatos reperientes, & propter hoc inualidos reddītos? *Idem hom. 30. ad Hebræos.*

Dicebat Scipio, vt in fidibus, tibiis, atque cantu in ipso, ac voce concentus est quidam tenendus, ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem, aures eruditæ ferre non possunt, iisque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur & congruēs: Sic ex summis, mediis & infimis interiectis ordinibus vt sonis, moderatam ratione ciuitatem consensu dissimillimorum concinere, & quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiam, arctissimum atque optimum in repub. vinculum incolumitatis, eámque sine iustitia nullo pacto esse posse. *Augustinus libr. 1. de ciuitate Dei cap. 21.*

Vt nullum ædificium diu stare & sustentari potest, vincula vbi sustuleris, sic nec Ecclesia adaugeri & ad suum fastigium perduci poterit nisi pacis & charitatis vinculo constricta fuerit. *Basilius orat. 1. de amore in Deum.*

Quemadmodum & res habet in corporibus: ſano enim vtilis eſt magnitudo, carniúmque copia, ægroto autem & malè affecto, periculoſiſſimus eſt talis habitus, & acutiſſimum periculum adducit. Similiter autem & nauis: quæ ſi cum concordia gubernatoris & nautarum nauiget, & ipſa ſaluatur, ſaluátque pariter vectores: ſin minus, quanto plura fuerint vela, tanto vehemẽtiorem tempeſtatem, perturbationémque maiorem accedere neceſſe eſt. Idipſum etiam fit circa currum: ſiquidem auriga rectè imperare ſciat, & equi conſentiant, dictóque ſint audientes, ſpes eſt in certamine talem currum victorem euadere, in bello autem ſaluari. Præſente autem ſeditione, turbationéque tanto maius periculum eſt, quanto equi ſunt fortiores atque velociores. Simili ferè modo & concordi ciuitati omnia talia vtilia ſunt, abundantia pecuniarum atque hominum multitudo, & honores, & gloria, & potentia: ſin non concordet, inutilia & grauia. Vt ſi eodem loco verſentur multæ feræ, aut pecora, vno incluſa ſepto, atque ſe mutuò cornibus inuadant, & conculcent, inſulténtque. *Dion orationi 39. De Concordia cum Apamen.*

Vt in corpore ex humidi, frigidi, calidi, ſicci temperatura, optima fit conſtitutio: Sic ex fratrum cõcordia maximè, floret genus. *Plutarchus in Moralibus.*

Vt ſingula haſtilia facilè frangas, coniuncta non poſſis: Ita diſſidentes facilè ſuperantur, concordes haud facilè. *Ibidem.*

Duabus vocibus ſimul ſonantibus, gratior fit cõcentus: Ita quicquid fit in familia, fit quidem vtriuſque conſenſu, ſed tamen arbitrio mariti. *Ibidem.*

Vt omnia inter ſe membra conſentiunt, quia ſingula ſeruari totius intereſt: Ita homines ſingulis parcent, quia ad cœtum geniti ſumus. *Seneca lib. 1. de ira, cap. 51.*

Tyrrhenus lapis quamuis grandis innatat, comminutus ſidit: Ita cõcordia ſuſtinemur, diſcordia peſſum imus. *Plin. lib. 2. cap. 106. & Ariſtot. De natur. cap. 11.*

Vt lapis è Scyro fluctuat integer, ſidit comminutus: Sic res diſcordia peſſum eunt, concordia ſuſtinentur. *Idem lib. 36. cap. 17.*

Vide Amicitia, Dilectio proximi.

QVasi à facie colubri fuge peccata, & si acceſſeris ad illa, ſuſcipient te. Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non eſt ſanitas. *Eccl.* 21.

Leo venationi inſidiatur ſemper: Sic peccata operãtibus iniquitates. *Eccl.* 27.

Omnia quæcunque faciet (iuſtus) proſperabuntur. Non ſic impij non ſic, ſed tanquam puluis, quem proiicit ventus, à facie terræ. *Pſal.* 1.

Noli æmulari in malignantibus neque zelaueris faciẽtes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnũ velociter areſcent: & quẽadmodum olera herbarum cito decident. *Pſal.* 37.

Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatũ ſicut cedros libani. Et tranſiui, & ecce non erat: & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. *Ibidem.*

Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Et ſi fuerint rubra ſicut vermiculus, velut lana alba erunt. *Iſa.* 1.

Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. *Iſa.* 57.

Nullus eſt qui pœnitentiã agat ſuper peccato ſuo, dicẽs, quid feci? Omnes cõuerſi ſunt ad curſum ſuum quaſi equus impetu vadens ad prælium. *Ierem.* 8.

Beatus vir qui non abiit in via impiorũ, Sicut piſces ambulãt in profũdo. Qui enim ſquammas non habent, quas prohibet Moſes tangere, paſcuntur in profundo maris. *Neque in via peccatorum ſtetit*, ſicut ij qui cum Dominum videantur timere, peccant vt porcus. *Neque ſedit ſuper cathedram peſtilentiæ*, ſicut volucres paratæ ad rapinam. *Clemens Alexãd. lib.* 2. *ſtromat.*

Hoc ſunt peccata lapſis, quod grãdo frugibus, quod turbidum ſydus arboribus, quod armentis peſtilens vaſtitas, quod nauigiis ſæua tempeſtas. *Cypri. ſermo. de lapſis.*

Sicut nomen Dei glorificatur vita piorũ hominũ, in quib' ipſe per ſpiritũ ſuum operatur, quicquid faciũt boni: Ita è diuerſo polluitur & infamatur malefactis eorũ, qui ſe Dei cultores profitẽtur. Quẽadmodum & militis virtus, aut ſerui probitas redundat in gloriam ducis aut heri, ita militis ignauia aut ſerui nequitia dedecori eſt duci aut hero,

propterea quod horum mores magna ex parte pendent ab illorum moribus, in quorum potestate sunt. *Idem de duplici Martyrio.*

Verùm inquis, Dominum venientem, per crucem condenasse peccatum, nec amplius intra residere. Verum sicuti miles, cuius currus depositus est in domo alicuius, cum libuerit facultatem habet ingrediendi & egrediendi domũ illam: ita etiam peccatum cogitationes serere potest in corde. Scriptum est enim, *Introiuit Satanas cor Iudæ.* *Macarius, Hom. 15.*

Quod si videre vis quales sint animi morbi, cogita mihi auaros, gloriæ cupidos & puerorum amatores, & si quis est mulieribus deditus. Nam & hos in turbis visos, eósque miseratus sanauit. Non tamen putandum est quoduis peccatum esse morbum, sed id quod in tota computruit anima. Tales enim videre est pecuniarum amatores, totos incumbentes argento, & in huius tum custodiam, tum coaceruationem, auidos laudum, gloriolis inhiantes. Inhiant enim captandis à vulgo vilibúsque hominum laudibus. Ac iuxta consimilem rationem cogitabis de reliquis morbis quos nominamus, & si quis alius est horum consimilis. Quoniã igitur inter enarrandum quod dictum est, *Sanauit ægrotos eorum.* Diximus non quoduis peccatum esse morbum, opere pretium est è scripturis de horum differentia disserere. *Ait enim Apostolus Corinthiis, qui variis peccatis laborabant, propterea inter vos infirmi multi & valetudinarij, & dormiunt multi.* Audi si quidem Apostolum in his etiam vinculum nectentem, cõtextúmque facientem ex diuersis peccatis, iuxta quod alij quidem sunt infirmi, alij verò ægroti, videlicet pluſquã infirmi, rursus alij vtrisque peius habentes, qui dormiunt. Nam qui propter imbecilles animi vires, procliues sunt ad labendum in quoduis peccatum, etiamsi non toto animo fuerint obnoxij alicui peccato peculiari, quemadmodum sunt ægroti, tantum infirmi sunt. Porrò qui pro Deo quem diligere debebant, tota anima, toto corde, tota mente, diligunt pecuniam, aut gloriam aut mulieres, aut pueros, hi prius affecti sunt, quàm infirmi, suntque ægroti. Dormiunt autem qui cum debeant attendere atque aduigilare animæ suæ, non faciunt id, sed ex nimia negligentia dormitant voluntate, & somniculosi sunt cogitationibus, quiquidẽ som-

fiantes, carnem quidem polluunt, auctoritatem spernunt, gloriis autem maledicunt. Non enim possunt quia adhuc ægrotant capere panes benedictionis Iesu, verumetiam si quum aliquis audire debuerit illud, probet autem seipsum vnusquisque, & sic comedat ex illo pane, reliquaque quæ sequuntur, hæc non audierit, sed temere sumpserit panem Domini, & poculum eius, fit infirmus aut ægrotus, aut etiã, vt ita loquar, ex grauedine, quæ nascitur ex huius panis vi, dormiens. *Origenes, cap. 14. in Math.*

Sicut miles si toto corpore fuerit armis vestitus, & vnam partem habuerit nudam, nihil ei prodest, quòd totus fuerit ferro vestitus, si per illam vnam partem eum sagitta percusserit, sed sic cadit, quemadmodum si totus fuisset nudus: Sic & Christianus, si iustitiam fecerit, & si in vno peccauerit, similiter peccator statuitur, quemadmodum si semper peccasset. *Chrysost. Hom. 35. oper. imperf.*

Non sicut in corporalibus vulneribus videri solet, ita & in voluntate est. Nam illic naturæ affectiones sæpe immobiles sunt, ita vt plerúmque sint incurabiles: hic non ita se res habet: sæpe enim si voluerit etiam qui malus est, mutatur: & qui bonus, per ignauiam excidit, & fit malus: quia liberi arbitrij esse nostram naturam fecit Dominus. *Idem, Hom. 19. in Genesin.*

Cum ad imaginem Dei conditi simus, ex vitio nostro personas nobis plurimas superinducimus. Et quomodo in theatralibus scenis vnus atque idem histrio, nunc Herculẽ robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem: ita & nos qui si de mundo non essemus, odiremur à mundo, tot habemus personarum similitudines, quot peccata. *Hieronymus ad Marcellam.*

Peccatũ est febris, eo quod ignitæ sint cupiditates, quod ignem in ossibus animæ & corporis implicant, mentem animúmque pertentant. Vehementior est animi quam corporis febris, & ideo pro animi voluntate corporis salus plerúmque contẽnitur, nec à periculis abstinetur. Vnde nõ alienum videtur repetere, quemadmodum Theotimus cum graui oculorum incommodo laboraret, & amaret vxorem, interdicta sibi à medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus, se moderari nequiuerit. Sciẽs enim prudẽnsque quod oculos esset amissurus,

priusquam conueniret vxori, in ipso æstu feruentis cupiditatis, & consuetudinis apparatu, vale, inquit, amicum lumẽ. Sic fere libido flagrantior est, grauiúsque precipitat & inflammat. Sed vbi quis resipuerit à furore, tunc conscientiæ interioris visus aperitur, factíque succedit pœnitentia, & pudenda sui vnusquisque facinora erubescit. Etenim quasi clauis quibusdam suffigitur anima corporeis voluptatibus, & cum semel adhæserit voluptatibus mersa terrenis, difficile in altum potest, vnde descendit, sine Dei fauore reuolare. Actuum enim suorum vincta laqueis, & delitiarum secularium illecebris obnoxia iam tuetur. *Ambrosius, lib. 4. in Lucam, cap. 47.*

Porris ac cepis simile est peccatum. Quæ plerunque comedunt, lachrymas emittunt: ita difficultas vitæ præsentis, quæ à dilectoribus suis non sine luctu agere, & tamen cum lachrymis amatur. Sed hi sunt filij stultorum & ignobiliũ. Hi deserunt manna cœleste. *Gregorius, lib. 11. in Iob, cap. 16.*

Possumus addere etiam illud, quòd natura peccati similis est materiæ, quę igni consumitur, quam ædificari Paulus apostolus à peccatoribus dicit, qui supra fundamentũ Christi ædificant ligna, fœnum, stipulam. In quo manifestè ostenditur, esse quædam peccata ita leuia, vt stipulæ comparentur, cui vtique ignis illatus diu non potest immorari: alia verò fœno esse similia, quæ & ipsa non difficulter ignis absumat, verùm aliquanto tardius quàm stipulis immoretur: alia verò esse, quæ lignis conferuntur, in quibus pro qualitate criminum, diutinum & grande pabulũ ignis inuenias. Ita ergo vnumquódque peccatum pro qualitate vel quantitate sui pœnarum iusta persoluit. Verumtamen quid opus est fidelibus, & his qui cognouerunt Deum, de pœnarum qualitatib' cogitare? Quid opus est ligna, quid fœnũ, quid ipsam stipulam ad fundamentum Christi supponere? Cur non magis aurum vel argentum, vel pretiosos lapides pretioso superponimus fundamento, vbi quum ignis accesserit, nihil inueniat, quod absumat. Nam si accesserit ad stipulam ex stipula fauillam reddet & cineres. Si vero ad aurum accesserit, aurum prius reddet. Hæc nobis dicta sint pro iis qui negligunt oris maledici consuetudinem reseca re, qui si non ex corde maledicant etiamsi non voto & ani-

tno iniquo proferant maledicta, tamen immunditiam labiorum secũdum Esayæ verbum, & inquinamenta oris incurrunt. *Cyrillus Alex. lib. 14. in Leuiticum.*

Quemadmodum authore Apostolo, fidelis qui suæ rei non prospicit, Deum negauit, essetque deterior infidelibus qui non cum cognitione & fide & baptismate, etiam mores asciscat qui Christi doctrinam exprimant, sed habent pietatis speciem, eius autem virtute abnegata, deterior fit infidelibus. Ita tanto deterius est cum cognitione peccare, quã sine cognitione, quanto inexcusabile peccatum deterius est eo quod habet excusationem. *Iustinus, in responsionibus ad Orthodoxos, in responsione ad quæst. 3.*

Quemadmodum qui videt meretricem, & scit esse meretricem non est scortator propter hanc cognitionem, ac ne quidem si cognitio excitauerit cupidinis affectũ, ne sic quidem scortator est: sed si consenserit cum affectione propositum, tunc est scortator aut actione aut affectione: Sic & bonorum & malorum hominum cognitio non est in causa vt boni sint aut mali, sed propositum, quo elegit id quod ei visum est, id est præferens alteri. *Idem ad quæstionem 8.*

Ignis ardens est peccatum. Nam quantum peccandi materiam sustuleris, tantum extinguetur: quantumque adieceris tantum accendetur. *Marcus Heremita de lege spirituali.*

Quemadmodum à pœnitentiam agente alienum est elato animo superbire: Sic sua sponte peccantem, humilem esse impossibile est. *Idem de his qui putant ex operibus iustificari.*

Pernicioſum est seruire vitiis, quia quot vitia habet anima tot & dominos. *Xistus pythagoricus in Enchiridio.*

Quid prodest in syluestribus arboribus & ad noxiam crescentibus, ramos abscindere, radices relinquere? *Apolonius in epistola ad dispensatores Asiæ.*

Vt qui laborant non affectant haberi vlceroſi, sed magis fugiunt esse quàm videri: ita non est affectandum, vt videaris malus, sed magis abominandum, ne sis talis, quàm ne videaris. *Plutarchus, in Moral.*

Diogenes videns adolescentulum quendam in popina, ei pudore intrò fugiẽti: Quo interius, inquit fugeris, hoc magis eris in popina: ita vitioſi quo magis abdunt sese intra

seipsos, hoc magis sunt id quod sunt. Foras prodeant oportet, si cupiunt effugere seipsos. *Ibidem.*

Delphini tranquilli mari lascinientes, flatum qua veniũt parte denunciant: ita cum exultant improbi, tollúntque se, rerum humanarum tempestatem instare significant. *Plinius, lib. 8. cap. 18.*

Quemadmodum vestis ac zona totum adeò cingunt hominem, vt omnem in se quasi contineant hominem: ita etiã impietas, si quem semel adorta fuerit, cum totum consinat, uoluit, atque adeò strictim coarctat, vt vix illum respirare *Folengius in Psal. 109.*

PECCATO STATIM OCCVRRENDVM.

Sicut ex iustitia generatur iustitia, & ex castitate castitas. Si quis enim primo tenuiter castus esse cœperit, accepto castitatis fermento, quotidie castior efficitur: ita & qui semel intra se, licet paruum posuerit fermentum, quotidie semetipso nequior efficitur, atque deterior. *Origenes. Hom. 23. in Numeros.*

Sicut hi qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho grauiter & molestè imminentia, si vomuerint, releuantur. Ita etiam hi qui peccauerunt, si quidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. *Idem, Hom. 2. in Psal. 37.*

Graue malum peccatum est, sed non incurabile. Graue tetinenti leue autem per pœnitentiam abiicienti. Posito enim quod manu aliquis teneat ignem, quandiu quidem retinet carbonem, proculdubio vritur. Si vero carbonem abiiciat, ablatus est feruor. Quod si quis cum peccat, vri se nõ sentit, de hoc ait scriptura, inuoluet quis ignem in sinu, & vestes eius non vrentur. *Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 2.*

Si potest serpens deponere senectutem, cur nos peccatũ non deponamus? Ac terra quoque spinosa, cum fuerit bene exculta in frugiferam transmittatur: nostra autem non

reparabitur

reparabitur salus? *Ibidem.*

Veluti domus fumo repleta, effundit illum in externum aera: ita vitium abundans in anima redundat exterius, ac fructus suos producit. *Macarius*, Hom. 16.

Quemadmodũ qui funes nectũt aut plectũt iunceas, storeas, vt quod supereſt ex fune cœpto cõtorqueri, consumatur, alterum ei atterunt, & interserũt quo longior euadat & augeatur. Pari modo qui in profundũ malorũ festinant se protridere, priusquã priori peccato sit impositus finis, adoriuntur secundum. Rursus hinc alteri aliud continenter adaptant. Atque ita prorsus, vita quæ per peccatorum gradus progreditur, assimilatur funiculo cuipiam contexto, & in lõgum protracto. *Ob hoc*, ait, *væ qui attrahitis peccata quasi funiculo longo.* Sententiæ istius intelligentiam mutuemur ab exemplo. Sit aliquis propensus & alacer, ad peccatum explendæ suæ lubricitatis. Obserua quæso, per quot quantásque asciscit sibi & attrahit peccatum luxutiæ; primum quidem suum ipsius corpus, ad eundem modum simulat & cõponit. Et crines quidem hoc modo circumtondentur, taliter verò veste amicitur, & hac quidem non qualicúmque, sed quæ studio quæsita sit & faciat ad elegantiam, ad zonam vsque, demissa vsque ad soleas. Per hæc ostentat ambitiosam & superfluam curam suæ honestatis. Deinde suppeditat pecunias, vt vel earum pretio redimat fruitionem pulchritudinis istius scorti. Ad hæc pressius cogitat, quas sibi pronubas conciliet veluti lenas. Verba adornat quæ faciant ad corruptelam, ex composito sibi instruens ac parãs occasiones amatorij congressus. Hic est qui attrahit peccatum quasi funiculo longo. *Basilius in cap. 5. Esayæ.*

Quemadmodum si quis relicta radice ramos alicuius arboris velit excisos, nihilominus radix manens alios similes illis protrudit: Sic quoniam peccata sunt quædam, quæ nascendi principium in seipsis non habent, sed aliunde originem ducunt, necesse est prorsus, si quis esse ab illis liber velit, is vt causas primas peccatorum illorum stirpitus tollat. Veluti corrixatio & inuidia non ex seipsis nascũtur, sed à radice appetitus gloriæ pullulant. *Idem in regulis breuioribus interrogatione* 289.

Malitia, natura est expedita & vehemens, ad deterius

inclinatio, torrens per pronum decurrens, aut calamus, qui per scintillam & ventum facilè succenditur, suóque consumitur germine. Ignis enim materiæ fœtus existit, qui & materiam consumit, quemadmodum malitia malos, & cum suo abit nutrimento. *Idem, in orat. 11. de pace.*

Sicut aridæ quis stipulæ scintillam ignis iniiciat, qui insuper etiam ventis spirantibus animetur: ita velocius malitiæ parua scintilla consumimur, quàm virtutis ignibus vel accendi, vel coalescere possimus. Nam & melli plurimo cum parum absynthij iniectum, velocem amaritudinem trahit: mellis verò si duplum iniiciatur absynthio, non poterit eius obtineri dulcedo. *Idem, in oratione 2. de pace.*

Scintilla magnam parua flammam concitat:
Semémque pestem vipera, sæpe attulit.
Id cum scias, & parvulum labem fuge.
Discrimen ingens, namque gignit parvula.
Idem, lib. 1. sententiarum spiritualium.

Mala bestia est peccatum, non quidem in conserua corpora malum proferens, sed in ipsam Domini gloriam effundens malitiam. *Propter vos*, inquit, *nomen meum commutis afficitur inter gentes.* Eóque peccatorem tanquam è sacra patria abegit propheta, & vltra fines ac pomeria submouit. Atque vti musicus optimus è cythara bene modulata, chordam dissonam resecat, ne reliquarum vocum harmonia vitietur: Sic & peritus artis medicus, membrum putrefactum amputat, ne hæc lues ad cætera membra sana transiliat. Eundem ad modum propheta fecit, dum veluti chordam dissonam, ac veluti membrum ægrum ab vniuerso creaturæ corpore resecat. *Chrysost. Hom. 10. cum presbyter esset designatus.*

Peccatum nisi statim prohibeatur, tanto procurrit impetu, vt contineri nequeat, non secus quam ferocientes equi, qui fræno ex ore iecto, & ascensore excusso, molestiæ primum sunt occurrentibus, deinde nullo obstante, ab excelsa petra sese precipitant. Et idcirco animas salutis nostræ inimicus ita in hanc potissimum insaniam agit, vt me-

dicos repellant, quo destitutas à medicis grauioribus & pluribus malis diuexet, ita enim & corpore ægrotantes, quandiu ad se permittunt accedere medicos, aliquam adhuc spem sanitatis habẽt. Vbi autem phrenetici facti, illos extrudunt, & dentibus mordent, nolentes à morbis liberari, tunc tandem incurabiliter laborant, non quod ea sit natura morbi, sed quod ab his destituti sunt, qui à morbo liberare possunt. *Idem, lib. contra gentiles.*

Quemadmodum vsuuenire videmus in his qui morbo laborant, vt cum morbus non ingraueſcit, tum sanitatis initium fiat: Sic & in ipsa vitiositate, vlterius ne proceſseris: & tibi malitia finem habuerit, qui si id duos dies feceris, tertiò facilius abstinueris. *Idem, Hom. 10. in epist. ad Rom.*

Quemadmodum ex ciuitate bonis legibus instituta, hominem seditiosum: Sic ex anima cogitationem ad mala inclinantem fugare oportet. *Isocrates apud Antonium, ser. 64. parte 1.*

Vide Consuetudo.

PECCATVM INVETERATVM.

VÆ qui constringuntur à peccatis suis & obteguntur ab iniquitatibus suis, quemadmodum ager constringitur à sylua, & spinis tegitur semita eius, per quam non transit homo, & excluditur & mittitur ad deuorationem ignis. 4. *Esdræ. 16.*

Sicut in corpore escæ abundantia, & qualitas vel quantitas cibi contraria febres generat, & febres diuersi vel modi vel temporis, secundum eam mensuram qua intemperies collecta, materiam suggerit ac fomitem febrium, quæ materiæ qualitas ex diuersa intemperie congregata, causa vel acerbioris morbi, vel prolixioris existit. Ita anima cum multitudinem malorum operum & abundantiam in se congregauerit peccatorum, cõpetenti tempore omnis illa malorum congregatio concitatur ad suppliciũ, atq; inflãmatur ad pœnas, cum mens ipsa vel conscientia, per diuinam virtutem omnia in memoriam recipiens, quorum in

se signa quædam ac formas cum peccaret, expressérat, & singulorum gestorum suorum, quæ vel fœdè ac turpiter gesserat, vel etiam impiè commiserat, historiam quandam scelerum suorum ante oculos suos videbit expositam. Tũc & ipsa conscientia stimulis agitatur atque compungitur, & sui ipsa efficitur accusatrix & testis. Quod ita sensisse etiam Apostolum Paulum puto, cum dicit, *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, &c. Pamphylus martyr in Apologia pro Origene.*

Vt corporis morbi attritu ipso fiunt curatu difficilia: Sic natura comparatum videmus, vt animi morbi, si irrites exasperésque, magis ac magis rebellent, atque increscant, dominorúmque suorum peccata augeant. *Chrysost. lib. 6. de sacerd.*

Sicut ebrius quando multum vini ingurgitat, nullum sentit à vino damnum: ita & peccatum donec consummatur, obtenebrat mentem, & quasi densa nubes, ita mentem corrumpit: deinde conscientia insurgit, & quouis accusatore grauius mentem arrodit. *Idem, Hom. 64. in Genesin.*

Profundum peccatum est & deorsum trahit. Et quemadmodum qui in puteum decidunt, non facilè euadunt, sed aliorum opus est auxilio: Sic qui in profundum peccatorũ immersus est. Demittamus ergò ad eos funes, & eos educàmus. Vel potius nullo alio indigemus quam nobis ipsis, vt prosilire & ascendere possimus, non tantum quantũ descẽdimus, sed multomagis, modo voluntas adsit. Deus enim nobis opitulatur, neque vult mortem peccatoris, sed vt cõuertatur. *Idem, Hom. 8. in 1. Cor.*

Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis. Isaiæ. 5. Quod iuxta Hebraicum & omnes alios interpretes peccata appellentur funiculi vanitatis, hoc significat quod faciẽtibus peccatum facilè texitur, & tam inane ac futile est, vt aranearum fila texuntur, sed cum inde voluerimus exire, solidissimis vinculis nectimur. *Hieronymus, lib. 2. comment. in Isaiam, cap. 5.*

Hoc & nos dicimus, posse hominem non peccare, si velis pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiu intentus est animus, quamdiu chorda nullo vitio laxatur in cithara. Quòd si paululum se remiserit, quo

modo qui aduerso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis, quò non vult, ducitur: Sic humana conditio si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam, & multa se non posse cognoscit. *Idem, contra Pelagianos.*

Sicut ex multa eruditate febres nascuntur & vermes: Ita si quis non decoquat peccata sua velut quadam interpositâ sobrietate abstinentiæ, sed miscendo peccata peccatis tanquam eruditatem quandam contrahat recentium delictorum, igne aduretur perpetuo, & suis vermibus consumetur. Vnde Isayas ait, Ambulate in lumine ignis vestri, & flamma quam accendistis. *Ambr. lib. 4. super Lucam, cap. 4.*

Quomodo vt restis fiat longa, additur spartum sparto, non autem id rectum it, sed torquetur: Sic omnia peccata facta, quæ sunt peccata, cum adduntur sibi, & addendo peccatum peccato, & peccatum ad peccatum annectitur, fit restis longa. Quorum semitæ prauæ, & flexuosi gressus eorum. Quo autem valet ista restis, nisi vt inde ligentur ei manus & pedes, & proiiciatur quisque in tenebras exteriores? Funiculis enim peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Væ eis, qui trahunt peccata velut restem longã. *Aug. in Psal. 130.*

Otiosus erat quandóque senex magnus cum discipulis suis in hortis, in quibus cupressi variæ, magnæ scilicet ac paruæ creuerant. Imperauit igitur vni ex fratribus senex cupressum euellere, quæ cum parua esset & tenera, vna manu extirpata est. Postquam iussit aliam maiusculam euelli, quæ non vna sed ambabus manibus tandem euulsa est. Tertio maiorem adhuc prioribus videns senex, illam imperauit velli, quæ non sine magno labore extracta est. Quartam quoque cæteris altiorem extirpari iussit, quæ summo conatu labore & sudore vix extrahi potuit. Quintam adiecit maximam, quam cum ille conaretur euellere, nunquam valuit, sed in cassum circa eam elaborabat. Tunc ad omnes cõuersus senex, ait, huiusce modi sunt passiones nostræ, fratres. Cum teneræ sunt, & paruæ, si volumus, facile eas possumus à nobis extirpare. Quod si illas neglexerimus, obsurdescent illico, quoque magis obdurierint, eo

maiore vi & labore opus erit. Quinimo irriti erunt conatus noſtri omnes in illas, niſi alicuius viri ſancti orationes ad auxilium nos acceſſerint. *Dorotheus, doctrina undecima.*

Quod ignis aridæ ſegeti, hoc vitia corpori ſunt humano, quæ ſola ſecurius ſeparatione vincuntur, necantur ignorantia, & neſcitia fœliciter euaneſcunt. Nam ſi ad mentem & ſenſus peruenerint, ſi contigerint animos, ſi ſemel membra penetrauerint, inextinguibile gignitur & exaltatur incendium: & niſi vnda cœleſtis corda rigauerit, mentes infuderit, membra madefecerit, totum quod eſt corporis humani ſubditur & redigitur in fauillam. *Lex*, inquit, *peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognoui niſi per legem.* Ac ſi diceret, Aurum auaritia non eſt, ſed auaritiam non cognoui, niſi per aurum. Vinum ebrietas non eſt, ſed ebrietatem non cognoui niſi per vinum. *Petrus Chryſologus, ſermone centeſimo decimoſexto.*

Quemadmodum à feris exorſi didicimus & homines iugulare: Sic aſſueti inimicis male facere, (quod iuſtum exiſtimatur) niſi cauemus, diſcimus paulatim & erga quoſuis eadem facere. *Plutarchus in Moral.*

In aſpidis ictu, nullum eſt remedium, niſi vt partes contactæ amputentur: ita quædam vitia ſola morte ſanari poſſunt. *Plinius, lib. 8. cap. 23.*

Quemadmodum natura morbos quoſdam obiter factos leuiter excludit, illis autem premitur, qui in habitum tranſierunt: ita & peccatum dominatur, quod in conſuetudinem venit. *Ibidem.*

PECCATI ILLECEBRÆ.

VT cum operaris vineam colligis fructus eius, & delectatus in eis melius operaris. Vides quia ipſa ſe colit, fructificando tibi dum colitur: Sic qui opus peccati exequitur, ipſum cum peccatum ſit, ſpiritus immundus operatur in eo delectationem, vt cum delectatur circa peccatum, amplius peccet. *Chryſoſt. Hom. 38. oper. imperf.*

Ea eſt peccati natura, habet ante quam perpetretur vo-

luptatem, quæ vbi consummatum fuerit, cessat & marcescit: subit autem continuo tristitia. Iustitia contra labores habet initio, iustitiam verò in fine & requiem. Neque illic voluptas iucunda expectatione, neque hic labor molestus præmij spe. Quid de ebrietate dicemus? Nonne in haustu solo voluptatem præbet? imo verò ne in bibendo quidem, voluptas sæpe deprehenditur. Cum enim quis præ ebrietate in amentiam labitur, neminemque præsentium intuetur, sed insanis deterior effectus est: quis iam voluptati locus erit? Ne in ipsa quidem libidine voluptas est. Cum enim præ ebrietate quis amens fit, & amente deterior, sic vt præsentium neminem intueatur, quis iam voluptati locus? Ne in libidine quidem voluptas. Quæ enim voluptas dentes feruore collidere, oculos versare, vltra debitum modum incalescere, & præ morbo vitioso iudicium sensus amittere? Sic enim scabies voluptatem haberet. Si ea voluptas est, noli eam effugere, in ea persiste. At qui ab ea citius euadere studemus, & postmodum dolore conficimur. Adeò non est illa voluptas vera, cum scilicet & anima nulla perturbatione distrahitur, & corpus nulla impedimenta perpetitur, sed voluptatis tantummodo momen habet. *Idem hom. 2. in 1. Timoth.*

Sicut virtutes laboribus & ignominia: Sic etiam vitia voluptatibus & gloria procreari consueuerunt. Omnis corporalis voluptas ex præsumpta malitia prouenit. Porro licentiã incredulitas generat. *Marcus heremita de lege spirituali.*

Si vidisti hominem scalpere manus & vsque ad sanguinem confricare, euidentem habes in eo similitudinem animæ peccantis expressam. Cedit siquidem voluptas illa dolori, & succedit pruritui cruciatus. Nequeid ignorabat sed dissimulabat dum scalperet Sic laceramus, sic exulceramus propriis manibus animas infœlices, nisi quod tanto grauius quãto excellentior est spiritualis creatura, & cui difficilius medeatur. *Bernardus sermone ad clericos. cap. 4.*

Sicut qui iugum suscipiunt Christi, Christus eos delectat in spiritu ne fatigentur bonis operibus: Sic & qui iugum suscipiunt diaboli, Diabolus eos decipit & delectat. *Chrysostomus hom. 45. operis imperfecti.*

SVnt lumbricis peccata deteriora Nam hi corpus, at illa animam labefactant, ac maiorem sane putorem pariunt. Id nos tamen minus sentimus, inde fit vt animam expurgare negligamus. Neque enim qui se vino obruit, sentit quanta sit vini putrefacti abominatio: qui vero sobrius est, id probe nouit. Idem in peccatis vsuuenit. Qui temperate, qui caste viuit, huic ignota non est illorum execratio, cœnum, macula: qui vero se totum ad malitiam dedit, quadam tanquam ebrietate oppressus, ne ipsum quidem nouit quod ægrotet, habetque ipsa imprimis vitiositas malum hoc grauissimum, quod qui in illam collapsi fuerint, eos ne dignoscere quidem sinit propriæ perniciei magnitudo. *Chrysost. hom. vndecima in epist. ad Romanos.*

Quemadmodum si rex quispiam barbarorũ seruus fiat, omnium est miserrimus: Sic qui in peccato viuit. Barbarum namque peccatum est. Quod cum animam semel captam, ita vt contra persuadere nesciat, in suis sordibus demerserit, sub tyrannidem redigit. Quod si quis pictor effingeret, non sane mihi errare videtur, si in hunc modũ id pingeret, fœminam quandam in feræ similitudinem, barbaram, ignem efflantem, horrendam, nigram, quales externi poetæ Scyllas effingunt. *Idem hom. 8. in. 1. Cor.*

Quemadmodum mortui deformes sunt ac fœtidi: ita & animæ eorum qui in malitia sunt, multa sunt impuritate refertæ, clausi sunt ipsorum oculi, os constrictum & mutum, immoti perdurant in lætitia malitiæ, imò miserabiliores quam qui ista patiuntur. Isti quidé vtrobique mortui sunt: illi verò ad virtutem quidem mortui, viuentes verò ad malitiam insensati sunt. Mortuum siquis etiam percusserit, non tamen sentiet, neque vlciscetur, sed velut lignum aridum est, ita & talis anima. *Idem hom. 9. in. 1. Thessal.*

Melius est luto immundo pollui quam peccatis. Qui enim illic polluitur, paruo tempore delauatur, & efficitur similis ei, qui illic non cecidit: qui verò in baratrum ceciderit peccatorum, talem pollutionem accipit, quæ aquis nequeat dilui, sed multo tempore opus habeat, & diligenti pœnitentia, & lacrymis, & luctu feruentiore

amplioreque tempore, quam in dilectissimis nostris solemus ostendere. Istæ quidem sordes extrinsecus nobis adueniunt, propterea & citius eas amittimus: Illæ autē intrinsecus generantur, propterea & vix delauantur & expurgantur. *Idem hom. duodecima ad Hebræos, & hom. 42. ad popul. Antiochenum.*

Si enim qui corpus mortuum tangebat, non oportebat intrare in templum, quantomagis eum qui opera mortua habet? Pollutio quidem est pessima. Mortua quippe omnia opera sunt quæ vitam non habent, quæ putorem spirant. Sicut enim mortuum corpus ad nullum sensum est vtile, verumetiam contristat appropinquantes: sic & peccatum confestim rationem nostram percutit, & non permittit neque mentem ipsam quiescere, sed perturbat & commouet. Dicitur autem quod pestis cum generatur, corrumpit corpora. Tale quiddam est peccatum. A peste nihil differt, non quia aërem corrumpat primum, deinde corpora, sed cōtinuo in animā insilit. Non eos vides qui peste laborant, quomodo tumore quodam occupantur, quomodo conuertunt se atque reuertunt, quomodo fœtoribus sunt repleti, quomodo turpes sunt eorum facies, quomodo per totum immundi sunt? Tales quippe sunt peccantes etiamsi non videant. Die enim, nonne quouis febricitāte peior est qui cupiditate pecuniarum, vel corporum captiuus est? *Ibidem hom. decima quinta ad Hebræos.*

In peccatis miseram vitam agentes, nihil differunt à mortuis, imo verò maximè differunt cum sint illis multo deteriores. Nā qui moritur, iustificatur à peccato: hic autē seruit peccato. Nec ènim mihi dices, nō clausisse hunc oculos, nec sepulchro iacere, nec institis ligatū detineri, nec postremò vermibus esse proiectum, cum multò peioribus hic quā qui obierunt, vexetur. Nō deuorant vermes, sed perturbationes animi omni feroci bestia truculentius exagitant atque lacerant. Clausi oculi sunt mortuorum, nihil prorsus cernentes: hic verò millie sibi morbos oculis cernēdo quotidie contrahit. Ille iacet in sepulchro ad peccandū iam immobilis, hic in sepulchro malo à seipso intrusus, ingēti peccatorū mole obruitur, sed corpus (dicet quispiam) huius pingue ac floridum, non tabe corruptum videmus. Ille post mortem male olet: hic

per totam vitam, os habens vel ipsis cloacis turpius, intolerabilem expirat fœtorem. Ille tanto discrimine hoc melior est, quàto naturali solũ corruptioni subiect⁹ corruptionẽ omnib⁹ debitã patitur. hic verò antequã ad illa perueniat, quæ nõ effugiet, peccatorũ vndique fœdissimã sibi putredinẽ colligit, mille in dies corruptionis vias excogitãs. Sed phalerato inquis, equo fertur magnificè. Ego verò meliorem illum esse, qui in vrna quasi in lectulo quiescit, quodque decentius est, nemo putrescentem cernit, sed tegitur vrna dissolutum corpus: Hic autem fœtentem animã in corpore quasi in sepulchro circumagit. *Idẽ hom. 28. in Mathæum.*

Sicut sentinam profundæ nauis, colluuiones sordium omnium, sic in mores eorum quasi ex omni mundo, vitia fluxerunt. Nullam enim improbitatem scio, quæ illic non redundauerit: cum vtique etiam paganæ ac ferinæ gentes, & si habeant specialiter mala propria, non est tamen in his hoc corpus omnium Galliarum, sed paulatim id ipsum tamen, vt dum pars clade cæditur, pars exemplo emendatur. *Saluianus, de vero iudicio & prouidentia Dei, lib. 7.*

Panthera sic auida est excrementorum hominis vt si in vase suspendãtur altius quam vt possit attingere, enecet sese defatigati porrectu corporis: Ita nonnullis quod est fœdissimum, id dulcissimum est. *Plinius lib. 8. cap. 117.*

Respondeo quæso, si quis cadauer putridum circumferens, per ciuitatem vagaretur, nonne omnes eum fugerent? Hoc de te cogita, qui animam peccatis obrutam atque mortuam circumducis? Si quis vbi dormis, vbi cœnas, cadauer obruisset, quid tunc faceres? Tu verò mortuam obruis animam, non vbi prandes, neque vbi dormitas, sed in ipsis Christi membris nec formidas nec mille in caput tuũ fulmina iaciãtur. *Chrysost. ho. 74. in Math.*

PECCATI CÆCITAS.

VOluntas & consilium Dei latuit homines multis ex causis. primò quidem pro institutione mala, pro sodalitatibus pessimis, pro consuetudine nequam, pro colloquiis non bonis, pro præsumptionibus minus rectis, pro his inquam omnibus, primum erroris inde contemptus, tum infidelitas & malitia, auaritia quoque & vana iactan-

tia, aliaque his similia mala velut fumus quidam immensus, vniuersam huius mundi domum repleuit, & habitatibus intrinsecus intuendi conditorem suũ, aspectum liberum non dedit, neque quæ ei essent placita peruidendi. Quid igitur his qui sũt intrinsecus cõuenit? nisi vt ex intimis præcordiis clamore prolato, auxilium inuocent eius, quem solum domus fumo repleta non claudit, accedens aperiat ianuam domus, quo possit fumus quidẽ qui intrinsecus habetur, excludi, lux verò solis, quæ extrinsecus resplendet, induci. *Clemens Rom. 1. recognitio.*

Sicut ad solis radios infirmi oculi nõ possũt aspicere: Ita virtutẽ malitia contueri non audebit vnquã sed dorso obiecto discedet, victãq; se fatebitur. *Chrysost. hom. 13. in Genesin.*

Quemadmodum qui grauitate capitis ebrietateque tenentur, stultè simpliciterque feruntur, quamuis precipitium & aliud quid simile subsit, infrà concidunt incautè: Sic qui corruunt in peccatum, veluti praua ebrietate, actionis desiderio detenti, nesciunt quid faciunt, non præsentia, non futura præuidentes. *Idem hom. prima de pœnitentia.*

Quemadmodum solaribus radiis nemo clausis oculis frui potest: ita neque huius claritatis particeps abunde vnquam fuerit, nisi animi oculum ad eam & dirigat & intendat. Tunc enim quocunque se vertit, facilis ei prospectus patebit quod eueniet cũ omnibus malis affectibus animũ purgauerimus. Peccatum enim tenebræ & vorago quædã profunda, quod vel inde planissime constat, quo clam & sine arbritrio peccata committuntur. Quicunque enim in facinora sceleraque prolabitur, odio habet lucẽ neq; luci se credit, & quæ occulte & in abscõdito fiũt, sũt dictu turpia. Sicut enim in tenebris neque amicus agnoscitur, sed omnia penitus ignorãtur: Itidẽ in peccato vsuuenit. Quippe qui lucro inhiat, nullam amici inimicíue intelligit differentiam, & inuidus familiarissimum non secus quã inimicum conspicatur, & latrones similiter in omnes bellum gerunt, omnibus insidiãtur, & omnino quise vitiorũ sordibus coinquinant, nihil ad rerũ differentias dignoscẽdas ab ebriis insanientibusque differunt. *Idem hom. 4. in Ioannẽ.*

Quemadmodũ noctu amoto lumine, lignũ plunbũ, ferrũ argentum, lapides pretiosos & alia omnia eodẽ modo &

videmus & iudicamus: Ita qui sordide & vitiosè vitam viuit, neque modestiæ vim neque sapientiæ discernit pulchritudinem. In tenebris enim pretiosi etiam lapides nullam speciem, nullum præ se ferunt fulgorem, non sua sed caligantium oculorum culpa. Neque hoc dūtaxat nobis, dum sub impia vitiorum tyrannide viuimus, molestum est, verumetiam illud quod formidine propterea angimur, & veluti qui per obscuram noctē iter faciunt, & si nihil metuendum sit, metu tamen concutiuntur: Sic qui scelus aliquod admittunt, etsi nemo id videat, nemo reprehendat, nihilo tamen melius sibi fidunt, sed omnia formidant, omnia suspicantur, quippe qui perpetuis conscientiæ stimulis agitantur, omnia formidolosè conspiciunt. Propulsemus igitur tam grauem tam molestam vitam cuius angorem mors sequitur, mors, inquam, immortalis & perpetua, cui nullus supplicij finis est. *Ibidem.*

Sicut fumus oculis, sic iniquitas vtentibus ea. Rectè iniquitas fumo comparatur, quæ velut quadam seculari caligine aciem mentis obducit. *Ambrosius lib. secundo de Caym. & Abel cap. 1.*

Non cernitis dæmonibus pressos cum à vexatione requieuerint, quàm sint tristes quàm mœsti, quanta sint eorum facies verecundia plenæ, quomodo nec è contra respicere audeant? Inconuenientiam vide. Illi quidem de his quæ patiuntur erubescunt: nos autem de his quæ gerimus, non cōfundimur. Illi quidem iniuriam patientes, verecundiam sustinent, nos autem iniuriam inferentes, non erubescimus. Licet illorum casus non sint pudore digni, sed misericordia, fauore & venia, & multa admiratione & innumeris laudibus, cum taliter impugnantem sustinentes dæmonem omnia ægreferent. At nostra verè risu, verecundia, accusatione, castigatione, pœna, supremis malis. & gehenna, nec vlla sunt venia digna. Vides quod dæmone peius est peccatum. Et illi quidem ex his quæ patiuntur duplex lucrum lucrantur. Vnum quidem quod corriguntur, & modestius agunt: secundum verò, quod propriorum hîc dantes peccatorum pœnas, ad dominum mundi transeunt. *Chrysost. hom. 10. ad pop. Antiochenum.*

Quemadmodum nullam habemus eorum quæ pedibus pressimus rationem: Sic & Christum nihil ducimus, cum

ad peccandum prouehimur. *Theophylactus in caput decimum ad Hebræos.*

PECCATI GRAVITAS ET POENA.

Sicut deficit fumus, deficient. Fumus cum emerserit, licet glebosus & crassus, tamen paulatim ille deficit, aboletúrque ne extet. Sicut in conspectu ignis cera sic liquefit, vt non sit fumo quidem in igne per leuitatem sui, tenuitatémque dilapso, cera autem vi & calore ignis absumpta, quia infirmæ per seipsa naturæ potioris diripiatur ardore, quem in modum omnis iniquorum potestas ab igne Dei, id est Dei iudicio liquescit. *Hilarius in Psal. 67.*

Peccatum sanies est, pœna ferrum est medicinale. Sicut igitur saniem habens etsi non secatur, male habet, & cum non secatur, tunc est in maioribus malis: Ita peccans étiãsi non puniatur, est omnium miserrimus: & tunc maximè miser cum non punitur, & graue nihil patitur. Et sicut splene & intercute laborantes, cum larga fruuntur mensa, & frigida potione, & delicatis ferculis & saporibus, tunc præcipuè omnium sunt miserrimi, delitiis morbum augentes, si verò fame & situ secundum medicorum leges cruciantur, aliquam spem salutis habent: Sic in iniquitate viuentes, si puniantur, bonam spem habent. Si verò cum iniquitate delitiis fruantur, & hydrope laborantibus sunt deteriores. *Chrysost. hom. 6. ad populum Antiochenum.*

Nullus eorum qui hic peccata non dissoluerit, illuc migrans eorum pœnas effugere poterit: sed sicut ex terrenis carceribus cum catenis ad tribunal adducuntur: sic omnes animæ cum hinc migrauerint variis peccatorum catenis circundatæ, ad tremendum aguntur tribunal: nec enim præsens vita carcere melior est, sed sicut illuc ingressi domicilium, omnes videmus catenis obductos: sic & nunc si nos ab exteriori phantasia separantes cuiusque vitam intrauerimus, animã cuiusque vinculis ferro sæuioribus vinctam intuebimur & maxime si diuitum animas ingrediaris. Nam quanto pluribus induti fuerint, tantomagis sunt compediti. Sicut igitur captiuum, cum & dorso videris & manibus, & quãdoque pedibus ferro depressum, propterea

maxime miserum vocas: Sic & diuitem cum infinitis rebus circundatum videris, non propterea locupletem, sed miserum puta. Nam & præter hæc vincula custodem habet infestissimum, pecuniarum amorem qui prohibet hunc egredi carcerem: sed innumeras ei parat pedicas, & custodes, & fores & obices: & in interiorem coniiciens custodiam, etiam his vinculis gaudere persuadet, ita vt nec vllam inueniat spem ab ingruentibus malis liberari. *Idem homil. quadragesima sexta.*

Quanto putatis, peius merebitur qui filium Dei conculcauit, &c. Quomodo conculcat quisquam filium Dei? Quando qui particeps est cum ipso in mysteriis, peccatum committit, inquit, nónne illum conculcat? nónne ipsum contemnit? Sicut enim ea quæ conculcamus, nullius momenti pendimus sic & qui peccant, Christum nullius momenti existimant, *Idem hom. 16. in ep ſt. ad Hebræos.*

Quemadmodū boni duplici honore digni sunt, quod & frugi scilicet fuere, & ab improbis nihil vitij traxere: sic & mali duplici pœna multandi, quod cum boni esse possent, & per vitia improbi fuere, & à bonis nihil virtutis adipisci voluere. *Idem sermone de virtutibus & vitiis.*

Sicuti illi solent qui minutissimas vrbes obsident, aut sir missimas arces vrbium capere & subruere conantur, omnibus absque dubio eas & telorum & machinarum generibus oppugnant. Ita nos ad expugnandam misericordiam Dei, omni peccatorum immanium scelere, quasi omni telorum genere propugnamus, & iniuriosum nobis Deum existimamus, cum ipsi iniuriosissimi Deo simus. Omnis siquidem Christianorum omnium culpa, diuinitatis iniuria est. Nam cum illa quæ facere à Deo vetamur, admittimus, vetantis iussa calcamus, ac per hoc impiè in calamitatibus nostris seueritatem diuinam accusamus. *Salmanus lib. 4. de Prouidentia.*

PECCATI INCOMMODA.

CLaudimus per corporis vitia animæ nostræ aditum, qui si cœperit emundatis omnibus patere, illicò introibit, modo solis, qui clausis feneſtræ valuis introire prohi-

betur, patentibus verò totus immittitur. *Hilarius in Psalm.* 118.

Mos est eorum qui nequaquam longis & assiduis præliis prævalent, vt victorem exercitum & firmis agminibus incedentem à tergo adeant, & dorso sicubi viam prætereat, insidias machinentur. Illîc dolos fabricantur, illic omnia insidiarum artificia exercent: Ita & peccatores tentatos in casum fideles viros, euntes iam in veritatis via, dorso insidiantur, dorso dolos concinnant. *Idem in Psal.* 126.

Quemadmodum sole lucente & flante vento, sol quidem proprium corpus habet, & propriam naturam: Itidem & ventus naturam suam & suum corpus habet, nullúsque potest separare ventum à sole, nisi solus Deus sedauerit ventum, ne flet amplius: Sic & peccatum animæ permixtum est, cum alioqui vtrumque propriam naturam habeat. Est igitur impossibile, animam à peccato separare, nisi Deus cessare faciat, & sistat improbum illum ventum habitantem in anima & corpore. *Macarius hom.* 2.

Perinde ac in atra & obscura nocte, cum flat ventus quidem acerbus, plantas omnes & semina commouet, impellit & agitat: Sic & homo cadens sub potestatem noctis tenebrarum diaboli, & agens in nocte & tenebris, concutitur graui vento peccati flante, cietur, commouetur & exagitatur per vniuersam sui naturam, in anima videlicet, in cogitationibus suis & mente, omnes denique partes corporis concutiuntur, neque pars vlla corporis aut animæ immunis est, quæ non sit affecta ab inhabitante in nobis peccato. *Ibidem.*

Dicunt rerum huiusmodi periti pestem ea esse natura, vt si vnius hominis vel iumenti corpus attingat, ad quosque proximos quasi partito serpit: vt vno contaminato, mox ad alium vis morbi perueniat. Tales sunt operarij iniquitatis: alius in alium suum transmittit morbum, proinde coægrotant, simul etiam pereunt. *Basil. in Psalm. primum.*

Tuorum scelerum aceruus te comitabitur. Sicut enim vmbra corpus, sic peccatum animam sequitur, gestorum imaginem perfectam referens. *Idem homil. in diuites & auaros.*

Non sic ipsum corpus tempore dissoluitur, vt anima peccatorũ multitudine marcescit, flaccescit, ac de gradu deiicitur. Etenim ad summam iam ea educitur nugationem, verba nihil significantia enuncians, vt facere solent qui senectute confecti delirant: eadem muco ac pituita referta, stupida interim atque obliuiosa, lippitudinem in oculis gestans, hominibus abhominabilis, ac talis vt eam diabolus non multo negotio capere queat. Sunt enim tales peccatoribus animæ: è diuerso autem iustorum animæ inuanescũt, vrgent, in ipso ætatis flore semper consistunt, ad quamuis pugnam ac luctam nullo non tempore comparatæ, cum interim peccatrices animæ vel ad paruam irruentis aciei impressionem statim prosternuntur ac pereũt. id quod Propheta declarans ait, tanquam puluis quam proiicit ventus à facie terræ. *Idem hom.* 10. *Epist. ad Rom.*

Quemadmodũ si apud barbaros detineretur seruus quispiam rex, & illi ad maioris seruitutis iudicium, neque purpuram, neque diadema auferant, sed cum illis insignibus & aquas ferre & coquere, & alia inferre ministeria iubeãt, ad maiorem & sui honorem, & ignominiam illius: Ita barbaris omnibus immanius vitia ista imminent nobis. Nam qui ista contemnit, barbaros quoque irridebit: qui verò succumbit, longè diriora ab his quã à barbaris patietur. Quippe barbari cum præualent viribus, concidunt corpus: hæc vero animam cruciant, & omni ex parte dilaniant. *Idem. hom.* 18. *in* 1. *Timoth.*

Parturit iniustitiam concepit dolorem, peperit iniquitatem. Psal. 7. Vtique non secundum naturam iniustitia. Nam fœtus quidem donec perficitur, naturæ adhęret, manet, dolorem non affert. Perfectus autem si intus manet, mora est præter naturam, quæ cum ferre amplius nequiens, vim vexata extrudendo infert & dolorem. Hîc igitur prius conceptiõ, deinde partus dolor. At peccator primùm parturit, & tum concipit. Illîc in tempore partus dolor: Hîc dolor à principio. Simulac enim quispiam de malo consultauit, etiam priusquam in cogitatione concreuerit, aut executione perfecerit, tumultus ac turba cogitãti. In muliere deiectum semel semen formatur etiam ipsum. In his qui dolos struunt, hodie hæc deiicitur cogitatio, cras rursus alia, & simul innumeræ malorum seminum deiectiones, & singulis diebus

conce-

conceptiones,& partus dolores, perimentes quæ ea parit, cogitationem. Non enim talis hic partus qualis in mulieribus,sed potius vt in viperis,vterum discerpunt, & latera dilaniantes, fœtus procedunt. Ita in fraudibus & iniustitia inexplicabilis quem improbi sustinent, dolor est & molestia. *Idem in Psalm.7.*

Ex peccatis duplicia sunt mala, vnum quidem quod offendimus, Secundum verò quod peiores euadimus. Sicut febre correptus,non tantùm hanc passus est molestiãquòd infirmatus est:verùm & post morbumiam erit imbecillior, licet ad valetudinem ex longa redeat ægritudine: Sic quidem in peccato licet valeamus, etiã multa indigemus fortitudine. Age mihi quempiam contumeliosum, licet contumeliæ pœnas nõ dederit,aliud tamen lugendũ est, quòd anima eius reddita sit impudẽtior. Peccatorum enim quoque crimine patrato,& transacto, quoddam in anima nostra venenum reponitur. Non audis quosdam dicentes, cũ bene valeant, Nondum aquam audeo bibere? Atqui conualuit quidem, sed morbus hoc intulit & detrimentum. *Idem homil. 30. De ira.*

Quemadmodum scintilla, si quid vel exiguum apprehenderit & accenderit,omne reliquum depascitur:Sic peccati natura,posteaquã animi cogitationes nacta fuerit, nemóque sit qui extinguat, grauior in reliquum & superatu difficilior fit per secundorum accessionem, cum iam in maiorem contemptum peccator effertur. *Idem apud Maximum sermon. 26.*

Omnis qui comederit vuam acerbam,obstupescent dentes eius. Ieremiæ 31.Peccata sunt vua acerba, vt comedentium dentes obstupescant, vt non possint eius suauitatem sentire, de quo dicitur,Gustate& videte,quoniam ego sum Dominus. *Hieronymus lib.6.comment.in Ieremiam.*

Sicut vua acerba dentibus vexatio est, & fumus oculis, ita iniquitas vtentibus ea. Quomodo qui manducat ore corporis vuas acerbas,& obstupescunt dentes eius, & minus idoneus ad manducandum panem, & remanet illi laudare quod videt, & manducare non posse. Sic& qui iniquitate vsus est, & pastus peccatis in corde, incipit non posse manducare panem, laudat verbum Dei, & non facit. Vnde hoc facit? Quia cum cœperit facere,laborat,

quomodo sentimus laborare dentes post vuas acerbas, cum cœperimus panem manducare. Sed quid faciunt illi quibus obstupuerunt dentes? Temperant se aliquantulum ab vuis acerbis, & redeunt dentes ad stabilitatem suam, & incidunt panem. Sic & nos laudemus iustitiam. Sed si volumus manducare iustitiam, temperemus nos ab iniquitatibus & nascetur in corde non solum delectatio laudandi iustitiam, sed etiam facultas manducandi. *Augustinus in Psal* 48.

Tanquam si quispiam veneni calicem præparet alicui, & oblitus bibat: & tanquam si foueam quisquam fodiat, in quam quisque inimicus eius in tenebris incidat, & ille oblitus quod foderat, ambulans ea via, prius illuc cadat: Ita credite, ita certi estote, videte, prospicite, quia nemo malus non sibi proprius nocet. Sic enim esse putate malitiam, quomodo ignem. Incendere vis aliquid aliud, illud quod admoues prius ardet: nisi ardeat, non incendit: facula est. hanc faculam apponis, vt aliquid incendat: nunquid non ipsa facula quam apponis, prior ardet, vt aliquid possit incendere? Malitia autem procedit ex te: & quem prius vastat, nisi te? Quò profundit ramum, lædit, vbi radicem habet, non lædit. Equidem dico, quod malitia tua, vt alteri non nocear fieri potest, vt autem tibi non noceat, fieri non potest. *Idem in Psal.* 130.

Ebrius quisque quod patitur, nescit: qui verò absynthio inebriatur, & hic quod sumpsit, amarum est, & tamen non intelligit eandem amaritudinem qua repletur: Ita omnis peccator per voluptates spontaneis tribulationibus traditus absynthio est ebrius, quia amara sunt quæ pro vitæ huius amore tolerat: & tamen eandem amaritudinem, cæcitate cupiditatis, quasi sensibilitate ebrietatis ignorat, amarum omne quod bibit, & discernere nequit quod amarum est, quia ebrius absynthio est. *Gregorius in Moralib. libr.* 30. *capit.* 15.

Quemadmodum si quis serpentem apprehendat manu, dúmque conatur in alterum proiicere, prorsus ipse mordeatur: aut si quis ignem manu tenens, dum vult hostem lædere, non intelligat quòd ipse prorsus exuritur: Sic malitia militat aduersus eos qui ipsa vtuntur, magísque lædit eos à quibus habetur, quàm eos in quos intenditur. *Atha-*

nasius, de passione Domini.

Tempestas minatur antequam surgat, crepant ædificia antequam corruant, prænunciat fumus incendium: At subita est ex homine pernicies, & eo diligentius tegitur, quo propius accedit. *Seneca.*

Illud venenum quod serpentes sine sua pernicie continent, in alienam effundunt: At malitia maximam sui veneni partem bibit ipsa. *Idem.*

PECCATVM ORIGINALE.

QVomodo præputium per circũcisionem aufertur, manet tamen in eo quem genuerunt circuncisi, quomodo etiam palea, quæ opere humano tanta diligentia separatur, manet tamen in fructu, qui de purgato nascitur tritico: Ita peccatum quod in parentibus per Baptismum est ablatum, manet in eis quos genuerunt. *Augustin. lib. de Baptismo parvulorum.*

Illo magno peccato primi hominis, natura ibi nostra in deterius commutata non solum facta est peccatrix, verum etiam genuit peccatores. Et tum ipse languor quo bene viuendi virtus periit, non est vtique natura sed vitium. Sicut certè mala in corpore valetudo, non est vlla substantia vel natura, sed vitium. Et licet non semper tamen plerunque malæ valetudines parentum ingenerantur quodammodo & apparent in corporibus filiorum. *Idem lib. de nuptus & concupiscentia cap. 34.*

Hæc inuisibilia & infidelibus incredibilia, sed tamen vera, vt haberent aliquod visibile exemplum, hoc in quibusdam arbustis diuina prouidentia procurauit. Cur enim nõ credamus propter hoc esse institutum, vt ex oliua nascatur oleaster? An credendum non est, in aliqua re quæ creata est ad vsus hominum, creatorem prouidisse & instituisse, quod ad generis humani valeret exemplum? Mirũ est ergo quẽ admodũ à peccati vinculo per gratiã liberati, gignãt tamẽ eodẽ vinculo astrictos, quos eodẽ modo oporteat liberari. Fatemur, mirũ est. Sed quod latent fœtus oleastrorum etiã in seminib' olearũ, quãdo & hoc crederetur, nisi experiẽtia probaretur? Proinde sicut gignitur ex oleastri semine oleaster cum inter oleastrum & oliuam plurimùm distet: ita

gignitur & de carne peccatoris, & de carne iusti vtrinque peccator, quamuis inter peccatorem & iustum plurimum distet. *Ibidem cap.* 29.

PECCATVM VENIALE.

ILla dimitti volumus nobis peccata, quæ humanæ fragilitati quamuis parua, tamen crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam & per negligentiam derelicta atque contempta, impleat nauem atque submergat? *Augustinus epist.* 108. *ad Seleucianum.*

Noli peccata contemnere quia minora sunt, sed tunc quia plura sunt. Attendite fratres mei, minuta sunt, non sunt magna: non est bestia quasi leo, vt vno morsu guttur frangat, sed bestiæ plerúmque minutæ multæ necant. Si proiiciatur quisquam in locum pulicibus plenum, nũquid non moritur ibi? Non sunt quidem maiores, sed infirma est natura humana, quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest. Sic & modica peccata attendite, quia modica sunt, & cauete, quia plura sunt. Quàm minutissima sunt grana arenæ, si arenæ amplius in nauim mittantur, mergunt illam vt pereat. Quàm minutæ sunt gutæ pluuiæ, nónne flumina implent & domos deiiciunt? Ergo ista nolite contemnere. *Idem lib. de decem chordis cap.* 11.

Quomodo minuta plura peccata, si negligãtur occidũt. Minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent, minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit & opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriẽdo, mergit nauim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere, vt non obruant peccata, gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo? *Idem tractatu* 10. *in Ioan.*

PEREGRINATIO.

QVi huc illúcque circumcursant ac vagantur animę verò profectu nihil mouentur aut progrediũtur, haud

aliter se habent quã iumẽta molam trahentia, quæ toto die ingrediuntur, ac in eodem se loco reperiunt: laborant assiduè trahendo, nèc è gyro egrediuntur. Sic hi continuò circa corporis affectus propriásque cupiditates versantes, nihil ad spiritualem profectum contendunt. In ima valle, mẽtis proposito iacentes, in montes oculos minimè leuantes. *Basilius, quod peregrinatio vitæ tatioque locorum frequens spente susceptæ, multos de statu pacis deiecit.*

Vt cochleæ semper domum suam secum circunferunt: Ita quidam horrent peregrinas regiones. *Plutarchus, in Moralibus.*

Qui eos felices ducunt, qui per omnia vagantur maria terrásque, perinde faciunt, ac si quis stellas errones iudicet fortunatiores fixis: quãquam illis quoque suus orbis est, in quo voluantur: nec soli licet suos egredi fines. *Ibidem.*

Quemadmodum formicæ si semel antro, & apes si semel aluearibus eiici contingat, peregrinantur: Ita quidam si semel patriam exeant, exules se putant, *Ibidem.*

Vt aspalacus nõ nisi apud Boeotios viuit vbi nascitur, aliò translatus perit: Ita quidam peregrè viuere non possunt nulla instructi arte. *Erasmus in similibus.*

Empetron herba, Latinè calcifraga, quò propius abest à mari, hoc minus est salsa: quo longius, hoc amarior est: Ita quidam apud Gallos Germaniam spirant, apud Germanos Galliam: & quo longius absunt, hoc magis referunt eam gentem. *Ibidem.*

Tarandus omnium arborum & fruticum, locorúmque in quibus latitat, colorem villis etiam imitatur: Ita tutior erit, qui ad quamcunque gentem se contulerit, eius ritus ac mores imitetur. *Ibidem.*

Sorba quæ magis blandiuntur specie, venenum habent: Ita blandiores amici magis cauendi, quàm tristes atque asperi. *Ibidem.*

Quidam fluuij per medios lacus erumpunt, vt illis non misceantur, sed iisdem cãdem aquarum magnitudine post multa passuum milia exeunt, quã fuerant inuecti: Ita si in vitiosam incideris ciuitatem, ita ad tempus vtendum hospitio, vt idem exeas qui veneris. *Ibidem.*

Vt Aphricæ Auster serenus est, Aquilo nubilus, præter

aliarum regionum naturam. Ita quidam cum regione mutant ingenium ac mores. *Ibidem.*

PERFECTIO.

CErtus sum fratres mei & ego ipse de vobis, quoniam pleni estis dilectione, repleti omni scientia. Ad illam summam scientiam vel ad perfectionem quæ in cœlestibus est ordinibus, nullus potest inter homines perfectus dici vel esse. Vt si dicamus in puerilibus studiis, ad comparationem illius qui nuper imbuitur, & prima literarum susçipit elementa, magister ipse librarius appellatur perfectus, sed nõ est ita perfectus, vt ille qui grammaticam docet. Ipse verò grammaticus quamuis sit, superior tamen & perfectior est Rhetor. Et his omnibus longè eminentior Philosophicæ doctrinæ perfectio. Cumque in his omnibus sit literatura doctrina, diuersus tamen gradus perfectionis & magisterij in vnoquoque habetur. Ita ergo potest fieri, vt cum Paulus dicit, Non quod iam assecutus sum aut perfectus sim, ad illum apicem cœlestis perfectionis aspiciens, hæc videatur scribere. Cum verò dicit, Quicũque ergò perfecti sentiamus, ad humanæ tantum perfectionis respicit gradum: Sic ergò & in præsenti loco intelligendi sunt vel pace vel gaudio, vel bonitate vel scientia repleti, siue Romani, siue Corinthij. in quantum possibile est repleri eos qui docentur in Ecclesia, & sub perfectis doctoribus aguntur. *Origenes lib. 10. in epist. ad Rom. cap. 15.*

Quemadmodum in vtero imperfectus infans non quamprimum concrescit in hominem, sed paulatim formatur ac gignitur: neque mox perfectus homo euadit, sed longo annorum successu augetur & vir efficitur: estque veluti semina tritici aut hordei, quæ terræ mandata non statim radicem producunt, sed vbi transierint hyemes & venti, tum opportuno tempore spicæ nascuntur: itidem qui pyrum plantat non mox fructum percipit: eodem etiam modo in rebus spiritalibus, vbi tanta sapientia est & subtilitas, paulatim augetur homo, euadítque in virum perfectum & plenitudinem ætatis: non vt quidam aiunt, induere & exuere. Qui discere literas optat,

pergit primum ad discēda signa, in quibus cum fuerit primus, migrat ad scholam Latinorum in quo est omnium postremus: denuo cum ibi primus euaserit, proficiscitur ad scholam forensem: in qua rursum est omnium nouissimus & principiarius: deinde scholasticus effectus omnium causidicorum nouitius & extremus est: cæterum cum vbi fuerit primus, tum dux euadit: qui vbi magistratum fuerit assecutus, adiutorem sibi sumit assessorem. Si ergo rebus in externis tot habet homo promotionis gradus, quantomagis cœlestia mysteria multis gradibus, promotionibus acquiruntur, & tum qui multas exercitationes, & varia rerum pericula progressus fuerit, perfectus euadit? Nam Christiani qui re vera gustauerunt gratiam, habentes signum crucis in corde & animo, hi à regibus ad pauperrimos quosque vt stercora & grauedinem existimant omnia. *Macarius, Hom. 15.*

Perfecti viri est quasi fortem militem grauissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire, & quasi prouidum gubernatorem, nauem in tempestate regere, atque occurrendo, insurgētibus fluctibus magis vitare naufragium sulcando vndas, quam declinando. *Ambr. lib. de Iacob & beata vita, cap. 8.*

PERSECVTIO.

EGressus est Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obuiam veniens, persecutus est vos sicut solent apes facere & cecidit vos. *Deut. 1.*

Quomodo qui vexant possessiones, dominos iniuria afficiunt: & qui milites, eorum imperatorem: ita Domini est contemptio, eorum qui sunt illi dedicati, vexatio. *Clemens Alex. lib. 7. strom.*

Neque idoneus potest esse miles ad bellū, qui non exercitatus in campo prius fuerit. Aut qui agonisticam coronā quærit adipisci, in stadio coronabitur nisi vsum & peritiam virium ante meditatur. *Cyprianus in exhortatione Martyrij.*

Persecutiones perinde sunt atque grandines & torrentes, & quæcunque alia subitā sunt ac temporaria, quæ mollia quidem facile lædunt ac dissipant, à solidis verò & resistentibus si in illa inciderint, magis patiuntur

aliquid quàm vt illis incommodent. Sic & vehementes illæ tentationes contra Ecclesiam motæ, imbecilliores deprehensæ sunt, quàm vt robur fidei, quæ in Christum est, infringerent. Itaque quemadmodum vbi grandinis nubilũ præteriit, & torrens alueo suo effluxit, illud in serenitatem dissoluitur, iste profundo absorptus viam qua fluxerat sicam & aridam relinquit: ita & tempestas illa quæ iam nos apprehendit, paulo post non erit, modo sustineamus non inspicere præsentia, sed spem in ea extendere, quæ paulo sunt vlteriora. *Basilius epist. 11. ad Nicopolitanos presbyteros.*

Tuum nomen ô Cypriane plus mihi quam martyrum aliorum sunt venerabilia, mirabilitérque à virtute tua superor, & tanquam numine afflatus voluptate corripior, ac modo quodam martyrij particeps fio, certaminíque communico, forte propter mutationem ingentem & admirandam, quæ sermone etiam & exemplo melior existit. Quoniam sol diu nubibus obtectus lætius splendet: sed & ver post hyemis tristitiam est acceptius, iucundior & tranquillitas blanda, ac mare quietum post seditiones ventorum & perturbationem aquarum littoribus allidẽs. *greg. Nazianz. orat. in sanctum Cyprianum.*

Verum rursus regnum impium, rursus malum reuertitur, & non secus ac vlceribus recisis sanies effunditur, & lupi graues, alius aliunde nos discerpens, ecclesiam dilacerant, sacerdósque contra sacerdotem armatur, ac populus contra populum insanit Rexque impietati tribuit audaciã, ac leges contra rectam fert opinionem. *Idem orat. ad Heronem.*

Solet generosa prudentia pertinacius violentiæ resistere, non secus ac flamma à vento agitata, tantò plus accẽditur, quanto vehementius inflatur Et hoc non solum consideratione didicit propria, sed etiã ex prioribus cognoscere potuisset persecutionibus, quæ Christianismum honoratiorẽ ferè quàm imbecilliorem reddidere, quoniam iis animæ magis in pietate sunt obfirmatæ, & per discrimina tãquam ferrum candens aquæ vi temperatæ ac solidiores redditæ. *Idem, orat. 1. in Iulianum.*

Et fiebant omnia quasi contra Christianos, vertebatur tamen risus, non in eos qui patiebantur, sed in eos qui in-

centabant. Sicut enim insani, propiores semper vlciſci videntur, parietes impetendo, & varia in præsentes mala dicendo, & non illos, sed seipsos confundunt. Ita & tunc fiebat. Ducebatur tumulus per totam viam & redibat martyr quasi athleta coronam ferens secundo, in ciuitatem suam in qua & olim coronatus fuerat. *Chryſoſt. in Babylam martyrem.*

Quicunque adamantem percutit, magis ipse percutitur, & qui aduersus stimulum calcitrat, sine dubio ipse cõpungitur, suisque propriis ictibus vulneratur: Et qui impugnat virtutem tenentes, ipse profecto subruitur: & malitia tãto efficitur infirmior, quanto contra virtutem diutius prælia-tur. Et sicut qui ignem obligat in vestimẽto, illum quidem non extinguit, vestem verò comburit: ita etiam qui in virtute positos persequebantur, comprehendebant ac sæpius colligabant, illos quidem reddebant ex his omnibus clariores, se autem omninò perdebant. *Idem, Hom. 25. in Matthæum.*

Verum gaudium sanctorum est exire de mundo. Quemadmodum festinantem hominem ad rem aliquam, quam desiderat, si quis nescius consilium eius, pro malo cõpellat eum ire volentem: sic puto esse, cum impius hominem iustum vult occidere, mori cupientem. *Idem, Hom. 27. oper. imperf.*

Sicut assidua est in mari tempestas: Sic in isto mũdo persecutio satanæ. *Idem, Hom. 39.*

Sicut ægrotus in doloribus positus, omni homini ostendenti sibi aliquid ad remedium facile credit, non diiudicans personas medicantium, neque discutiens artificia eorum: Sic cum exurgent pseudo christi, sancti in necessitate persecutionum positi, & quasi ægroti desiderantes refugium Christi, omnibus referentibus aliquid de Christo facile credent. *Ibidem. Hom. 49.*

Omnes qui pie volunt viuere persecutionem patientur. Nemo fortis athleta in stadio lauacra requirit: & mensam repletam cibis & vino. Hoc enim non esset athletæ sed delicati: athleta namque pugnat cum puluere, cum oleo, cum radio solis, cũ sudoribus multis, tribulationibus & angustia. Certandi hoc est & pugnandi tempus: proindè etiam vulnera suscipiendi, & sanguinem effundendi. *Idem. Hom. 5. ad Hebr.*

Tenet corpus Christi id est ecclesia in torculari, id est, in pressuris. Sed in torculari fructuosa pressura. Vua in vite pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat, mittitur in torculari, calcatur, premitur. Iniuria videtur fieri vuæ, sed ista iniuria sterilis non est, imo si nulla iniuria accederet, sterilis remaneret. *Aug. in Psal. 55. in præfat.*

Sicut qui seminat per hyemem, non deterretur ab opere, propter hyemem: Sic & nos pressura mundi non debemus à bono opere deterreri, quia qui seminant in lacrymis in gaudio metent. *Idem, in Psal. 120.*

Sicut oliua & vua priusquàm ad vsum valeant humanũ, premi debent in torculari: Ita debet homo persecutionem pati priusquam idoneus sit ad regnum cœlorum. *Idem, lib. 100. homiliarum, ser. 8.*

Sanè etsi de cæteris, quas dicit virtutibus Apostolicis nihil facimus, in hoc tamen vno, vbi Apostolus ter naufragasse se dicit, etiam vincere possumus. Non enim ter tantummodo naufragauimus, quorum pene omnis vita naufragium est. In tantum quippe vitiosè ab omnibus viuitur, vt prope nullus Christianorum sit, qui non iugiter naufragare videatur: Sed dicet fortasse aliquis, non id esse nũc temporis, vt pro Christo perferamus, quæ tunc Apostoli pertulerunt. Verum est, non enim sunt principes pagani, non tyranni persecutores, non sanguis sanctorum funditur, nec fides suppliciis comprobatur. *Salvianus de providentia Dei, lib. 3.*

Sicut qui ignem obligat in vestimento, illum quidem non extinguit, vestem autem comburit: ita etiam qui in virtute positos persequebantur, cõprehendebant ac sæpius colligabant: illos quidem ex his omnibus reddebant clariores, se autem omnino prodebant. *Chrysost. Hom. 5. in Math.*

Sicut in vernali flatu arbores laxantur in folia & fructus: Sic persecutionibus excitantur animæ ad virtutem. *Idem, Hom. 49. oper. imperf.*

Sicut tempestas suscitat nubila, nubila autem cooperiunt solem: Sic impiorum persecutio suscitabit transgressionẽ, transgressio autem Christianitatis obscurabit candorem. *Ibidem.*

Durum est contra stimulum calcitrare: quia non stimulum retundes, sed pedes recalcitrans lædis vulneribus. Neque fluxus qui saxo illiduntur, amplius aliquid proficient, quàm vt semetipsos fracti dissoluant, & in spumas extenuati depereant. Qui iustum hominem impugnare velit, tale est, ac si cœlo bellum meditetur. *Idem, serm. de sancto Spiritu.*

Vide Martyrium, Perseuerantia, Tentatio, Tribulatio.

PERSEVERANTIA.

VEluti quando contingit aliquem fieri regem & coronari, qui regis amicus erat, dans operam rei palatinæ secreta cognoscebat, purpuramque videbat regiam, nõ obstupescit ille neque terretur, quia diuturna exercitatione didicit palatij mysteria. Nec enim fieri solet, vt quispiam è gregariis ac simplicibus hominibus secreta illa ignorantibus accedat ad regnum, sed hi tantum qui periti sunt & instructi. Sic Christiani qui regnaturi sunt in hoc seculo, non in stuporem vertuntur, quia iam prænouerunt gratiæ mysteria. *Macarius, Hom. 17.*

In operibus bonis præparauit Deus vt in ipsis ambulemus. Ephes. 2. Non vt initia quædam honestę vitæ auspicemur solum, sed vt ambulemus. Ad hoc virtute opus est, quæ ad morte perseueret. Neque enim si nos viam ingredi conueniat, quæ recta in ciuitatem ducat regiam, & iam cõfecta meliore itineris parte, si postea circa vitæ finem ientescentes animóque prælolliti de federimus, nihil nos iuuerit eiusmodi spes vocationis. *Idem, Hom. 4. ad Ephes.*

Non oportet exordia sola habere clara, sed & finem clariorem. Nonne rhetor circa finem orationis satagit clarior apparere, vt cum plausibus discedat? Nonne circa finem perfunctionis suæ actionem clariorem demonstrat? Nonne athleta nisi finem ostendat clariorem, & vsque ad consummationem semper exuperet, & si omnes vicerit, vincatur autem à nouissimo, nonne omnia illi infructuosa fient? Nonne gubernator, si pelagus totum pertranseat, circa portum autem confringat

ratem, omnem perdidit anteriorem laborem. Quid etiam medicus, nonne si liberauerit ægrotantem morbo, cum autem ad perfectionem salutis peruenturus erat ægrotus, tunc eius corrumpat valetudinem, nonne inquam, totum opus corrumpit & perdit? Sic etiam in virtute contingit. Quotquot exordiis finem non posuerunt competentem, & consequentem & concinnum, perierunt & corrupti sunt. Tales namque sunt, qui ex carceribus ipsis clari, & gestiétes prosiliunt: postea verò dissolutius laxiusque mouentur: idcirco palma fraudantur. *Idem hom. 24. ad Hebræos.*

Vt in theatris qui per sublatum funem scandere ac descendere exercent, si parum aliquid acies oculorum errarit, precipites continuó ruunt: ita qui spiritalem grassantur viam, si breui segnitie tempus concesserint, per anfractus quosdam proni sæpe truduntur. Et fune illo quidem hic limes angustior est erectus magis & arduus, multoque celsior, cuius ad apicem terminatur cœlum. *Idem. sermone de virtutibus & ornatis.*

Non est absolutus debitor qui multa, sed qui omnia reddidit, nec ad brauium victoriæ peruenit, qui in magna parte spectaculi currit, si iuxta metas veniens, in hoc quod est reliquum deficit. Nec ad quælibet destinata loca pergentibus in inchoando prodest longum iter carpere, si non etiam totum valeant consummare. Qui ergo æternã vitam quærimus, quid aliud quam quædã itinera agimus, per quæ ad patriam festinamus? Sed quid prodest quod carpimus multa, si ea quæ ad perueniendum restant, negliguntur reliqua? More itaque viatorum nequaquam debemus aspicere quæ bona nec dum fecimus, sed ea quæ non iam fecisse gaudemus. *Gregorius lib. 22. Moral. cap. 6.*

Fertur coluber, cum vrgetur periculo, caput semper abscondere, & in orbem se colligens, obiecta reliqua parte corporis, hoc solum tueri, quod illæsa feratur membra cætera saluo capiti vigore reparare. Hoc & tu moraliter serua caput, hoc seruato mystice, hoc caput quod Christus est, seruati humani serpentis, etiamsi omnia membra cædantur, totum vratur corpus incendiis, mergatur profundo, euiscereturà bestiis, hoc tamen capite custodito, vitæ salus integra est. *Ambrosius sermone. 20.*

Vere dico etiam si hic viginti aut triginta annos Domi-

no impendissemus, cui vtique totum nos scimus debere esse quod viuimus: vt satis vnum annum ageremus in seculo, inestimabile esset quantum nobis de æternæ vitæ gaudiis fraudaremus, quia spes nostræ omnes in consummatione atque fine consistunt. Quid mihi prodest, si mihi sata viridantia in herbis spem messis ostendant, & me sub ipso falcis tempore subita vel aeris intemperie vel pluuiarum inundatione decipiat? Quid mihi proderit, si vinea spem omnem in flore promittat, & vel ferarum incursio, vel vastitas grandinis spem omnem in consummationem subducat. Ideoque omnis prosperitas aut fœlicitas in fine consistit. *Cæsarius Arelatensis hom. 25.*

Quemadmodum arcus ex studio distenditur, vt suo tẽpore cum vtilitate tendatur qui si ocium relaxationis non accipit, feriendi virtutem ipso vsu tensionis perdit: Sic in exercitatione spirituali: quum aliquando feruor & virtus per discretionem temperatur, seruatur: vt tantum pòst vitia valentet feriat, ignauiamque excutiat, quantũ ab exercitatione interius prudenter cessat. *Laurentius Iustinianus libro de ligno vitæ, cap. 4.*

Sicut oculis corporalibus necessaria est lux, vt suo perfruanrur fine: Ita & omnibus prædestinatis ac vocatis ad regnum cœlorũ necessaria est perseuerantia. Et sicut absq; luce frustra aperitur oculus: Eodem modo inaniter currit, qui vsque ad finem vitæ non perseuerat. *Ibidem cap. 1 de perseuerantia.*

Viatorum hæc est consuetudo & cõmendabile propositum, ab incœpto non desistere, donec ad terminũ quò pergunt, perueniant. Hoc agunt strenui bellatores, quòd non prius discedunt de loco certaminis, nisi adepta iã victoria. Sic in omni re atque negocio perseuerãdum ad finẽ vsque. Hoc fit in agricultura, hoc in ædificiis construendis, hoc in studio literarum, hoc in moribus cõponendis, amplius verò in adipiscẽdis virtutibus, &c. *Ibid. cap. 10. de precatione.*

Vide Fidei perseuerantia.

PERTINACIA.

SI nauem mari iactatam gubernator deserat, an non necessum est eam nauigationẽ aberrare? item si quadrigas auriga in Circensibus, an non necessum est eas turba-

tas ferri cursu deuio? Quid ciuitas, si destituatur magistratibus, aut legibus? sunt autē & leges dubio procul pro magistratibus: nónne carens magistratibus legibusque ciuitas illa, malis opprimetur maximis? Atqui natura cōparatum est, corpus absente anima, animam absente ratione, rationem destitutam virtute, interire funditùs. Quòd si hæc singula rebus destitutis nocent tantopere, quantam miseriam in à Deo destitutis agnoscimus? quos ille auersatus tanquam desertores ordinis, exterminauit procul à sanctissimis suis legibus, indignos sua prouidentia habitos. *Philo in lib. Quod deterius potiori insidietur.*

Quemadmodum si aliquis claudere voluerit currentis aquæ meatum, si vna ex parte clausa fuerit aquæ violentia, aliunde sibi semitam rumpit: sic & malignitas ex vna parte confusa, alium sibi aditum adinuenit. *Chrisostomus hom. 25 ex variis in Mathæum.*

Sicut non potest fieri vt ligna mittendo extinguas ignem: sic fieri non potest vt rationem reddendo places hominem malum. *Ibidem.*

Sicut ignis quantomagis ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic animus malus quantòmagis veritatem audierit, tanto amplius in malitiam excitatur. *Ibidem.*

Quemadmodum domesticum animal si aliquanto tempore extra domum errando fuerit euagatum, cum venerit in manibus domini sui, quasi in recordationem naturæ suæ redactum, cito iterum mansuescit: animal autem siluestre cum fuerit comprehensum, aut morsibus appetit, aut calcibus repugnat: Sic & malus homo arreptus, non solum pœnitentiam non agit, sed adhuc aduersus corripientem magis irascitur. *Idem hom. 40. operis imperfecti.*

Impii quasi mare feruens. Sicut mare feruens quiescere non potest, sed redundāt fluctus ei⁹ & reuoluūtur ad littora, atq; iterū resorbentur, & in se fracti lutum efficiunt. Sic impii æternæ conculcationi subiacebunt, quorum nullum est gaudium, & qui nulla pace requiescunt in eo quod impii perse uerant. *Hieronimus lib. decimosexto comment. in Esayam cap. 57.*

Magna est dissimilitudo inter bonum & sequacem, & inter durum & pertinacem. Nam huic dicere habet prælatus, quid tibi faciā? quod domin⁹ ad eū nondū illuminatū ait. At perfectus & obediens populus dicit id Pauli dictum,

Domine quid me vis facere? *Bernardus sermone 1. de conuersione Pauli.*

Vide induratio.

PHILOSOPHIA.

QVemadmodum terram prius rigant agricolæ : ita etiam nos eo quod ebibi potest, ex Græcorum orationibus, id quod est terrestre prius rigamus, vt suscipiat spiritale semen. *Clemens Alexand. lib 1 stromat.*

Ipsa philosophia Græcos pædagogi more docebat, sicut lex Hebræos ad Christum *Ibidem.*

Quemadmodum liberales quæ stant in circulo disciplinæ, conferunt ad philosophiam, quæ est ipsorum Domina : ita etiam philosophia conducit ad parandam disciplinam. *Ibidem.*

Similis est philosophia Agar, & sapientia Saræ. Sara autem interpretatur principatus, quasi principatum obtineat sapientia. Anteà Sara, idest, vera sapientia erat sterilis, ideo permisit Abrahæ, vt paulisper accederet ad Agar id est secularem scientiam. Sed quia prohibet ipsa sapientia, ne multum esset apud extraneam, id est, philosophiã, relicta eadem accessit ad Saram, & genuit Isaac. *Ibidem.*

Philosophia venit diuinitus ad homines, non principaliter, sed quemadmodum imbres erumpunt in terram bonam, & in fimum, & in domos. *Ibidem.*

Nonnulli qui se putant ingeniosos, nec philosophiam volũt attingere, nec dialectică nec physicam, sed solam & nudam fidem requirunt, perinde ac si cum nullam vitis curã gesserint, velint ab initio statim botros accipere. *Ibidem.*

Quemadmodum lucerna quæ à sole illustratur, dicitur periisse, eo quod non æqualiter edat operationẽ: Sic philosophia illustrata Thelogia, seu Christi aduentu. *Ibidem.*

Quemadmodũ multi homines qui nauẽ trahunt, nõ dici possunt multæ causæ sed vna causa ex multis, nõ est enim vnusquisque causa vt nauis trahatur, sed cum aliis: ita philosophia confert ad cõprehendendã veritatẽ, non quod sit causa cõprehẽsionis, sed cũ aliis causa, & adiuuans. Quemadmodũ cũ beatũ esse, vnũ sit, eius causæ sũt virtutes, quæ sũt plures. Et quemadmodum eius quod est calefieri, & sol

& ignis & balneum, & vestis: ita cum sit vna veritas, multa sunt quæ conferunt ad eius inquisitionem. Ibidem.

Per se aliquando philosophia iustificabat, sed non ad vniuersalem iustitiam ad quam nunc coopetatrix inuenitur. Sicut primus & secundus gradus ei qui ascendit in cœnaculum, & grammaticus ei qui est philosophaturus. *ibidē.*

Et quæ est ex fide veritas, tanquā panis necessaria est ad viuendum. Quæ autem præcedit disciplina, est obsonio similis, & bellarlis. Desinente cœna, suauis est placentula, ait Pindarus. *ibidem.*

Qui dicit nondum esse vel præteriisse tempus philosophandi, similis est ei qui dicit, ad beatitudinem, vel nondum adesse tempus, vel tempus præteriisse. *idem lib. 4. strom.*

Græca philosophia similis est illuminationi quæ fit ex scirpo, quam homines accendunt, lucem artificiosè à sole suffurantes. Verbo autē predicato vniuersa illa sancta lux illuxit. *idem lib. 5.*

Est dialectica velut vallus quidam, ne veritas conculcetur à sophistis. *idem lib. 6.*

Vt sol illuminans colores, album & nigrum ostendit qualis sit vnusquisque eorum: Sic ipsa quoque philosophia refellit omnem sermonis probabilitatem. *ibidem.*

Vt oleaster inseritur in pinguedine oleæ, & nascitur ex eadem specie, quæ oleæ satiuæ, omnia autem plantæ iussu diuino germinarunt. Vt autem videmus plus nutrimenti attrahere agrestes arbores, propterea quod non possunt concoquere. Sic philosophus qui agresti oleæ similatur, cum multa habeat non concocta, quia libenter inquirat, & facile assequatur, & pinguedinem appetat veritatis, si per fidem, diuinam acceperit virtutem, in bonam insertus cognitionem, tanquam oleaster insitus in semonem verè pulchrum, quod traditur nutrimentum verè concoquit & fit bona oliua. *Ibidem.*

Vt ars viam excogitat, qua lux quæ a vase procedit, per vas vitreum aqua plenum igneſcat: Ita etiam philosophia, cum ex diuina scriptura, veluti quandam ignis scintillam acceperit, in paucis visione apprehendit. *ibidem.*

Furatus est linguam auream, & posuit eam in tabernaculo suo. Non puto illo furto parui auri tantam vim fuisse peccati, vt tam numerosam domini ecclesiam macularet.

Sed

Sed videamus forte interioris intelligentiæ, sit tanta & tam grauis acerbitas ista peccati. Multus decor est in verbis, & multa in philosophorum seu rhetorum sermonibus pulchritudo, qui omnes de ciuitate sunt Hierico, id est, mundi huius homines. Si ergò inuenias apud philosophos peruersa dogmata luculenti sermonis assertionibus decorata, ista est lingua aurea. Sed videas ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis aurei pulchritudo. Memento quia Iesus anathema iussit esse, omne aurum quod in Hierico fuerit inuentum. Si poetam legeris modulatis versibus, & præfulgido carmine Deos deasque tepentem, ne delecteris eloquentiæ suauitate. Lingua aurea est, si eam sustuleris & posueris in tabernaculo tuo, si introduxeris in cor tuũ eaquæ ab illis asserũtur, pollues omnem ecclesiam Domini. Hoc fecit infœlix Valentinus & Basilides, hoc fecit & Martiõ hæretici, furati sunt isti linguas aureas de Hierico, & philosophorum non rectas nobis in ecclesias introducere conati sũt sectas, & polluere omnem ecclesiam Domini. Sed nos præcedens primum sequamur exemplum, discutiamus diligentius, ne quis absconditam in tabernaculo suo habeat Hierichontiam linguam, & abiiciamus malum ex nobis ipsis, quia etiamsi nos cessamus, arguet Deus ita vt ipse cõfiteatur, & dicat, furatus sum linguam auream. *Origenes hom. in Iesum Naue.*

Certè philosophiæ rationem triplicem priscos aiunt agro assimilasse, ita vt naturalem arboribus stirpibusque faceret similem, moralem verò fructibus, propter quos sunt arbores, denique rationalẽ sepi & maceriæ. Quemadmodum enim maceria fructus plantasque agri conseruat, arcens irrumpendi nocendique cupidos, ita & rationalis pars philosophiæ, præsidium munitissimum est duarum reliquarum, moralis atque naturalis. *Philo. lib. de agricultura.*

Non inuenimus aquam & vocauit eum iuramentum. Hoc quid significet consideremus. Qui rerum naturas scrutantur & singulas in disquisitionẽ vocant magna eũ diligentia, similes sunt puteos fodientibus. Nam & illi fontes latentes inquirunt. vtrisque commune desiderium est potius inueniendi, sed alteris quo corpus, alteris quo recreetur anima. Quemadmodũ igitur quidã fossores puteorũ, quęsitã aquã sæpe nõ inueniunt: Ita qui vlterius progrediuntur in scien-

tiis, & diutius in eis inambulant, non possunt finem attingere. *Idem lib. de plantatione Noe.*

Nã sicut apud medicos, quæ dicitur logoiatria multùm abest, vt ægrotos adiuuet: remediis enim & chirurgiis & diætis, non verbis morbi curantur: Sic & in philosophia verba tantum quidam venditant & venantur, vitam autẽ morbis refertam curare non possunt nec volũt: nec pudet eos à teneris ab annis vltimã vsque senectutem sententiolas frigidas oppugnare, propugnareque, tanquam fœlicitas in nominib⁹ verbisque & in immodica inaniq; curiositate sita sit, ac non potius in componendis moribus, qui fons si bene habeat, exulant vitia, virtus restituitur. *Idem de congressu quærendo exercitationis gratia.*

Venerunt in Aelim, vbi erant duodecim fontes aquarum. Ælim portæ interpretantur & introitum ad virtutem significant. Sicut enim initium ædium est anima, sic ad virtutẽ primus aditus encyclopedia. *Idem lib. de profugis.*

Cũ sæpe philosophi per ignorantiã veritatis à ratione deciuerint, atq; in errores inciderint inextricabiles, id solet hiseuenire quod viatori viã nescienti, & non fatẽti se ignorare, vt vagatur, dum percontari eruditos erubescit. *Lactãtius lib. de ira Dei. cap. 7.*

Quemadmodum si fuerit vrbs ingens, eaque deserta, nempe dissolutis muris, quæ capta sit ab hostibus, magnitudinis nulla est vtilitas: proinde præter magnitudinem expetendum est, vt etiam munita sit optimis muris, ne possint hostes ingredi: ita procul dubio animæ scientia & intellectu exornatæ, necnon acutissimo ingenio, sunt instar magnarum vrbium. Superest vt quæramus, an illæ munitæ sint virtute spiritus: nequando hostes ingressi deuastent eas. Nam sapientes huius mundi, Aristoteles, Plato vel Socrates qui rerũ notitiã callebant nõ aliter se habebant quã vrbes amplæ: at erãt ab hostib⁹ vastati, quia carebãt spiritu diuino. Quicũque verò idiotæ sũt participes gratiæ, sũt tãquã vrbes exiguæ, virtute crucis protectæ. *Macari⁹ ho. 42.*

Quemadmodũ lepores vulpesque canibus aliam cursus monstrantes viã, aliam conuersi tenent: Sic huiuscemodi orationis inuolucra spiritualis doctrinæ simplicitatem, ac viã detorquent. Strophæ quædã sunt falsæ scientiæ obiectiones. Exercitati namque in arte dialectica in vtramque

partem differendo, persuasione sophismatum veritatis sensum pessundant. *Basil. in principium proverbiorum.*

Veluti plantis quibus propria virtus est fructu pulcherrimo scatere, folia nihilominus ramis coniuncta quendā ferunt ornatum: Sic anima cui præcellens quidem veritas fructus est, non abs re tamen exteriore sapientia veluti foliis ornatur. *Idem hom. de legendis gentilium libris.*

Quemadmodum terra & cœlum, necnon aer & similia, nō ideo sunt contemnenda, quia quidam malè his sūt abusi, pro Deo ea quæ Dei sunt venerantes: Ita quicquid vtilitatis ex philosophia percipi potest, id omne ad vitæ vsum fructificare debemus, ita tamen vti periculum effugiamus & nequaquam contra creatorem creaturam, iuxta insipientes cōcitemus, sed ex opificio opificem deprehendamus, & sicut diuinus inquit Apostolus, omnem intellectum Christo captiuemus. *Gregor. Nazianz. orat. funebri in laudem Basilij.*

Sicut qui innauigabilem oceanum nauigare se vsurpat, dum non potest eū transire, necesse est per eandem viam reuertatur vnde ingressus est: Sic & antiqui philosophi & oratores de Dei natura quærere contendentes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone, in vltimo nihil se amplius inuenire potuisse cōfessi, nisi quia Deus incognoscibilis. *Chrysostomus hom. 28. operis imperf.*

Quemadmodum sepulchra extrinsecus ornata, si exteriorem illam faciem amoueris, cadauerū & exesorum ossium plena reperiuntur. Itidem in philosophorum opinionibus, delecta verborum superficie & ornatu, multa inania absurdaque deprehenderis, maximè vbi de anima philosophantur, nunc honore, nunc cōtumelia, nullo modo modestiaue adhibita, eam afficientes. *Ibidem.*

Sicut vinū non tēperatū admixtione aquæ mentē alienat, ita & scientia superbum facit, nisi fuerit charitate temperata. *Ambrosius in epist. Pauli ad Rom.*

Sapiētes se arbitrātur, qui rationes physicas inuestigare se putāt, scrutātes cursus siderū, & qualitates elemētorum, Dominū autē horū spernētes, ideo stulti sūt, cū hæc laudāda sint, quāto magis creator illorū? solēt tamen pudorē passi, neglecto Deo misera vti excusatione ac dicere, per istos posse ire ad deū, sicut per comites peruenitur ad regē.

Age nunquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, vt honorificentiam regis vendicet comiti? cum de hac re si qui etiam tractare fuerint inuenti, iure vt rei damnãtur maiestatis, & isti se non putant reos, qui honorem nominis dei deferunt creaturæ, relicto domino conseruos adorant, quasi sit aliquid plus quod seruetur deo: nam & ideo ad regem per tribunos & comites itur, quia homo vtique est rex, & nescit quibus debeat rempublicam credere. Ad dominum autem quem vtique nihil latet (omnium enim merita nouit) ad promerendum suffragatore non est opus, sed mente deuota, *Ibidem in cap. primum.*

Qui ingenium suum ad poetas & philosophos conuertit, quasi qui aureum hamum mittit in lutosam aquam: quia pro re vili in profundo detinetur: nec potest iactura lucro piscis compensari. *Absalon abbas in sermone 5. de Christi aduẽtu.*

Tanquam si quispiam dare volens præcepta ambulandi, moneat non esse leuandum pedem posteriorem, nisi cum posuerit priorem: deinde minutatim, quemadmodum articulorum & poplitum cardines oporteat mouere, describat: vera enim dicit, nec aliter ambulari potest, sed facilius homines hoc faciendo ambulant, quàm animaduertunt cum faciunt, aut intelligunt cum audiunt. Qui autem ambulare non possunt, multo minus ea curant, quæ nec experiendo possunt attendere. Itaque plerunque citius ingeniosus videt non esse ratam conclusionem, quàm præcepta eius capit: tardus autẽ non eam videt, sed multo minus quod de illa præcipitur. *Augustinus lib. 2. cap. 37. de doctrina Christiana.*

Sicut medici cùm fastidientibus ægrotis porrecturi sunt saporis amari medicamentum, dulci ipsum liquore aspergunt, atque adeò salutarem amaritudinem tegunt: Sic etiã illa philosophia vetus, sentẽtijs suis, fabularum, carminũ, ac cantus amictu velatis, antiquos illos animos cepit, neque aliter quàm dissimulata disciplinæ molestia ad institutionem illexit. *Tyrius Platonicus sermone. 29.*

Quemadmodum medicinæ nullus est vsus, nisi morbos à corporibus exterminet: Ita neque philosophiæ, nisi animæ vitia expellat. *Pytagoras apud Stobæum sermo. 80.*

Quemadmodum proci Penelopes, quoniam cum Penelope commisceri non potuerunt, cum illius ancillis rem habuerunt: Ita qui philosophiam assequi non possunt, in a-

liis friuolis disciplinis semet exercent. *Bion apud Laert. lib. 4. cap. 7. &c.*

Vt ignari nonnulli mel Ponticum gustare volunt, gustatum autem seu minimè dulci amaroque succensentes, illicò respuunt: Sic aliqui curiosi, philosophorum, & præsertim Diogenis periculum facere volebant, à quibus redarguti, statim dato tergo fugiebant. *Diogenes in diatribis: & apud Stobæum sermone* 11.

Vt apicula ex floscul is succum mellis colligit, cum alij non delectentur, nisi colore & odore: Sic philosophiæ studiosus & ex poetis inuenit, quod ad bene viuendum conducat, cum alij tantùm voluptate deliniantur. *Plutarchus in Moralibus.*

Quemadmodum agricola syluestribus securim aut ignē admouet, ac funditus extirpat: vineas verò, atque oleas, amputat cautim ac circumspectè, ne fortè superuacua resecans, lædat & id quod sanum est: Sic philosophus ex animo iuuenū libidinem, auariciam, inuidiam, penitùs reuellet: cæterùm pudorem immodicum cautim emendabit, ne simul omnem euellat verecundiam. *Ibidem.*

Qui adhortantur, & excitant ad philosophiam, nec docent nec tradunt eam: perinde faciunt, vt ii qui præmungunt lucernam, nec infundunt oleum. *Ibidem.*

Quemadmodum graue est nauim ingressis, cùm terra discedit, quam agnoscunt, & nondū apparet ad quam nauigant: Sic philosophantibus initiò molestum, à consuetis discedere commodis, cum nondum videant ad quam felicitatem philosophia sit deductura. *Ibidem.*

Quemadmodum iuxta Philoxenum, suauissimæ sunt carnes, quæ non sunt carnes, & iucundissimi pisces, qui non sunt pisces: Ita maximè delectat admixta philosophiæ poesis, & poesi admixta philosophia. *Ibidem.*

Aer qui est in auribus, nisi tranquillus sit, & carens propria voce, sed tinnitu fuerit ac tumultu plenus, non exactè recipit ea quæ dicuntur: Sic ea pars, quæ philosophia dicta, iudicat, si quid intus obstrepat, & obtineat: non rectè recipit ea quæ dicuntur: Sic ea pars, quæ philosophia dicta, iudicat, si quid intus obstrepat, & obtineat: non rectè iudicabit, quæ foris accipiuntur. *Ibidem.*

Quemadmodum Anacharsis dixit, Athenienses ad nihil

aliud vti nummis, nisi ad numerandum: Ita quidam vtuntur philosophiæ præceptis, tantùm vt ostentent. *Ibidem.*

Non fodit puteos, qui fontes habet, aut nouit: Sic non petit aliũde qualecunque cõsilium, qui ipse didicit philosophiam. *Ibidem.*

Vt in curatione nõ sentitur morbi leuamẽ, nisi sincer⁹ habit⁹ inducatur: Sic in philosophia nõ ꝓficitur, nisi paulatim aliquid decedat de stultitia, donec in alium mentis habitum proficiat. *Ibidem.*

Planetæ iuxta mathematicos, eum definũt procedere, figuntur: At in philosophia subsistere non licet, assiduè est progrediendum. *Ibidem.*

Qui in ciuitatẽ adscripti sũt, & hospites, multa damnãt, ac molestè ferũt: at qui in ea à pueris sũt educati, quiq; assueuerũt, ꝓbant: Sic qui philosophiã à pueris imbiberũt. *Ibidẽ.*

In philosophiæ studio, seu per metamorphosin quandã, quidam velut aues facti conferunt sed ad contemplationem naturæ, quidam seu catellæ ad rixas & morsus sophismatum & quæstiuncularum. *Ibidem.*

Qui nauem fregit, tamen spe vehitur: nam fieri potest, vt corpus natans in terrã deferatur: At qui excidit à philosophia, totus periit. *Ibidem.*

Si multi inebrientur vino, non ob id incidendæ vites, ita vt fecit Lycurgus, sed propius admouendi fontes: Ita si multi abutuntur poetica non protinus abiicienda, sed adhibẽda cautio, vt fiat salutaris. *Ibidem.*

Quemadmodum in eisdem pascuis apis florem sequitur, capra fruticem, sus radicem, quadrupedia fructum: Sic in poetis alius aliud quærit: hic historiam, ille sermonis ornamenta: ille probationes, ille præcepta viuendi. *Ibidem.*

Queãdmodum in picturis plus mouet color quàm lineæ, propterea quòd propius hominis formam repræsentet ille, magisq; fallat: Ita mendacium admixta veri similitudine magis allicit mouetq;, quàm simplex oratio, quę nihil habeat fuci. *Ibidem.*

Quædam per se non pulchra, quibusdã ob id bona sunt, quòd apta: Ita laudãtur in poetis quædã, quòd cõgruũt personæ, tametsi alioqui fœda. Demonides claud⁹ precabatur vt crepidæ quas furto amiserat, quadrarent ad pedes eius, qui sustulisset. *Ibidem.*

Non sic est parẽdũ poetis aut Philosophis, quẽadmodum pueri obtemperant pædagogis, sed quemadmodum Cato puer parebat quidem pædagogo iubenti, sed rogabat quam ob causam id iuberet: Ita fides habẽda autoribus, si causam idoneam reddiderint. *Ibidem.*

Vt ad lineam applicandus est lapis, non ad lapidẽ linea: Sic vita ad Philosophorum decreta corrigenda est, non ea sunt ad mores nostros trahenda. *Ibidem.*

Menedemus aiebat multos nauigare Athenas, qui primùm essent sapientes, deinde fieri Philosophos, id est sapiẽtiæ studiosos, deinde rhetores, postremò idiotas: Sic in Philosophia quo magis profeceris, hoc minus turgebis fastu. *Ibidem.*

Vt non medentur, qui vendunt pharmaca: Ita non sunt Philosophi, qui quicquid è Philosophia sumpserint, id trãferunt ad ostentationem. *Ibidem.*

Vt qui immenso nauigant mari, ex ipsa ventorum vi cursúsque tempore coniiciunt se promouisse, etiamsi nondum appareat portus, nusquam tamen consistunt, donec portum attigerint: Ita non conquiescendum in Philosophia, donec ad perfectum illum sapientis habitum peruentum sit. *Ibidem.*

Non quemadmodum vnguẽtis cum adsunt, delectamur, cum non adsunt, non discruciamur: Ita oportet erga Philosophiam esse affectum. *Ibidem.*

Quomodo multum inter auaritiam & pecuniã interest, cùm illa cupiat, hæc concupiscatur: Sic inter Philosophiam & sapientiam. *Seneca lib. 2. Epist. 90.*

Vt ignotarum vrbium monstratus hospiti gratus est: Ita scisciranti cœlestiũ causas, domesticus interpres: & in profunda terrarum promittere iuuat. *Idem de consolatione, cap. vigesima quarta.*

Vt semina bona, si in solum bonum inciderint, similia origini proueniunt, eadem humus sterilis ac palustris necat: Sic Philosophiæ præcepta, si in bonum aut prauum animum inciderint. *Idem.*

Philosophus etiam eloquens, perinde est quasi si bonus gubernator etiam si formosus sit. *Idem.*

Vt primùm est expurganda bilis, vnde nascitur insania, deinde monendus homo: alioqui qui furiosum admoneat

quomodo debet procedere, quomodo se gererein publico, furiosior sit ipso furioso: Sic primùm animus est liberandus falsis opinionibus, postea tradenda præcepta Philosophiæ. *Idem.*

Vt oleum infusum tranquillat mare, & lucem addit: Ita Philosophia componit animi motus, & ignorantiæ caliginem discutit. *Plinius, lib. 2. cap. 106.*

Dictamnum herba sagittas educit è corpore, hanc cerui monstrauêre: Ita Philosophiæ ratio, fortunæ iacula eximit animis. *Idem lib. 25. cap. 8. & Theophrast. lib. 9. cap. 16.*

Lauri baccæ amaræ quidem sunt, sed saluti conferũt: Ita Philosophiæ præcepta, salutaria magis quàm blanda sunt aut iucunda. *Idem lib. 16. cap. 30.*

Vt acetum acre quidem gustu, sed aduersus serpentium ictus mirè valet: Ita præcepta Philosophiæ austera quidem illa, miniméque blanda, sed contra pestiferas animi cupiditates remediũ adferunt præsentaneum. *Idem lib. 23. cap. 1.*

Sicuti nasturtium ad venerem quidem reddit segniorem sed animi vim acuit: Ita Philosophiæ studium, corporis curam ac vigorem, ad animi vigorem traducit, vt hoc plus sapiat homo in rebus æternis, quo magis stupet ad ista corporea, crassáque. *Idem lib. 20. cap. 13.*

Vt Democrates medicus Considiæ mulieri, omnem curationem austeram recusanti, lac caprarũ dedit, quas lentisco pascebat: Sic iis qui prorsus à tetricis Philosophiæ præceptis abhorrent, fabellæ quædam amœniores proponendæ, sed quæ Philosophiam resipiant. *Erasmus in simil.*

Echinus præsentiens tempestatem, aut affigit sese, aut arena saburrat: Ita cum imminet fortunæ tumultus, animus est Philosophiæ præceptis confirmandus. *Ibidem.*

Vt aqua maris in imo dulcior est, quàm in summo: Ita quo altius penetres in Philosophiã, hoc minus habet amaritudinis. *Idem.*

Hedera pota neruis nocet, eadẽ foris adhibita prodest: Sic Philosophiam si penitùs imbibas, nocet ad pietatem: si leuiter & veluti foris admoueas, prodest ad eruditionem. *Ibidem.*

Vt vino non est aliud corporis viribus vtilius, si rectè vtaris: nec eodem est quicquam pernicioſius, si modus absit: Ita Philosophia salutaris res est, si modicè adhibeas: pesti-

lentissima, si eius studio temulentus, à communis vitæ muniis reddaris alienus. *Ibidem.*

Gallus Phrygiæ fluuius, si modicè bibas, medetur corporis malis: si immodicè, lymphatum animũ agit: Ita si Philosophiæ literas modicè attingas, prosunt: sin totum te illi ad dixeris studio, sanitatem mentis auferunt, & inanis gloriæ furore quodam præcipitem agunt. *Ibidem.*

Vt quidam gemmas quasdam secum vbique circumferũt aduersus morbos, maleficia, ebrietatem, tonitrua, ruinas, cæteráque mala: Ita quædam Philosophiæ decreta semper ad manum habenda aduersus incursuros animi morbos, libidinem, iracundiam, ambitionem, auaritiam, & his consimiles. *In Simil.*

POENA MALORVM.

Maior est iniquitas mea quàm vt veniam mereat) Hoc quale sit per similia declarabitur. Si nauem mari iactatam gubernator deserat, an non necesse est eam nauigationem aberrare? Item si quadrigas auriga in Circensibus, an non necessum est eas turbatas ferri cursu deuio? Quid ciuitas si destituatur magistratibus aut legibus? Sunt autem & leges dubio procul pro magistratibus. Nónne carens magistratibus legibúsque ciuitas illa malis opprimetur maximis? Atqui natura comparatum est, corpus absente anima, animã absente ratione, rationem destitutã virtute, interire funditus. Quodsi hæc singula rebus destitutis nocent tantopere, quantam miseriam in à Deo destitutis cognoscimus? quos ille auersatus tanquã desertores ordinis, exterminauit procul à sanctissimis suis legibus, indignos sua prouidẽtia habitos. In vniuersum enim scire oportet, quod qui præstãtioris ope destituitur, fit obnoxius maximis culpis, & criminibus: Quãdo enim dices imperitum artis lædi maxime? nónne quando à scientia omninò deseritur? quando vero indoctum & valde ineruditum? nónne quando à doctrina & disciplina derelinquitur? quid insipientes quando infœlices pronuntiamus potissime? nónne quando repelluntur omni nò à prudentia? quando vero intemperantes & iniustos? nónne cum à temperantia iustitiáque, damnantur exilio perpetuo? quando verò impios, nónne quando pietaseos à

sacris suis excludit? Ideò arbitror eos qui non omnino sunt inexpiabiles, optare puniri potius quam dimitti. Nã hæc missio facilè subuerteret eos seu male saburatas naues carentes gubernatoris prouidentia, animaduersio verò ad correctionem profuerit. Aut non sunt potiores qui sub pædagogis educantur, quàm qui peccantes à nullis cohibentur castigatoribus, non meliores itidem qui sub magistris discunt artes, quam qui quoties aberrant obiurgantur à nemine? Ergo quicunque peccatorum sumus nobis conscij, precemur Deum vt puniat nos potius quàm incastigatos prætereat. *Philo, lib. quod deterius potiori insidietur.*

Quemadmodum si praui ac pernicioſi humores in precordiis ac intestinis lateant, non accusatur medicus quod eos ipse fecerit, si arte eos in cutem vt appareant traxerit, sed effecit quidem illos inordinata dieta, traxit autem in manifestius non imperitus medicus: Sic cum dolores ac cruciatus hominibus à Deo factos audimus, intelligere decet à nobis ipsis initia & causas earum vexationum fuisse. *Gregorius Nyceus in mystica Mosaicæ vitæ enarratione.*

Si tu famulum tuum flagris cęcideris, & ille triginta aut quinquaginta plagis acceptis, illico prouocet ad libertatem, aut deserat tuum dominium, & ad alios quospiam se se conferat, qui te oderint, eósque in te concitet, dic mihi, num is abs te veniam impetraturus sit? An quisquam pro illo poterit esse patronus? Nequaquam. Cur ita tãdem? quoniam officium est heri punire talem famulum, non ob id tantum, verumetiam ob hoc quod si fugiendum erat, non ad hostes & osores Domini prioris oportebat fugere, sed ad amicos & cognatos. Proinde tu quoque si videris puniri à Deo, ne profugias ad inimicos Iudæos, ne magis etiam illum in te prouoces, sed ad amicos illius martyres ac sanctos, qui illi placuerunt, quique multam apud illum habent auctoritatem. Sed quid loquor de famulis & heris? Filius non poterit hoc facere nec abnegare cognationem quam habet cum patre. Nam & naturæ leges, & leges abhominibus institutæ sic præscribunt, etiamsi flagris cædat pater, si à mensa depellat, si ædibus exigat, si quocunque modo puniat, iubent omnia fortiter perpeti, nec vllam illi veniam concedunt, ni paruerit pertuleritque. Etiamsi filius cæsus innumeras querimonias deplorans

perferat, hæc verba audit ab omnibus. Pater est qui cæcidit ac Dominus, habétque potestatem in te quid vult faciendi, & oportet omnia placide ferre. Ergò famuli quidem ferunt Dominos, filij parentes frequenter & præter æquum punientes. Tu verò non sustines Deum te corripientem, qui plus habet in te iuris, vt pote vere Dominus, qui plus te diligit quàm pater, quique nihil per iracundiam, sed omnia facit in tuam voluntatẽ, sed si leuis aliquis morbus acciderit, illico resilies ab illius dominio, ad dæmones accurris, & ad synagogas confugis. Et quam tandem posthac veniam cõsequeris? Quemadmodum enim postquam receperis incãtationem sanusque factus fueris, miserius affectus es his qui febri laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem, sic tamen quoque etiamsi febriciteris, innumeráque patiaris mala, repulsis impiis illis, quouis sano melius affectus eris animo, gestiente præ gaudio conscientia, ac laudante te. Probantéque & dicente, Euge euge, heus homo Christi seruꝰ fidelis vir, athleta pietatis, qui malueris molestiis immori, quam deserere tuam pietatem, proximo secundum martyres loco stabis in illo die. Quemadmodum enim illi prœoptarunt cædi flagris torquerique, vt ad honorem peruenirent: Ita tu quoque hodie peroptasti flagellari, torquerique à febris vulneribus, quæ ne abiicientes pietatem, non incantamentis, non applicaturis ac speciebus istiusmodi nutritus, neque sensu prementium dolorum. *Chrysost. orationes aduersus Iudæos.*

Si in humido ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Luc. 23. Accepta est similitudo à lignorum combustione, quæ dum humida sunt, difficilius ardent. Quod si ignis in humidis ac viridibus vim habet, multo profecto magis in arida sęuiet. Sic si aduersus innocentissimum, in quem pœnæ vim nullã habere debuerant, tam crudeliter sæuitur, quid his fiet qui tanquã ligna arida apta incendio sunt? Quod exemplũ nobis vehementer est metuendum. Neque mirum cuiquã videatur, quod sum dicturus, sed loco admirationis velim vt formidetis. Vereor enim ne æque graues pœnæ nos maneant, quanquam illæ fuerunt supra quàm dici possit grauissimæ. Nam vt cætera taceam, quæ Iudæis acciderunt, tam ingens fames Ierosolymam inuaserat, vt certasse inter se armis domestici dicantur, si quid esculenti,

temere ad manus venisset, filij ex ore parentum cibum rapere, nec fratrem fratris misereri, nec soror: é sororis. Multi, bubulùm fimum mandere coacti sunt, alij cloacas rimari, cibósque indè obscœnos sibi quærere. Coria scutis detracta, & calceorum aluta fuit multis cibus, fœníque laceramenta quibusdam victui fuere. Quare periit interim tanta vis mortalium inedia, vt Annius Eleazari filius, qui medio tempore obsidionis ad Titũ transfugit, centùm quindecim millia cadauerũ in vrbe elata dixerit, fertúrque defuncta tali aut simili clade ad sexcenta hominum millia Romanis Ierosolymæ assidẽtibus. Ista vos terrent? Sed audite cur dixerim metuere me, ne eadẽ clades nos maneat. Si hi quorũ maxima pars ignorabat veritatẽ rei, & ob ignorantiam potius quam ob malitiam peccauerunt, necem Domini postulantes, tam crudeliter fuerunt tractati, quid nos meremur, qui cum agnoscamus, tam iniurij in Christum sumus, & quotidianis probris illum afficimus? *Isidorus Clarus, orat. 41. tomi primi.*

Cantharides & scorpij in se circunferunt sui veneni remedium: At ipsi peccato inest sua pœna, suppliciúmque. *Plutarchus in Moral.*

Qui nos docuit sagittare, non vetuit iaculari, sed vetuit ne aberraremus à scopo: ita non est interdicta punitio, sed in tempore & aptè facienda. *Ibidem.*

Vt qui diutina tabe conficiuntur, non effugiunt mortem, sed lentè moriuntur: Sic qui non statim puniuntur, non effugiunt pœnam, sed longa ducuntur pœna. *Ibidem.*

Pigri remiges sereno cœlo desident in portu, deinde coguntur flantibus ventis nauigare cum periculo: Sic qui nõ punit, cum est animo sedato, cogitur aliquando vel iratus punire. *Ibidem.*

Vt hienæ fel, & phocæ coagulum atque aliæ pessimarum ferarum partes, aduersus magnos morbos efficax habent remedium: Sic Deus pessimis tyrannis vtitur nonnunquam ad correctionem vitiorum. *Ibidem.*

Quemadmodum vmbræ corpora sectantur, sic animas flagitia comitantur, euidenti effigie actiones exprimentia: ideo non datur in iudicio negare. Ipsa enim vniuscuiusque opera obtestabuntur, haud sanè vocem emittendo, sed ta-

lia prorsus sese repræsentando, qualia iam à nobis patrata sint *Agapetus Diaconus, de officio Regis.*

Vt nec domus, nec respublica ratione quadam & disciplina designata videatur, si in ea nec rectè factis, præmia extent vlla, nec supplicia peccatis: Sic mundi diuina in homines moderatio profectò nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum ac malorum. *Cicero, lib. 5. de natura deorum.*

Serpentes paruulæ fallunt, nec publicè consequuntur: vbi aliqua solitam mensuram transit, & in monstrum excreuit, vbi fontes potu infecit, & si afflauit, deurit, obterítque quacunque incessit, balistis petitur. Possunt verba dare, & euadere pusilla mala: ingentibus obuiam itur. Sic vnus æger nec domum quidem perturbat: at vbi crebris mortibus pestilentiam esse apparuit, conclamatio ciuitatis, ac fuga est, & diis ipsis manus intenduntur. Sub vno aliquo tecto flamma apparuit, familia vnicuique aquam ingerunt. At incendium vastum, & multas iam domos depastum, parte vrbis obruitur. *Seneca, lib. 1. de Clementia, cap. 25.*

Vt arbor excisa repullulat, euulsa non refruticatur: ita malum si penitus tollitur, non renascitur. *Plinius, lib. vigesimo secundo, cap. 13.*

Vt melior medicus, qui morbum excludit & arcet, quàm qui pharmacis expellat acceptum: ita non paulo præstabilius est efficere, ne facinora patrentur, quàm si perpetrata puniantur. Id autem fiet, si causas ex quibus animaduerterit potissimùm nasci flagitia, vel recidat, si queat, vel certè premat & attenuet. *Erasmus, de institutione Principis.*

Ciconiæ quoties conuolant in campum, quem Pythonis comẽ vocant (is est locus in Asia) quæ vltima omnium aduenerit, eam lacerant, atque ita discedunt, in vna omnium cessatione castigata: ita multitudinis vitia, vnius insigni supplicio sunt, vel sananda, vel arcenda. *Idem, in Symbolis.*

In aspidis ictu nullum est remedium, nisi vt partes contactæ amputentur: ita quædam vitia sola morte sanari possunt. *Ibidem.*

Vt magis est probanda medicina, quæ vitiosas corporis partes sanat, quàm quæ exurit: Ita melior magistratus, qui

ciues improbos corrigit, quàm qui tollit è medio. *Ibidem.*

Sicut ex vipera, crocodilo, cæterísque nocentissimis bestiis medici remedia quædam aduersus venenorum noxam ac morbos efficacia quęrunt: ita animaduersio in nocentes, multos vel arcet, vel reuocat à facinoribus. *Ibidem.*

Vide Infernus, Peccati pœna.

POENITENTIA.

COntinuè & se inuicè excipientes propter peccata pœnitentiæ, nihil differunt ab his qui non crediderunt, præterquam in eo solo quod se peccare senserunt, neq; scio vtrum sit deterius prudentémne ac scientem peccare, an cũ pro his quæ peccant, pœnitentia ductus fuerit, rursus peccare. *Clemens Alex. lib. 2. strom.*

Cur cessas aggredi quod scias mederi tibi? Mutæ quidem animæ & irrationales, medicinas sibi diuinitus attributas in tempore agnoscunt. Ceruus sagitta transfixus, vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcauerit pullos nouit illos oculare rursus sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesin sciens, præteribit illam quæ Babylonium regem in regna restituit. *Tertul. lib. de pœnitentia.*

Hoc pretio Dominus veniam addicere instituit, hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui venditant, prius nummum quo pacisc̃tur examinant, ne scalptus néve rasus, ne adulter etiam: Dominum credimus, pœnitentiæ probationem prius inire, tantã nobis mercedem perennis scilicet vitæ concessurum? *Ibidem.*

Pleróque hoc opus vt publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quam salutis velut illi, qui partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentiũ vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt. *Ibidem.*

Quicquid mediocritas nostra ad pœnitentiam semel ca-

pessendam& perpetuo continendam suggerere conata est, omnes quidem deditos Domino spectat, vt omnes salutis in promerendo Deo petitores, sed præcipuè nouitiolis istis imminet. Qui cum maximè incipiunt diuinis sermonibus aures rigare, quique catuli infantiæ adhuc recētis, nec perfectis luminibus incerta reptant: & dicunt quidem pristinis renunciare, & pœnitentiam assumunt, sed includere eam negligunt. Interpellat enim illos ad desiderandum ex pristinis aliquid, ipse finis desiderandi: Velut poma cum iā in acorem vel in amaritudinem senescere incipiunt, ex parte aliqua tamen adhuc gratiæ suæ adulantur. *Ibidem.*

Operari tu putas rusticum posse, si dixeris, agrum peritia omni rusticitatis exerce, culturis diligenter insiste, sed nullam messem metes, nullam vindemiam premes, nullos olieuti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes. Vel si cui demum vsum nauium suadens, dicas, materiam de excellentibus syluis mercare frater, catenam prævalidis & electis roboribus intexe clauo, funibus, velis, vt fabricetur atque armetur nauis, operare, sed cū hoc feceris, fructum de actibus eius & cursibus non videbis? Ita si tollas pœnitentiam, quis non statim pereat, quis non ipsa desperatione deficiat. *Cyprianus, lib. 4. epist. 2.*

Sicut nihil prodest male viuenti anteactæ vitæ probitas, quia superueniens nequitia, iustitiæ opera deleuit: ita nihil officiunt peccata vetera correcto, quia superueniens iustitia, labem vitæ prioris aboleuit. *Lactantius, lib. 7. cap. 24.*

Denique muta quoque animalia cum fraude decipiūtur, si aliquo se modo in fugam extritauerint, fiūt postmodum cautiora, vitántque semper ea omnia, in quibus dolos insidiásque senserunt; Sic hominem pœnitentia cautum ac diligentem facit ad euitanda peccata, in quæ semel fraude deciderit. *Ibidem.*

Quilibet serpens in angustum intrans, deponit senectutem, & vetustatem per extrusionem exuit, corporéque denuò toto renouatur: Sic & tu intra per angustam portam, affligēs teipsum per ieiunium, expelle tuam perditionem. Exue veterem hominem cum actionibus suis, & dic illud quod est in canticis, *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 3.*

Si Dauidi peccatum non est remissum citra pœnitentiã, sed post tantos demum fletus & correctas actiones magni regis vatisque delibuti diuinitus, quomodo impuri & perditi sine lamentis planctúque ac pœnitentia, possunt sperare peccata ipsis remissurum Dominum? *Iustinus Martyr in dialogo cum Tryphone.*

Nunc ad eos sermo fit, qui bene ac sapienter vulnera sua pœnitentiæ nomine confitentes, nec quid sit pœnitentia, nec quæ sint vulnerum medicamenta nouerunt. Similes sunt illis qui plagas quidem aperiunt, & tumores, medicisque etiam assidentibus confitentur, sed admoniti quæ imponenda sint, negligunt, & quæ bibenda fastidiunt. Quod tale est ac si dicat: Ecce ego æger, Ecce ego vulneratus sum, sed nolo curari stomachum. *Patianus in paræneſi ad pœnitentiam.*

Capræ (vt dicunt) feræ remedia sua nouerunt. Confixas quippe audio venenatis sagittis, saltus peragrare dictæos, quo ad dictaminis caule detruso salutarium virulento, latice succorum pulsa, decutiant tela pectoribus. Nos ignita diaboli spicula, nullo pœnitentiæ succo, nullo exomologesis gramine repellemus? Excæcatos hirundo pullos nouit oculare è sua chelidonia: Nos lumina mentis amissa, nulla malæ tractationis radice curabimus? *Ibidem.*

Sicut qui virginitatem amisit, corporaliter ipsam recuperare non potest, cum id naturæ impossibile sit: Sic etiam qui à lauacro in magna delicta collapsus est. Et quemadmodum qui à virginitate lapsus est, secundum honorem continentiam habet: ita & à lauacro in maiori delicto constitutus, secundam medelam habet, non eam virtuosam velut primam, verum non reiectam à vita habet, secundam quam acquisiuit. Non reprobat itaque diuina scriptura, mercedem eorum qui in pœnitentia laborant. *Epyphanius, 59. contra Catharos.*

In futuro seculo post hominis mortem, non ieiunij suppeditatio, non pœnitentiæ vocatio, non eleemosynæ ostentatio, imo neque criminalia opera, non bellum, non adulterium, non petulantia, imo neque iustitia & pœnitentia. Sicut enim post messem spicæ, non datur vt crassescat granum, non vt à vento corrumpatur, non vt alia aliqua læsio accidat. At ne dixeris mihi horrei corruptelas, hoc est,

vermes

vermes & tineas. Hæ enim per ea quæ in hoc seculo sunt, fiũt. Verum similitudo hæc est, intra portas receptorum, & horreo munitorum, & est fidei exemplar, atque imago, vbi neque latrones perfodiunt, neque tineæ disperdunt, velut diuinus sermo ait. Sic neque pietatis, neque pœnitentiæ suppeditatio post mortem est. Non enim Lazarus venit illic ad diuitem, neque diues ad Lazarum. Neque Abraham demittit spolia, vt diteſcat pauper postea. Neque diues accipit quæ petit, etiamsi magnis precibus misericordem Abraham roget. Obsignata enim sunt promptuaria, & impletum est tempus, & certamen perfectum est, & euacuatũ est stadium, & coronæ datæ sunt: & qui decertarunt, quieſcunt: & qui non præuenerunt, discesserunt: & qui non decertarunt, non amplius adsunt: & qui in stadio victi sunt, eiecti sunt, & omnia palam consummata sunt, post factum hinc discessum. *Ibidem.*

Sicut messium aut vindemiarum dies humano generi fructuum suorum abundantiam commendat & gratiam: Ita hoc quadrageſimæ tempus animabus nostris fœcundũ salutis fructibus nouerimus. *Eusebius Emissenus in initio quadrageſimæ.*

Tractantes causam salutis nostræ faciamus intra nos quod circa nos medici facere solent. Si læsura aliqua in prima corporis cute sentitur, curatio medicamenti blãdioris apponitur: Si verò in ossibus vulnus absconditum, aut in viscerum profunda demersum est, austeriorem ac violentiorem poscit vis occulta medicinam: vt vlceris magnitudo aut exustione supercuretur, & dolor dolore pellatur. Similis ratio in ægritudine interioris hominis adhibẽda est. Si leuia sint fortasse delicta, verbi gratia, si homo vel in sermone, vel in aliqua reprehensibili voluntate, si oculo peccauit aut corde, verborum & cogitationum maculæ quotidiana oratione curandæ, & priuata compunctione tergendæ sunt. Si vero quisque conscientiã suã intus interrogans facinus aliquod capitale cõmisit, si fidẽ suã falso testimonio expugnauit, si velũ baptismi vel tunicã, si virginitatis holoſericam cœno cõmaculati pudoris infecit, si per augures & incantatores diabolo se captiuum tradidit, hæc communi & secreta satisfactione expiari non possunt, sed graues causæ graviores & acriores & publicas curas requirũt.

Idem, Hom. 10. ad monachos.

Sicut homo in cruce positus, nullis iam delectatur illecebris, mortua ei prorsus sunt quę aut per auditum ac visum, per gustum ac odoratum, pariter ac tactum, animũ captiuare consueuerunt. Omnia ante oculos prætereuntia velut transacta iam reputat, quia extremam horam cœlos emigraturus expectat: Ita & vos qui animas vestras ad contritionẽ abstinentiæ & crucem Christi pro æternæ salutis remediis contulistis, obliuiscimini pristinas consuetudines, & male blandas mundi seductiones, obliuiscimini concupiscentias, quæ de cœlestibus mentem in inferiora deuoluunt. *Idem. Hom. ad pœnitentes.*

Veluti cum quispiam desertam ciuitatem instaurare desiderat, imprimis ea quæ labũtur & ruunt, prorsus destruit, & ita fodere incipit, & in loco defosso fundamenta ponere, ac tum ædificium collocare: nec mox cõstruitur domus: eadẽ ratione qui desiderat in locis desertis & fœtidis hortum constituere, primum incipit purgare, claudere, ductus aquæ præparare: tum plantat & crementum capiunt quæ plantata sunt, vt hoc modo multo post tempore hortus fructus proferat: ita voluntates hominum post transgressionẽ incultæ sunt, desertæ ac spinosæ: dixit enim Deus homini, *Spinas & tribulos terra tibi producet.* Multum igitur laboris ac diligentiæ est adhibendum, vt quis perueſtiget ac collocet fundamentum, donec ignis veniat in corda hominum, qui spinas exurat: & ita incipiant homines sanctificari gloriam referentes Patri, & Filio ac Spiritui sancto. *Macarius, Hom. 15.*

Ac sæpius qui popularibus rebus obnoxius fuit, parumper emendatus, plus consecutus est, quàm is qui in libertate sua non penitus se emendauit. Quemadmodum vt arbitror magis mirandum est, quempiam pedicis vinctum, aliquantisper progredi, quã cum nihil degrauat vehementer currere. Ac per cœnum parumper defœdari, quàm in mũda via omninò mundum remanere. Huius sermonis testimonium est, quòd Raab meretricem, in aliis non laudandam solum iustificauit hospitalitas, publicanúmque nullo alio testimonio fuffultum extulit humilitas, vt & tu discere, tibi facilè desperandum non esse. *Greg. Nazianz. orat. in sanctum Lauacrum.*

Non ſicut in ſenſibilibus rebus, ita & in ſpiritualibus vſu-uenit. Illic ex diuitiis in extremam redactus inopiam, breui eas recuperare nequit: hic per miſericordiam, ſiquidem condemnare facta noſtra, & iam ſiſtere ignauiam voluerimus, ſtatim poterimus ad priſtinam abundantiam redire. *Chryſoſt. Hom. 6. in Geneſin.*

Pœnitentiæ pharmacum, maximum eſt noſtrorum vulnerum remedium, ſic animarum vlcera curans & abolens, vt neque cicatrix neque verruca apparitura ſit: quod in corporis vulneribus non eſt poſſibile, vt in quibus infinita licet à medicis cataplaſtra quis ſuperponat, cicatricé manere neceſſe eſt, & merito. Corpus enim eſt quod curatur: hic autẽ quia anima eſt, quando quis ſuam gratitudinem, peccati confeſſione, eleemoſyna, &c. declarat, melius quã ante habere incipit, & ſic omnia vlcera tollit ac depellit, vt ventus vehemẽs puluerem deturbat. Sic Paulus, latro publicanus, &c. *Idem, Hom. 34. ad Antiochenſes.*

Quemadmodum anima pigritans atque negligens quãquam multum ad pœnitentiam temporis accipiat, nihil operatur magnum, neque ſibiipſi Deum per deſidiam conciliat: Sic qui propoſito excitato feruet, atque multa cum ſolertia pœnitentiã oſtendit, breui temporis momento longæui temporis peccata delere poterit. Nonne tertio Petrus negauit? nonne vilis cuiuſdam ancillæ verba timens? Quid ergo? Oportuit ne illum ad pœnitentiam multos annos terere? Nequaquam, ſed eadem nocte lapſus eſt & erectus, vulnúſque & medicinam accepit: ægrotauit atque ad priorem rediit ſanitatem. *Idem, Hom. 1. de pœnitentia.*

Magis nos quam ſeruos noſtros vilipendimus. Illis enim febricitantibus medicos conuocamus, ſcubiculum ſibi certũ tribuimus, & medicinæ legibus parere impellimus, quas ſi negligunt, iraſcimur, & cuſtodes apponimus, qui eos medicorum præceptis viuere cogunt: quod ſi magni pretij medicina fuerit, libenter impenſam ſubimus, & medicis ipſis non paruam mercedem deponimus, quando verò nos ipſi ægrotamus (ſemper autem ægrotamus) ne medicum quidẽ accurrere volumus, nullas pecunias impendere, nihil penitus prouidere, ſed quaſi citario quodam inimico & hoſte noſtro iacente, ſic anima laborante afficimur. *Idem, Hom. 75. in Mathæum.*

Si malles in peccato vitam transigere, quàm diem vnum supplicio affligi, nihil mirum, hoc enim signũ est animi tui minus perfecti, & ebrietatis, & morbi immedicabilis quãdo & infantuli ipsi medicũ dum vident, vel ignẽ vel sectionẽ apparare, fugitant ac restitant eiulantes ac sese lacerãtes malúntque perpetuæ corporis vomicæ, ac purulentiæ immori, quam temporariũ laborẽ perpessi, sanitatẽ in posterũ assequi. At qui mentis compotes sunt intelligunt ægritudinẽ sectione esse pernicioſiorẽ: quemadmodum sceleratum esse, supplicio deterius est. *Idem, Hom. 9. in epist. ad Rom.*

Quemadmodum in ædibus facimus, inueteratas perpetuo restituentes: ita & in teipso facias. Peccasti hodie? inueteraſti mentem tuam ne desperes neque decidas, sed renoua ipsam resipiscentia, lacrymis confessione, bonorúmque operum studio. *Idem, Hom. 20. in epist. ad Rom.*

Mortificate membra vestra. Quid dicis ô Paule? Non dixisti quoniam sepulti estis, quoniam simul cũ illo sepulti estis, quoniã circũcisi estis, quoniã exuistis corpus peccatorum carnis? Quomodo ergo rursus dicis mortificate? Nõ ludis? Non est sibi contraria ista locutio: sed quemadmodum si quis statuam antea squalidam iam expurgatã, imo denuo quoque excussam, splendidámque exhibens, dicat quidem extersam esse ac sublatam rubiginem, admoneat vero rursus vt diligenter tollatur rubigo, non is sibi ipsi contradicit, neque enim absterſam iam rubiginem, sed eam quæ postea rursus accedit, auferre hortatur: ita & Paulus hic non priorẽ mortificationẽ dicit, neq; priores fornicationes, sed eas quæ postea succedũt. Non enim est ista nostra vita, sed alia quæ in cœlis est. *Idem, Hom. 7. ad Colossenses.*

Si peccata nostra cogitaremus, omnia perficeremus. Sicut enim ianuam ingressus, iam intus est: sic qui propria cogitat mala, etiam ad curationem eorum vtique veniet. Si autem dicat peccator sum, non autem ad peccatorum suorũ descendat species, dicens: quia hoc & hoc peccaui, nunquam cessabit, semper quidem confitens, correctionis verò curam nunquam faciens. *Idem. Hom. 9. ad Hebr.*

Sicut in tenebris non est absque lucerna lumen: sic non potest homo peccatum sine pœnitentia abluere. *Idem, sermone de pœnitentia.*

Pœnitentia sic est quomodo ager fructifer, aut vinea fœ-

cunda aut arbor fructifera, fructus eius edit peccator famelicus, proficit in fiducia Dei, acceptáque remissione pinguescit in vita, & hæc sunt verba eius: Domine ante te omne desiderium meum & gemitus meus à te non est absconditus. *Ibidem.*

Sicut impossibile est vt ignis inflammetur in aqua: ita impossibile est compunctionem cordis vigere in delitiis. Contraria enim hæc sibi inuicem sunt, & peremptoria. Ille enim mater fletus, hæc mater est risus. Illa cor constringit, hæc dissoluit. Illa animæ alas innectit & volare facit ad cœlum: hæc ei plumbi pondus imponit & demergit in infernum. *Idem, lib. 2. de compunctione cordis.*

Concupiscentiarum flammas si compunctio inuenerit, vt fluuius inundans extinguit: curarum multitudines si videat, velut flagello quodam extirpat. Ac sicut puluis non potest stare ante faciem venti: ita nihil malarum cogitationum residere, vbi compunctio affuerit. Si enim corporalis amor ab omnibus necessariis actibus animam cogit abscedere, & illi soli quem amat operam dare: multomagis amor Christi. *Ibidem.*

Sicut in corporibus & fistulis nisi prius quis humorem influentem sistat, & vulnus terrentem, quotquot imposuerit medicamina mali fonte non obstructo, incassum omnia facit: ita nos, nisi occasionem quasi mali fonté cauerimus. *Idem, lib. 1. de compunctione.*

Sicut ægrotantes nisi semper ordinatè vixerint, nulla ipsis disciplinæ per tres aut quatuor dies seruatæ vtilitas: Sic & peccantes, nisi semper sobrij sint, nihil proderit ipsis duorum aut trium dierum correctio. *Idem, Hom. 3. ad populũ Antioch.*

Non est sicut homo Deus, nec enim exprobrat præterita, neque dicit, quare tantum temporis distulisti, si pœnitentiam agamus: sed cum accesserimus, diligit, & cum ipsius timore carnes nostras confixerimus. *Ibidem, Hom. 40.*

Si corporis morbum patiamur, omnia facimus & tractamus, vt à molestia liberemur: anima vero nostra male habente tardamus & differimus, propterea nec à vitiis liberamur. *Ibidem Hom. 46.*

Tu hominem quidem exacerbans, & amicos & vicinos & ianitores rogas, & pecunias impendis, & multos absumis

dies accedens & supplicans: & siue semel siue millies te repulerit iratus, non recedis, sed magis contendens, maioré affers supplicationem. Deo autem omnium exacerbato oscitamus & recedimus, & delitiis & ebrietati vacamꝰ, & omnia pro consuetudine facimus, & eum quando propitium facere poterimus? quomodo verò non ex hoc ipso magis eum irritamus? Nam peccantes non dolere, magis eum irritari facit & irasci, quam peccare. *Ibidem.*

Deus bone quid agitur in homine vt plus gaudent de salute desperatæ animæ, & de maiore periculo liberatæ, quã si spes ei affuisset semper, aut periculum minus fuisset. Plena sunt omnia testimoniis clamantibus, ita est. Triumphat victor imperator, & nõ vicisset, nisi pugnauisset. Et quanto maius fuit periculum in prelio, tanto maius gaudium est in triumpho: Iactat tempestas nauigantes, minatúrque naufragium, omnes futura morte pallescunt. Trãquillatur cœlum & mare, & exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger est charus & vena eius malum renunciat: omnes qui eum saluum cupiunt, ægrotant simul animo. Fit ei rectè & nondum ambulat pristinis viribus, & fit iam tale gaudium, quale non fuit cum antea saluus & fortis ambularet. Edendi & bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi & sitiendi molestia. Et ebrioſi quædam salsiuscula comedũt, quo fiat molestus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Et institutum est vt iam pactæ sponsæ non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauerit maritus delatam. Hoc in turpi & execranda lætitia, hoc in ea quæ concessa & licita est, hoc in ipsa synceriſſima honestate amicitiæ, hoc in eo qui mortuus erat & reuixit, pierat & iuuentus est. Vbique maius gaudium molestia maior præcedit. *Aug. lib. 8. confeßionum, cap. 3.*

Quemadmodum terra sine semine & aqua fructum ferre non potest: sic agere nequit homo pœnitentiam sine humilitate & corporis afflictione. S. *Isayas Abbas, orat. 15. de mũdi renunciatione.*

Si alicui pes frangatur, aut manus cum labore, solet ad pristinum officium reuocari. Si verò secundo & tertio frequentius in eodem loco membra ipsa frangantur, potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus vulnera ipsa curanda sunt. Et tamen post longas & multas curas si

vixerit homo, ad pristinum statum membra ipsa vix valeat reparare. Similia in animarum fracturis seu vulneribꝰ credenda sunt. Si semel aliquis vel secundo peccauerit, & sine aliqua dissimulatione, ad pœnitentiæ medicamenta confugerit, pristinā incolumitatem sine vlla mora recipiet. Si verò peccata peccatis cœperit addere, & animarum vulnera tegẽdo seu defendendo putrescere, quæ confitendo, & pœnitentiam agendo curare noluit, timendum est ne in illo impleatur, An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? *Cæsarius Arelatensis homilia sexta.*

Nolite tardare conuerti ad Dominum. Optimè enim malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus adhibetur, & cito vulnus sanatur, quod diu putrescere non permittitur. Et ideo si aliquis ex nobis cuiuslibet peccati vulnus acceperit, antequā longa consuetudine putrescat, & fœteat, omni celeritate ad pœnitētiæ medicamēta confugiat. Peccatū si diu dominari permittitur, omnibus sanctis & dominū timētibꝰ putorem teterrimum exhalare cognoscitur. *Idem hom. 16.*

Et sciendum quem magni alicuius pœnitet criminis sibi esse agendum more arborem magnam succidere volentis. Sicut enim ille minora in circuitu arbusta prius curat succidere, ne sibi arborem ipsam succidenti possint obesse: sic & huic vitia minora illi crimini vicina prius sunt extirpanda, nequa sibi crimen ipsum destruenti ferant impedimenta. *Anselmus lib. de similitudinibus.*

Non desperetis neque desperdeatis animum. Non enim sicut in sensibilibus rebus, ita & hic vsuenit. Illic enim is qui ex diuitiis in extremam redactus fuerit inopiam, breui eas reparare nequit, hic autem per misericordiam Dei (si modo condemnare facta nostra & iam sistere ignauiam voluerimus) poterimus statim ad pristinam abundantiam redire. *Chrysostomus hom. 6. in genesim.*

Neque gubernator postquam nauis submersa est, neque medicus postquam ægrotus obiit, quicquam prodesse potest: sed omnes antequam res in exitum veniat, studere ac vigilare oportet, ne in mortem ac naufragium deueniant, nam postea nihil prouidere possunt. Similiter nos quoniā ægritudine vitam trahimus, & medicos congregemus & pecunias agamus, & omni studio incumbamus, vt ab ægritudine iniquitatis liberati, sani ex hac vita recedamus: &

quantum erga seuos & vernas nostros cum ægrotant studium adhibemus, tantam diligentiam cum anima nostra laboret pro nobis ipsis assumamus *Idem hom. 75. in Matheum.*

In secularibus iudiciis quãtumlibet post acceptam sententiã lamenteris & lugeas, non tamen effugies fiendo suppliciũ: hic vero si toto corde ingemueris ad Deum, soluisti repente sententiam. *Idem hom. 6. in Matheum.*

Quid prodest spinis purgare agrum tuum, si non etiam aratro scindes eum, & seres in eo semen, vnde gaudeas in futuro? Ita & qui deserit peccatã, & ea non plangit pœnitendo, nec bonum post ea facere consuescit, nunquid fructuosum est peccata deserere, & bona non facere? *Beda in verba Esaiæ: Lauamini, mundi estote.*

Qui plangit peccatum, & iterum admittit, quasi si quis lauit laterem crudum: quem quanto magis diluerit, tanto amplius lutum facit. *Idem in verba Danielis 9. Obsecro domine deus. &c.*

Sicut debitum à creditore requiritur meritò: Ita peccatum à Deo in die iudicii necesse est exigatur. Nam nisi hic dum viuimus, per pietatem eius indulgentiæ ista nobis exactio condonetur, actũ erit de salute nostra. Vnde meritò hic cuncta remitti à patre cœlesti rogamus, vbi delicta committimus: quando in futuro vt peccare non licet, ita nec vacat pœnitere. *Venantius in expositione Dominicæ orationis.*

Vt aquila per senectutem tam curuum acquirit rostrum, vt vesci non possit, nisi ad lapidem dein percutiendo aduncitatem frangat: quo facto rursus edit & bibit, & reiuuenescere dicitur: Sic peccator qui peccatis est prægrauatus, nil spirituale ei sapiat: morietur fame, nisi ad petram Christum per pœnitentiam se fortiter ac diu percutiat, vsque ad propositi mutationem, & duriciei abiectionem. *Idem de circumcisione.*

Iis qui sibi cauerunt, ne quid istiusmodi paterentur, neque fructum aliquem fidei præbuerunt, sed sponte sua, formidineque & timore instigati, ad iniquitatem defciuerũt, & nunc ad pœnitentiam redeunt, illis necessarium est, congruam de sterili ficu parabolam accõmodare, sicut Dominus ait: Ficum quidam in vineto suo plantauerat, & venit vt fructum in ea quæreret, nulloque inuento, ait ad vinitorem: Ecce tres anni: iam tum venio, & fructum in hac

sicu quæro, nullumque inuenio. Excide eam: ad quid enim terram occupat? at ille respondens, ait: Domine, sine illam etiam hoc anno, donec fodiam iuxta eam, & stercora adiiciam, si fortè fructum afferat: id si minus, in posterum excides eam. Illo ante oculos proposito, magis vsui erunt, si interuallo tanti temporis dignum fructum pœnitentiæ attulerint. *Petrus martyr archiepiscopus Alexandrinus in canonibus de pœnitentia.*

POPVLVS.

Sicut coquus nihil aliud curat quam inutiles ac superuacaneas ventris voluptates: eodem modo populus dedit se totum oblectamentis aurium, per quæ mentis intentio relaxatur & nescio quo pacto eneruatur anima. *Philo libro de Ioseph.*

Quemadmodum certantibus ventis mare concutitur: Sic regibus aduersantibus sibi populus regni vexatur. *Chrisostomus hom. 2. operis imperfecti.*

Sicut lapides qui sunt intus in ædificatione nemo aspicit, sed eos qui sunt foris omnes considerant: Sic secularium hominum vitia, neque sic considerantur, neque sic nocent ecclesiæ. *Idem hom. 40.*

Sicut forani lapides intraneos intra se tenent, & constringunt: Sic totus populus sacerdotum & clericorum meritis sanatur. *Ibidem.*

Quid ergo, ignorans populus excusabilis erit? Absit. Si enim vestimenta empturus, gyras vnum negotiatorem & alterum, & vbi meliores vestes inueneris, & pretio viliore ab illo comparas: quomodo non oportet populum circuire omnes doctores, & inquirere vbi sincera veritas Christi venundatur, & vbi corrupta, & omnium confessiones agnoscere, & veriorem eligere plusquam vestimentum. *Idem hom. 43.*

Plerumque vulgus hominum ex suo animo de aliis iudicat. Velut qui assidue inebriatur, haud facile credere posset esse quēdam hominem sobrie frugaliterque viuentem. Qui scortis indulget, etiam pudice viuentes habet pro incontinentibus. Rursus qui res capit alienas non facile persuadebitur, esse homines qui sua quoque profundant. Similiter & hic semel occupatus ira, haud quaquam facile

credidisset esse hominem vsque adeò suis affectibus superiorem vt non modo nihil læderet, verum & eum qui læserat seruaret. *Idem hom. de Dauid & Saule.*

Qui captat aues, etiam vocem imitatur, vt alliciat in laqueos: Sic vt multitudinem in tuam adducas sententiam, illius ingenio obsecundes & obseruias oportet. *Plutarchus in moralibus.*

Quemadmodum hi qui ruri laborant, ingruente pluuia & tempestate, ad platanos currunt, vt earum vmbra tegantur, eadem autem simul vt rediit serenitas, euellunt, & domum ferentes, in ignem proiiciunt: Sic ignobile quoque vulgus in bellicis periculis fortium virorum implorat opem & auxilium, in pace autem eosdem contemnit. *Idem in apophthegmatis.*

Nihil magis præstandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum est, sed quòd itur. *Seneca de vita beata.*

Vt imperiti tempestatem non sentiunt nisi serò, suoque malo, contrà prudentes agricolæ prospiciunt, cauentque: Ita vulgus hominum improuidum suo malo discit, cum interim vir sapiens procul præuisum malum vitet. Vt Democritus metente fratre ardentissimo æstu, monuit vt reliquæ segeti parceret, raperetque desecta sub tectum: paucis mox horis vaticinatione sæuo imbre approbata. *Erasmus in similibus.*

Sicut arbores aliquot, quæ post solstitium inuertunt sua folia, vt vlmus, lilia, olea, populus alba, salix: Ita vulgus procerum, simulatque princeps vitæ genus diuersum commutarit, vertunt & ipsi vultum, cultum, orationem & omnia. *Ibidem.*

Quemadmodum mare natura sua placabile est rectò vtentibus ac firmum, cum verò venti violentiores irruerunt, tale redditur vtentibus, quales sunt venti, à quibus agitatur: Ita etiam ignobile vulgus cum per se placabile sit, facilè tamen commouetur à quouis vento, ac talis fit multitudo vtentibus, quales cõsiliarios habet. *Polybius lib. 11. Historiarum.*

Populus sanè turba est, & res omnium instabilissima ac imprudentissima, vt in mari fluctus flexibilis & inquietus, qui vt cõtingit, agitatur: alius venit, alius recessit: ac nemo

reipublicæ curam gerit, imò ne meminit quidem. *Demosthenes, in oratione de falsa legatione.*

Ariston Chius vulgus hominum Laerti cõparabat, qui cũ reliqua ruri diligenter omnia curaret, seipsũ negligebat: Sic & illos studiosissimos quidem esse circa possessiones, animum autem feris obrutum affectibus, non excolere aiebat. *Stobæus, sermone de imprudentia.*

Vt vulgus temere quippiam postulans ex rebus tuis, nõ mouet te: Sic quauis in re plebem iniustè aliquid orantem ne reuerearis. *Idem sermone, 44.*

PRINCEPS.

IN manu artificum opus laudatur, & princeps populi sapiens in sermone suo. *Eccl. 2.*

Paxillus nisi bene fixus firmiter alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet, citò dilabitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis cum oneribus ad terram delabitur: Sic & princeps, nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse & omnis qui ei consentit, cito deperit. *Cyprianus lib. duodecim abusionum.*

Solis profecto partes sunt, illustrare radiis orbem: principis verò virtus est egenorum misereri. porrò his clarior est imperator qui pius est. Ille náque cedit succedenti nocti, hic autem rapacitati prauorum non concedit, indulget ve quicquam, sed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit. *Agapetus diaconus de officio principis.*

Sicuti fit apud nauigantes, cũ natura errat modicum, affert nauigantibus nocumentum: cum verò ipse gubernator, totius efficit nauigij perniciem: Sic & in ciuitatibus, siquis ex subditis peccet, non tam rempub. quam seipsũ lædit. Sin verò ipse princeps, vniuersæ infert reipub. detrimentum. Is igitur vt non exiguam redditurus rationem, siquid neglexerit eorum quæ facto opus sunt, cum exquisita diligentia & dictitet cuncta & factitet. *Ibidem.*

Vt grauius puniendus qui lethiferum venenum non in vnum calicem, sed in fontem vnde bibunt omnes iniicit. Sic magis peccant, qui principis corrumpunt ingenium, quam qui priuati hominis. *Plutarchus in moralibus.*

Vt ſacrificiis honorem habet ciuitas, quod cõmune omnium bonum à diis petant: Ita multò magis honorandus principis præceptor bonus, qui talem fingit vt omnibus ſit vtilis futurus. *Ibidem.*

Vt artifex lubentius facit lyram, qua ſciat Amphionis arte Thebànorum vrbem cõdendam, quàm eam qua Thales Lacedæmoniorum ſeditionem compoſuit: Ita Philoſophus lubentius formabit principis ingenium orbi profuturum. *Ibidem.*

Quemadmodum fulgur prius emicat quàm audiatur tonitru, quod ſonitus auribus excipiatur, lumini viſus occurrat, & ſanguis prius apparet quàm vulnus: Sic princeps aliquando prius condemnat, quam redarguatur delator. *Ibidem.*

Vt lapſus non poteſt erigere lapſum: Ita malus & ſtultus princeps non poteſt emendare populum. *Ibidem.*

Vt in ſcena δοκυφόρημα tantum oſtenditur nec loquens quicquam nec agens: Sic princeps qui veſtitu tantum & titulo principem agit, nihil autem curat eorum, quæ verè ſunt principum officia. *Ibidem.*

Vt canes ouium cuſtodes excubias agunt: non ſibi timentes, ſed gregi: Ita rex non tam debet ſibi viuere, quàm populo. *Ibidem.*

Vt in magna tẽpeſtate validiſſimo clauo, optimo gubernatore, plurimis fulturis opus eſt: Ita magnas & turbulentas res adminiſtranti ſumma opus eſt ſapientia. *Ibidem.*

Vt Deus in cœlo pulcherrimum ac iucundiſſimum ſui ſimulacrum conſtituit ſolem: Sic in repub. principem, qui prudentia, iuſtitia, benignitate ſe erga omnes repræſentet. *Ibidem.*

Muſicus chordas diſſonantes, non ſtatim abiicit atque incidit: ſed ſenſim intendens aut remittens ad concentum adducit: Ita princeps leniter debet emendare peccantes. *Ibidem.*

Vt rex mundi magna curat, parua relinquens fortunæ, quemadmodũ dicit Euripides: Ita Princeps non niſi in grauibus & arduis negociis exercebitur. *Ibidem.*

Regula primùm recta ſit oportet, deinde quæ applicentur, corrigat: Ita Princeps, primùm ipſe vitiis careat neceſſe eſt, deinde aliis leges præſcribat. *Ibidem.*

Vt qui non consuecuerũt neque cœnare, neque lauare, nisi ex præscripto medici, ij nec sanitate fruuntur: Sic qui omnia ad Principis iudicium refert, reddit eos dominos plus quàm vellet ciuitas, vt nihil iam nec rectè fieri possit, nisi Principis arbitrio. *Ibidem.*

Eruggium herbam, si vni capræ in os inseras, cùm ipsa sistitur, tum omnes consistunt, donec pastor herbam eximat: Ita Principis mores, mira vi in populum transfunduntur. *Ibidem.*

Vti solis defectus magnam mortalibus perniciem trahit: Ita principis error etiam leuis magnam tamen in rebus humanis gignit perturbationem. *Plinius lib. 2. cap. 10.*

Vt cometes nouus apparens, aut magnum bonum, aut ingens malum portendit mortalibus: Ita nouus princeps salutem adfert rebus humanis, si bonus est, maximam pestem, si malus. *Ibidem cap. 26.*

Rex apum solus aculeum non habet, aut certè nõ vtitur: ad hæc grandior est corpore & specie decentior, sed alis quàm cæteræ minoribus: Ita principem oportet esse clemẽtissimum, & è sua ciuitate nunquam abesse longius. *Idem lib. 11. cap. 17.*

Vt sydera mundi si vel paulatim subsistant, aut aberrent, summo id omnium malo fiat: Ita principi cessare non licet, quod si facit, magna rerum omnium pernicie fit. *Seneca.*

Vt plus debet Neptuno qui merces pretiosissimas deportauit: Sic plus debet principi, qui tranquillitatem & pacem publicam nõ in voluptatibus, sed in honestissimis studiis consumit. *Idem.*

Cybindus auis bellum internecinum gerit cum aquila, adeò vt cohærentes sæpenumerò prendantur: Ita fit aliquoties, vt dum mutuum inter se odium pertinaciter exercent Principes, vtrique subuertantur, tertio quopiam inuadente. *Erasmus in similibus.*

Vt sol non alius est pauperi, alius diuiti, sed omnibus cõmunis: Ita Princeps personam spectare non debet, sed rem. *Ibidem.*

Leo cunctis formidatum animal, cantum ac cristã galli formidat: Ita summi Principes infimorum conuicia nonnunquam timere coguntur. *Ibidem.*

Vt magi prodigiosa quædam promittunt, issque pro-

missis vulgus credulum alliciunt: Ita Principes maximarũ rerum spes ostentant, vt sibi reddant addictos. *Ibid.*

Quemadmodũ vitis tametsi arbor omnium nobilissima, tamen arundinum, aut vallorum, aut arborum infrugiferarum eget sustentaculis: Ita potẽtes & eruditi inferiorum egent opera. *Ibid.*

Quemadmodum non vno supplicio dignus sit, qui fontem publicum vnde bibant omnes, veneno inficiat: Ita nocentissimus est, qui Principis animum prauis infecerit opinionibus, quæ mox in tot hominum perniciem redundent. *Idem de institutione principis.*

Princeps quid aliud est quàm medicus Reipublicæ? At medico nõ satis est, si ministros habeat peritos, nisi sit ipse peritissimus ac vigilantissimus. Ita Principi non sufficit, si magistratus habeat probos, nisi sit ipse probissimus, per quẽ illi & deliguntur & emendantur. *Ibidem.*

Vt animi partes non omnes perinde valent, sed quædam imperant, aliæ parent, & tamen corpus tantùm paret: Ita Princeps summa Reip. pars, plurimũ sapere, & ab omnib. crassis affectibus alieniissimum esse oportet. Ad hunc proximè accedit magistratus, qui partim parẽt, partim imperãt, parent Principi, imperant Principi. *Ibidem.*

Deo nihil sublimius: Ita Principem oportet ab humilib. vulgi curis, ac sordidis affectibus quàm longissimè semotum esse. *Ibid.*

Bonus Princeps non alio animo debet esse in suos ciues, quàm bonus paterfamiliàs in suos domesticos. Quid enim aliud est regnum, quàm magna familia? Quid rex, nisi plurimorum pater? Excellit enim, sed tamen eiusdem est generis, homo hominibus, liber liberis imperans, nõ belluis, vt rectè prodidit Aristoteles. Quod quidem intellexisse videntur & vetustissimi poetæ, qui Iouem, cui totius mũdi & deorum (vt illi loquuntur) omnium tribuunt imperium, subinde notant his verbis: πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. id est: Pater hominúmque Deúmque. Et nos sic à Christo præceptore docti, Deum omnium haud dubiè principem, patris vocabulo compellamus. *Ibid.*

Princeps salutaris, vt eruditè dictum est à Plutarcho, viuum quoddam est Dei simulachrũ, qui simul & optimus est, & potẽtissimus: cui bonitas hoc præstat, vt omnib. prodesse

velit: potentia, vt quibus velit, possit quoque. *Ibidem.*

Quod cor est in corpore animātis, id est Princeps in Republica. Si cor sincerum est, quoniam sanguis spirituū fons est, vitam impartit vniuerso corpori: sin vitiatum fuerit, exitium adfert membris omnibus. Verùm vt ea pars in corpore animātis omnium postrema solet corrumpi, & in hac extremas vitæ reliquias superesse putant: Ita decet Principem. *Ibidem.*

Theologia Christianorū tria præcipua quædā in Deo ponit, summam potentiam, summam sapientiam, summā bonitatem. Hūc ternariū pro viribus absoluas oportet. Nam potentia sine bonitate, mera tyrannis est: sine sapiētia, pernicies, non regnum. Primùm igitur des operā, vt quādoquidem potētiā fortuna dedit, quàm maximam sapientiæ vim tibi compares, vt vnus omnium optimè quid expetendum, quíd ve fugiēdum sit, perspicias: denique vt quàm maximè prodesse studeas omnibus. nam id est bonitatis: Potestas autem ad hoc potissimùm tibi seruiat, vt quantum cupis prodesse, tantundem & possis, imò plus velis quàm possis. Porrò nocere hoc minus velis, quo magis potes. *Idem de institutione Principis.*

PROPHETÆ.

VÆ Prophetis insipientibus, qui sequūtur spiritū suum, & nihil vident. Quasi vulpes in deserto Prophetæ tui Israel. *Ezechiel.* 13.

Quomodo multæ sunt margaritæ, quas necesse est possidere eum, qui venturus est ad vnam pretiosissimam margaritam: Sic oportet ingredi multas vias Moysi & Prophetarum omnium eum, qui venturus est ad dicentem, Ego sum via. *Origenes hom.* 8. *in Ezechiel.*

Quemadmodū nos conspicientes ea quæ sunt sub oculis videndo non fallimur, nec aliter videmus quam sunt, sed quēadmodum fiunt, ita videmus. Sic & Prophetæ futura tāquam presentia videbant, & quæ videbāt, fieri erat necesse. Námque quæ fiebant, omnino videre oportebat. Et rursum quemadmodū nos quę videmus oculis, omnino necesse est vt sint, si quidem ea quæ sunt videmus, nec potest aliter fieri quam vt videmus: Sic & Prophetæ quæ præuidebant,

oportebat omnino esse, nec aliter fieri poterant, quàm quemadmodum præuiderant. Nam si futura non præuidissent, iam non fuissent Prophetæ. *Athanasius de passione Domini.*

Factum est anno quo mortuus est Rex Osiae, &c. Isaiae. 6. Testamenta tabulæque de nuptiis, de debitis, déque reliquis cõtractibus, nisi in frontispicio consulum annos habeãt præscriptos, nullam ex se vim habent. Hoc est enim quod illis robur addit, hoc est quod controuersias dirimit, hoc est quod à lite liberat, hoc quod ex inimicis facit amicos. Proinde qui talia describunt, non aliter quàm lucerna in candelabro poni solet, sic in frontispicio literarum, addunt consulum nomina, vt omnibus quæ subiiciuntur præluceant. Quæ si sustuleris, lumen sustuleris, omniáque tenebris multáque turbatione compleueris. Propterea omne dati acceptíque negotium, siue cum amicis, siue cum inimicis, siue cum famulis, siue cum procuratoribus & œconomicis agatur, hac eget cautione, & vbique menses, annos, dies subscribimus. Quod si tantum valeat ea res in negotijs temporalibus, in spiritualibus multo amplius profuerit. Siquidem hoc declarat Prophetias esse Prophetias. Neque enim aliud est Prophetia, quam rerum futurarum enarratio. Proinde qui nescit tempora eorum quæ dicta sunt, quæue euenerunt, qui poterit homini contentioso demonstrare Prophetiæ certitudinem? Quemadmodum in agris termini columnæque non sinuunt arua confundi: Sic tempora non sinunt confundi res gestas, sed dum dirimunt alias ab aliis, & in ordinem congruentem digerunt, multa nos liberant turbatione. *Chrysostomus hom. secunda in verba prædicta Isaiae.*

Pictores imitantur arte naturam, & colores coloribus permiscentes, visibiles corporum depingunt imagines, & faciunt homines & animalia, & arbores & reges, & rusticos & barbaros, & pugnas & rixas, torrentes sanguinem, & lanceas & loricas, & scuta & sedem regalem, & imperatorem sedentem, & barbarum subditum, & gladium acutum, & fluuios decurrentes, & campos variis floribus adornatos & omnia quæ videntur per artem imitantes, mirabilem historiam videntibus præstant: Sic & Prophetę velut quidam pictores sunt virtutis ac militiæ. Describũt enim peccatorem

iustum

iustum, pœnitentem, stantem, cadentem surgentem titubãtem. Et sicut faciunt pictores, occidentes & occisos: sic & Prophetæ faciunt aliquando quidé insurgentia peccata, ali quando etiam allisa. *Idem in superscriptionem Psalmi.50.*

Sicut in regiam militarémque viam reliqui calles à pagis agrisque proueniunt: Ita Christum Prophetæ (qui etiã viæ sunt) viam esse credentibus ostenderunt. *Theodoretus sermone 5. de Græcarum affectionum curatione.*

Sicut in apotheca si obturaueris vinum, vel oleum, ac inter illa vasa posueris amphoram vacuam, & rursum obturamentum deponere volueris, amphoram illam quam posui sti, vacuam inuenies: Sic & Prophetæ vacui cum venerint inter spiritum iustorum, quales veniunt, tales inueniuntur. *Hermas in pastore mandato.*

Quomodo multæ sunt margaritæ, quas necesse est possidere eum, qui venturus est ad vnam preciosissimam margaritarum? Sic oportet ingredi multas vias Moysi & Prophetarum omnium eum, qui venturus est ad dicentem: Ego sum via. *Origenes hom. 28. in Ezechielem.*

Etiam medici prædicunt morbos futuros quos ipsi non pariunt, sed ipsorum professio est, morbos inhibere & curare. Hinc frequenter legimus in scriptura sacra, Deum iubere Prophetas, vt prædicent pœnitentiam fingentẽ se omniũ quæ futura sunt. Id eò fit siue pœnitentiam arripuerint vel reiecerint, ne existimetur per suã præscientiam causam præbuisse, & occasionem audientibus, vt caderent & perirent. Quocirca alicubi alloquitur Hieremiam ad hũc modum: Fortassis audient & pœnitentiam agent: quod, si vellent, æquè fieri posset, ac in peccatorum luto hærere. Si quis præsciret bonum se futurum, & sic permansurum vsque ad finem, certè nequaquam magna prõptitudine repugnatus esset vitiis. *Procopius, in Genes. cap. 1.*

Vide Scriptura sacra.

PROSPERITAS.

Beatus qui suffert tentationem. In hoc modo præualente malitia, iniquitate dominante, pauper affligitur, diues multiplicatur. An tu hunc potentem vocas, qui in mortem

ſuam fortis eſt, cui prouentuum fallax vmbra præſentium, æternorum congregat cauſas malorum? Quis beatam dixerit validam in iugulum ſuum dexteram? Quis probabiliter laudat velocem ad ardua precipitia feſtinantem? Quis eius miretur aſcenſum, quem de ſummo proſpicit eſſe caſurum? Perinde eſt ſi aliquem miraris per impia & iniqua per opes & diuitias operantem, ac ſi quempiam videas inaurato atque gemmato ſibi poculo venena miſcentem, an tu illum fœlicem vocas, qui infidelis, obſcœnus, cupidus, & cruentus, pro eo quod vias Domini aſpernatur, per ſuas ire permittitur, dexteræ anguſtiis offenſus, & ſiniſtræ latitudine delectatus flagitiis inuoluitur, ſceleribus inficitur, ſpoliis contaminatur, & inter hæc ſe beatiſſimum putat: ex hoc quoque infœlicior, quod ſe non intelligit infœlicē. Quid his faciat medicina cœleſtium mandatorum, quæ non ſanat niſi volentes? Pigri itaque ad curam ſalutis, alacres ad militiam mortis & captiuitatis, vt dictum eſt, exultant in rebus peſſimis, & de ſui perditione lætantur: ſimiles illis qui forte ſumentes exitiabiles herbarum ſuccos, cum riſu perire dicuntur. *Euſebius emiſſenus hom. de ſanctis Epiphodio & Alexandro.*

Non ita filij mei, dicit alicubi ſacerdos Heli, filios ſuos in Deum peccantes admonēs, ſed ſcitote facilius eſſe proſperitatem abeuntem reuocare, quam conſeruare cum ex Dei gratia contingit. Nam cum diſceſſit, moleſtia illam reducit. cum verò præſens, ſocordia illam diſſoluit. Siquidem & corpora ægrotantia medela reſtituuntur, & abſtinentia, ob paruam autem negligentiam & repletionem iterum prior morbus affluere conſueuit. *Gregor. Nazianz. orat. 2. in Iulianum.*

Veluti ſi quem videris hydropi aut vitio ſplenis obnoxium, aut tabo quopiam marceſcentem, temulentiæ ac delitiis indulgentem, reddere morbum acriorem, adeò non miraris, aut beatum iudicas eum ob delitias, vt ob hoc ipſum etiam maximè miſerum exiſtimes. Similiter & de anima cogitato. Vbi videris hominem peruerſe viuentem, multáque fruentem proſperitate, neque triſte quicquam patientem, ob hoc ipſum magis deplora, quod cum morbo grauiſſimóque tabo ſit obnoxius, tamen deterior ſit, morbum delitiis vitáque diſſoluta exaſperans. *Chryſo-*

stamus concione tertia de Lazaro.

Qui fœlicem rem opes iudicas, innumerabilibus lacrymis es deplorandus. Nam si quis sanus, valénsque fœlicẽ iudicet, molli lecto ex morbo decumbentem, miserior est quam æger ipse, qui bonorum suorum nullum habeat sensum, quod accidere quoque in his videre licet. *Idem homil. 49. in 1. Cor.*

Ad præsens Deus habenas laxat, sed post astringet. Noli gaudere ad piscem qui in esca sua exultat, nondum traxit hamum piscator, non iam ille hamum habet in faucibus, & quod tibi videtur longum breue est, omnia ista cito transeunt. *Augustinus in Psal. 91.*

Prudentia te docet vt in cunctis semper idem sis, tam in prosperis, quam in aduersis. Sicut manus quæ eadem est, & cum in palmam extenditur, & in pugnam restringitur. *Idẽ sermone de prudentia ad Eremitas.*

Magnanimi est magna contemnere ac mediocria malle quam nimia. Illa enim vtilia vitaliáque sunt: at hæc eo quo superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcũditas. Idem animis quoque euenit quos immoderata fœlicitas rumpit, qua non tantum in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vertuntur. *Seneca epistola 39.*

Vt periculosa est, secundum Hippocratem, summè bona corporis valetudo: Ita rebus maximè prosperis, metuenda diuersa fortuna. *Idem.*

Vt histrio non est felicior, quòd in scenis adornatus, rex aut Deus videatur: Sic nec homo fortunæ muneribus: quãdoquidem suis bonis æstimatus, nihil est. *Idem.*

Vt qui nauigant ventis secundis, in promptu habent instrumenta, quibus contra tempestatem aduersam vtuntur: Sic qui cum bona fortuna sapiũt, etiam ad infortunia parati habent ac bene munitum animum. *Stobæus sermone 1. de Prudentia.*

Quemadmodum imperiti artifices, cum statuis exiguis magnas subdunt bases, magis conspicuam reddunt illarum exiguitatem: Ita fortuna si pusillo animo munus amplum addat, indicat & arguit magis animi humilitatem. *Plutarchus, in Moralibus.*

Qui morbo comitiali sunt obnoxij, frigore deprehendũ tur: nã illicò capitis vertigine laborãt: At indoctos si paulu lũ euexerit fortuna, protinus arguit cuiusmodi sint. *Ibidem.*

Vt honoratior est domus, si luceat ignis, quẽadmodum inquit Homerus: Sic fortunæ commoda splendidiora, iucũ dioráque, si animi gaudio condecorentur. *Ibidem.*

Vt qui morbo laborant, cibos puríssimos & lautíssimos fa stidiunt & recusant, si quis edere compellat: iidem restituti bonæ valetudini, caseo quoque aut cæpe lubenter vescuntur: Ita stultis magnifica fortuna iniucunda: sapientibus humilis ac tenuis fortuna suauis. *Ibidem.*

Quemadmodum ij quibus sunt equi ferociores, tradunt eos domitoribus, vt his facilioribus possint uti: Sic homines secundis rebus effrenatos, sibíque præfidentes, tanquam in gyrum rationis ac doctrinæ ducere oportet, vt perspecta rerum humanarum imbecillitate, varietatéque fortunæ, reddãtur moderatiores. Scipionis Maioris dicterium est apud Plutarchum. *Ibidem.*

Hedera complexu necat arbores: Ita fortuna prospera, dum blanditur, strangulat & perdit *Plinius, lib. 16. cap. 35.*

Solent arbores protinus emori, si quando præter solitum fœcundæ fuerint: Ita fortuna præter morem blanda ac fauens, exitium imminere sæpenumerò significat, *Erasmus in Similibus.*

Quẽadmodũ non rarò fit, vt cœlo maximè sereno sæuus imber subitò cooriatur: Ita reb⁹ maximè prosperis ac lętis, sæpenumerò grauissima rerum incidit perturbatio. *Ibidem.*

PRVDENTIA.

QVemadmodũ caput prima summáque pars est in animali, secunda pectus, inguen tertia: rursúmq; in anima prima pars rationalis, secunda irascibilis, tertia cõcupiscibilis: Ita & virtutum prima est, quæ circa præcipuũ animæ quod est rationale versatur, & circa summum caput habitat, prudentia secunda fortitudo, quia circa secundã partẽ, animæ quidẽ irã, corporis vero pectus stabulatur: tertia temperãtia, quia circa inguen tertiã regionem corporis & circa vim concupiscibilem, quæ tertium locum habet in anima, occupatur. *Philo iud. lib. 1. legis allegoriarum.*

Estote prudentes sicut serpentes. Quæ autem sit serpentis prudentia intuendum est. Nescio quid in illo prudentiæ consiliique extet, licet quædam hinc aliqui memoriæ mandauerint, quod vbi se in manus hominum veniſſe intelligat, omni genere ab ictu caput subtrahat, idque aut collecto in orbem corpore contegat aut foueæ immergat cædique partem reliquam derelinquat. Nósque hoc exemplo oportere si quid acciderit perſecutionum, caput noſtrum quod est Chriſtus, occulere, vt oblatis nobis in omnes cruciatus, fidem ab eo acceptam iactura corporis communiamus *Hilarius can.* 10. *in Math.*

Nulla autem in serpente prudentia præter duas has: Primam quod dum perſecutionē patitur, cognoſcens quod in capite ipſius tota vita eius exiſtit, & timens superius præceptum ad ipſum à Deo propter hominem dictum, nimirū cuſtodies caput ab ipſo, & ipſe calcaneum à te: vbi totum corpus inuoluit in caput ſuum, occultat quidem craneum ſuum, tradit autem reliquum corpus per excellentem calliditatē. Sic vult nos vnigenitus ille Deus ex patre progreſſus, in tempore perſecutionis & in tēpore tentationis, omnia noſtra tradere gladio acigni: cuſtodire autem noſtrum ipſorum caput, hoc est, Chriſtum non negare. Nam caput omnis viri Chriſtus, mulieris autem caput vir. Alteram rurſus prudentiam habet serpens, velut naturę rerum docti de hoc animali tradunt. Quando enim ſiti preſſus, à latibulo procedit ad aquam vt bibat, non ſimul accipit ſecum venenum, ſed in latibulo relinquit, & ſic progreſſus potū aquarum ſumit. Proinde & ipſi hoc imitemur. Vt quando ad ſanctam Dei Eccleſiam, aut ad preces aut ad myſteria venerimus, malitiam aut voluptatem, aut inimicitiam, aut aliud quid in cogitationibus noſtris nobiſcum ne feramus. *Epyphan. hæreſi* 37.

Quemadmodum exercitum ducit imperator gubernator nauigia, mundum Deus, animam ipſa mens: Sic ipſam fœlicitatem præſentis vitæ temperat regítque prudentia. *Archytas apud Stobæum ſermone* 1.

Vt cicatrix admonet cauendum eſſe vulnus: ita memoria præteritorum malorum reddit cautiores. *Plutarchus in Moralibus.*

Fibri pontici genitalia ſibi amputant membra in venatu

quod ob hoc se peti intelligãt: Ita prudentis est aliquando abiicere rem, ob quam periclitatur. *Erasmus in similibus.*

Ceruæ vbi se vulneratas sentiunt, ad dictamnum herbam accurrunt, & statim tela decidunt. Vrsi quia eorũ oculi crebro hebetantur, fauos expetũt, vt vulneratum ab apibus os leuet sanguine grauedinem illam, & cum inualidissimũ caput habeant, cum vis vrget, precipitaturi se ex aliqua rupe manibus capite operto iaciuntur. Lacertus cum serpẽte pugnaturus, nõ longè à quadam herba se collocat, & quoties se à serpente vulneratum sentit, toties ad herbam illam accurrit, & mox tutus ad certamen reuertitur. Vulpes pini lacryma sibi ipsi medetur. Testudo carnibus viperæ exatiata, origano veneni damnũ vitat. Serpens lęsos oculos curat pastu maratri. At verò præuisiones mutationũ cœli, quã rationalẽ nõ occultant intelligentiã? Iam verò quidã harũ rerũ studiosus obseruauit Erinaceũ terrestrẽ duo spiracula suæ cauernæ machinatum, & cum spiraturus est Boreas, occludere aquilonare, rursúsque austro flante ad aquilonare trãsire. Hæc omnia nos docent vt futura prospiciamus. *Isidorus Clarius oratione 56. tom. 1.*

PSALMVS.

Sicut habẽt imagines subscriptiones deorsum fixas numicolore, in quibus scriptũ est qui rex & quod prælių vicerit. In psalmis verò desuper titulus fixus est, quæ causa sit, quæve doctrina & quapropter psalmus sit dictus. *Chrysost. in Psal. 57.*

Quemadmodum in coronis nõ sat est flores esse puros, nisi pura sit manus eas contexens: Sic & in sacris hymnis oportet non verba tantum esse pia, verumetiam animum hymnos canentem. *Idem hom. cum presbyter esset designatus.*

Liber omnis Psalmorum similis est vrbi pulchræ atque magnæ, cui cõplures ædes diuersæq; sunt, quarũ fores propriis clauibus diuersisq; claudantur: quæ cũ in vnum locũ congestæ permixtæq; sunt, volenti vnamquamque ædẽ aperire, maximã ignaro afferant difficultatem, vt claues vniuscuiúsque ædis inueniat: sitq; aut familiaris scientiæ cognitam clauem ex copia illa congestæ in vnum varietatis eligere, aut ingentis laboris, aptam & congruam clauem aperiendi vniuscuiusque aditus inuenire: quia ratio & qualitas non sinat, nõ suas claues claustris disparibus coaptare. *Hi-*

larius in prologo in Psalmorum librum.

Nullus sitiens, præparantibus aquam irascitur. Alij parauerunt vini fragrantia mella: alij nectareis plena liquoribus pocula: nos ex sarculo oris nostri terram hinc inde lacero verberantes impulsu, Dauidicum laticem licet tenuiter sitim patientibus, aperimus, sitientes vt bibant. Hi autē qui cum Apostolis tertia diei hora ebrij sunt in Spiritu sancto, lætentur & floreant: nulla tamen sitientibus impedimenta patiantur inferri. Neque enim qui vino exuberant, aquam volentes bibere prohibent. *Arnobius, in prologo Psalmorum.*

Vide Cantus Ecclesiasticus.

PVERITIA.

QVemadmodum ex amphora primum quod est syncerissimum effluit, grauissimum quodque turbidúmque subsidit: Sic in ætate nostra quod est optimum, primum est. *Seneca, epist. 109.*

Quemadmodum nauigantibus terræ vrbésque recedūt: Sic rapidissimi temporis cursu, primum pueritiam abscondimus, deindè adolescentiam, deinde senectutem. *Idem.*

Vt ciconias nemo aduenire sentit, sed aduenisse: nemo discedere, sed discessisse: quod noctu elanculum faciunt vtrumque: Ita iuuentutē nemo intelligit discedere, sed discessisse: & senectutem non sentimus aduenire, sed aduenisse. *Plinius, lib. 10. cap. 23.*

Quemadmodum viarum diuortia primum quidem paruo interuallo distant, quod deinceps quo progreditur longius, magis magísque augescit, vt desinentia illa longissimo spatio opponantur: Ita cum adolescentia animaduertere licet fieri similiter, vt parua diuersitas multum discriminet ætate prouectos. *Synesius, de prouidentia, lib. 1.*

Vt qui è vinculis emittuntur, licentius vagantur, quàm hi qui nunquam fuerunt in vinculis: Sic pueritia cum à præceptoris gubernatione soluitur. *Plutarchus in Moralibus.*

Post hyemem denuò recurrit ver. At post senectam nulla recurrit iuuenta. *Erasmus, in similibus.*

Vt gypsum aut argilla dum est vda, in quamuis imaginē facilè sequitur fingentis manum: ita rudes animi ad omnē disciplinam sunt idonei. *Ibidem.*

Nouella vitis copiosius gignit vinum, sed vetustior, melius: Ita plura loquuntur iuuenes, sed vtiliora senes. *Ibidem.*

Persica ob idipsum pluris veniebant, quod non durarēt nisi in triduum: Ita auidius rapiendum, quod cito præteruolat. *Ibidem.*

Vide Senectus.

PVLCHRITVDO.

QVod si pulchritudinem quis nactus est, pulchritudini pulchritudinem addat, animæ nempe corpus. Quod si flos pertransiit inoffense, vergit ad seipsum, neque nouit an sit visus turpis aspectu, pulcher verò recessu non secus ac rosa odora in calice suo recondita, redolet, etiamsi non amplius floreat. Siquidem vera pulchritudo apud filios hominum, nullo vnquam tempore ab extra se spectandā prebet, verùm obtutum ad internum flectit hominem. *Gregor. Nazianz. orat. cum reuerteretur ex agro.*

Si videris virum aut mulierem speciosam, ne admireris. Nam & roboreæ arbores, cum densæ sint foliis, & altitudine excelsæ: attamen non habent fructum hominibus aptū, sed porcis afferunt cibum. Vinea autem per terram repens, maturum vuarum affert fructum. Quid ergo? vis vineam habere, an arborem? puto te vineam eligere magis, quæ lætitia est, ad hominum vsus, quàm arborem animalium escam. Quid ape vilius est? quid pauone pulchrius? quid formica sapientius? Et apis quidem dulcedinem in se habet, & aculeum: pauo verò solummodo in pennis est, non in fructu decorus: formica verò contemptibilis hominibus, sed magistra virtutum est. *Chrysost. Hom. in Psal.* 10.

Cum pulchris corporibus ad lasciuiam abutitur homo longè abest vt pulchritudine fruatur. Hoc est enim illam potius perdere, quàm ea frui. Cum enim eo pacto corpus effœtum reddatur, in quo est pulchritudo, ipsa etiam pul-

chritudo paulatim emarcescit. Vt si quis in pulcherrimum hortum variis cum floribus tum fructibus ornatum ingrediens, non aliter se eo frui existimaret posse, nisi flores fructúsque atque ipsas in quincuncem dispositas arbores dissiparet. Quod si quem hoc facientem intueremur, diceremus equi aut alterius animantis ratione carentis, non hominis officium esse. *Isidorus Clarius, tom. 3. orat. 36.*

PVSILLANIMITAS.

SIcut paleæ in excelsis, & cæmenta sine impensa posita contra faciem venti, non permanebunt: Sic & cor timidum, in cogitatione stulti, contra impetum timoris non resistet. *Eccl. 22.*

Quemadmodũ sana corpora si modo pane victitent pinguia vegeta sunt tamen, morbida verò etiam sumptuosa vi áque mensa imbecilliora redduntur: Sic euenire in animis hominum solet, pusillanimes, ne si diademate quidam & immensis honoribus potiantur, redire ad se possunt. Philosophi verò etiam in vinculis, in catena, voluptate mera fruuntur. *Chrysost. Hom. 38. in 1. Cor.*

RATIO.

SIcut deterrimus quisque puer odit præceptores ac pædagogos, & omnem bonum monitorem, castigatoremque: Sic rectam rationem gubernare solitam, odit omnis affectuum amator. *Philo, lib. de sacrific. Abelis.*

Quemadmodum oculis ea quæ aperta sunt, quæque in manibus comprehenduntur: Sic ratio sincera penetrat etiã ea quæ sub oculos non cadunt, sed futura sunt. *Idem, lib. de sacrific. Abelis.*

Sicut absurdum est, subesse bonum dominum improbo seruo: Ita & absurdum, corruptibilis corporis mancipium esse rationalem mentem. *Thalassius, ad Paulinum presbyterum.*

Quemadmodum diuersis animalium generibus diuersas itidem natura defensiones, ad tuendam propriam vitã salutémque constituit: vt leonibus vires, vt ceruis cursum, vt canibus venationes, vt aquatilibus natationem, volati-

libus volatum, reptilibus cauernas: Ita hominum generi in cunctis huiusmodi defensionibus cæteris animalibus minori, vtpote quòd vires tenuissimas habet, impeditissimum cursum, volatus est penitus immune, natationem vix attingit, cauernariæ habitationis omnino est impos, rationem tradidit Deus, quasi donum quoddam, quod cunctis facultatibus illis æquipolleret, huiscque amatorium desiderium subiecit, veluti freno cuidam equum, veluti sagittario arcum, remoni nauem, instrumentum opifici. *Tyrius Platonicus, serm.* 10.

Quemadmodum nauis orta maris tempestate facilè submergitur, nisi gubernator sua industria regat: Sic affectiones ad deteriora rapiunt hominem, nisi recta ratione gubernentur. *Antonius, ser.* 76. *parte* 2.

Vt Chilindrus à rectitudine deerrans, non firmatur ad axem circuli qui circunducitur: Ita animus qui à recta ratione ac propinquitate Dei decidit, non consequitur vera bona. *Hierocles in aurea pythagoræ carmina.*

Rectæ rationis anima tam immutare naturâ status sui nõ potest, quam ignis aut deorsum niti, aut in transuersum fluminis modo, flammam suam fundere. *Lactantius, lib.* 3. *cap.* 19.

Tolle ab homine rationem, & erit tanquam nauis in medio æquoris absque gubernaculo ac directore. Flatibus enim nauis impulsa, nunc impetit scopulos, nunc illiditur vndis, nunc iactatur in litore, sui semper patiens detrimentum, quoadúsque omni ipsius dissoluta compage, efficiatur inutilis, amittatque propriam formam, transfretãdi vsum, vtilitatémque commercij. *Laurentius Iustinianus, de contemptu mundi, cap.* 1.

Cupressi semina adeò minuta sunt, vt quædam oculis cerni non possint, & tamen in eo tanta est arbor, tam procera: Ita ratio minimum quiddam est & occultum, sed eadem maxima est, si prodeat, & vim suam explicet. *Plinius, lib.* 17. *cap.* 10.

Vt ingentia pondera, quæ nullis hominum viribus tolli possunt, machinis facilè tolluntur: Ita quod vi nequeas efficere, ratione & arte faciè efficias. *Idem.*

Quemadmodum omnis natura bonum suum nisi consummata non profert: ita hominis bonum non est in homi-

ne, nisi cum in illo ratio perfecta est. *Seneca. lib. 2. epist. 125.*

Quemadmodum totum corpus animo deseruit, & cũ hoc tanto maius tantóque speciosius sit, ille in occulto maneat tenuis, & in qua sede latitet incertus: tamen manus, pedes, oculi, negocium illi gerunt: illum hæc cutis munit, illius iussu iacemus, aut inquieti discurrimus, cum ille imperauit: siue auarus dominus est, mare lucri causa scrutamur: siue ambitiosus, iam dudum dextram flãmis obiecimus, aut voluntariè subsiluimus: Sic hæc immensa multitudo, vnius animæ circundata, illius spiritu regitur, illius ratione flecti tur, pressura se ac fractura viribus suis, nisi consilio sustineretur. *Idem, lib. 1. de Clementia, cap. 3.*

Nauis pretiosa dicitur non quæ pretiosis coloribus picta est, nec cui argenteum rostrum est, nec cuius tutela ebore cælata est, nec quæ fiscis ac opibus regiis pressa est, sed stabilis & firma & iuncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, velox, & non sentiens ventum. Gladium bonum dices non cui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis acies & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quam formosa sed quam recta sit quæritur. Eo quodque laudatur cui comparatur, quodque illi proprium est. Ergo in homine nihil ad rem pertinet quantum aret, quantum fœneret, à quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, quam perlucido poculo bibat, sed quàm bonus sit. Bonus autem est, si ratio explicita & recta est & ad naturæ suæ voluntatem accommodata. *Idem, epist. 77.*

Gubernator etiam si multum conducit, tamen non potest sedare ventos & vndas: At ratio, ac mentis habitus, non solùm animi motus componit, verùm & corporis morbos sæpe leuat. *Plutarchus in Moral.*

Vt nauis cui firma est ancora, in quouis portu potest conquiescere: Ita animus si accedat recta ratio, quouis in loco tranquillè viuet. *Ibidem.*

Nauis deserta recipit gubernatorem, si quis velit in portum reducere: At animus ira percitus non admittit gubernatricem rationem aliũde, nisi intus ratio clauum arripiat. *Ibidem.*

Vt quemadmodum si sol non sit, per reliqua astra nocte ageremus: Ita quatum ad reliquos attinet sensus, nihil differemus à brutis, nisi ratio ad sit. *Ibidem.*

Qui dimissi à pædagogis, suo relinquuntur arbitrio, non abiiciunt imperium, sed mutant principem: nam pro pædagogo iam rationi parent. *Ibidem.*

Vt custos assidens puero, cauet & admonet, ne quid peccet: Sic ratio semper animo præsens, non sinit vsquam abire aut peccare. *Ibidem.*

Vt non satis est clauus, neque frænum, nisi adsit qui arte moderetur: Ita non sufficit eloquentia ad moderandum populum, nisi accesserit sermonis moderatrix ratio. *Ibidē.*

Non satis est habere corpus sanum, verùm & bonæ habitudinis ac robustum sit, oportet: Sic ratio non solùm pura debet esse, & à vitiis immunis, nisi sit & robusta. *Ibidem.*

Vt equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere solent, vt iis facilioribus possint vti: Sic homines secundis rebus effrenatos, sibi præfidentes, tanquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportet, vt perspiciant rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortunę. *Cicero lib. 1. Offic.*

RECIDIVATIO.

VEluti si mulier quædam pannosis induta, esuriens ac squalida, multo cum labore peruenerit ad regiam dignitatem, vt purpura & corona exornetur, ac fiat regis sponsa, meminerit ipsa pristinarum sordium, ac velit ad priorem statum regredi (atque nequaquam optauerit pristino pudore suffundi: hoc enim stolidum esset) ita qui gustauerant gratiam diuinam, & facti sunt participes spiritus, nisi sibi caueant dilabuntur: & fiunt deteriores, quam erant cum essent mundo dediti. *Macarius hom. 15.*

Vt nihil prodest ei qui aliquo morbo laborat, medici studium ac cura, si ipse rebus quæ vitam corrumpunt, operam det · Sic nullam vtilitatem afferunt peccata remissa ei cui condonata sunt, si in eis adhuc volutetur. *Basilius oratione 4. de pœnitentia.*

Auicula semel capta laqueo, mox elapsa, & ceruus in rete decidens, & effugiens, iisdem iterum difficile capien-

tut: nam cuique fit experientia cautelæ magistra. Nos sæpius iisdem capti in eadem cadimus. *Chrysostomus hom. decima quinta ad popu. Antioch.*

Si quis tibi tunc totum annum in illuuie permanere proposuisset, vt ab instāti liberareris anxietate, nonne prompte suscepisses atque tulisses? Cum igitur illi qui absque omni damno hæc soluit, Deo gratias agere conueniat, lasciuis rursum & contumeliam facis: & quoniam metus trāsiuit, ad maiorem iterum torporem rediisti. *Ibidem hom. decima octaua.*

A peccatis te propterea liberauit vt ad illam ignominiā amplius non recurreres. Quoniam & medici febricitantes ab ardore liberant, non vt sanitate ad afflictionem & dissolutionem abutantur. Nam ægrotare melius foret, si quis propterea conualescere deberet, vt lecto rursum semetipsum affigeret. Sed vt ex morbo mala scientes, amplius in ea non incidant, vt sanitatem cautius retineant, vt omnia faciant ad hanc conferentia. *Ibidem hom. quinquagesima.*

Qui plāgit peccatum, & iterum admittit quasi si quis lauit laterem crudum, quem quantomagis diluerit, tantomagis lutū facit. *Beda de verbis Danielis nono cap. obsecro domine.*

Tales sumus quasi lippientes cum producuntur ad vidēdum lumen, si fortè antea visum omnino non habebant, & recipiunt eundem visum, per diligentiam medicorum vt cumque reparare, & cum probare vult medicus, quantum salutis eis accesserit, tentat & eis ostendere, quod videre desiderant. Et cum viderint fulgorem, in ipso reuerberātur quodammodo, respondent medico demonstranti, Iam iam vidi, sed videre non possum. Quid ergo facit medicus? Reuocat ad solita, & addit collyrium vt ad illud quod visum est, & videri non potest desiderium nutriat, & in ipso desiderio curetur plenius, & signa mordacia reparandæ sanitati adhibentur, fortiter ferat, vt amore illius lucis accessus, dicat sibi. Quando erit vt firmis oculis illud videam, quod sauciis infirmisque non potui? Vrget medicum, & rogat vt curet: Ergo fratres si forte tale aliquid est in cordibus vestris, si vt cumque erexistis cor vestrum ad videndū verbum, & ipsius luce reuerberati, ad solita recidistis, rogate medicum vt adhibeat collyria mordacia, præcepta iustitiæ. Est quod videas, sed nō est vnde videas. Non mihi an-

tea credebas quia est quod videas, duce quodam rationis adductus propinquasti, intendisti. Scis certè quod videas, sed idoneum te non esse qui videas. Ergo curare. Quæ sunt collyria? Noli mentiri, noli periurare, noli adulterari, furari. Sed consuesti, & cum aliquo dolore à consuetudine reuocaris, hoc est quod mordet, sed sanat. Nam dico tibi liberius ex timore & meo & tuo, si curari resisteris, & esse idoneus ad perfruendum hac luce neglexeris valetudine oculorum tuorum, tenebras amabis, & amando tenebras, in tenebris remanebis, & remanendo in tenebris etiam in tenebras exteriores proiicieris, ibi erit fletus & stridor dentium. *Augustinus tractatu. 18. in Ioannē.*

REGNVM, REX.

Sicut gubernator pro ratione vētorum mutat nauigationis subsidia, non vno modo nauem dirigens: & medicus non vno ad omnes morbos vtitur remedio ac ne in vno quidem morbo si is variet, sed obseruans intentiones, remissiones, repletiones vacuationes, causarū mutationes multa ad salutem variat, nunc hoc, nunc illud experiens: Sic opinor & Reipub. moderator, debet esse multiformis & multiplex, alius in pace, alius in bello, aliter se paucis, aliter multis opponens aduersariis, contra paucos constanter agens, multos verò flectens persuasionibus, idem vbi publicum periculum postulat ipse rem aget: ministeria verò quæ labore tantū indigent, cedet aliis. *Philo. lib. de Ioseph.*

Quantòminus decet dominium principatumque integrarum ciuitatum gentiumque sorti commitere, lubricæ rei pendenti à fortuna instabili. Certè in ægrotis curandis sortium nemo meminit. Nec enim sorte capiuntur medici, sed peritissimus quisque eligitur. Item cum de prosperitate saluteque nauigantium agitur, non sorte decernitur quis gubernatur? puppim ascendat, ne forte aliquis imperitus, vel trāquilitate ac serenitate asciscat naufragiū, sed quæritur aliquis qui artem gubernandi à iuuentute didicerit: hoc est qui sæpe nauigauit perlustrauitque aut omnia aut plurima maria, qui bene nouit emporia, portus, stationes receptacula, quæ vel in continente sunt vel in insulis, qui in mari quoque callet inuenire semitas ex obseruatione syderum, peritus stellarum, & suos cursus

ad illarum motus dirigens, ita vt per inuia viam expediat, & nouo more maria terrestri animanti aperiat, reddatque traiectu facilia & postea ciuitates magnas populosas, plenas habitatoribus, carúq; administratione, & curâ rerũ priuatarũ ac publicarũ, sacrarũ ac pfanarũ, quã merito quis arte artiũ & scientiarũ dixerit cõmitem incertæ rei fortuitæq;, reiecto veritatis examine? His igitur consideratis Moses sapientissimus nusquam meminit principatus quæsiti sortibus, maluitque suffragiis electos introducere. *Idem lib. de creatione principis.*

Rex quicquid aduersus regnum suum putauerit, totum verum æstimat. Animus eius semper suspectus est, regni zelo repletus. Dum omnia timet, omnia suspicatur, facile credit quicquid fuerit suspicatus. Sicut vir si zelet vxorem, aut vxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo, etsi non sit auditio digna & idonea. vt credatur tamen fidẽ auditionis zelus commendat. *Chrysostom. hom. 2. operis imperf.*

Melius est à nullo quã à pessimo principe regi. Ille quidẽ saluatus est sepenumero, plerumque etiam in periculũ decidit: iste autem omnibus modis pericula subiturus est, dũ ad foueas & ruinas impellitur. *Idem hom. 34. ad Hebræos.*

Sicut si gubernatorem à naui separaueris, scapham submersisti: & si ducem ab exercitu abducas, vinctos hostibus tradidisti milites: ita si principes de ciuitatibus abstuleris, feris irrationalibus magis irrationabilem degemus vitam, inter nos morientes, & nos deuirantes, pauperiorem potentior, mãsuetiorẽ audacior. *Idem hom. 6. ad popu. Antioch.*

Quod in domibus faciunt lignorũ contignationes, hoc principes in ciuitatibus. Nam sicut si illas sustuleris dissoluti parietes per sese corruunt: sic & si ex mundo principes tollas, & horum metum, & domos & ciuitates, & gentes cũ multa inter se licentia corruent, nemine existente qui contineat & repellat, & pœnæ timore eos quiescere persuadeat. *Ibidem.*

Si in nauigantibus quando nauta fallit, modicã remigib⁹ infert læsionem, quãdo verò gubernator, totius efficit nauis perditionem: Sic in regibus. Si quis principum deliquit non tãtum populo, quantum sibimet ipsi nocet: Si verò rex ipse, omnis operatur conuersationis detrimentum. *Damascenus in Historia Barlam & Ioasaphat cap. 36.*

Quemadmodum inter eos quicunque sunt imperatores, exercitumque & ciuitatum ac gentiū principes, quisquis tuos maximè imitaretur mores, & tuis se affectibus (quantum fieri potest) similem præstare studeret, is certè esset tibi amicissimus & amabilissimus: at si quis contrarius & dissimilis fieret, iustè subiaceret reprehensioni & ignominiæ: & mox ablato ab eo principatu, concedere eum cogeretur aliis melioribus, meliusque administrare valentibus: Sic etiam inter reges, vt qui (sicut arbitror) à Ioue habent potentiam & procurationem, quisquis ipsum respiciens, ad eius legem moremque iustè & honestè omnia ordinat & imperat, bonum sortitur fatum, & finem vitæ fortunatum: qui verò transgressus fuerit, ignominiaque afficietur committentem aut dantem hoc donum, nihil vtilitatis capiet ex bonis tam magnæ potestatis & potentiæ, præter hoc solum, quod manifestus fiet præsentibus & futuris, quòd sit paruus & libidinosus: similēque tandem fabulosi Phaetontis nanciscetur interitum, vt qui fortem & diuinum præter fatum ascenderit currum, cuius sufficiens non poterat esse auriga. *Dion Nyceus de regno, oratione. 1*

Vt minimè quidem nauclerus contristatur laboribus in mari: minimè etiam agricola operibus circa agriculturā: minimè quoque venator, quē oportet venatione laborare: tametsi vehementer laboriosa sit agricultura, valde etiam venatio. Non igitur respuit laborare, & molestias ferre aliorum gratia: neque in hac parte peius se viuere existimat, si ipsum plurimos suscipere oporteat labores, multaque sustinere negocia. Videt enim & solem, nullo deorum minorem, non contristari, quòd hominum salutis & victus gratia, perpetuò transigat quæcunque agit. Fortitudinem quidem & continentiam & prudentiā, necessarias existimat, etiam illis qui iustitiam non curant, tyrannidemque affectant. Nam nisi hoc studeant, tales quàm ocyssimè perduntur. Quare tyrannus magis etiam his dat operam, quando se maximè videt his indigere. Quanto plures enim habet osores, pluresque insidiatores, & neminem fidum, & qui ipsius curam gerat: tanto magis (si modò tempus aliquod seruari vult) vigilandum sibi, & curis sibi, resistendum esse videt: & si se velit vlcisci,

ne deficiat rebus bellicis: & passus insidias, ne ignoret insidiatores: & abstinendum esse à voluptatibus, & ventre, & somno, rebusque venereis minimè attendendum: quanto magis autem his opus est ei qui diligitur ab omnibus, & neminem habet insidiatorem? *ibidem.*

Cernis vbique Deũ ita ordinasse, vt id quod melius est, imperet & prouideat inferiori: vt ars ei quod est sine arte, infirmitati virtus: fatuoque fecit prouidere, & consiliis adesse id quod prudentia præditum est. In omnibus autẽ hisce curis principatus nequaquam segnis est, neque molestia grauatus, neque plus adheret remissioni & ocio, sed curis & laboribus. Id quod inde colligere licet. Nam in naui licet vectoribus absque cura agere, & ne aspicere quidem mare, quin etiam neque scire (quod aiunt) vbi nam terrarũ sint: & multi hoc modo nauigant in serenitatibus: & hi quidem talis ludunt, illi autem canunt, alij conuiuantur tota die. Quando autem eos apprehenderit tempestas, inuoluti expectant euentum. Nonnulli autem & somno oppressi, non antè surrexerunt, quàm essent in portu. Nauclero autem necesse est aspicere in mare, necesse suspicere ad cœlum, necesse prospicere ad terram: quin & ea quæ sunt in profundo, non licet ei ignorare, nisi velit in saxa incedere sub aquis latentia, aut arenarum cõgeries. Illi soli noctu quidem minus licet obdormire, quã natantibus: interdiu autem, si cubi breuem aliquem somnum suffuratur, hunc tamen suspensum habet, & dubiũ, vt sæpe exclamet, aut velum contrahi, aut clauum sisti, aut aliud aliquid rerum nauticarum: vt dormiens ille magis gerat nauis curam, quàm alij valde vigilantes. Atque etiam in expeditionibus vnusquisque militum sui dũtaxat curã gerit, armaque & escã nõ hîc acquirere, sed parata habere cupit, vnius autem curam gerat sanitatis suæ, vniusque salutis. Ducis autem munus est, curare vt omnes bene sint armati, omnesque satis habeant tegumenti: nec solùm vt hominum ventres impleantur, sed etiam vt equorum. Quòd si autem non omnes habeant necessaria, magis contristatur, quàm si ipse ægrotet: atque illorum salutem non minoris æstimat, quàm suam ipsius. Siquidem victoria acquiri nequit, nisi milites sint salui: pro victoria autem bonorum, multi mortem

etiam oppetere eligunt. Rursus idipsum & in rebus singulis vniuscuiusque nostrûm intellegi potest. Corpus enim vtpote fatuum, neque sibiipsi succurrere potest: neque vt suiipsius curam gerat, à natura factum est: quando quidem anima relinquente, neque modicum temporis potest subsistinere, sed confestim soluitur atque perit. Anima autem pro ipso omnia curat, omnesque machinas mouet, & plurimum discruciatur, afflictat. Et corpus ipsum quidem præsentem duntaxat sentit dolorem: anima autem prius quàm dolor aduenial, discruciatur: sæpe etiam quãdo tantum futurus est, trepidat. Mortemque corpus quidem nunquam sensit: anima autem & hanc intelligit, per multaque patitur, eripiens corpus ex morbis, eripiens ex bello, eripiens ex tempestatibus, eripiens ex mari. Sic vndique laborioſior anima est, magisque afflicta, quàm corpus: attamen ea diuinior est, & ad regendum dignior. Præterea omnes homines confitentur virum esse muliere robustiorem, & ad imperandum aptiorem: atqui illæ domestica ferè opera curant, & ætatem exigunt sub tecto, inexpertæ tempestatum, inexpertæ bellorum, inexpertæque periculorum. Viris autem cõgruit in militiam ire, cõgruit nauigare, cõgruit nauigãdi scientia, illisque necesse est sua opera sub dio perficere: sed per Iouem, non propterea beatiores quis dixerit mulieres viris. Quicunque autem tandem propter debilitatem vel mollitiem amauerunt illarũ vitam, quemadmodum Sardanapalus, turpitudine iã vbiq; sunt diffamati. Denique quod maximum est, solem vides, quanto præstet omnibus hominibus beatitudine, quum sit Deus, quòd tamen non renuat nobis perpetuò subseruire, & nostræ salutis gratia facere vniuersa. Quid enim aliud quis dicat, solem perpetuò operari, quam ea quorum homines indigent? Facit & discernit horas, auget & nutrit omnia animantia, omnes plantas, suppeditat pulcherrimũ & suauissimum spectaculum, nempe lucem sine qua ceterorum bonorum nulla est vtilitas, neque cœlestium neque terrestrium, immò neque ipsius vitæ: Et hæc omnia non grauatur gratis impartiri. An non eum seruitutem seruire quis dicat, planè durã? Etenim si vel paulũ fraudulenter agat, suumque transgreditur ordinem, nihil prohibet omnes homines omnemque terram, & omne mare disperire

& omnem hunc formosum & beatum mundum turpissimã horribilissimamque immundiciem videri. Nunc autem tanquam in lyra concinnè tractatis sonis, nunquam excidit ex pura & summa harmonia, vnam & eandem progrediens viam. Et quoniam indiget terra tepore, ad generandum nascentia, atque augendum, & ad perficiendum: indigent & animalia, & corporum salutis gratia, & voluptatis naturalis: indigemus & nos omnium maximè, vt qui quamplurimo auxilio opus habeamus: ideo ætatem fecit, semper propius ad nostram accedens habitationem, vt omnia plantet, omnia nutriat, omniaque perficiat diuinaque & admirabilem exhibeat hominibus lætitiam, festumque diem. *Idem oratione. 3.*

Tyranno tyrannidem deponere consulis: neque deorum mihi quempiam affers securitatis fideiussorem, cui fortasse fidem habere possem. Te autem dignum censes, cui tanta de re acquiescam: neque animaduertis, ferè periculosius esse deponere principatum, quàm occupare. Assumam ita de tyrannide, quemadmodum de generatione & vita sentiendum est. Neque enim homo si fieri posset vt antequam nasceretur, quænam mala passurus esset, audiret, nasci vnquam voluisset, neque priuatus, qui tyrannidi studeret, si illius intelligeret calamitates, tyrannus potius quàm priuatus, esse vellet. *Phalaris Epist. ad Demotelẽ.*

Tuum & Demotelis de deponenda tyrannide consilium, non ab odio, sed rerum ignoratione profectum intelligo. Aggredi enim tyrannidem, appetentis est: desistere autem, minimè, propter multa quæ à tyranno iniustè cõmittuntur: quemadmodum sagittarius, cumprimùm sagittam emisserit, non amplius habet eam reuocandi potestatem. Quod si fieri potest, vt huius tyrannidis tollatur initium, id facite quæso: sin nequit, sciatis velim, longè minus fieri posse, vt vestri mihi monitus conferre videãtur. *Idem Epistola ad Epicharmum.*

Quisensim ac volentes descendunt in puteum, nihil læduntur: qui casu incidunt, valde turbãtur: Sic qui certo cõsilio accedunt ad Rempub. moderatè ferunt: qui sese temerè iniiciunt, eos pœnitet. *Plutarchus in moralibus.*

Qui simul & Rempublicã tractat, & artem exercet sedentariam, perinde facit atque ille, qui mulierem ingenuam

ac probam, detracta stola, datoque præcinctorio, in officina detineat. *Ibidem.*

Vt qui personatus in theatrum procedit histrio: Sic qui ad Rempub. administrandam accedit, non vt ciuibus prosit, sed sibi gloriam comparet. *Ibidem.*

Qui nauem gubernant, aliena voce iussuque vtuntur: Sed qui Rempub. gubernant, in seipsis sapientiam habeant oportet, vt non sit opus aliena voce. *Ibidem.*

Vestalibus tempus erat præstitutum: primum, in quo discerent: alterum, in quo exercerent: tertium, in quo docerent: Idem fiebat in sacerdotibus Ephesiæ Dianæ: Itidem faciendum iis, qui Rempub gerunt. *Ibidem.*

Gubernator quædam suis manibus facit, quædam per alios: & aliquando aliis ad clauum admissis, ipse in proram demigrat: Sic in Repub. non debet vnus occupare omnia munia, sed aliis vicissim dare locum. Rectius enim fieri quæ multorum manibus peragantur. *Ibidem.*

Gubernator optimos quærit nautas: architecton doctissimos quærit ministros: Ita Princeps eos ascisceat amicos, qui ad Rempub. administrandam maximè sint idonei. *Ibidem.*

Vt quib. domi nihil est boni, in foro plerumque versantur, & obambulãt: Sic quidã, quia nihil habeãt quod priuatim agant, ad publica administranda conferunt sese. *Ibidem.*

Vt qui animi causa nauim ingreditur, vt spectet aut in ea inambulet: deinde repentè soluta, atque in altum reuulsa, nauseans ac vomens frustra foràs prospectat: Sic qui leuiter, & quasi lusus gratia attingunt Rempub. sed à semel suscepta non possunt sese explicare, negociorum vndis secum hominem & inuitum trahentibus. *Ibidem.*

Vt vinum primùm seruit ac paret bibẽti: at paulatim admixtum venis, rapit hominem, ac traducit in suos mores: Ita qui Rempublicã administrat, initiò se populi moribus accómodat, pòst sensim eum ad sua trahit instituta. *Ibidem.*

Ex aluearium strepitu ac tumultu colligunt apes rectè valere: Contrà ex quiete Rempublicam. *Ibidem.*

Vt difficillimum ac periculosum est, annosas arbores, quæ iam latè sparsere radices, reuellere loco, & aliò transplantare: Ita Remp. longo tempore suis inueteratam institutis, ad aliam vitæ rationem traducere non licet citra maximos rerum motus. *Ibidem.*

Vt nauis multis actibus compingitur, clauis, paxillis: deinde ad tempus aliquantum relinquitur, donec cohæreſcant claui comiſſuræque: deinde tutò ſulcat maria: Sic ciuitas multis ſudoribus conditur, donec aucta tempore, tutam ac tranquillam vitam præbeat ciuibus *Ibidem.*

Non eſt infirmior manus, quòd in digitos ſit diſſecta, ſed ad operandum agilior: Ita negocia multis communicata, in Republ. plenius conficiuntur. *Ibidem.*

Vt canes ouium cuſtodes excubias agunt, nõ ſibi timentes, ſed ouibus: Ita Rex non tam ſibi debet timere, quàm populo. *Ibidem.*

Vt in magna tempeſtate, validiſſimo clauo, optimo gubernatore plurimis fulturis opus eſt: Ita magnas & turbulentas res adminiſtranti ſumma opus eſt ſapientia. *Ibidem.*

Medicus multo educto ſanguine corrupto, paulum innoxij cibi miniſtrat. Sic Princeps ſublatis multis malis ac nocentibus, leui gratia & humanitate moleſtiam eam mitigabit. *Ibidem.*

Vt coloſſi foris inſignes, deum aliquem repræſentant, intus pleni luto, clauis, ſordibus: Ita Rex purpura, equis, auro ſatellitio magnificus, in animo nihil habet, præter ſordidos affectus & inſcitiam. *Ibidem.*

Vt imperiti ſtatuarij pulchram exiſtimant ſtatuam, quæ ſit vaſtiſſima mole: Sic Reges nonnulli faſtu & aſperitate ſe egregios principes videri putant. *Ibidem.*

Vt cicatrix admonet, cauendum eſſe vulnus: Ita memoria præteritorum malorum reddit cautiores. *Ibidem.*

Vt non debet ſumere citharam, qui canendi ſit imperitus: Ita non debet imperium ſumere, qui non ſit prudentia præditus. *Ibidem.*

Vt Cyclops exoculatus, manus quoquò verſum porrigebat, nullo certo ſcopo: Ita magnus rex, cui deſit prudentia, quiduis aggreditur ingenti rerum tumultu, ſed nullo iudicio. *Ibidem.*

In corpore ſi quid eſt eiuſmodi, quòd reliquo corpori noceat, vri ac ſecari quod nocet patimur, vt membrorum aliquod potius, quã totum corpus intereat: Sic in Reip. corpore, vt totum ſaluum ſit, quicquid eſt peſtiferum, amputetur. *Cicero. Philipp. 8.*

Vt cõtemnẽdus eſt, qui in nauigãdo ſe mauult eſſe inco-

lumẽ quàm nauim: Ita vituperãdus est, qui in Reipub. discrimine, suæ plus quàm communi saluti consulit. *Idem lib. 4. ad Herennium.*

Vt medici membrum sæpe putrefactum incidunt, atque in totum eradicant, ne aliam corporis partem labefactare, aut corrumpere possit: Sic necesse est si Rempublicã saluam, esse volumus, vt perditissimos homines ex vrbe penitus extirpemus, ne corruptus integro, violatus casto labẽ infigat. *Idem in Verrem.*

Rex apũ solus aculeum non habet, aut certè non vtitur: ad hæc grandior est corpore, & specie decentior, sed alis quàm ceteræ minoribus: Ita principem oportet esse clemẽtissimum, & à sua ciuitate nusquam auolare longius. *Plinius lib. 11. cap. 17.*

Vt cometes nouus apparens, vt magnum bonum, aut ingens malum portendit mortalibus: Ita nouus Princeps salutem adfert rebus humanis, si bonus est: maximam pestẽ, si malus. *Idem libro secundo, capite. 26.*

Sicuti leo citius sæuit in virum quàm in fœminam, pueros non nisi summa fame coactus attingit, supplicibus ac prostratis parcit: Ita potentes infirmioribus debent ignoscere, vires in alios experiri, quos vincere pulchrum sit. *Idem libro. 8. cap. 16.*

Cum Christianorum vnus sit Dominus: cur qui huius gerunt vices, ab quouis malunt administrandi formam petere, quàm ab hoc, qui solus est totus imitandus? Ab aliis decerpere licet, si quid fortè virtutis admixtum habent. At in hoc absolutum est omnis virtutis ac sapientiæ exemplar. Ea quidem stultitia videtur, sed infidelibus: nobis si verè fideles sumus, Dei virtus est, & Dei sapientia. *Erasmus de institutione principis.*

Rem ita tecum expendas licebit: si quis omnes homines quos tuos vocas, Circes arte vertat in sues, aut asinos, nónne dices deterius factum tuum imperium? Dices opinor. Atqui plus iuris est in sues aut asinos, quàm in homines: licet quò lubet agere, licet distrahere, licet interimere. Proinde deterius fecerit imperium, qui liberos ciues verterit in mancipia. Quo præstãtius est, in quod geris imperium, hoc magnificentius, ac splendidius regnas. Consulit igitur tuæ maiestati, qui ciuiũ libertatẽ ac dignitatem tuetur. *Ibidem.*

Non licet dormitabundum esse qui clauo assidet: & in tã tis rerum periculis stertit Princeps? Nullum mare tam graues habet tempestates vnquam, quàm omne regnum assiduè: semper itaque Principi vigilandum est, ne quid erret, qui non nisi plurimorum pernicie delinquit. *Ibidem.*

Magnitudo nauis, aut mercium precia, aut vectorum numerus haud facit elatiorem bonum nauclerum, sed attentiorem: Ita bonus Rex, quo pluribus imperat, hoc vigilantior esse debet, non insolentior. *Ibidem.*

Seruus seruo præstantior, vt habet prouerbium, vt Dominus Domino potior: quòd alia sit ars alia præclarior, alia functio alia melior. At Principem in optimo sapiẽtię genere oportet præcellere. Ea est ratio rectè administrandi rem publicam. *Ibidem.*

Nullus ad Olympicum certamen accedit, nisi prius secũ expenderit, quid eius certaminis lex postulet: neq; queritur sibi molestum esse solem, aut puluerem, aut sudorem, aut si quid est aliud huius generis: quandoquidẽ hæc omnia cum ipsa ludi ratione coniuncta sunt: Ita qui suscipit imperium prius suo cum animo debet expendere, quas res Principis officium exigat. Consulendum alienis commodis, propria negligenda: vigilandum, vt aliis dormire liceat: laborandum, vt aliis liceat ociari. *Ibidem.*

RESVRRECTIO.

QVomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus arescat: Sic homo cum dormierit non resurget, donec atteratur cœlum, non euigilabit, nec consurget de somno suo. *Iob.* 14.

Alia gloria solis, & alia gloria lunæ, & alia gloria stellarum. Stella quidem à stella differt in gloria: Sic & resurrectio mortuorum. 1. *Cor.* 15.

Fingamus aliquem nobis nondum in rerum natura productis quales nunc sumus, ostendere hominis genituram, simúlque pictam effigiem humanam, & asseuerare illam esse huius originem, num alij crederetis prius quam vestris oculis? nemo ausit contradicere. Eodem igitur modo, quia nondum vidistis aliquem reddiuiuum, grauamini credere (futuram nempe resurrectionem). Atqui

ſicut nũquam credidiſſetis poſſe è tantilla guttula tales ac tantos fieri, & tamen factos videtis: Sic cogitate, quod diſſoluta more ſeminum, & redacta in terram corpora hominum, Deus reſurgere iubebit ſuo tempore, & immortalitatem induere, nec id illi eſſe impoſſibile, ſcilicet vt dignum eſt de potentia Dei ſentiunt, qui aiũt quémque redire illuc vnde ortus eſt: & ne Deum quidem poſſe contra facere. *Iuſtinus apologia 2. pro Chriſtianis.*

Reſtitutionem carnis faciliorem credas inſtitutione. Aſpice nunc ad ipſa quoque exempla diuinæ poteſtatis. Dies moritur in noctẽ, & tenebris vſquequaque ſepelitur. Funeſtatur mundi honor, omnis ſubſtantia denigratur. Sordẽt, ſilent, ſtupent cuncta: vbique inſtitium eſt, quies rerum. Ita lux amiſſa lugetur. Et tamen rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum ſole, eadem & integra & tota vniuerſo orbi reuiuiſcit, interficiens mortem ſuam noctem, reſcindens ſepulturam ſuam tenebras, hæres ſibimet exiſtens, donec & nox reuiuiſcat cũ ſuo & illa ſuggeſtu: Redaccendũtur enim & ſtellarum radij, quos matutina ſuggeſtio extinxerat. Reducuntur & ſyderum abſentiæ, quas tẽporalis diſtinctio exemerat. Redornantur & ſpecula lunæ, quæ mẽſtruus numerus attriuerat. Reuoluuntur hyemes & æſtates, & verna, & autumna cum ſuis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiã terræ de cœlo diſciplina eſt, arbores veſtire poſt ſpolia, flores denuo colorare, herbas rurſus imponere, exhibere eadem quæ abſumpta ſint ſemina: nec prius exhibere quam abſumpta. Totus igitur hic ordo reuolubilis rerum, teſtatio eſt reſurrectionis mortuorum. *Tertullian. lib. de reſurrectione carnis.*

Iob quoq; myſticis redundans totus eloquiis, audi quàm euidenter reſurrectionem predicet mortuorum. Eſt, inquit, arboris ſpes. Si enim abſciſſa fuerit, iterum pullulabit, & virgultum eius nunquàm deficit. Quod ſi ſenuerit, in terra erit radix eius. Si autẽ in petra mortuus fuerit truncus eius, odore aquæ reflorebit, & faciet fruticem quaſi nouella. Vir verò ſi mortuus fuerit, abiit, & mortalis ſi ceciderit, vltrà iam non erit. Non tibi videntur in his cum quodam rubore arguere homines, & dicere, Itáne eſt ſtultum hominum genus, vt cum videant abſciſſæ arbori vitam redire, ipſis nec lignis ſimile aliquid de ſemetipſis, nec arbo-

ribus opinentur? *Cyprianus in symbolum Apost.*

Si quis diuersa semina in vnum permisceat & hęc indiscreta seminet, vel passim spargat in terram, nónne vniuscuiúsque seminis quocunque loco fuerit satio, competenti tempore secundum naturæ suæ speciem, germen producit, & culmum suæ formæ suísque corporis reparat? Ita ergo & vniuscuiusque carnis substantia, quamuis variè & diuerse dispersa sit, ratio tamen ipsa quæ vnicuique inest carni, immortalis est. *Ibidem.*

Et quid fiet veniente Domino? *Florebit amygdalus & impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis.* Quemadmodum verò interpretes dicunt amygdalum florens hyemis transitum significat. Sic & corpora nostra, post huius seculi hyemem florebunt flore supercœlesti. Et dilatabitur locusta: hoc est anima volucris, quæ nunc corpore est circundata. Et dissipabitur capparis, hoc est, iniqui, spinosi dispergẽtur. *Cyrillus Ieros. lymit. catechesi. 15.*

Dicũt ad nos tam Græci quam Samaritæ: Occidit homo mortuus & computruit, & totus in vermes resolutus est, atque hi vermes quoque interierunt. Putrefactio tanta, & corruptio corpus excepit, quomodo igitur resurget? Nauigatores à piscibus deuorati sunt, & ipsi quoque comesti sunt: eos qui cum bestiis pugnarunt, vrsi & leones, vna cum ossibus comminuerunt. Vultures & corui mortuorum humi proiectorum corpora comederunt, & in vniuersum mundum dispersi sunt. Vnde congregabitur corpus? Cogita diuersa semina germinum misceri (infirmo enim tibi in fide, infirma propono exempla) & hæc diuersa semina tuo pugillo contineri. Est ne tibi homini res magna, an facilis, pugillum tuum aperire, & vnumquódque germen, secundum ipsius naturam colligere, & ad germẽ restaurare? Et tu quidem id in tuo pugillo poteris, num & Deus quæ illius pugillo continentur, discernere, cõgregare, & restaurare non poterit? *Idem catechesi. 18.*

Si non credis his quæ de resurrectione scripta sunt, gentilis existens ex rerum natura id perspice, & ex his quæ ad hodiernam vsque diem apparent, intellige. Seminatur frumentum, vel forte aliud genus seminis, cadens moritur, & quasi putrescit, fitque omnino ineptum ad cibum: sed mox illud putridum fit herbidũ, & exile cadens surgit pulchrũ.

Frumentum autem fit propter nos, & propter vsum nostrũ factum est: neque enim fruméta & semina sunt propter seipsa. Si ergò ista quæ propter nos nascuntur, mortua reuiuiscunt, nos verò quorum causa & illa nata sunt, mortui, an non excitabimur? Si muscæ quidem & apes aqua suffocatæ sæpe post tempus anni resurgunt, & serpentum genera hyeme immobilia sunt, æstate verò deinceps consurgũt, facilè sanè quilibet intelligens similia his dederit exempla. Vidit Deus hanc hominum incredulitatem, & auem quandam in hoc fabricatus est, quæ Phœnix appellatur. Hæc vt scribit Clemens & alij complures idem referunt, cum sit vna tantum auis & sola, in terram Ægypti in spatio quingentorum annorum venire solet atque demõstrare resurrectionem: non in locis desertis, ne mysterium id ignoretur, sed in aperta ciuitate consistit, vt contrectetur quod non creditur. Septũ enim sibi facit è thure & myrrha cæteríque aromatibus & completis annis eò deuenit. Moritur apertè & putrescit: Deinde ex putrefacta carne mortuæ, vermis quidam generatur, & hic deinceps in auẽ effor matur. Ne diffidas huic: Nam & apium genera, sic etiam ex vermibus formari vides & ex ouis humidissimis pennas & ossa, & venas auium vidisti. Phœnix sane præfatus excrescens in auem, talis euolat in aerem, qualis & mortuus erat, apertissimè mortuorum resurrectionem hominibus demonstrat. *Epyphanius in Anchoratu.*

Oportet ipsos audire Iob dicentem. *Est enim arbori spes*: si námque excidatur florebit, & vide quod truncus eius non deficit: si enim senuerit in terra radix eius, in petra verò moriatur truncus eius, ab odore aquæ florebit, & faciet fructũ tanquam nuper insitum. Vir autem mortuus peribit: cadens autem homo non amplius est? *Ibidem.*

Quemadmodum arbores transacta hyeme ex vi interiore illas fruente, virtute etiam solis & ventorum producunt & emittunt folia, flores & fructus, tanquam indumenta. Similiter & herbarum flores illo tempore è penetralibus & sinu terræ progrediuntur: & ita legitur & circumornatur terra & gramen veluti lilia. Dominus inquit, Quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperius est sicut vnum ex istis. Ad eundem fere modum omnes

Dei amantes animæ. hoc est veri Christiani, habent pro primo mense ξανθικὸν, qui dicitur Aprilis: qui quidem est dies resurrectionis, in quo per virtutem solis iustitiæ emergit gloria spiritus sancti, quæ intus latebat & fouebat corpora sanctorum, quam quidem gloriam intus occultam habebant: quoniam illud quod modo habent emerget extra corpus. Ille inquam mensis primus est inter menses anni, ille gaudium parit vniuersæ creaturæ, ille terram aperiens nudas arbores circumtegit, ille omnibus animalibus lætitiæ præbet occasionem, ille suauitate cuncta perfundit, ille denique Christianorum est primus mensis dictus Aprilis, quod tempus est resurrectionis, in quo gloria illustrabuntur corpora illorum beneficio luminis arcani iam nunc in ipsis latentis, hoc est, virtutis spiritus sancti: qui quidem erit illis tunc pro indumento, cibo, potu, exultatione, lætitia, pace, ornamento, & vita æterna. *Macarius homil. quinta.*

Oportebat peccatum prius morte perimi, vt eo per mortem quasi eliquato, homo deinceps degustaret vitam veram. Placuit igitur radicem peccati penitus è corpore erui, ne dum vel minima eius relicta foret particula, nouos peccatorum promitteret surculos: hoc sæpius in templis vsuuenire animaduertimus, vbi exempli gratia) si ficus inter lapidum commissuras enascatur, & non penitus vna cum radice euellatur, sequitur interdum muri dissolutio, & ruina. Verum si radicitus euulsa fuerit arbor, permanent lapidum commissuræ incolumes. Non enim cessat repullulare, quantisper vel obscuræ relictæ fuerint radiculæ. Totam sublatam è medio oportet, si nolis pati damnum aliquod insigne. Si radices penitus excisæ fuerint, durabit illæsa & inuiolata lapidum coniūctio. Haud dissimili ratione & caro resurgit non exactè euulso peccato. Nunc enim propter peccatum caro correctionem auersatur & contemnit, & etiam post Baptismum peccato se prophanat. Indiget itaque maxime ea correctione quam mors importat, quando Deus quasi contractam & confractam seu figulus in resurrectione refringet & reformabit. *Procopius in Genesim capite secundo.*

Qui frumẽtum propter nos ſeminatum, quotannis mortificatum excitat, nunquid nos ipſos, propter quos & ipſe ſurrexit difficile ſuſcitabit? Cernis quomodo arbores tot menſibus ſine fructu & foliis ſunt, ſed hyeme prætereũte, rurſus tanquam ex mortuis reuiuiſcunt? Et non multo facilius nos reuiuiſcemus? Virga Moyſi in diſparatam ſerpentis naturam, voluntate Dei mutata eſt: & homo cadens rurſus in ſeipſum non reſtituetur? *Cyrillus Ieroſolymitanus catechesi 4.*

Quemadmodũ ſpecies eſt à puero vſque ad finem, etiãſi characteres ac formæ multam videantur habere euariationem: Sic intolligendum eſt etiam in præſenti eandem ſpeciem quam in futuro, quantum vis plurima futura in melius mutatione. Et quemadmodum ſi aquatici facti fuiſſemus, etſi in mari viuere nos oportuiſſet, omnino ſanè oportuiſſet nos etiam aliam corporis conſtitutionem conſimilẽ piſcibus habere: Sic cum hæredes futuri ſumus regni cœlorum, & in locis excellentibus futuri, neceſſarium fuerit vti corporibus ſpiritalibus, non priore ſpecie diſſipata, etiamſi ad maiorem gloriam eius mutatio fiat: quemadmodum erat Ieſu ſpecies & Moſis, ac Heliæ, non alia in transformatione ab ea quæ erat. *Epyphanius hæreſi 64. contra Origenem.*

Quemadmodum vbi in ædificiis templorum pulchrorũ ficus enata eſt, & in longitudinem ac magnitudinem probè coalta, & in omnes compoſitiones lapidum permultum ſarmentoſas radices diffuſa, nõ prius à naſcendo quieſcit, donec tota euellatur, diſſolutis lapidibus in locis in quibus enata eſt: poſſunt enim rurſus in ſuos locos adaptari lapides, ficu ſublata, quo templum quidem ſeruetur, nihil amplius malorum ipſum diſſipantium ſibi ipſi producens, ficu verò tota radicitus euulſa, emoriatur. Eodem modo Deus optimus artifex templum ſuum hominem, qui inſtar ſylueſtris ficus peccatum produxit, breuibus mortis ictibus diſſoluit, occidens (velut ſcriptum eſt) & viuificãs: quo rurſus earumdem partium caro, poſt exiccatum ac mortuum peccatum, inſtar renouati templi, immortalis & illæſa excitetur, peccato perfectè ac funditus perdito. Viuente enim corpore, antequam moriatur, neceſſe eſt ſimul viuere peccatum, intus in nobis radices ſuas abſcondens, etiãſi forin-

secus per castigationum ac admonitionum sectiones fuerit refrænatum. *Ibidem.*

In resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli in cælo. Non dixit erunt angeli: sed sicut angeli: nempe gloria quidem & honore, vt scriptum est, coronati: verum paulum ab angelis variantes, & propemodum vt angeli simus. Quemadmodum si quis dixisset, vbi bona aëris constitutio est, & tranquillitas noctis, & omnia ætherea lunæ luce ornata Luna lucet velut sol: non omnino sole carentē lunam esse, ipsum testari diceremus, sed sicut solem. Quēadmodum & quod non est aurum, prope autem est vt sit aurum, sicut aurum dicitur & non aurū. Si verò esset aurū, non diceretur velut aurum, sed aurum. Quādo vero nō est aurum, sed propemodū aurum, & imaginetur quis aurū velut anrū dicitur: ita etiam cū velut angelos fore dicit in resurrectione, non hoc ipsum proferre audimus ipsum, angelos videlicet fore sanctos in resurrectione, sed prope vt sint angeli. Quare absurdissimum est dicere, quoniam Christus pronunciauit sanctos conspiciendos esse velut angelos in resurrectione, ob id corpora hæc non resurgere. *Ibidem.*

Sed requiris à me quomodo homo defunctus in vitā de fruillis mortuis suscitetur, & tu dic mihi quomodo granū tritici, quod in cespite sepelitur, quomodo in melius sua morte renouatur. Dic mihi, de gemmis mortuæ silicis quomodo ignis viuus excutitur, quomodo vile fœnum in stipula moritur, & in semente reparatur, quantomagis corpori humano inesse credenda est rediuiua conditio? Quod modo si requiras, id rationis & causæ est: Quia etsi potest factura dissolui, non potest natura consumi. Intēdat charitas vestra, mors & resurrectio duæ istæ leges sociæ sibi atq; cōnexæ sunt. Sicut prima non debet præteriri, ita certum est secundam non posse vacuari, cum moriēdi necessitate causa coniuncta est resurgendi: vna sine altera esse non potest, quia vnam ex alia vnus idémque constituit Deus. *Eusebius Emissenus, Hom. de resurrect.*

Quemadmodum ignis qui Ierosolymis subseruiebat altari tempore captiuitatis, defossus erat in foueam: & idem inita pace, reuersísque captiuis quasi renouabatur, & pro more seruiebat: ita corp⁹ hoc modo nobis familiare (quod vbi dissolutum est, vertitur in lutū) restituitur & renouatur

ab igne cœlesti, qui suscitat corpora corrupta. Siquidem ignis qui nunc intus latet in corde, tum patefit & suscitat corpora. *Macarius*, *Hom.* 10.

Quemadmodũ tempore mensis Aprilis radices in terra latentes fructus suos & flores ac speciosa quæque producunt, & fructum afferunt, patefiúntque fructuosæ radices, similiter & illæ quæ spinas habent: Sic & in illa die quisque in corpore suo declarabit, quæ gessit, patebúntque tam bona quam mala. *Idem*, *Hom.* 12.

Sicut acus in ignem proiecta mutato colore vertitur in ignem, non tamen plane deleta est natura ferri, sed subsistit: ita in resurrectione resurgunt omnia membra, nec vt scriptum est, perit capillus: lucida redduntur omnia membra, & lumine ac igne tinguntur: mutantur quidem, at non (vt quidam aiunt) resoluuntur, aut in ignem euadunt, vt vltra non subsistat natura. Petrus enim Petrus est, ac Paulus Paulus, ac Philippus Philippus permanet, quisque in sua propria natura & subsistentia spiritu repletus. *Idem*, *Hom.* 15.

Quid dicitis vos, quæso, qui D. Paulo non creditis de ea mutatione quam in resurrectione fore dicit, qui pleráque videtis aeris animantes formas permutare, qualia de verme quoque illo Indico cornua protendenti gemina narrari solent? Hic in erucam vertitur primùm: fit deinde temporis progressu id quod bombyx appellatur: at neque hac in forma persistit, sed illis præmollibus corniculorum bracteolis sese sensim prolatantibus in alarum speciem, ita demum fit volucris, &c. *Basilius*, *Homilia octaua exameron.*

Semina nisi prius moriantur, & putrescant & corrumpantur, non patiunt aristam. Sicut igitur qui videt ibi granum quod corrumpitur, & dissoluitur, non dubitat de resurrectione, sed certissimam demõstrationem facit. Nam si ita maneret, & non corrumperetur vel dissolueretur, certũ est quod nunquam resurgeret: Sic cogita & in corpore tuo, cum vides corruptionem, tunc potissimum de resurrectione philosophare. Nam mors nihil aliud est, quàm plena corruptionis consumptio. Neque enim mors simpliciter corpus, sed corruptionem corporis absumit. Hoc etiam in

metallorum materiis vides euenire. Rudem enim glebam in qua aurum, eius artis gnari, & in conflatorium mittunt, circumponendo ſtannum & aliam materiam, & aurum nō proferunt, donec purum excoquatur. Iam ſi tantum, poteſt ignis potentia, cur non & diuina? *Chryſoſt. Hom. de reſurrectione.*

Sicut lana intingitur naturalem habens colorem, vt coloretur purpurea, aut alicuius coloris accipiat dignitatem, Sic & nos in mortem deſcendimus corporales, & reſurgimus ſpirituales. *Idem, Homilia trigeſima quinta operis imperfecti.*

Dic mihi, ſi quis ſeneſcētem te & inopem polliceatur in priſtinam reſtituere iuuentutem, redacturúmque ad priorem illum ætatis florem, effecturum etiam & valetudine optima, & virtute præſtantem, largiturum tibi inſuper ad annos mille, terrarum orbis ſumma tranquillitate imperium, quidnam ipſe pro iſtiuſmodi pollicitationibus vel facere vel pati recuſares? Ecce verò Chriſtus non ſolum hæc ſed his longe maiora pollicetur: neque enim quantum inter ſe videntur ſenectus & iuuenta diſtare, tantumdem eſt incorruptionis corruptioníſque diſcrimen. Atque vt puriſſima margarita à luteo quouis lapillo ſecernitur: ſic profecto eſt à corruptione immortalitas aliena, quin quo pluribus id exprimere connitemur, eò minus certè aliquid vel ſimile afferemus. *Idem, ſer. de miſericordia.*

Ex quo totum corpus compactum & conglutinatum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, &c. Epheſ. 4. Hæc autem tota ædificatio per quam eccleſiæ per partes corpus augetur, mutua in ſe charitate complebitur. Totas rationabiles creaturas ſub vnius rationabilis animalis intelligamus exēplo, & quodcunque de huius membris dixerimus & partibus, ſciamus, hoc eſſe referendum ad vnamquamque rationabilem creaturam. Putemus hoc animal ita per artus, venas carnéſque laceratū, vt nec os oſſi hæreat, nec neruus iungatur ad neruum, ſeparatim oculi iaceāt, ſeorſum nares, manus aliū locū teneāt, aliò proiecti ſint pedes, & reliqua mēbra in hūc modū inter ſe diſperſa ſint & diuiſa. Finge aliquē venire tantæ ſciētiæ medicū, qui iuxta fabulas Ethnicorū, Æſculapiū poſſit imitari: & in nouā figurā nōuúmq; nomé Virbiū

ſuſcitare: hic neceſſe habebit vnumquódque membrum ſuo loco reſtituere, & compagem copulare compagi: & quodã glutino partibus reſtitutis, vnum corpus efficere. Hucuſq; nobis vna ſimilitudo proceſſerit. Nunc in eandem ſimilitudinem ad id quod volumus intelligi, aliud trahatur exemplum. Paruulus creſcat, & occulto æuo in perfectam ætatẽ adoleſcat, ſuum manus augmentum habebit, ſua pedes ſentient incrementa: venter dum neſcimus impletur: humeri, dum falluntur oculi, dilatantur: & omnia membra per partes iuxta menſuram ſuam ſic creſcunt, vt tamen non ſibi ſed corpori videantur augeri: Ita igitur & in reſtitutione omnium, quando corpus totius eccleſiæ nunc diſperſum atque laceratum, verus medicus Chriſtus ſanaturus aduenerit, vnuſquiſque ſecundum menſuram fidei & agnitionis filij Dei, quem ideo agnoſcere dicitur, quia prius nouerat, & poſtea noſſe deſinit, ſuum recipiet locum & incipiet eſſe id quod fuerat, ita tamen vt non iuxta aliã hæreſim, omnes in vna ætate ſint poſiti, id eſt. omnes in angelos reformentur, ſed vnumquodque membrum iuxta menſuram & officium ſuum perfectum ſit. Videtur hic Origenem ſequi dæmones ſaluandos aſſerentẽ. Verbi gratia, vt angelus refuga id eſſe incipiat quod creatus eſt, & homo qui de paradyſo fuerat erectus ad culturam iterum paradyſo reſtituatur. *Hieron. lib. 2. comment. in epiſt. ad Epheſ. cap. 4.*

Deus plurima rerum argumenta ſuppeditat, quibus incredulitatem noſtram quantum ad reſurrectionis negotium attinet, propellat. Obſerua niſi moleſtum ſit, temporũ dierum & noctium interitum. An non animaduertis vt iſta & moriantur & reſurgant? Quid præterea referã reſurrectionem fructuum & ſeminum quæ omnia noſtræ vtilitati ſeruiũt? Si enim granum, exempli gratia, tritici aut reliquorũ fructuum in terram ſparſeris, primum quidem moritur & diſſoluitur, & tum demum naſcitur, & in culmum fructificantem aſſurgit. Arborum & quercuum natura, ſecundum Domini imperium occulta quadam vi nobis inuiſibili, ſtatis temporibus fructus proferunt. Interdum paſſerculus aut alia auicula deuorans ſemẽ, mali aut ficus, aut alterius rei, auolat in locum aliquem editum ſaxoſum, & id in foueam aliquam per diuerſam corporis partem emittit. Quid fit? Semen illud creſcit, & in arborem magnam euadit,

quamuis

quàmuis deuoratum per tantum calorem transierit. At hæc omnia operatur Dei sapientia, quibus confirmare aggreditur sibi non esse impossibile præstare ea, quæ de vniuersali resurrectione feruntur. Sed & Lunam vide quæ singulis mensibus & perit & renascitur. Præterea & in teipso resurrectionis operationem agnosce. Nam non dubito quin aliquando aduersa valetudine effectus amiseris carnes tuas & formam roburque. Cæterum Deus effecit vt valetudinem amissam recuperares. Et quemadmodum ignoras quò te relicto carnes abierint: sic te fugit vnde redierint & vnde eas receperis. *Theophilus Antiochenus libro primo ad Antolycum.*

Considero in sulcis tanquam in sepulchris semina suffossa, quis illis radices imponit, & stipites & folia, & culmos subtilissimos? Nonne qui vniuersorum artifex est, cuius præcepto condita omnia? Sic crede & mortuorum resurrectionem fore diuina voluntate & nutu, concurrentem enim habet voluntati virtutem. *Damascenus, ser. de resurrectione.*

Non solum fratres, sine causa credidit, sed & sine causa vixit, qui se ad hoc solum natum credidit, sed & sine causa vixit, qui se ad hoc solum natum credidit, vt periret. Homo quid tibi oritur quod non occidat? quid tibi quod occiderit, non resurgit? Dies mane oritur, & iterum resurgit in mane. Sol quotidie nascitur, quotidie moritur: resurgit ipse quotidie, tempora dum transeunt, pereunt: dum redeunt, reuiuiscunt. Vnde homo si Deo non credis, si non acquiescis legi, si non consentis auditui, vel oculis tuis crede, vel elementis resurrectionem tuam tibi iugiter prædicantibus acquiesce. Certè si ista longè sunt inferiora, quæ in tuis manibus sunt, & de morte tuo opere suscitantur, te posse Dei opere doceant suscitari. Vade ad semen, Apostolo te docente: tolle triticum aridum sine sensu, sine motu, duc sulcum, fode terram, fac sepulchrum sepeli triticum, inspice quemadmodum morte deperit, humore turgescit, putredine corrúpitur, & cum peruenerit ad totũ quicquid desperatio, quicquid incredulitas, quicquid corruptela tibi superius ingerebat: tunc subito reuiuiscit in germine, in herba pubescit, iuuenescit in caule, maturescit in fruge, & ad illam totam ipsam quam tu periisse deflebas speciem

resurgit,& formam. *Petrus Chrysologus, ser.* 118.

Corpus sicut fuit animæ socium, in actionibus passionibúsque tam virtutum quam vitiorum, & in sanctimonia & martyrio comes: Ita debet in pœna vel præmiis habere cõsortium. Est ergo corpus idem resurrecturum. Nisi enim præmia manerent vitæ sequentis, prouidentia, iustitiáque diuina traheretur in dubium. Homo quinetiam brutis foret miserabilior, qui religionis & iustitiæ gratia, corporeis se priuat oblectamentis, & incommoda subit innumera. Ipsáque virtus, religio, leges, delyramenta forent, atq; detrimenta. Nisi resurgant corpora, non habet iustitia diuina locum in corpore vel anima. Non in corpore: quia iniustum foret animam habere prœmia laborum, in quibus magnam partem perpessum est corpus, ipsum verò non habere in præmio partem. Non in anima: quia iniustum esset animam solam dare pœnas peccatorum quamplurimorum, quæ non commisisset, nisi corpus ei fuisset adiunctum. *Athenagoras, de resurrectione.*

Aqua hydriæ in fonte non perit, sed ad suam plenitudinẽ integritatémque accedit, in fonte ipso existentem. Quando igitur quod ex parte euacuatum fuerit, iuxta Apostolũ, venìet quod perfectum est. Particularis itaque hæc nostra cognitio, quæ nunc nobis inest, tunc perfectionem suam accipiens, erit velut aqua hydriæ, ad plenitudinem fontis deueniens, fonti parte nunc addita, qua fons prius carebat. *Olympiodorus in Ecclesiasten, cap.* 12.

SACERDOS.

VIdentur mihi ij qui loquuntur verbum veritatis, & qui illuminãt animas hominum, similes esse radiis solis, qui vt processerint & apparuerint mundo, celari vltra, aut occultari nullatenus possunt, dum non tam vidétur ab omnibus, quàm videre omnibus præstant. *Clemens, lib.* 8. *recognitio.*

Si canalis aquæ, qui copiosè prius & largiter profluebat, subitò deficiat, nonne ad fontem pergitur, vt illic defectio-

his ratio noscatur, vtrúmne crescentibus venis in capite siccauerit, an verò integra fide & plena procurrens, in medio itinere destiterit? Aut si vitio interrupti vel bibuli canalis effectum est, quominus aqua perseueranter, cõtinuè ac iugiter flueret, refecto & confirmato canali, ad vsum atque potum ciuitatum, aqua collecta eadem vbertate atque integritate repræsentatur, qua de fonte proficiscitur. Quod & nunc facere oportet Dei sacerdotes, præcepta diuina seruãtes, vt in aliquo si nutauerit & vacillauerit veritas, ad originem Dominicam & Euangelicam & Apostolicam traditionem reuertamur, & inde surgat actus nostri ratio, vnde & ordo & origo surrexit. Nam si ad diuinæ traditionis caput & originem reuertantur, cessat error humanus, & sacramentorum cœlestium ratione perspecta quicquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat, luce veritatis aperitur. *Idem ad Pompeium contra epistolam Stephani.*

Noli mihi dignitates eorum qui te purgant, curiosè expendere, neque ex maiorum prosapia iudica. Etenim alius alio melior vel humilior, at te vnusquisque est sublimior. Cæterum ita considera, sint annuli duo, aureus hic, ferreus alius, vtérque eadem regia imagine sculptus. Ceræ ambo imprimantur, quid inter signum hoc & illud intererit? nihil. Discerne materiam in cera etiamsi sapientissimus existas. Dic quodnam ferri, quodnam auri sit signaculum. Sed quo pacto vnum est? quia inter materiam non characterem est diuersitas. Ita & vbi sit omnis baptizator, qui tametsi conditione excellat, æqualis tamen baptismatis vis est, ac vnusquisque æqualis tibi sit expurgator, qui fide eadem est formatus. *Greg. Nazianz. orat. in sanctum Lauacrum.*

Quemadmodum fieri non potest, vt imperator sit, si non sit exercitus aut diadema, non purpura, non alia quæ regnũ commendant: Ita nec sacrificus esse potest sublata hostia, vetita oblatione, sanctis conculcatis, toto rerum statu abolito. *Idem. Hom. 1. aduersus Iudæos.*

Cum videris sacerdotem indignum, ne traducas sacerdotiũ. Non enim oportet damnare res, sed eũ qui re bona male vtitur. Quandoquidem & Iudas proditor fuit, verùm ob id non accusatur ordo Apostolicus, sed illius animus, nec crimẽ est sacerdotij, sed malum animi. Et tu igitur ne sacerdotium vituperes, sed sacerdotem re bona male vtentem.

Etenim si quis tecum disputet, dicatque. Vidisti illũ Christianum respondeto, at ego non de personis sed de rebus tibi loquor. Alioqui quot medici facti sunt carnifices, ac venena pro pharmacis dederunt? Non tamen artem vitupero, sed male vtentem arte. Quot nautæ male rexerunt nauigia? Verum non ars nauigandi mala est, sed illorum animus. Si Christianus fuerit improbus, ne incuses professionẽ ac sacerdotium, sed re bona vtentem malè. Regi corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. Rex maculas corporis remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum. Ille cogit: hic exhortatur. Ille necessitate: hic consilio. Ille habet arma sensibilia: Hic spiritalia. Ille bellum gerit cum barbaris: mihi bellum est aduersus dæmones. *Idem, Hom. 4. de verbis Isaiæ, vidi Dominum.*

Quid? sacerdotij optione proposita (quodquidem regno tanto est excellentius, quantum spiritus & carnis interuallum esse potest) sustinebitur quisquam contemptus ac fasti dij nos accersere? Qui verò id non absurdum? eos qui prouincias paruas respuunt, vt deliros incusare? eos vero qui hoc idem in maxime excellentibus facitant, liberare quidem amentiæ crimine, insolentiæ autem ac superbiæ reos agere? Perinde quasi si quis eum, qui bouillum armentum despiceret, qui armentarius esse recusaret, animi quidem insolentia nequaquam præditum esse, mentis autem alienatione præditum esse prorsus criminaretur. *Idem. lib. 3. de sacerdotio.*

Rex aliquis si cui ex subditis suis honorem hunc impertitus fuerit, vt potestatem habeat quoscunque velit in carcerem coniiciendi, eosdem rursus relaxandi, is nimirum beatus ac mirandus iudicio omnium fuerit. At verò qui à Deo tanto maiorem accepit potestatem, quantò cœlũ terra pretiosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant. Hic ita ne vilem à Deo dignitatem nonnullis accepisse videre debet? *Ibidem.*

Proinde naturales parentes si eorũ liberi principes quosdam magnatésue offenderint, opem certe nullam illis afferre possunt, quomodo sacerdotes, non principes, reges, sed ipsum dominum nobis infensum sæpenumero concilient? *Ibidem.*

Si vsuuenit, vt quibus ciuitatum principatus cõcreditus est, Si nisi valde prudentes pariter ac vigilantes fuerint, tũ

ciuitates ipsas euertant, tum seipsos perditum eant, quanta illum virtute non suæ tantum vnius, sed & cœlesti preditum esse conuenit, cui sorte obtigit vt Christi sponsam colat ornétque, si modo peccandi occasionem vitare is velit. *Ibidem.*

Quemadmodum in præliis videmus generosissimos quosque milites alacriter manum cum hoste conserere, eosdémque si ita res ferat, fortiter occumbere. Ita oportere puto animatos esse, qui ad ministerij istius functionem se conferunt, videlicet vt & conseerari, & summoueri iuxtà parati sint. *Ibidem.*

Quemadmodum sæuientibus pugnantibúsque inter sese asperrimis ventis, derepente mare antea quietum ac trãquillum furit, atque intumescit, eósque omnes quos tum vela facere contigerit, perdit. Ita ecclesiæ tranquillitas, peditis hominibus turbulentis admissis, turbulentia ac naufragiis permultis infestatur. *Ibidem.*

Imitandi sunt boni medici, qui non vno curationis modo vtuntur: sed cum viderint primis remediis non esse depressum morbum, alia atque alia rursus excogitant: & aliquando quidem ligantes membra, doloribus dolores excutiunt, aliquando vero incidunt, ita multis variisque medendi generibus tandem corpus ad sanitatem reducunt. Quare pariter tu animarum medicus factus, omni curationis modo, secundũ leges Christi vtaris, omníque studio coneris ad virtutem reducere, primũ viuendi exemplis, deinde orationis grauitate, ac postremo patrocinij ac auxilij cõpia. *Idem, Hom. 30. in Math.*

Quemadmodum paterfamilias studiosus scit in domo sua, quid vnusquisque necessarium habet: ita & sacerdos, singulorum mores & actus, & conuersationem debet discere, vt quale quibúsque medicamentum necessarium fuerit, submínistret: cui consolatio, cõsolationem, cui increpatio, increpationem. *Idem, Hom. 8. oper. imperf.*

Prius in vallibus fit obscuritas die declinãte ad occasum. Quando ergo colles videris obscurari, quis dubitat quin iam nox est? Sic primum in secularibus & laicis Christianis incipit præualere obscuritas peccatorum. Nunc autẽ quando iã vides quod sacerdotes positos in summo vertice spiritualium dignitatum qui mõtes & colles dicuntur, appre-

hẽderit iniquitas tenebrosa, quomodo dubitetur quia finis est mundi? *Idem*, Hom. 34.

Quemadmodum medicus quando primo ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primum festinat, quia si stomachus sanus est, totum corpus validum est: Ita si sacerdotium integrum fuerit, tota ecclesia floret, si autem corruptum fuerit, tota ecclesia marcida est. *Idem*, Hom. 38.

Sicut cor sapientiæ locus est, ita sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritalis. *Ibidem.*

Sicut in corpore si aliquod membrum infirmatum fuerit, non omnino languet stomachus, si autem stomachus languerit, omnia membra inueniũtur infirma: Sic si aliquis infirmorum peccauerit, non omnino peccant sacerdotes, si autem sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. *Ibidem.*

Quemadmodum cum videris arborem pallẽtibus foliis marcidam, intelligis quia aliquam culpam habet circa radicem: Ita cum videris populum indisciplinatum & irreligiosum, sine dubio cognosce quia sacerdotium eius non est sanum. *Ibidem.*

Sicut qui sutoriam aut quancumque aliam profitetur artem, & si specialiter non spondeat, tamen per hoc ipsum quod sutoriam professus est artem, & opificium vel magisterium artis eius aperuit, videtur tacitè omnibus spopondisse, vt sine reprehensione impleat quam professus est artem: Sic sacerdos & omnis clericus, & si specialiter nõ promittat, tamen per hoc ipsum quod doctor constituitur aliorum, statim promittere Deo videtur in omnibus obauditurum se Deo. *Idem*, Hom. 40.

Sicut colonus quãuis de suo munera obtulerit domino, nõ sic eum placat, quomodo si de vinea eius redditus domino obtulerit: Sic sacerdos nõ tantũ propter iustitiã suã placet domino, quomodo si populũ Dei in sãctitate docuerit, quoniã ipsius iustitia vna est, populi autem multiplex. *Ibidem.*

Quæcunque dixerint vobis seruate. Math. 23. Accipite quod vestrum est, & nolite discutere quod alienum est. Sicut enim sacerdotes etiam infideles docent propter fideles, melius iudicantes propter bonos etiam malos fouere, quã propter malos etiã bonos negligere: Sic & vos propter bo-

nos sacerdotes etiã malos honorate, ne propter malos etiã bonos contemnatis. Melius est enim malis iusta præstare, quam bonis iusta subtrahere. Frequenter enim & de malo homine bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra pretiosum aurum producit. Nunquid propter terram vilem pretiosum aurum contemnitur? Non, sed sicut aurum eligitur & terra relinquitur: Sic & vos doctrinam accipite & mores relinquite. Nam vt apibus herbæ necessariæ non sunt, sed flores herbarum: flores enim illæ colligunt, herbas verò relinquunt: Sic & vos flores doctrinæ colligite, & conuersationem relinquite. Fidem predicant & infideliter agunt. Pacem aliis dant, & sibi non habent. Veritatem laudant & mendacia diligunt. Auaritiam castigant, & auaritiam exercent. *Idem hom. 43. operis imperfecti.*

Vis apparere sanctus? circa tuam vitam esto austerus, circa alienam autem benignus. Audiant te homines parua mandantem, & grandia videant facientem. Talis est autem sacerdos qui sibi indulget, & ab aliis grauia exigit: quemadmodum descriptor tributi in ciuitate, qui se releuat, & onerat impotentes. *Ibidem.*

Quemadmodum gallina habens pullos vocando illos non cessat assidua voce vagositatem corrigere pullorum suorum: Sic sacerdotes in doctrina cessare non debent, vt studio suo, & assiduitate doctrinarum suarum negligentiam populi errantis emendent. *Idem hom. 46.*

Si pars aliqua domus fuerit decisa, cum labore tamen possibile est vt reparetur, si autem ipsum fundamentum fuerit conquassatum, quid faciat paterfamilias, nisi in aliquo loco noua faciat fundamenta, & lapides de priori domo transuectãs, alii sibi ædificet domũ: sic & in spiritualibus, siquidem populares peccauerint, per pœnitentiã corriguntur, si autem dissipatũ fuerit ipsum sacerdotiũ quod est populi fundamentum, quid faciat Deus? *Idem hom. 47.*

Quis fidelis seruus quẽ cõstituit Do. supra familiã. Si paterfamilias super possessionem suam villicũ ponit, vt nõ cũ singulis colonis habeat causi, sed de solo villico omniũ exigat rationẽ. Si ergo inter colonos aliqua indisciplinatio fuerit fœda, vnusquisq; pro suo delicto rens efficitur, villicus aũt pro omniũ delictis. Et si bene redditũ suũ reddiderint, vnusquisq; quidẽ pro sua fide laudatur, villicꝰ aũt pro fide

omnium renumeratur: Sic & Deus in populo ideo ordinet sacerdotes, vt actuum eorum ipsi discutiant rationem. Ideoque peccāte populo vnusquisque quidem pro suo malo punitur, sacerdotes autem pro peccatis omnium. Et bene agente populo, vnusquisque quidem pro suo bono renumeratur, sacerdos autem pro bonis omnium. *Idem hom.* 15.

Sicut semper pluuia bona est, maxime autem grata est tempore siccitatis: & visitatio quidem amicorum semper quidem suauis est, multo tamen suauior in tempore luctus: Sic & consolatio sacerdotis & doctrina semper opportuna est, maxime autem tempore persecutionis. *ibidem.*

Sicut nauis tunc præcipuè gubernatorem necessarium habet, quando tempestatem patitur, quando autem prosperata est, ipsa se dirigit, & miles præcipue necessariam habet annonam de rege, quando bellum & periculum instat, quando autem pax, vndecunque possunt se milites sustentare: Sic ecclesiæ precipuè in tempore persecutionis, doctrinam sacerdotis necessariam habent, quasi spirituales milites spiritualem annonam, quando autem securitas est, vnicuique naturalis sufficit intellectus. *ibidem.*

Sicut tubicen commisso bello pugnantem exercitum circuit, & bellicos cantus in tuba decantans, milites animat ad virtutem: Sic sacerdos persecutione imminente exponens in populo, fortissimorum martyrum glorioſa pericula, & inenarrabiles regni cœlestis coronas vincentibus præparatas. *Ibidem.*

Si asinum Deus loqui fecit, & per vatem benedictiones spirituales largitus est, multomagis per sacerdotes etiamsi praui sint, Deus efficiet omnia. *Idem hom.* 85, *in Ioan.*

Qui Christum diligit, qualis qualis tandem sacerdos sit, ipsum quoque diliget, quoniam per eum tremenda mysteria confecutus est. Dic mihi si cupidus visendi regias auro multo splendentes, & lapidum pretiosorum splendore vndique coruscantes, inuenires eum qui claues haberet, is autem rogatus abs te confestim illas reseraret, introq; te mitteret, an nō illum præ omnibus honorares? an non æque vt oculos tuos diligeres? Sacerdos vero tibi cælum aperuit, & illum nec amas, nec amplecteris. Si vxorem habes, an non eum qui tibi eam conciliauit omnium maximè amas? Ita si Christum amas, si amas regnum

cœlorum, agnosce eos per quos illud habes. Qua propter dicit, *Propter opus ipsorum pacem habete cum illis. Thessal. 4. Idem hom. decima in priorem ad Thessalonicenses.*

Si videntes viri alicuius seculari dignitate insignis familiarem operam damus, vt quantum possibile est illi præstemus obsequium, cogitantes quod quæ illi fiunt, eius Domino accedant: & quod ille familiaris, vbi significarit patrono suo, maiorem nobis apud eum fauorem conciliet: multomagis hoc erit apud vniuersorum dominum. Nam si quis in vulgarem aliquem & abiectum benignitatem & compassionem declararit: Dominus quæ fiunt sibi propria faciens, promittit se in regnum introducturum eos qui aliquid boni ei fecerint. *Idem hom. 99. in genesin.*

Sicut acetum dentibus, & fumus contrarius est oculis Prou. 10. Ita sacerdos in ecclesia prauus per acredinem peccati, fidelium sensus obtundere facit, atque erroris ignorantia, oculos cordis eorum ab intuitu fidei seu intellectu rectitudinis, dum caligant, velut fumus excæcat. Sicut hæreticorum perfidia bonis doctoribus molestiam generat & lacrymas: Sic male viuens catholicus, eis qui se fidem suam ex operibus ostendere iusserunt, per inertiam grauis est. Oculi quippe & dentes prædicatores sunt sanctæ ecclesiæ, qui ei recta itinera præuidere, & alimenta spiritalia suggerere solent. Porro acetum quod à vino degenerat, & fumus qui à vino ascendens euanescit, eos qui ab ecclesiastica charitate & suauitate per superbiam vel socordiam recedentes, hanc etiam verbis impugnant, figurate denunciant, De quibus dicit Ioannes, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. *Hieronimus libro 1. commentariorum in prouerbiorum cap. 10.*

Philosophi in sermone diuites sunt, fidei inopes, veritatis extorres, & sunt plerique simplices Domini sacerdotes in sermone pauperes abstinentia & virtute sublimes, illi multis loquuntur perfidiam, isti paucis fidem asserunt: illi suos amittunt quotidie, sacerdos hic pauper populos acquirit ecclesiæ, numeroque credentium. Qui ergo hos audierit & viderit eorum qualitatem, dicit, Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Hinc Salomon deriuauit illud quod quasi suum exposuit, Ex

multiloquio non effugies peccatum. *Ambrosius in psalmum.36.*

Cui rei similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cœleste mittit, & ipsa incloacas descendit. *Gregorius in Euangelium Lucæ, designauit Dominus septuaginta duos discipulos.*

Sacerdotes in ecclesia similitudinem habent vaccarum: Christiani verò populi, typum præferunt vitulorum. Quomodo enim vaccæ per campos & prata discurrunt, vineta & oliueta circumeunt, vt depastis herbis ac frondibus, cibum lactis præparent vitulis suis: ita sacerdotes, diuinis sanctarum scripturarum montibus assiduè legendo, verbi Dei debent flores decerpere, ex quibus spiritualis lactis filiis suis valeant cibum ministrare, vt possint partem habere cum Apostolo Paulo, qui dixit lac vobis potum dedi, non escam. Non incongrue sacerdotes vaccarum similitudinem habere videntur. Sicut enim vacca duo vbera habet, ex quibus nutriat vitulum suum: ita & sacerdotes duobus vberibus veteris scilicet & noui testamenti, debet pascere populum Christianum. Considerate tamen fratres, quia carnales vaccæ non solum ipsæ ad suos vitulos veniunt, sed etiam vituli sui eis obuiam currunt: & ita vbera matrum suarum frequenter capite percutiunt, vt aliquoties ipsarum matrum corpora de terra subleuare videantur: at tamen iniuriam ipsæ vaccæ libenter excipiunt, dum vitulorum suorum cupiunt videre profectum. Hoc etiam boni sacerdotes debent fideliter desiderare vel cupere vt filij pro salute animæ suę assiduis eos interrogationibus inquietent, vt dum filiis pulsantibus gratia diuina tribuitur, etiam sacerdotibus sanctarum scripturarum secreta reuelantibus æternum præmium præparetur. *Cæsarius Arelatensis hom.21.*

In aduersa corporis valetudine illum inquirimus, dicimusque medicum, qui tam re ipsa quam verbis male habentem curare queat. Itaque non respiciemus in hunc vel illum qui præter medici nomen nihil habeat medici, sed in eum qui sicut expedit, medicum præstare poterit. Porro si quis expertus sit & frugi & cum hoc sacerdotio fun-

gatur, ad illum imprimis accedendum est, nam poterit indigo prodesse, accedentem se diligentius curare, reconciliare & corrigere. *Nicephorus Carthophilax epistola ad Theodosium monachum.*

Vt cibus idem alterum vegetat, alterum grauat. Et sicut ex eiusdem curæ medicinalis antidoto alius interit, alius conualescit: Ita sacerdotium quod bono factum est causa spiritualis dignitatis, simoniaco factum est materia damnationis. Porro vnus est ignis quo simul & cera liquatur & terra siccatur & eadem candela quæ igne consumitur accedentes vtiliter illustrantur: lumenque quod ad suum prebet interitum inter tenebras nobis factum est videndi instrumentum. *Petrus Damianus lib. de institutione eccleſiaſt. cap. 17.*

Fuerunt hac ætate qui admirandum se remedium conseruandæ castitatis excogitauisse visi sunt, quòd superiora omnia secula non animaduerterint, vt scilicet vxores illis matrimonio iungerentur, quod tamen parum bellè illis cessisse sunt experti. Nam acrior fieri solet irritata lasciuia, atque vt physicas hic rationes, quæ parum honestè hoc loco recitarétur, præteream, licet hac similitudine rem totam intelligere. Cernimus enim vbi quis, exempli gratia, studiis literarum operam dat, quo in ea magis incumbit, maiori in dies hunc eorumdem studiorum cupiditate inflammari. Sin ea remittat ali quo temporis spatio, pigriorem ad eadem reuertit, quod & in hoc negotio vsuuenit. Quare sapientissimus è nostris quidam idemque sanctissimus, idipsum significari in illa fabulosa Hydra affirmabat, cui si caput vnum amputaretur, ex eo sanguine septem alia nascerentur, admoto verò igni eam fuisse interfectam. Si millimè si sedari cupiditatem putes, dum appetitioni indulges, & quasi caput vnum amputas, longè plura inde desideria orientur. Sin omnino deneges, & tanquam igni, sic rationis imperio cupiditatem illam opprimas, continuò morietur *Isidorus Clarius oratione. 106 tomo. 2.*

Vt vitrum copia viluit, alioqui nec auro nec argento cessurum: Ita sacerdotes ob turbam minoris fiunt, magno in precio futuri, si singulæ ciuitates singulos haberent sacerdotes, vt olim. *Erasmus, in Similibus.*

Vt magi verbis etiam non intellectis prodigiosa quædam efficiunt: Ita sacerdotes nonnulli precibus non intellectis, bona tamen fide pronunciatis, Deum conciliant ac mouent. *Ibidem.*

SACRAMENTVM.

NEque enim sic in sacramento salutari contagia delictorũ vt in lauacro carnali & seculari sordes cutis & corporis abluũtur, vt & sapone & nitris & cæteris quoque adiumentis, & dolio & piscina opus sit quibusablui & mũdari corpusculum possit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur. In sacramẽtis salutaribus necessitate cogente, & Deo indulgentiam suam largiente totum credentibus conferunt diuina compendia. *Cyprianus lib. 4. epist. ad Magnum.*

Consueuerunt laborantes in agris & vineis, post sudores operis, meridiani æstus ardorem declinare, vmbras petere, atque virentia prata eligere: quatenus in ipsorum planitie & amœnitate residentes, fesso corpori iucundius cibaria administrant. Habent etiam nautæ hoc proprium, vt post sedatas tempestates, post sulcata per tempus prolixum æquora quærant portum, sollicitè perlustrent littora, in quibus descendant, nauim religent, vela resarciant, atq; quicquid vetustate corruptum, aut procellis dissipatum est, restaurent; quatenus item flante prospero vento, marinis se fluctibus tradant. Campi ductores quoque & exercituum principes, aduersus hostes visibiles dimicare disponunt, tentoria & quædam specialia deputant loca: in quibus pro resumendis viribus, pro supplendis necessitatibus, seu medendi causa accedere valeant bellatores. Sic quippe dux noster, sic spiritualium militum inuictissimus rex Christus, certantibus in hoc spirituali & inuisibili stadio militantis Ecclesiæ, spiritualia quædam ordinauit munita præsidia, ad quæ pugnantes confugiant, vt in illis resumptis viribus vel fortes vulneribus, iterum in campum redeant acrius bellaturi. Hæc nempe tutissima & inexpugnabilia loca à Domino Iesu, eius parata militibus, ad refocillanda corda, & ad detergenda animæ vulnera, spiritualia sunt sacramenta. Per hæc namque datur lapsis requies, debilibus robur,

formidolosis audacia, & semel prostratis fiducia dimicandi. *Laurentius Iustinianus, de disciplina & perfectione monastica.*

Sacramenta nouæ legis sunt septem, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, extrema vnctio, ordo, Matrimonium. Quorum prima quinque ordinantur ad perfectionem vnius hominis in seipso. Alia duo, scilicet, ordo & matrimonium. ordinantur ad perfectionem & multiplicationem totius Ecclesiæ. Vita enim spiritalis conformatur vitæ corporali. In vita autem corporali perficitur homo, primo per generationem, quia nascitur in hoc mundo. Secundo, per augmentum quo perducitur ad quantitatem & virtutem perfectam. Tertiò per cibum quo sustentatur vita hominis & virtus. Et hæc quidem sufficerent, si nunquam eum infirmari contingeret. Sed quia frequenter homo infirmatur, quartò indiget sanatione. Sic est in vita spirituali. Primò enim indiget homo regeneratione quæ fit per baptismum, secundum illud Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non poterit introire in regnum Dei.* Secundo oportet quod homo accipiat perfectam virtutem, quasi quoddam spirituale augmentum, scilicet per sacramẽtum confirmationis, ad similitudinem Apostolorum, quos spiritussanctus aduenies confirmauit. Tertiò oportet quod homo spiritualiter nutriatur per Eucharistiæ sacramẽtum, secundum illud Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Quarto oportet quod homo sanetur spiritualiter, per sacramentum pœnitentiæ, secundum illud Psalmi. *Sana animam meam quia peccaui tibi.* Quintò spiritaliter simul & corporaliter per sacramentum extremæ vnctionis sanatur, secundum illud Iacobi vltimo, *infirmatur quis in vobis inducat presbyteros, & orẽt super eum.* Quantum autem ad communem Ecclesiæ vtilitatem, ordinantur duo sacramẽta, scilicet ordo & matrimonium. Nam per ordinem Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter, & per matrimonium multiplicatur corporaliter. *D. Thomas opusculo de Ecclesiæ Sacramentis.*

SACRIFICIVM.

IN lege animalia ratione carentia offerebantur in sacrificium: quæ nisi mactarentur, gratæ non erant oblationes,

modo quoque nisi occidatur peccatum, oblatio non est ac cepta apud Deum, & vera. *Macarius hom.* 47.

Nos multa rapiendo, pauca dando putamus Deum placare, cum magis irritemus. Dic quæso, si asinum mortuum & fœtidum è tribulis in sacrificiũ offerres: nónne te omnes lapidarent vt impium & sceleſtum? Quid ergò si ostendero oblationem quæ ex rapina fit, fœtidi asini oblatione magis execrandam esse, quam veniam merebitur? Esto, aliqua pecunia ex rapina cõdatur, nónne mortuo asino grauius olet? Vis intelligere quantus sit peccati fœtor? Audi Prophetam: *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ.* Psal. 37. Tu autem verbis Deum latere censes, quę committis, ipse autem rapinas tuas & fraudes perpetuò reminiscitur. Imponitur peccatũ tuum super altare. Nec hoc solum reprehensione dignum, sed illud etiam grauius, quod sanctorum animas coinquinas. Si quidem hoc lapis est, & sanctificatur, illæ semper Christum secum ferunt, & audes illuc tanto scelere compa rata offerre? Minimè, inquis. Neque enim eas offero pecunias, sed alias. Ridiculum hoc. Nescis quod si in multa pecunia vel gutta iniquitatis inciderit, tota coinquinatur? Et quemadmodum si quis in lympidum fontem stercus iniiciat, totum immundum reddit: ita si diuitias auaritia attige rit, omnes fœtore suo corrumpit. Cayn melius fuisset, si nihil omninò obtulisset, quã deteriora offerendo Deũ prouocare, quod si deteriora offerens, Deũ prouocet, qui aliena offert, quo pacto Deũ nõ prouocet? *Chryſoſt. hom.* 72. *in Ioannẽ.*

Sicut in area triticum hordeúmque, & id genus alia seorsum separantur: aristæ verò & paleæ, & huiusmodi quisquiliæ dissipantur aliò: Ita etiam apud nos alia sunt optima, vtilia, veros cibos præbentia, per quæ recta vita perficitur, quæ quidem offerenda Deo sunt: alia verò parum diuina, relinquenda velut reiectamenta mortali generi. *Philo. de sacrif. Abelis & Caini.*

Quemadmodum vnus atque idem homo, si Deo mane aliquid offerat, aliud vespere, pro congruentia diuini temporis: non Deum mutat, non religionem, sicut nec salutem, quæ alio modo alio vespere salutat: Ita in vniuerso tractu seculorum, cum aliud oblatum est ab antiquis sanctis, aliud ab iis qui nunc sunt, offertur: non humana præsumptione, sed auctoritate diuina, temporibus congrua, sa-

era mysteria celebrantur. Non Deus aut religio commutatur. *Augustinus, lib. sexto de Quæstionibus contra Perga. quæstione tertia.*

Vnde verus ille mediator, in quantum formam serui accipiens, mediator effectus est Dei & hominũ, homo Christus Iesus, cum in forma Dei sacrificium cum patre sumat, cum quo & vnus est Deus: tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quàm sumere: ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandũ esse creaturæ. Per hoc & sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacramẽtum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa fit corpus, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri. Huius veri sacrificij multiplicia variáque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multum cõmendaretur. Huic summo veróque sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt. *Idem lib. 10. de ciuitat. Dei, cap. 20.*

SANCTVS.

SANCTORVM VITA.

QVemadmodum præclara corpora etiam in aduersa valetudine multa nobis formæ vestigia ostendunt: Sic & Sanctorum animæ, in ipsis etiam erratis suæ virtutis signa præ se ferunt. *Chrysostomus homil. quinta de verbis Isayæ vidi Dominum.*

Quemadmodum à fonte fluenti riuis, etiamsi omnes hauriant, non solum non minuuntur fluenta, sed quanto plures hauserint, tantòmagis natura aquarum scaturit: Ita & in Sanctis fieri videmus. De his enim dicere licet, Adhuc scaturigo bonorum operum est abundantior. *Idem homil. 35. in Genesim.*

Sicut gubernator aliquis imminẽtem clauum magna vigilantia arripiens, nauem suam ab irruẽtibus malitiæ procellis submergi non est passus: Ita & hic Sanctus virtutis gubernaculum direxit. *Idem hom. 23. in Genesim.*

Sicut is qui supra excelsam petram stat, fluctus ridet

quos videt magno impetu ad fluctus rumpere, & protinus in spumam solui: Ita & Sanctus virtuti vacans, in secuto constitutus loco nihil insuaue fert à rebus turbulentis, sed tranquillus animo & quietus sedet. *Ibidem.*

Sicut egredientibus Israelitis de Ægypto, exterminata est Ægyptus: Sic & Sancti cum de isto mundo defecerint, casurus est iste mundus. *Ibidem.*

Hoc in mundo coronas non petamus, ne si aduenerit ipsum coronationis tempus, imminuerimus nobis præmia. Nam quemadmodum artificibus accidere videmus, quiquidem si ipsi se alant, & operentur, maiorem accipiunt mercedem: sin verò apud conductores ipsos victitant, non parum illis à mercede sua detrahitur: Ita & cum Sanctis agitur. Si quis & innumera bona fuerit operatus, tum verò & innumera mala perpessus, integram habet mercedem & plenissimam retributionem, non bonorum tantum quæ fecerit gratia, sed malorum etiam quæ tulerit. Qui autem requie hîc & fœlicitate fruitus est, tam splendidam isthîc coronam non est consecuturus. *Idem hom. 43. in 1. Cor.*

Sicut qui sensibilem cursum magna contentione peragit, nullum currentium videt, sed animo suo ad cursum intento facilè omnia tranſit, festinans ad destinatum scopũ: Eodem modo vir Sanctus virtutis cursu vt currat, festinat, & terra neglecta in cœlum tedire concupiscit. *Idem hom. 27. in Genesim.*

Quemadmodum pueri vilium rerum spectacula admirantur, & obstupescunt, pilis, trochis & talis inhiant, magnas autem res ne cognitione quidem capere possunt: Ita & hic. Sapiens non reputat præsentia. Ergo neque ea optabit ab alio accipere: qui sapiens non est, cõtrà afficietur, ad arachneas & vmbras, & somnia & his viliora conuertetur. *Idem hom. 70. in Ioannem.*

Sicut pes libenter seruit oculo quasi sibi seruienti, sciens quia nisi oculus suo ministerio fuerit vsus, nec ipse suo poterit vti: Sic Sancti sibi inuicem sibi debent esse subiecti, vt minori maior non inuideat quasi maiori, sed libenter ei obsequatur quasi seruienti. *Idem hom. 73. operis imperfecti.*

Sicut in corpore, alio quidem membro corrupto, nõ magnum est damnum: oculis verò læsis, vel capite contrito, totum corpus inutile redditur: sic in sanctis & magna emeritis

ritis dicendum est. Quando illi extincti fuerint, cum maculam quampiam admiserint, totum & reliquum corpus intolerabile detrimentum patietur. *Idem homil. prima ad pop. Antioch.*

Sic abscõdita est apud Deum vita sanctorum, vt qui modo laborant in terra, quasi tempore hyemis arbores nõ habentes fructum & folia, illa apparente tanquam nouo sole exorto, illud quod in radice viuebat, in fructibus appareat. Licet flagellet, castiget, amat iudicium, non derelinquet sanctos suos. *August. in Psal. 36.*

Iustorum vita palmæ comparatur, quia palma inferius tactu aspera est, & quasi aridis corticibus obuoluta, superius verò visu & fructibus pulchra. Inferius corticum suorum inuolutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur: Sic est electorum vita, despecta inferius, superius pulchra. In imo quasi multis corticibus obuoluitur dum innumeris tribulationibus angustatur. In summo verò illa quasi pulchræ viriditatis foliis, amplitudine retributionis expanditur. Habet palma quoque quo à cunctis generibus arborum differt. Omnis arbor in suo robore iuxta terram vasta subsistit, sed crescendo superius angustatur, & quanto paulisper sublimior, tanto in altum subtilior redditur. Palma verò minor ab imis inchoat, & iuxta ramos ac fructus ampliore robore exurgit, & quæ tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit: Ita huius seculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus debiles, pro temporali lucro, gloria ad mortem desudare parati sunt, pro æterna gloria, ne parum quidem in labore subsistunt. At contra iustorum vita per palmam signata, qui nequaquam in terrenis studiis sunt fortes, sed longius studiosos se exhibent Deo quam seculo. *Gregorius lib. 19. Moral. cap. 25.*

Sicut columbæ iuxta fluenta residere solent, vt volantium auium vmbram in aqua videant, supra quam se proiicientes vngues rapacium fic effugiant? Sic sancti viri in scriptura sancta fraudes dæmonum prospiciunt, & ex descriptione quam vident, quasi ex vmbra hostem cognoscunt, denique se consiliis scripturæ ex toto addicunt, vt videlicet nihil agant, nisi quod ex responso scripturarum audiunt quasi in aquam se proiicientes, hosti illudunt,

quę scripturæ fluenta plenissime dicuntur, quia de quibuscunque scrupulis in scripturis consilium quæritur, sine minoratione de omnibus ad plenum inuenitur. *Idem in capit. 5. Canticorum.*

Sicut dominium prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur: ita nomina ipsa sæpe sanctorum merita indicant, testantur insignia. Ita Abraham, quod fide credidit, nominis adiectione monstrant, quando ex Abram Abraham diuinitus nuncupatur. *Petrus Chrysologus sermone 154. de Sancto Stephano.*

Sic abscondita est apud Deum vita Sanctorum, vt qui modo laborant in terra, quasi tempore hyemis arbores non habentes fructum & folia, illo apparente tanquam nouo sole exorto, illud quod in radice viuebat, in fructibus appareat, licet castiget, flagellet, amat iudicium, non derelinquet sanctos suos. *Augustinus in Psalm. trigesimum sextum.*

Vide Exemplum vitæ.

SANCTORVM GLORIA.

NOn aliter potuit ascendere in Deum, nisi prius fieret Deus: Vt enim radius oculorum nostrorum species rerum sensibilium coloresque non prius potest sentire, quàm se solaribus radiis immisceat, vnúmque cum ipsis & in ipsis fiat: Ita animus Sanctorum puram rerum spiritualium, omnémque intellectum superantium cognitionem non sufficit accipere, nisi prius incomprehensibilem veritatis participationem dignus efficiatur habere. *Origenes hom. 2. in cap. 1. Ioannis.*

Quemadmodum gaudium est in cœlo, vt inquit Dominus, *super vno peccatore pœnitentiam agente*: Ita tristitia multa est & luctus in cœlo propter vnam animam ab æterna vita cadentem. Et sicut in hoc seculo, si quis diues obierit, cum cantu lugubri lamentatione & planctu effertur à vita per suos fratres, cognatos, amicos & familiares: ita propter eam animam omnes Sancti lugent, lamentantur, ac voces lugubres emittunt. Atque hoc alibi subindicat scriptura dicens, *Cecidit pinus: Lugete Cedri. Zacharię*

undecimo *Macarius homil. 15.*

Veluti volucris quæ in altum volauerit, secura est, aucupes aut nocentes bestias nihil metuens, quia cum supra sit, omnes habet risui: Sic anima alas spiritus adepta, ac in sublimes cœli partes euolans, cum sit excelsior omnibus, omnia deridet. *Idem hom. 30.*

Sicut in corona cum sit rotunda, nihil inuenis quod videatur initium aut finis: Sic inter Sanctos, quantum ad tempus in illo seculo, nemo nouissimus dicitur, nemo primus. *Chrysost. hom. 34. operis imperfecti.*

Quemadmodum Angeli vbicunque apparuerint, secum gloriam portant: Ita & sancti. *Idem in 1. Timoth. 2.*

Quemadmodum sol non indiget vestibus, non aliis aliquibus opus habet, sed simulatque illuxit, gloriam sui fulgoris ostendit: Ita & tunc Sancti. *Ibidem.*

Sicut modica aquæ gutta multo vino infuso, à se tota deficit, viníque saporem & colorem induit: ferrum candens pristina propriáque forma exuitur, & igni simillimum efficitur: solis radio aer perfusus, in eandem transformatur luminis claritatem: & speculum radiis solaribus directè irradiatum, solis in se recipit similitudinem, idque putares alterum esse solem: Ita etiam beati, Dei claritate in intimis suis totaliter penetrantur, sicque Deiformes effecti, in Dei similitudinem transformantur. *Cyprianus de singularitate Clericorum.*

SANCTORVM MEMORIA ET INVOCATIO.

QVemadmodum ex igne naturaliter emicat splendor, ex vnguento quoque præstanti diffunditur odor: Sic è sanctorum commemoratione gestorum, ad omnes prouenit vtilitas. *Basilius hom. in Gordium martyrem.*

Sicut nautæ hanc potissimùm maris amplectuntur partem, ob frequentes refocillationes: Sic ego hanc anni partem præcipuè amo: non quòd liberati sumus hyeme, nec quòd æstate perfruamur afflante Zephyro: sed quia crebri nos excipiũt spiritualis portus festi sanctorum dies. Nõ enim portus tã idonei sunt ad refocillãdos nautas, quàm re-

creantur fideles sanctorum memoriis . *Chrysostomus de diuersis.*

Nautas liberant littora ab inundatione aquarum, multóque impetu marinorum fluctuum: Sanctorum autem memoria fideles ad vestrorum festa confluentes, à malignis spiritibus, immundis cogitatibus magna animarum reduntur tranquillitate. *Ibidem.*

Quamuis nostræ facultates exiguæ sint, minimique pretij, attamen quæ possumus, offerimus. Ea licet non respondeant magnitudini meritorum animæ præclari iustique philogonij, tamen hoc ipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumentum, quod nec pusilla repellat, sed idem faciat quod solent diuites. Si quidem illi cum acceperint à tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponunt remunerantes eos, qui quod poterant obtulerint. Itidem & hic, cum acceperit à nobis laudem verbis peractam, qua nequaquam eget, redonabit nobis per opera sua laudationem, qua semper vti possimus. *Idem de oratione de Beato Philogonio.*

Si homines scelerati dum choreas agunt in foro, in profunda caligine noctéque intempesta, meretricias cantilenas, mollésque canentes cantiones, totam ciuitatem nobis aperiunt, & ad sese conuertunt, nos cœlestium populorum superius choris regem vniuersi celebrantibus, non accurremus? Non audiemus diuinam illam ac beatam vocem? Et quæ nobis dabitur venia? Attamen cum tantam habeat celeritatem, & oculorum aciem anima, non est ex sese sufficiens ad intelligentiam rerum spiritalium, sed opus habet illam manu porrecta deducat. Faciamus ergò quod in regum aulis facere solent, qui cupiunt eas videre. Quid autem illi faciunt. Vbi quæsierunt eum cui claues commissæ sunt, illum adeunt, alloquuntur, supplicant, frequenter & pecuniam numerant, vt ipsis gratificetur. Adeamus ergo & nos vnum eorum quibus cœlestes portæ commissæ sunt, appellemus, supplicemus, pro pecunia promptam voluntatem, syncerúmque affectum exhibeamus. Et si ille mercedem hanc acceperit, manu nostra apprehēsa per omnia circunducet, non istam supellectilem regiam, sed ipsum regē in throno sedentem, astantibus exercitibus, exercituúmque ducibus, assistentibus innumerabilium Angelorum &

Archangelorum millibus breuiter nobis omnia diligenter ostendet, quatenus nobis videre fas est. *Idem hom. 2. de verbis Isaiæ, vidi Dominum.*

SANCTORVM RELIQVIÆ.

SI paterna vestis & anulus, ac si quid huiusmodi tãto charius est posteris, quanto erga parentes maior extitit affectus. Nullo modo ipsa spernẽda sunt corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius, quam quælibet indumenta gestamus. *Augustinus lib. primo de ciuitate cap. 12.*

Dicitur rex etiam regis imago: Ita sancti dij, qui id participatione sunt effecti, quod ipse est natura. Quomodo igitur non honorandi sunt, qui filij Dei existunt? Nam honor erga gratos & benignos conseruos, benevolentiæ erga cõmunem Dominum indicium est: hi promptuarium Dei & habitacula facti sunt, & templum Dei. Fõtes nobis salutares dominator Christus reliquit sanctorum reliquias, multimoda beneficia scaturientes, vnguentum suauitatis emanantes, vt nullus diffidat. Si enim ex rupe & firmo saxo aqua in heremo profiluit, volente Deo, & ex maxilla asini Sampsoni sitienti: ex martyrum reliquiis vnguentum suaue olẽs emanare incredibile est? Nullo profectò pacto iis, qui sciunt Dei virtutem, & ab ipso sanctorum honorẽ. In lege Num. 19. omnis qui tangebat mortuũ immundus erat: hîc autem non sic. quomodo enim mortui sunt, qui viuunt, nõ tanget eos tormentum mortis, &c. viuũt, quomodo per eos dæmones abiguntur, infirmi curantur, cæci vident, lepros mundantur, tentationes tristitiæ soluuntur? Quantum laborares vt inuenires adiutorem, qui te ad mortalem regẽ adduceret, & pro te ad ipsum sermones faceret: adiutores ergo totius generis Deo pro nobis supplicationes porrigentes, non honorandi sunt? certè honorandi. Templa à nobis Deo erigenda sunt in ipsorũ nomine, in Psalmis, hymnis, odis spiritualibus. Nam iis quibus delectatur Deus & colitur, coluntur & delectantur eius serui: quæ despicit, despiciunt & eius clientes, statuas imagines visibiles ipsorum, Mariam, vt matrem Domini, Apostolum, Exercitatores, id est confessores, qui diuturniori martyrio certarunt. *Damascenus lib. 4. cap. 16. Orthodoxæ fidei.*

SCientia sapientis tanquam inundatio abūdabit, & consilium illius sicut fons vitæ permanet. *Eccl.21.*

Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo. Quod si aliquis nobis ex infidelibus argutè occurrat, & dicat, Quomodo potest idem esse sapiens & stultus? dicemus ad eum. Respice ad artes istas quæ in vsu hominum habentur, quomodo ille qui sapientissimus est grammaticus, in arte fabrili insipientissimus inueniatur, vel rursus sapientissimus gubernator, quomodo in arte medicinæ inuenitur insipiēs. Sic ergo possibile est in his quæ ad Deum pertinent esse sapientem: in his quæ ad seculum pertinent, esse insipientem. *Origenes lib. 10. in epist. ad Rom. cap. 16.*

Sicut medicorum quidam gnari curationis omniū fermè vitiorum, morborum, languorúmque, nullius eorum rationem verā, aut verissimilē possunt reddere? alij contrà vehementer facūdi, signorū & causarum remediorúmq; ex quibus ars constat, interpretes optimi, in tractandis ægrorum corporibus sunt ignauissimi, ne minimū quidem remediū adhibere idonei: Ita qui se exercent in operibus sapientiæ plerúnq; verba negligunt: qui verò dicendi artes callent, nullam bonam disciplinam habent recōditam. Hos igitur infræni lingua fretos insolenter efferri mirandum non est, ostentātes quàm semper exercuerint insolētiā. Sed illos spectandos suaserim, qui tāquam medici callent ratione sanādi morbos, pestésq; animæ, donec Deus etiam interpretem optimum instruxerit, imbre suo perfusis fontibus, & illi sapienti indicatis. *Philo. lib. quod deterius potiori insidietur.*

Sicut odoramenta replent suaueolentia proximos: eodē modo vicini sapientis, & contermini ex afflatu eius latissimè se diffundente meliores euadunt. Cæterùm maximum beneficium animæ certanti laborantíque contingit comes Deus omnipotens. *Idem lib. de somniis.*

Sapientia moro arbori comparatur, quæ dicitur sapiētissima arborum. Nam vltimā flores producit, prima verò fructus. Ita non est diu antea ostentandum quod possimus vel velimus, tardè promittendum, & maturè tunc præstādum. *Peraldus in summa virtutum.*

Non ex ebore tantū phidias sciebat facere simulacra, faciebat ex ære, si marmor illi, si adhuc vilioré materiā obtu-

liſſes, feciſſet quale ex illa optimum fieri poſſet. Sic ſapiés virtutem ſi licebit in diuitiis explicabit, ſin minus in paupertate, ſi poterit in patria, ſin min⁹ in exilio, ſi poterit imperator, ſin minus miles, ſi poterit integer, ſi minus debilis, quancúmque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet *Seneca. epiſt. 86.*

Quomodo quorumdam lapidum inexpugnabilis ferro duritia eſt, nec ſecari adamas, aut cædi vel teri poteſt, ſed incurrentia vltro retundit, quemadmodum quædem non poſſunt igne conſumi, ſed flamma circumfuſa rigorem ſuũ habitúmque conſeruat, quemadmodum proiecti in altum ſcopuli mare frangunt, nec ipſi vlla ſæuitię veſtigia tot verberari procellis oſtentant: Ita ſapientis animus ſolidus eſt, & id roboris collegit, vt tam longe ſit ab iniuria quam illa quæ retulit. *Idem, lib. 2. de tranquillitate.*

Et pueri os parentum feriunt, & crines matris turbauit lacerauítque infans, & ſputo aſperſit, aut nudauit in conſpectu ſuorum tegenda, & verbis obſcœnioribus nõ pepercit: & nihil horum cõtumeliam dicimus. Quare? quia fecit, contemnere non poteſt. Eadem cauſa eſt, cur nos mãcipiorum noſtrorum vrbanitas in dominos contumelioſa delectet: quorum audacia ita demum ſibi in cõuiuiis ius facit, ſi cœpit à domino. Vt quiſque contemptiſſimus, & vt maximè ludibrio eſt, ita ſolutiſſimæ linguæ eſt. Pueros quidé in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiã acuunt, & ſub magiſtro habẽt, qui probra meditatè effundunt. Nec has contumelias vocamus, ad argutias. Quanta autem demẽtia eſt, hiſdem modo delectari, modò offendi, & rem ab amico dictam, maledictum vocare, à ſeruo ioculare conuicium? Quem animũ nos aduerſus pueros habebimus, hunc ſapiens aduerſus omnes, quibus etiam poſt iuuentã canóſque puerilitas eſt. An quiçquã illi profecerunt, quibus animi mala ſunt, auctíque in maius errores, qui à pueris magnitudine tantum formáque corporum differunt? Non immeritò itaque horum eõtumelias ſapiẽs vt iocos accipit, & aliquando illos tanquam pueros, malo pœnáque admonet, & afficit, nõ quia accepit iniuriam, ſed quia fecerunt, vt deſinant facere. Sic enim & pecora verbere domãtur: nec irascimur illis cum ſeſſorem recuſauerint, ſed compeſcimus, vt dolor contumaciam vincat. *Idem, lib. 2. ad Serenum, cap. 11.*

Quis phrenetico medicus irascitur? quisue febricitantis & frigida prohibiti, maledicta in malam partem accepit? Hunc affectum aduersus omnes habet sapiens, quemadmodum aduersus ægros suos medicus: quorum nec obscœna si remedio egent, contrectare, nec reliquias & effusa intueri dedignatur, nec per furorem fœuientium excipere conuicia. Scit sapiens, omnes hos qui togati, purpuratique incedunt, valentes coloratósque malè sanos esse, quos nõ aliter videt quàm ægros intemperatos. Itaque ne succenset quidem, si quid in morbo petulantius ausi sunt aduersus medentem. Quo animo honores eorum nihilo æstimat, eodẽ parum honorificè facta. Quemadmodum non placet sibi, si illum medicus coluerit: nec contumeliam iudicabit, si illi honor plebis vltimæ salutanti mutuam salutationem non reddiderit: Sic nec se suspiciet quidem, si illum multi diuites suspexerint. *Ibidem.*

Non respicit quid homines turpe iudicent, aut miserum, non it quà populus, sed vt sidera contrarium mundo iter intendunt: Ita hic aduersus opinionem omnium vadit. *Ibidem, cap.* 19.

Spiritus sapientiæ solus dat veram sapientiam, & sapidã facit scientiam: quæ cum alicui inest, inæstimabilis sapor iucundat & reficit, & de illa dictum est: Sapiẽtia non intrat in maleuolam animam. hæc autem à solo Deo est, & sicut officium baptizandi Dominus concessit multis, potestatem verò & autoritatem in baptismo remittendi peccata, sibi soli retinet: vnde Ioannes antonomicè & discretiuè de eo dixit, Hic est qui baptizat in spiritu sancto: Ita de eo possumus dicere, Hic est qui sapientiæ saporem dat, sapidam animæ facit sapientiam: sermo datur siquidem multis, sapientia paucis, quam distribuit Dominus cui vult, & quomodo vult. *Aug. de scala paradisi.*

Tenebræ ipsæ per priuationem lucis fiunt, ita vt lux quidem reuera existat, tenebræ verò nihil penitus sint. Ita, inquit, igitur est sapientia ad stultitiam: opera enim stultitiæ transeunt, perpetuam punitionem conciliantia suis cultoribus: opera verò sapientiæ in perpetuum durant: æternáque cultores suos lætitia afficiunt. *Olympiodorus, in Eccles. cap.*

Quemadmodum visus circa omnia visibilia, & auditus

circa omnia audibilia versantur: Sic sapientia circa omnia genera entium. *Pythagoras, apud Stobæum, ser. de virtute.*

Quemadmodum ex templi ianua aperta, pulcherrima simulachra perspiciuntur: Sic ex ore sapientis animi, simulachra conspiciuntur. *Socrates, apud Stobæum, ser. eod.*

Vt qui nauigant ventis secundis, instrumēta quoque parata habent, quibus se contra tempestatem aduersam muniant: Ita qui cum bona fortuna sapiunt, etiam ad infortunia animi affectus præparant. *Idem, apud Stobæum, ser. 1. de prudentia.*

Veluti gubernatorēs ventorum mutationibus se accommodant nauigaturi: Sic vir reuera sapiēs, animi sui affectus obseruat, ne ab his deiiciatur. *Aristonymus, apud Stobæum, ser. 1. de prudentia.*

Vt paulatim vmbra remissa sentimus nos magis esse in lumine; Ita sensim imminuta stultitia, in sapientia proficimus. *Plutarchus in Moralibus.*

Vt qui vehementer esurit aut sitit, nulla re potest auelli, donec sedauerit appetentiam: Sic omnia posthabenda sitienti sapientiam. *Ibidem.*

Vt verus amor erga mulierem non desiderat testem, sed sat habet, si clam ea potiatur: ita vir sapiens recti conscientia contentus. At qui fictè amant, ostentant & iactant. *Ibidem.*

Vt stultitia etsi adepta est quod concupiuit, nunquam se tamen satis consecutam putat: Sic sapientia semper eo cōtenta est quod adest, neque vnquam sui pœnitet. *Cicero, lib. 5. tusculanar.*

Vt medicorum scientiam non ipsius artis sed bonæ valetudinis causa probamus, & gubernatoris ars, quia bene nauigandi rationem habet, vtilitate non arte laudatur: Sic sapientia quæ ars viuendi putanda est, non expeteretur, si nihil efficeret, nunc expetitur, quia est tanquam artifex cōquirendæ & comparandæ voluptatis. *Idem, lib. 1. de Finibus.*

Quemadmodum sæpe fit, vt is qui commendatus sit alicui, pluris eum faciat, cui commendatus sit, quam illum à quo fit: Sic minimè mirum est, primùm nos sapientiæ commendari, ab initiis naturæ, post autem ipsam sapientiā nobis charioremfieri, quàm illa sint à quibus ad hanc venerimus. *Idem, lib. 7.*

Sicut Mercurius quàm minimo spacio discedit à sole, licet alioqui vagus & errabundus: Ita nõ oportet longius ab honesto discedere sapientem. *Plinius, lib. 2. cap. 17.*

Sicuti mundus vndíque teres ac rotundus sibi constat: Ita sapiens nihil extra se quærit, seipso contentus. *Idem, lib. 2. cap. 2.*

Sicuti Maronem vinum, cuius meminit Homerus, vicies tanto aquæ mixtum, tamen vigorem suum seruat: Ita sapiens nullis soluitur voluptatibus. *Idem lib. 14. cap. 4.*

Vt halcyones etiam media hyeme mare tranquillũ præstant, non sibi solùm, sed aliis quoque: Ita sapiens turbatissimis rebus non solùm ipse tuebitur animi tranquillitatem, sed alios concitatos componet ac sedabit. *Idem, lib. 10. cap. 23.*

Vt in culice non minus admiranda naturæ vis est, quàm in elephante: Ita sapiens in maximis pariter ac minimis negociis, magnum virum ostendit. Aut ingenij vis etiam in ludicro atque humili argumento elucet. *Idem, lib. 11. cap. 2.*

Vt cochleæ lentè ingrediuntur, nec quicquam attingũt, aut vsquam sese mouent, nisi cornibus prætentarint: Ita sapientem oportet esse cunctabundum, minimèque præcipitem, & pedetentim aggredi, gustu quodam prius sumpto. *Idem, lib. 9. cap. 3.*

Vt indomita vis adamanti, vnde & nomen additum gẽmæ, adeò vt nec caleſcat igni, nec ferro cedat, quin magis ictum ita respuens, vti ferrum simul & incudes dissiliant: Sic sapientis animus aduersus omnem fortunæ sæuientis impetum inuictus. *Idem, lib. 37. cap. 4.*

Sicut animantia quædam etiam corporis partes amputant, ob quæ periclitari sese sciunt, veluti fiber: Ita sapiẽtis est aliquando facultatum iactura, vitæ consulere. *Idem, lib. 8. cap. 30. & lib. 36. cap. 16.*

Quemadmodum visus longissimè tẽdit, plurimásque rerum formas amplectitur: & mens quasi regina, quodcúnq; opus est, ratione atque excogitatione perficit: ac visus quidam, visque est rerum preclarissimarum: & sol ipse est oculus, atque animus naturæ totius, per quem scilicet omnia cernuntur, gignuntur, nutriuntur, augentur, & fouentur: ita in mundo sapientia. *Politianus in Lamia.*

Vt Deus plurimùm sapiens & intelligens minimum lo-

quitur, ita sapiens non nisi necessaria loquetur. *Erasmus, in similibus.*

Tradunt physici veteres solem marinis aquis pasci, lunã dulcibus: ita sapientes amara quærunt, modo vtilia: Stulti quæ delectant modo, sectantur. *Ibidem.*

Vt imperiti tempestatem non sentiunt, nisi serò, suóque malo: contrà prudentes agricolæ prospiciunt, eauéntque: Ita vulgus hominũ improuidum suo malo discit, cum interim vir sapiens procul præuisum malum vitet. Vt Democritus metente fratre ardentissimo æstu, monuit vt reliquæ segeti parceret, raperétque desecta sub tectum: paucis mox horis sæuo imbre vaticinatione approbata. *Ibidem.*

Vt ingentes obelisci magno quidem negotio statuuntur & collocantur ob immensum molis pondus, sed collocati semel, infinitis durant seculis: Ita arduum est virtutis aut sapientiæ famam parare, sed parata nũquam intermoritur. *Ibidem.*

SCANDALVM.

Sicut in corpore, aliquo quidem membro corrupto, non est magnum damnum: oculis verò læsis, vel capite contrito, totum corpus inutile redditur: Sic & qui in alta quadam tanquam virtutis specula, cum multa claritate constitutus, ab omnibus admirationi habitus, quando cecidit, magnam ruinam & iacturam facit, non tantùm quia ex alto cecidit, sed quoniam aliis multis scandali materia est, in ipsum respicientibus. *Chrysost. Hom. 1. de verbis apostoli: Modico vino vtere.*

Sicut vbicunque fuerit triticum, necesse est vt inueniatur illic & zizania: Sic vbicunque fuerit bonum Dei, illic erit & scandalum inimici. *Idem, Hom. 13. oper. imperf.*

Sicut quod de alto cadit, grandem sonum facit, vt audiãt omnes: Sic & qui de alto gradu cadit, ruina illius vbiq; auditur. *Ibidem, Hom. 40.*

Quod græcè scãdalon dicitur, nos offensionẽ vel ruinã & impactionẽ pedis possumus dicere. Contingit enim quod aliquando aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingẽs disponitur ad ruinã, & talis obex dicitur scãdalũ. Et similiter in processu viæ spiritalis cõtingit aliquẽ disponi

ad ruinam spiritualem per dictum vel factum alterius, inquantum scilicet aliquis sua admonitione, inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum. Et hoc propriè dicitur scandalum. Nihil autem secundum propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi secundum quòd habet aliquem defectum rectitudinis, quia id quod est per fectè rectum, magis minuit hominem contra casum, quã ad ruinam inducat. Et ideò conuenienter dicitur, quod dictum vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ sit scandalum. *Thomas. 2.1. quæst. 45. ar. 1.*

SCRIPTVRA SACRA.

SCRIPTVRAE SACRAE AVTORITAS.

SCripturæ nostræ non sunt similes fabulis quæ feruntur de Iouis filiis, sed certis argumentis nituntur. *Iustinus martyr apologia. 2. pro Christianis.*

Quemadmodum multis in hodiernum diẽ videtur Maria esse puerpera propter ortum filij, cum non sit puerpera. Dicunt enim aliqui eam postquam peperisset inspectam, ab obstetrice inuentram fuisse virginem: Tales sunt nobis scripturæ dominicæ, veritatem parientes, & manentes virgines, cum occultatione mysteriorum. Peperit, & non peperit, inquit scriptura, vt quæ ex se non ex coniunctione conceperit. His enim qui sunt cognitione præditi, conceperunt scripturæ. Hæreses autem, vt quæ non intellexerint, amãdant, tanquam quæ non intellexerint. *Clemens Alexandrinus lib. 7. stromatum.*

Sicut in nouissimis diebus verbum Dei ex Mariæ carne vestitum, processit in hunc mũdum, & aliud quidem erat quod videbatur, aliud quod intelligebatur. Carnis namque aspectus patebat omnibus, paucis verò & electis dabatur diuinitatis agnitio: Ita & cum per prophetas vel legislatorem verbum Dei procedit ad homines, non absque competentibus profertur indumentis. Nam sicut ibi carnis: ita hic velamine literæ tegitur, vt litera quidem aspiciatur, tanquam caro, latens verò intrinsecus spiritualis sensus tanquam diuinitas sentiatur. *Origenes hom. 1. in Leuiticum.*

Si eadem græci eloquuntur venustius, non statim putandum est ea dici melius quam simplicia nostra enunciata frugaliter. Quod si dicendum est aliquid pene incredibi-

le, hæc ipsa communia dogmata, melius tradi in Hebræorum prophetarum, aut Christianorũ literis, exemplo à cibis sumpto probabimus. Sit aliquis salubris cibus, vescẽtibus ad robur conferẽs eum bene paratum & aromatibus conditum sumant, non homines inassueti, agrestes ruri educati frugaliter, sed soli delicati & diuites. Eundem non lautiorum more, sed suo modo paratum edant pauperes, & vulgus rusticum multa hominum millia. Fac deinde diuites illos bene valere, solos fruentes suis condimẽtis, attingente nemine alio: vulgus item suo paratu contentum, valere prosperè. Vtris magis gratias habebimus ob communicatum cibum, iisne qui eum sic parauerunt, vt optimatibus tantum sit vtilis, an iis qui sic vt etiam vulgo prodesset cum vtiq; æq; bene valeãt, vtrolibet modo cibus paretur? Rex ipse loquitur medicum vtiliorẽ esse in publicum, qui multorũ quã qui paucorũ sanitatis rationem habeat. Hoc exemplum si est intellectum, transeamus à cibis corporis ad cibos animarũ rationaliũ proprios, & videamus an non Plato & Græcorũ similes sapientes similes sint medicis illis qui solis lautioribus prospiciunt neglecta plebeiorum multitudine: Iudæorũ verò prophetæ & Iesu discipuli, qui valere iusserunt verborum ornamenta, totãq; humanã sapientiã, sua lingua ænigmatica referunt illos qui cibos curant quàmsaluberrimos ea compositione verborum, eoque apparatu qui sit accõmodatissimus ad captũ multitudinis consuetam linguam desiderantis, & offendi solitæ verborũ nouitatibus, inauditisque antea disputationibus. *Idem lib. 7. contra Celsum.*

Quemadmodũ rex qui scribit literas ad eos, quibus codicillos & peculiaria munera largiri desiderat, edicit omnibus, nempe, Satagite quãprimum ad me venire, vt accipiatis à me regia dona: qui nisi venerint & acceperint, nihilomelioris conditionis erunt, quod has legerint epistolas: imò potius capitali supplicio tenebuntur, quod venire neglexerint, & manu regia honorarium consequi: Hũc in modum rex Deus misit in hunc mundum scripturas diuinas velut epistolas quibus significauit, vt inuocantes Deum & credentes postulent & accipiant donum cœleste ex hypostasi diuinitatis eius. Scriptum est enim quò fiamus diuinæ consortes naturæ. *Macarius hom. 36.*

Nō oportet accipere quæ in sacra scriptura tradūtur, quæ si ex hominibus veniāt, altius initiū spectandū reor, ex deo nēpe, & inde per homines quasi canales ad nos ꝓmanare. Quemadmodū enim regius minister, siue tu eū preconem nuncupēs, regiæ præceptū & vocē imitatur dicēs, iussi, sententiā tuā declaraui: Sic ꝓphetæ sancti linguā quasi calamū prebent excellentissimo scribæ, quem nullus scriptor describere, nec vllus pictor delineare poteſt, iuxta Dauidis vaticinium. Si quis autem locus se offert obscurior, aut patribus tibi consulendum est, aut scientiarum Deus precib⁹ fatigandus. *Procopius Gazeus in præfatione in geneſin.*

SCRIPTVRÆ SACRAE DIGNITAS.

VEluti fullones ac tinctores qui medicamētis quibusdā rem tingendā præparāt, atq; ita demū colorē quem cupiunt, siue purpureū, siue aliquē aliū inducunt: Sic & nos si gloria pulchritudinis vitæ huius quā tantopere laudamus, illita nobis mansura sit, nisi prius purgati sacras & arcanas scripturæ disciplinas non facilè attingēmus aut percipiemus. *Basilius hom. de legendis gentilium libris.*

Et si breue verbū, sed multa virtus. Quoniam & gemmæ nō in corporis tumore, sed naturæ pulchritudine pretiū habēt. Sic & scripturarū lectio. Peregrina verò doctrina multas iactans nugas, & multā detinens auditores loquacitate, vacuis remittit manibus, nullū neque magnū neq; paruū lucrātes emolumentū. *Chryſoſtomus ho. 1. ad popu. Antiochenū.*

Quomodo in his nostris literis non poteſt quis ad legēda verba texēdaq; procedere, nisi prius ab elemētis cœperit: Ita etiam in scripturis diuinis, non valemus ea quæ maiora sunt, noſſe, nisi ab ipsis Ethicæ mandatis habuerimus exordium, secundum illud quod propheta dicit. *A mandatis tuis intellexi. Pſal. 118.* quod videlicet poſt opera cœperit habere scientiam secretorum. *Hieronymus epiſtola ad Paulam.*

Matutinos solis ortus si quis spectare desiderat, emundat oculos suos, ne quid pulueris, ne quid purgamentorum oculis eius insidiat, quo intuentis hebetetur obtutus, ne ve aliqua caligo nebulosa corporeos visus spectātis obducat. Sol Christus incipit, oritur in lectione Scripturarum, emunda oculos mentis, animiq; interiores obtutus, ne qua festuca peccati faciē tui præstingat ingenij, & pueri cordis turbet aspectū. Emūda autē aurē vt vaſe syncero scripturæ diuinæ nitida fluēta suſpicias, ne qua ingrediatur cōtagio.

Caue autē solis perpendere magnitudinē, ne nimius fulgor eius visum tuæ mentis excæcet. & qui è regione in radium eius intendit repercusso lumine, omnē subito amittit aspectum, ac nisi in cæteras partes vultum suum oculosq; conuertat, æstimet se nihil videre, & intuendi munere esse fraudatum, si vero deflectat obtutum, integrum sibi perseuerat officium. *Ambrosius lib. 4. exameron cap. 1*

Impossibile est immundam animam quantalibet desudauerit lectionis instantia adipisci scientiam spiritualem. Nemo enim in vas fœtidum atque putridum siue corruptum, vnguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut precioſi quicquā liquoris infundit. Facilius enim quamuis odoratissimam myrrhā semel horrendis imbuta fœtoribus testa cōtaminat, quàm vt aliquid ex eo suauitatis aut gratiæ ipsa concipiat: quia citius munda corrumpuntur, quàm corrupta mundantur: Ita & vas pectoris nostri, nisi prius fuerit ab omni fœtidissima vitiorum cōtagione purgatum, non merebitur suscipere illud benedictionis vnguentum, de quo dicitur: Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron, Quod descendit in oram vestimenti eius. nec illam scientiam spiritalem & eloquia Scripturarum, quæ dulciora super mel & fauum, impolluta seruabit. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci eum tenebris? Quæ autē cōuētio Iesu ad Belial? *Cassianus Collat. 14. cap. 14.*

Qui sacrorum voluminum lectioni, & memoriæ scripturarum diligenter insistunt, carnalia tamen vitia non relinquunt, similes sūt illi mulieri de qua dicitur in Prouer. cap. 11. Sicut inauris aurea in naribꝰ suis, ita mulieris malè moratæ species. Quid enim prodest quempiam ornamentum eloquiorum cœlestium, & illam precioſissimam Scripturarum speciem consequi, si eam lutulentis operibus vel sensibus inhærendo, quasi immūdissimam terrā subigendo cōfringat, aut cœnosis libidinum suarum polluat volutabris? fiet enim, vt quod rectè vtentibus decori esse consuerit, non solùm istos ornare non possit, verumetiam maioris cœni colluuione sordescat. Ex ore enim peccatoris non est pulchra laudatio. *Idem Collat. 14. cap. 16.*

In hac lectione quid spiritualis intelligentiæ lateat, si scire volumus, verborum flosculos non quæramus. Qui maturitatis fructum non quærit, despicit amœna campo-

tum. Violæ rosæ lilia, narcissus grati flores, sed gratior panis. Quod est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus: quod dat panis vitæ, hoc scientia dat saluti. *Petrus Chrysologus, sermone.* 18.

Draconites nec poliri potest, nec artem admittit, alioqui elegans ac transluces: Ita diuina scriptura suum habet nitorem, nec artificium philosophiæ aut rhetoricæ admittit. *Erasmus in similibus.*

SCRIPTVRÆ SACRÆ VBERTAS.

ET manducauerunt omnes & saturati sunt: Manducantium autem numerus fuit quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis. Non sunt panes nisi quinque, manducantes autem plus milibus quinque. Illi manducant, panes crescunt: Certamen fit inter panes & homines: vincunt panes, superantur homines. Illi sufficiunt: isti deficiunt. Nisi enim mãducare homines cessassent, fortasse in infinitum panes creuissent. Sic igitur & cibus spiritualis, sic panis vtriusque testamenti, quanto plus comeditur, tanto amplius crescit. Nonne vides quomodo panis iste mihi quoque in faucibus crescit? Pauca enim verba sunt quæ exponuntur: quæ si quis comedendi auidus, & ruminandi validus, qui & dentes fortiores, & stomachum saniorem haberet, ruminare adhuc & plus frangere voluisset, multas adhuc delitias eis parare sibi potuisset. *Eusebius emyssenus hom. dominicæ 4. quadragesimæ.* 26.

Omnis medicus ex herbarum succis, vel arborum, vel etiam metallorum venis, vel animantium naturis, profutura corporibus medicamenta componit. Sed herbas istas si quis fortè antè quàm ratione artis cõponantur, aspiciat, siquidem in agris aut montibus velut fœnum vile conculcat & proterit: si verò istas intra medici scholam dispositas per ordinem viderit, licet odorem tristem fortè & austerum reddant, tamen suspicabitur eas curæ vel remedij aliquid continere, etiamsi nondum quæ vel qualis sit sanitatis ac remedij virtus, agnouerit. Veni nunc ad Iesum cœlestem medicum: intra ad hanc stationem medicinæ eius Ecclesiam: & quia Iesus hic qui medicus est, & verbũ Dei est ægris suis, non herbarum succis, sed verborum

sacramenti

sacramentis medicamenta conquirit: quæ verborũ medicamenta, siquis incultius per liberos velut per agros videat esse dispersa, ignorans singulorum dictorum virtutem, vt vilia hæc, & nullum sermonis cultum habentia præteribit: qui verò ex aliqua parte didicerit animarum apud Christum esse medicinam, intelliget profectò ex his libris qui in Ecclesia recitantur, tanquam ex agris & montibus salutares herbas assumere vnumquẽque debere sermonũ duntaxat vim: vt si quis ille est in anima languor, non tam exterioribus frontis & corticis, quàm succi interioris haustæ virtute sanetur. *Origenes homil. 8. in Leuit.*

Si qui fodiunt in terra metalla, ne minima quidẽ frusta prætereunt, verum vbi nacti fuerint aliquam venam aureã, meatus omnes exactè circũspiciunt, multòmagis hoc facere nos oportet in scripturis. Et tamen in metallis difficile est inuenire quod venantur. Etenim cum & metalla sint terra, & aurum nihil aliud sit quam terra, ipsa quoque naturæ communio similitudoque cælat aspectum eorum quæ quæruntur. Attamen ne sic quidem desistunt illi, sed omnem adhibent diligentiam, quantumvis simulatque viderint, sciant quid verè sit aurum. In scripturis autem nõ est eadem ratio. Neque enim proponitur aurum terræ cõmixtum, sed purum est aurum: *Eloquia*, inquit, *Dei pura, argentum igne exploratum, probatum terra.* Si quidem scripturæ non sunt metalla, quæ indigent operariis, sed thesaurum prebent paratum his qui quærunt opes in ipsis reconditas *Chrysostomus, hom. 2. in verba Isayæ, vidi Dominum.*

Sicut ex thesauro siquis vel paruum fructum capere valet, multas sibi parat diuitias: Ita in scriptura sacra etiam in breui dictione variam sententiarum vim, & indicibiles diuitias inuenire licet. Eadem similis est fonti largis & perennibus scaturienti fluentis. Hæc est spiritualium fõtium & fluminum natura, quo quis plus vndæ sumpserit, hoc magis scaturiant. *Idem hom. 3. in Genesin.*

Sicut thimiamata quantomagis digitis atteruntur, tantomaiorem natura sua fragrantiam reddunt: Ita in diuinis scripturis vsuenit, quanto quis illis est familiarior, tantomagis videre potest latentem in eis thesaurum pluresq; percipere indicibilium eius diuitiarũ fructus. *Ibidẽ hom. 12.*

Si in scriptis secularibus quæ ab hominibus cõficiuntur,

de rebus caducis sæpe tempora corrumpuntur tempore assignato vel vnâ prolemij syllabam deesse, multum momenti fuerit. Quantomagis id in diuinis scripturis à spiritu sancto compositis inuenitur? Non enim est apiculus vel syllaba, in quo non sit thesaurus, modo intenta mente omnia consuleremus. *Ibidem hom. 21.*

Sicut qui sensibiles thesauros effodere conantur, non in superficie solum fodiunt, sed in profundum descendunt, penitiores terræ sinus scrutantur, tametsi sæpe post labores & sudores vix paucas portiunculas afferunt: Non sic in spiritualibus, sed labor hic minor, & magna vbertas. Ita & nos ad ima scripturarum descendentes, vim in breuiculis verbis latentem inuestigemus. *Ibidem.*

Qui thesaurum effodiunt in mundo, licet infinitas inde capiant diuitias, non prius absistunt, quàm totum exhauserint? Multomagis hoc nos in diuinis facere thesauris conuenit. nec prius retrocedere, quam totum exhauserimus apparens. Apparens autem dixi, quoniam omnia exhaurire non datur. *Idem hom. super oratione Annæ.*

Quemadmodum in auri metallis, ne minimam quidem venam quispiam qui rem intelligat, omittere patitur, vt pote quæ ad augendas diuitias plurimum faciat: Ita in diuinis scripturis, ne vnum iota aut vnus apex, sed ne dimidium quiddam prætermitendum est, sed omnia diligẽtius inuestiganda. Nam à spiritu sancto omnia proueniũt, neque in his quicquam superfluum, nihil non necessarium. *Idem hom. 35. in Ioannem*

Quomodo in stamine ex quo dependent fimbriæ subtegmen intexitur, & tota vestimenti virtus in stamine est. Ita in variis sensibus scripturarum, in quibus vestis ecclesiæ omnis intexitur, miscentur aliqua de natura, de moribus. Et hoc ipsum significat vestis Aaron, auro, purpura, cocco, byssо, hyacinthoque contexta, quã fecerũt mulieres, quib⁹ deus ad texendũ dedit sapientiã. *Hieronym⁹ epist. ad principiã.*

Pascua sũt libri scripturarũ cœlestiũ, in quib⁹ recreamur & reficimur, cũ ea quæ scripta sũt degustamus, vel summo ore libata frequẽtius ruminamus. his pascuis grex Domini saginatur. Carpis illic nouũ florẽ, qui bonũ odorẽ dedit resurrectionis. Carpis liliũ in quo sit splendor æternitatis. Carpis rosã, hoc est Domini corporis sanguinem. Pascitur os nostrũ hic, cũ loquimur mandata verbi Dei. Pascitur

oculus interior, lucernæ spiritualis lumine, quæ nobis in hac mundi nocte prælucet, ne sicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus vestigiis, & viam veram inuenire nequeamus. *Ambrosius sermone.14.*

Mare est scriptura diuina, habens in se sensus profundos altitudinem propheticorum ænigmatũ, in quod mare plurima introeunt flumina, & huius fluminis plenitudine quicunque acceperit, eleuat vocem suam, ex hoc flumine aqua saliens in vitam æternam quæ lætificat ciuitatẽ Dei. Colligehinc aquam christi quæ laudat Dominum, collige de locis plurib⁹, quã offundũt nubes ꝓphetic æ. *Idẽ lib.7.epist.44.*

Sicut qui auro commixtam argentoreã ve effodiunt, simulatq; in multa quædam ramenta inciderint, eiusmodi vestigia sectantes, vberiores rimantur venas, neq; prius ab effodiendo desistunt, quam multam auri vim copiamque inuenerint. Ita exhauriendi scripturarũ fontes. *Theodoretus sermone 3. de Græcarum affectionum curatione.*

Satis propriè Scriptura diuina agro optimo ac fertili cõparatur, qui cũ multa gignat ac ꝓferat quæ ad hominũ victũ, sine aliqua ignis coctione proficiant, quædã nisi prius flammæ calore mitigata atq; molita, omnem asperitatẽ suæ depositerint cruditatis, vel incõgrua erũt vsibus humanis, vel noxia. Nõnulla verò ita in vtrũq; apta nascũtur, vt nec incocta sua cruditate displiceãt vel offendãt, & tamẽ ignis calore lenita, salubriora reddãtur. Plura quoq; ad escã tãtũ modo irrationabiliũ iumentorũ & animaliũ mitiũ, vel ferarũ, siue volatiliũ oriũtur vsum, cibis hominũ minimè profutura: quæ etiã in sua asperitate manẽtia, absq; vlla ignis confectione, vitalẽ iumentis conferũt saturitatem. Quã rationẽ satis euidẽter aspicim⁹ in hoc vberrimo Scripturarũ spiritualiũ paradiso contineri: in quo ita quædã signatione literæ plana ac luculẽta resplẽdent, vt cũ sublimiore interpretatione nõ egeãt, simplici tamẽ literæ sono, abũdè pascãt ac nutriãt audiẽtes: vt est, Audi Israel, &c. Diliges dominũ deũ tuũ, &c. Quædã aũt si allegorię explanatione extenuata nõ fuerint, & spiritalis ignis examinatione molita nullo modo ad salutarẽ interioris hominis cibũ, sine corruptionis labe peruenierẽt, magisq; ex eorũ perceptione læsio, quàm vtilitas aliqua subsequatur. vt est illud, Sint lumbi, &c. Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat

sibi gladium. &: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Quod quidam districtissimi monachorũ habentes quidé zelũ sed non secundũ scientiã, simpliciter intelligentes, fecerunt sibi cruces ligneas, easq; iugiter humeris circunferentes, non ædificationé, sed risum cunctis videntibus intulerũt. Nonnulla verò ad vtramque perceptionem, id est, ad historicam & allegoricam ita cõmoda sunt ac necessaria, vt vtraq; explanatio vitales animæ succos impertiatur vt est illud: Si quis te percusserit in maxillam dextram, præbe illi & alteram. &c. Cum vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. &, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia. Producit sanè & fœnũ iumentis, quibus pabulis omnes Scripturarum repleti sunt campi, simplex scilicet puraque narratio historiæ lectionis: qua simpliciores utique, & minus capaces perfectæ & integræ rationis (de quibus dicitur: Homines & iumenta saluabis Domine) secundum status ac mensuræ suæ conditionem ad opus tuum & laborem actualis vitæ vegetiores robustioresque reddantur. *Cassianus Collat. 8. cap. 3.*

Omnes sitientes venite ad aquas: Isa. 55. Aquæ sunt Scripturæ, quibus spiritualium continentur mysteria gratiarum prouer. 5. Bibe aquam de cisterna tua, deriuentur fontes tui fotàs. Aquæ istæ Domini sunt & qui emerit eas eius fiũt, nec Domini esse desistunt. Inuitat ad has omnes, sed præcipuè qui non habent argẽtum. Certè in omni negociatione terrena, magis illi solent inuitari ad emendum, qui habent argentum: hæc autẽ negociatio tota cœlestis est. Quid ergo est, argentum non habere, nisi in prophetia seculari, vel prudentia eloquij non cõfidere? Talis erat Moyses, cũ diceret ad Dominum. *Obsecro Domine, non sum eloquens, &c. impeditioris linguæ sum.* Ita Salomon *Prou. 30. Stultissimus sum virorum. Non didici sapientiam.* Sed eiusmodi non habentibus argentum hoc, ipsa humilis conscientia magnum est emptionis precium. *Rupertus in Matth. lib. 3.*

Cur hoc displiceat in sensibus scripturarum, quod in vsibus rerum assiduè experimur? In quãtos sola aqua nostrorum assumitur corporum vsus? Ita vnusquisque diuinus sermo non erit abs re, si diuersos pariat intellectus, diuersis animarum necessitatibus & vsibus accommodandos. *Bernardus sermone. 5. in cœna Domini.*

SOlent medici prebere interdum cibum aliquem, interdum etiam potum dare, verbi gratia, ad discutiendam caliginem visus, nec tamen in edendo ipso cibo, vel in potando sentimus? quia vtile est, & prodest oculis, sed cũ transierit visum cibi illius, aut poculi virtus paulatim purgat aspectũ, & tunc demũ sentire incipimus, quia cibus ille vel potus profuit oculis. Sed & in aliis similiter corporis partibus, eadem fieri solent. Hoc ergo modo credendũ est etiã de scriptura sancta quia vtilis est, & animæ prodest, etiam si sensus noster ad præsens intelligentiam non capit, quoniam, vt diximus, bonæ virtutes quæ nobis adsunt, reficiuntur in his sermonibus, & pascuntur, & contrariæ torpescũt iis meditationibus, & effugãtur. *Idem hom. 20. in Iesum Naue.*

Sicut corpori medicaméta Deus præparauit ex herbis arte disciplinaq; cõposiris·Ita etiã animę medicaméta præparauit in his sermonibus, quos per diuinas scripturas seminauit atq; dispersit, vt hi qui aliqua ægritudine fuerint oppressi, statim vt vim morbi senserint, atq; alicuius vulneris stimulũ doloremque prospexerint, requirant aptam & conuenientem sibi rationabilem disciplinam, quæ ex eis præceptis dei posset mederi. Hui⁹ medicinæ ἀρχιατρος est Christus, discipuli sunt medici. *Idem hom. 1. in psalm. 37.*

Quemadmodum in herbis singulæ habent suas vires siue advaletudinem corporum, siue ad aliquid aliud, nectamen omnium est scire ad quam rem vna quæque herba sit vtilis, sed eorum duntaxat qui circa herbas versantur, adeò vt sciant quando sumpta, & quem ad locum corporis adhibita, & quomodo parata vtentibus prosit· Sic herbarius (vt sic dicam) sanctus & spiritalis, colligit è sacris libris vnum quodque iota & quod libet elementum, inuestigatque literæ potestatem, & quorsum singulæ valeant, nihl eorum que delineata sunt, prætermittit. Quod si lubet aliud exemplum accipere, singula corporis membra ad aliquem vsum à Deo opifice effecta sunt. An non omnium est scire quæ cuiusque membri vsque ad minutula sit vis atque vsus? Qui enim circa corporum dissecationes occupantur, illi ipsi sunt qui possunt explicare, ad quam vtili-

tatem membra singula, etiam minima, à prouidentia sunt procreata. Considera igitur mihi scripturas hoc modo, quasdam esse herbas aut vnum perfectum verbi corpus. Quod si neque herbarius fueris scripturarum neque sector propheticorum verborum, ne proinde puta aliquid earum scriptum esse prætereundum, sed teipsum solum non diuinas literas incusa, quippe qui minimè scriptorum ratione consequaris. *Idem cap.* 11. *Philocali.*

Vt oculi nostri ad externa contuenda cum se totos effundant, se interim nō vidēt, nisi forte quiduis solidum attingant, cuius quidem illius in se refractione, quasi è quopiam aquarum refluxu ipsi in se resilientes ac retroacti se sibi spectandos exibeāt & visendos: itidem & mens nostra cętera cū videat, minimè cernit seipsam, nisi acie fixius intē ta scripturarum contemplationi. *Basilius hom.* 10. *Exameron.*

Nautæ cum procellam digressi fuerint, & multum deinceps pelagus decurrentes, in portum discesserint quietum, dimittentes vela, deponentes remos, egredientes nauim, quiete sese somno recreantes, robustiores conatus reliquam ad nauigationem præparant. Hos imitemur, atque omni procella, tumultuque & fluctibus liberati, quasi tranquillum ad quemdam portum, scripturarum ad lectionem impellamus animas. Etenim portus est à fluctibus liber, murus firmissimus, turris minimè nutans, gloria non diripienda, non vitianda, firma fœlicitas, minimè languens, continua voluptas & quotquot dixerit quis bona, sacra cōperiet in scriptura. *Chrysosto. hom.* 7. *de pœnitēt.*

Quemadmodū medici grauissimorū morborū causas atque curā diligētius docēt, vt in difficilioribus exercitati qui discūt, facile quid sibi in aliis faciendū sit intelligāt: Sic diuinæ literæ maxima delicta in mediū posuerūt, vt inde minora etiā conténentes, facilius rationem curationis inueniant. *Idem hom.* 27. *in Mathæum.*

Audiamus qui scripturarum lectionem negligimus, quātum damnum patiamur. Opulenti si quidem, qui cupiditate pecuniarum insaniunt assiduè vestes suas, ne à tineis corodātur, excutiūt: tu verò cū obliuio omnibus tineis maior ac peior pestis animam tuam deuotet, nō accedes ad libros, nō excuties tineas, non ordinabis animam tuam, non aspicies continuè imaginem virtutis, nec membra eius &

caput considerabis. *Idem. hom. 48. in Matheum.*

Quemadmodum arma regalia reposita etiãsi nemo fuerit qui possideat, tamen his qui habitant in ædibus multam prebent custodiam ac tutamẽ, dum neque latrones, neque parietum perfossores, neque alius quispiam sceleratorum audet eam aggredi domum. Sic vbicunque fuerint libri spirituales, illinc à nobis expellitur vis diabolica, multáque habitantibus accedit consolatio. Quandoquidem ipse etiam librorum aspectus, segniores nos reddit ad peccandum. *Idem concione 3. de Lazaro.*

Magnum malum est ignorare scripturas: ex quibus enim oportet adiuuari ex his lædimur. Sic enim & medicamenta curatiuam habentia virtutem, propter vtentium imperitiã, corrumpunt frequenter & perdunt: & siquis arma custodire, idonea tractare nesciat, ab eis perditur. Est autem causa, quod potius aliena quærimus quam nobis vtilia. *Ibdẽ hom. 42. ad populum Antiochenum.*

Sicut de turribus iacula contra omnes hostes iactantur. Sic de Propheticis libris contra vanas gẽtilium fabulas, & contra insanas hæreticorum disputationes, salutaria veritatis proponuntur exempla. *ibidem hom. 10. operis imperf.*

Thesaurus sunt diuina eloquia. Sicut enim qui de sensibili thesauro vnam gemmam recipiens, magnas sibi parat diuitias: ita & hic iustorum virtutes, modo attendere voluerimus, tantam nobis vtilitatem afferre possunt, vt ad imitandum eos excitemur. *Idem hom. 60.*

Quemadmodum floridum quoddam pratum varios & omnigenos flores ostentat: Ita diuina Scriptura iustorum virtutes nobis demonstrat, non vt sicut in illorum florum flagrantia tempore paruo fruamur, sed vt perpetuam inde vtilitatem recipiamus. Illic manu tantùm accipimus flores, & protinus marcescentes suam gratiam amittent: hic non autem sic: sed quando auribus iustorum virtutes accipimus, & eas in sinus mentis reponimus, per omne tempus si voluerimus, eorum suaueolentia frui potuimus. *Idem hom. 43. in Genesim.*

Omnia præter diuinam doctrinam vana & superflua, ad eam nullum tempus intempestiuum, sit aliena licet domus ingredienda, vir clarus ab obscuro interpellãdus, nũquam

eius contemnenda occasio. Cibus, balneæ, cœnæ, reliquaque secularia statutum habent tempus: hæc nullo tempore circumscribitur, omne ei commodum tempus est. Opportunè, ait Paulus, importunè. Moyses in lege semper, Dauid die ac nocte meditandum ait. Secularia, cibus, balneæ, cœnæ, vt necessaria ita frequentia, reddunt corpus imbecillum, diuina doctrina quantomagis imbuitur, tanto fortior efficitur. In illis nugis inutiliter tẽpus vniuersum consumimus, mane, meridie, vespere, crepusculo frustra desidemus. Diuinum autem pabulum si semel bisque ad summũ audimus, vt saturi nauseamus. Praua circa illa cupiditate appetitum dissoluimus: ideóque spiritalem cibum fastidimus. *Idem hom. 17. in Ioan.*

A scripturis spiritualia arma accipimus, verum si ea nos induere, & discipulos armare ignorabimus, ipsa quidẽ proprias habent vires, accipientibus autem nihil afferunt vtilitatis. Esto thorax & galea firmissima, & clypeus & hasta, inde quis thoraca pedibus, galeam pro capite oculis aptet, clypeo non pectus, sed pedes protegat. Nunquid huic homini ea arma quid conferent, & non potius lædent? plane hoc constat, non tamen armorum culpa, sed illius vti nescientis: ita & in scripturis vsuuenit, si earum ordinem confundemus, ipsæ quidem vim suam retinent, nobis autem nihil conferunt. *Idem hom. 29. in Ioan.*

Qui non ingreditur per ostium, &c. Ioan. 10. Meritò ostium scripturas appellat, quoniam nos ad Deum ducunt, & eius nobis cognitionem aperiunt: ipsæ oues faciunt, ipsę custodiũt neque lupos irrumpere permittũt. Tanquam enim ostium firmissimum hæreticos arcent, & in tuto constituũt: neque nos modo velimus aberrare vnquam sinent. Et nisi hoc ostium infringamus, nunquam nos inimici nostri poterunt expugnare, per hoc ostium & pastores, & alij omnes ingredimur: in ouile autem, hoc est ad oues & eorum curã. Qui enim sacra non vtitur scriptura sed ascendit aliunde, id est, non concessa via, is fur est. *Idem hom. 18. in Ioannem.*

Ne pũtes solitario duntaxat eruditionibus istis quæ ex scripturis sunt, opus esse. Nam eis potissimum pueris necessariæ sunt. Quemadmodum enim apparatu nauium, gubernatoréq; ac supplemento nautarũ non ita opus habet, qui semper in portu cõsistit, atque qui semper in mari versatur;

ita habent & mundanus & solitarius. Ille quidem in portu tranquillo est, quietam & otiosam vitam, atque ab omni tẽ pestate liberam viuens: iste verò perpetuus in marinis negotiis est, fluctu atq; in medio mari, cum multis & magnis procellis pugnam habens. Et si ipse non habuerit opus, instructum tamen esse oportet, vt aliorum linguas obturet. Itáque quanto celebrior fuerit filius tuus in hac præsenti vita, tantomagis opus habebit ista eruditione. *Idem hom. 21. ad Ephesios.*

Non sane omnia quæ gesta narrantur, aliquid etiã significare putanda sunt, sed propter illa quæ aliquid significãt, etiam illa quæ nihil significant, attexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur, sed vt hoc fieri possit, etiam cętera aratri membra sunt necessaria. Et soli nerui in cytharis atque huiusmodi vasis musicis aptantur ad cantum, sed vt aptare possint, insunt & cætera in compaginibus organorũ, quæ non percutiuntur à canentibus, sed ea quæ percussa resonant, his connectuntur: Ita in Prophetica historia dicuntur & aliqua quæ nihil significant, sed quibus adhæreant, quæ significant & quodammodo religentur: *August. lib. 16. de ciuitate cap. 2.*

Sicut lignum iuxta aquam plantatum sterile esse non potest: Ita qui frequenter legi Dei studet, non potest eius operis nõ habere affectum. Lignum dat fructum tempore suo, Sic & hic qui legi Dei obtemperat, fructum habebit tempore præfinito. Humore decurrẽtis aquæ vegetatum lignum folia continet sua. Sicut ergo lignum auxilio decurrentis aquæ siccitatem non sentit: Ita & hic qui legi Dei studet, accedente tentatione, præsidio Dei tutus, non amittit sed acquirit salutem. *Idem quæst. 110. ex vtroque testamento.*

Sicut ferrum nisi vsum fuerit, æruginem contrahit, Ita & anima nisi frequentius diuinis exerceatur lectionibus, nascentur illi peccata. *Ibidem quæst. 120.*

Vt thus non redolet nisi ponatur in igne, nec virtus synapi sentitur, nisi conteratur in lapide: Ita nulla sacræ scripturæ sentẽtia vim suam declarat, nisi cocta in corde. *Idem in speculo peccatorum.*

Si hi qui magnum mare littorali parant nauigatione trãsmittere, altioris compendium cursus itidem vt nos fiduciæ infirmitatem vitantes, agrum & vrbes litore deductas,

capti locorum decore frequenter inuisunt: Quanto magis nos in tanto non elementorum, sed gestorum cœlestium siti profundo, viciniores legere portus, & frequentes amare debemus excursus, ne quis longæ nauigationis tædio fatigatus, fastidio vomitum tenere non possit. Certè si quis in tutæ ratis vitia infida perspexerit, tanquam frequenti librorum portu obiecto, licet vt auriũ vela deponat, lectionis anchoram figat, non videtur deseruisse nauigium, sed confecisse cursum qui descendit in portum. Et plerísque locis fortasse amœnitas locorum ipsa inuitet prætermeantem. Nam si Vlyxem illum (vt fabulæ ferunt) licet & Propheta dixerit, Habitabunt in ea filiæ Syrenarum: & si non dixisset Propheta, nemo tamen iure reprehenderet: cum & gigantes, & vallem Titanum Scriptura comprehenderit. Si ergo Vlyxem illum post decem annorum exilia, quibus bellatum in Ilio est, decémque erroris annos festinantẽ ad patriam, Lotophagi suauitate baccarum tenere potuerunt, si horti Alcinoi retardarunt, si postremò Syrenes cantu vocis illectũ, ad illud famosum voluptatis naufragium penè deduxerant, nisi aduersus illecebrosæ sonitus cantilenæ, inserta cera sociorum clausisset aures: Quanto magis religiosos viros factorum cœlestium decet ammiratione mulceri? Atque hîc iam non baccarum suauitas haurienda, sed panis ille qui de cœlo descendit: non area Alcinoi spectanda, sed sacramenta sunt Christi. Non claudendæ igitur aures, sed referandæ sunt, vt Christi vox possit audire: quam quisque perceperit, naufragium non timebit. *Ambros. libr. 4. in Lucam, in præfatione.*

Scriptura sacra cibus est nobis in obscurioribus, quòd quasi exponendo frangitur, & mandẽdo glutitur: potus est in locis apertioribus, quia ita absorbetur, sicut inuenitur. *Gregorius, in Morabbus libro 1. cap. 21.*

Arcus est Scriptura, de qua ad corda hominũ sicut feriendes sagittæ, sic terrentes sententię veniunt. Hunc arcũ Deus tetendit, quia peccatoribus per Scripturarum minas exhibet, in eo parauit vasa mortis: quia secundum eloquij sui sententiam, eos qui nunc corrigi negligũt, reprobos damnat. *Idem lib. 19. capite 28.*

Sicut ex vno auro alij merenulas, alij annulos, alij dextralia ad ornamentum faciunt: Ita ex vna scripturę scien-

tia expositores quique, per innumeros intellectus, quasi varia ornamenta componunt, quæ tamen omnia ad decorem cœlestis sponsæ proficiunt. *Idem Epistola* 101.

Scriptura dū intrinsecus radiat, velut pretiosissima quæque gemma in profundum fulgorem considerantiū demittit oculos *Eucherius Epistola ad Valerianum.*

Post hæc turris, Scriptura Canonica veteris & noui Testamenti conuenienter intelligi, quæ per Spiritum sanctum, velut turris excelsa, constructa est, mille pendent clypei ex ea. Hic numerus per plenitudinem vniuersitatis accipitur, sicut in Psalmo: Verbi quod mandauit in generationes, tanquam diceret, In omnes generationes. Itaque in hac sancta Scriptura omnis armatura fortium reperitur, ex qua vel contra diabolum, vel contra ministros eius fortiter repugnatur. nam & ipse Dominus, cum in deserto à diabolo tentaretur, ex hac turri arma produxit, cum eum prolatis ex sacra Scriptura testimoniis vsquequaque deuicit. *Iustus in Cantica Canticorum.*

Fauus distillans labia tua: expositio Scripturarum sacrarum, mel & lac in doctrina tua sub lingua tua: eo quòd lacte paruulos nutris, in melle diuersorum vulnerum peccatorum putredines tollis. *Ibidem.*

Vide Testamentum vetus & nouum.

SCRIPTVRÆ SACRÆ DIFFICVLTAS.

Sicut non idcircò refellitur diuina prouidētia, ab his maximè qui eam esse certi sunt, quia opera eius vel dispensationes humanis ingeniis comprehendere non possunt: Ita nec scripturæ quidē sanctæ diuina esse inspiratio, quæ per corpus eius extenditur, propterea non putabitur, quod infirmitas intelligentiæ nostræ non valet per singula verba occultas & latentes inuestigare sententias, dum in vilioribus & incomptis verborum vasculis, diuinæ sapientiæ thesaurus absconditur, sicut & Apostolus designat, dicens, Habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus, vt eo magis diuinæ potentiæ vis effulgeat, dum nullus humanæ intelligentiæ fucus, in dogmatum veritate miscetur. Si enim vel arte Rhetorica, vel Philosophica calliditate

conscripti liberi nostri ad credendum illicerent homines, sine dubio fides nostra putaretur in verborum arte consiste re, atque in humana sapientia, & non in virtute Dei. *Origenes, lib. 4. Periarchon, cap. 1.*

Vt enim non omnium est, herbarum genera virtutésque nosse, & si quis imperitus aut nescius in agrum his salubribus herbis diuitem venerit, omnia inutilia & promiscuè genita existimans præteribit. At verò si peritus & doctus hûc pretiosum in his germinibus agrum fuerit ingressus, omnia quæ ab aliis præterita erunt demetet, & ea quæ ab ignaris erunt neglecta mirabitur, sciens quando vtile metendorum eorum tempus sit, & in quæ genera sanitatum his vtêdum sit, & quantum ex his, & quousque; moderandum sit: Sic & in diuinis scripturis esse intelligendum est, si eas impia auris, & mens rustica audiat, tanquam otiosas & nõ necessarias negligat. At verò si cadens ad cognitionem Dei auditor ac lector astiterit, & cui frequens lectio & spiritualis gratiæ donum scientiam diiudicandi singula intelligẽdíque præstiterit, mirabitur omnia, atque his secundum naturales eorum virtutes & efficientias vtetur, non ignarus, quando quid præsumendum sit, & in quam curationem eligendum, quando ex eo corpori sanatio, quando animæ medela tribuẽda sit, ne quid præposterum, ne quid importunũ ac tardum, sed collatis & virtutibus & temporibus, & rebus nõ imperitè his quæ sibi comperta fuerint vtetur. *Hilarius, in Psal. 134.*

Non ita vilis est scripturæ sacræ sermo, vt vulgo indocili & per terram adhuc repentibus homunculis pateat. Nõ est ergo omnium mouere de talibus, sed eorum qui ingenium & industriam suam in θεωρίαν atque scientiæ assumpserint disciplinis, & eorum qui norunt amotis corporibus & materia, incorporalia & spiritalia conspicari. Ante omnia verò illorum est, qui & anima & corpore iam purgati sunt: vt minimum qui certè purgantur. Qui verò minus purus est, quomodo audet aurum contingere? Quoniam quidem nec imbecilles oculi solis radios contuentur, impunè igitur ita demum sentire aliquid de talibus possumus, si ocium geramus & quietem, & contineamus nos ab omnibus quæ forinsecus interturbant materiæ corporalis illecebris: si absque omni desideriorum & cogitationum seditio-

ne, mens nostra consistat impuris autem & sordidis auribus, quomodo pura & sancta miscemus? Tale est, quale si quis fœtoribus cœni admisceat suaues odores, & stercori nectar infundat. *Greg. Nazianz. ser. quod non liceat semper & publicè de Deo contendere.*

Sicut in cœlo cælatur Deus: Sic in scripturis absconditur Et sicut hoc cœlum corporale, omnes homines vident, non autem aspiciunt Deum inhabitantem in eo: Sic & scripturas diuinas omnes quidem homines legunt, non tamē omnes intelligūt Deum veritatis positum in scripturis, nisi quī fuerit sic baptizatus, vt accipiat spiritum sanctum. *Chrysost. Hom. 4. oper. imperf.*

Sicut in bello non omnis qui pugnat, vincit, nemo tamē vincere potest, nisi pugnauerit: Sic non omnes qui student & legunt, acquirent scientiam spiritalem, nemo tamen acquirere potest nisi aut qui studiosus fuerit ad legēdum, aut assiduus ad audiendum. *Idem, Hom. 18.*

Diuinæ Scripturæ similes sunt Silenis illis Alcibiadæis, quæ sub tectorio sordido ac penè ridiculo merum numen claudunt. Alioqui si sine allegoria legeris Adæ historiam, si nihil vltra superficiem quæsieris, non video, quid ita multo magis operæpretium sis facturus, quàm si cantaueris luteum simulachrum Promethei, ignem dolo subductum, & simulachro inditum lutum animasse: imò plusculo fructu legitur fabula poëtica cum allegoria, quàm narratio sacrorum librorum, si consistas in cortice. *Idem, de fato, ser. 21.*

A Scripturis spiritualia arma accipimus: verum si ea nos inducre, & discipulos armare ignorabimus, ipsa quidem proprias habent vires, accipientibus autem nihil afferunt vtilitatis. Esto thorax, & galea firmissima, & clypeus, & hasta: inde quis thoraca pedibus, galeam pro capite oculis aptet, clypeo non pectus, sed pedes protegat, nunquid huic homini ea arma quid conferent, & non potius lædēt? Planè hoc constat: non tamen armorum culpa, sed iis vti nescientis: Ita & in Scripturis vsuenit: si earum ordinem confundemus, ipsæ quidem vim suam retinent, nobis autem nihil conferuut. *Idem Homil. 29. in Ioan.*

Si aliquis ea quæ ad militiam pertinent, scire voluerit, necesse est vt leges militares in ipsa discat Et siquis gu-

bernatoriam disciplinam vel fabricam lignariam discere voluerit, aut aliquid aliud, necesse est eum quæ ad artem pertinent, discere. Hic autem nihil tale volunt, cũ hæc scripturarum disciplina plurima vigilantia opus habeat. *Idem, Hom. 8. ad Hebræos.*

Sicut palea frumentum: Sic litera tegit spiritum. Sed quia iumentorum est paleis vesci, hominum frumentis, qui humana ratione vtitur, paleas abiiciat, frumenta spiritus edere disponat. *Greg. prologo in cantica.*

Sicut Iacob luctatus est cum angelo in quo Deus erat, qui & victum se fatebatur: Ita luctari debet verbi Dei amator cum sermone vel scriptura in qua Deus est, quæ ex Deo est, nec dimittere antequam vincat vinci volentem, sensumque comprehendat vtilem in litera iacentem. Lucta enim pulcherrima est, tam diu perseuerare petendo, donec inueniat pulsando, donec sibi aperiatur, hæc lucta placet Deo, hac cupit ipse vinci, hac fortitudine opus est, vt nobis aperiat & det sanctum. *Rupertus, lib. 6.*

Sicut Iacob virgas populeas & virides & amygdalinas & ex platanis, & ex parte decorticauit eas, detractisq; corticibus in his quæ spoliata fuerant candor apparuit. illa verò quæ integra, viridia permanserunt, ita effectus est color varius. Sic iuxta mysticum exemplum illud, nõ passim vel vbique sed in plerisque locis corticem literæ detrahimus, & candorem allegoriæ tenemus. *Idem, epist. ad summum pontificem de glorificatione trinitatis.*

Sic est in spiritualibus cibis quomodo in corporalibus, vt in quibusdam sapor præsto sit, in aliquibus oportet laborare quæ manifesta sunt nostro non indigent ministerio, quæ vero clausa sunt, diligentem volunt habere considerato rem. Neque mater tradit paruulo nucem integram, sed frãgit eam & nucleum porrigit. *Bernardus, ser. in cœna Domini.*

Si dicta vel facta Christi passim carnalibus sensibus subiicerentur, torpesceret animus, mens vacaret, dormiret ingenium, cor tabesceret, extingueretur quicquid humani vigoris est & caloris. Proposuit, inquit, illis parabolam. Sicut in lapide friget ignis, latet ignis in ferro, ipse tamen ignis lapidis ac ferri collisione flammatur: Sic obscurum verbum, verbi ac sensus collatione resplendet. *Petrus Chrysologus, ser. 96.*

Quemadmodum humectos fructus, & qui necdum possint moli, vt fiant farina, aut simila, quando voluerimus aptos esui reddere, igne eos confringentes, paleas eorum in eo quòd eos frangimus, separamus: Sic quicunque necdum scientiam solidam habemus, nec subtilem, excelsamque theologiam (necdum enim illam discernere idonei sumus, spiritalium Scripturarum perfectam scientiam nō habentes) opus habemus eam in igne spiritus frangere: id est, illius operationem & subministrationem nobis commodare, vt ab ea literæ paleas separemus. *Hesychius, Leuiticum, lib. 1. cap. 2.*

SENECTVS.

Sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuit: Sic in senectute honorem legitimum cōsequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicuius exercitatione non laborauit *Cyprianus de 12. abusionibus.*

Animus in senectute potius confortatur, tunc viget, tūc exultat. Sicut enim corpus vsquequo febribus detinetur, & subsequētibus inuicē ægritudinibus, etiāsi sit validū, tamen affligitur: cū autē liberatū fuerit ab obsessione illa morborū, recreat propriā virtutē: Sic etiā animus in iuuentute febribus laborat & amor gloriæ & delitiarū, & venerearū rerū & aliarum multarum imaginationum illum potissimū occupat: cum autem senectus aduenerit, omnes has passiones effugat, alias per satietatem, alias per philosophiam. *Chrysost. Hom. 7. ad Heb.*

Iuuentus pelago furenti similis est, immitibus vndis ac malis ventis referto: canicies verò velut in tranquillo portu fouet eorum animos qui consenuerunt. *Idem, Hom. cum presbyter esset designatus.*

Sicut corpora habentibus pinguia & valida, nullum erit valetudinis emolumentum, si animus deiectus fuerit, & segnis & degener: sic & confectis nullum erit ex imbecillitate nocumentum, si animus generosus & expergefactus fuerit. *Idem, Hom. 1. ad popul. Antioch.*

Vt qui variis tempestatibus huc & illuc iactatus est nec tamen peruenit, non multum nauigauit, sed multum iactatus est: Sic qui diu vixit, nec profecit ad bonos mores, non

diu vixit, sed diu fuit. *Seneca de brevitate vitæ.*

Meliora præteruolant, deteriora sequuntur. Quemadmodum ex amphora primum quod est synceriſſimum effluit, grauiſſimum quod turbidum subsidit: Sic in ætate noſtra, quod est optimum primum est, id exhauriri in aliis potius patimur, vt fecem nobis reſeruemus. *Idem, epiſt.* 108.

Non accepimus vitam breuem sed fecimus, nec inopes eius sed prodigi sumus. Sicut amplæ & regiæ opes vbi ad malum dominum peruenerunt, momento diſſipantur. At quãuis modicæ si bono Domino traditæ sunt, vſu creſcunt: Ita ætas noſtra bene diſponenti multum patet. *Idem de brevitate vitæ.*

Quemadmodum in naue quæ sentinam trahit, vni rimæ aut alteri obſiſtitur, vbi plurimis locis laxari cœpit & cedere, succurri non potest nauigio dehiſcenti: Ita in senili corpore aliquatenus imbecillitas ſuſtineri & fulciri potest, vbi tãquam in putri ædificio omnis iunctura dilabitur: & dum alia excipitur, alia diſcinditur, circumſpiciendum est quomodo exeas. *Idem, lib. 2. epiſt.* 30.

Quemadmodum nouem menſibus nos tenet maternus vterus, & præparat non ſibi, sed illi loco, in quem videmur emitti, iam idonei ſpiritum trahere, & in aperto durare: Sic per hoc ſpacium quod ab infantia patet in senectutem, in alium naturæ ſumimur partum. *Idem, lib. 2. epiſt.* 103.

Adiice illos, qui non aliter quàm quibus difficilis ſomnus, verſant ſe, & hoc atque illo modo ponunt, donec quietem laſſitudine inueniant, ſtatum vitæ ſuæ formando, ſubinde in eo nouiſſimè manent, in quo illos non mutandi odium, sed senectus ad nouandum pigra deprehendit. *Idem, apud Eraſmum.*

Vt non omne vinum, Sic non omnis ætas, vetuſtate coaleſcit. *Cicero, in Catone Maiore, vel de Senectute.*

Vt adoleſcentem, in quo senile est aliquid: Sic senem, in quo adoleſcentis probi est aliquid, laudamus. *Ibidem.*

Vt petulantia & libido magis est adoleſcentum, quàm ſenum: nec tamen omnium adoleſcentum, sed non proborũ: Sic iſta senilis ſtultitia, quæ deliratio appellari ſolet, senum est leuium, non omnium. *Ibidem.*

Vt adoleſcentibus bona indole præditis, ſapientes senes delectan-

delectantur, leuiórque fit eorum senectus, qui à iuuentute coluntur, & diliguntur: Sic adolescentes senum præceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur. *Ibidem*

Vt non qui multum cecinit, aut rhetoricatus est, aut gubernauit, laudatur, sed qui scitè: Sic non qui diu vixit, sed qui bene. *Plutarchus in Moral.*

Ibin aiunt, vbi consenuit, iámque quod erat turbidum, expirauit, magis aromaticè olere: Sic gloria senũ tranquillior, & consilia sedatiora. *Ibidem.*

Vt gaudent, qui à furiosis dominis aufugerunt: Sic gaudere debent senes, qui ætatis beneficio libidine non infestantur. *Ibidem.*

Vt cantor senex nõ omittit artem, nec abiicit lyram, sed leuiores sequitur harmonias. & vocis fugitat contentionẽ, iuuenibus aptiorem: Sic in senectute non oportet à Republica prorsus desistere, sed eligere negotia remissiora, quæ conueniant ætati. *Ibidem.*

Vt aqua vino admixta reddit illud moderatius, & sobriæ nymphæ deum temulentum compescunt: Sic in Republica senes admixti, iuuenum temeritatem & ambitionem reuerentia sui reddunt moderatiorem. *Ibidem.*

Nouella vitis copiosius gignit vinum, sed vetustior melius: ita plura loquuntur iuuenes, sed vtiliora senes. *Ibidem.*

Sicuti non eadem discunt viri quæ pueri, sed suæ cuique ætati disciplinæ conueniunt: Sic interdum natura fert vt animæ pueriles maneant etiam in senilibus corporibus, & contrà perfectæ inueniantur in florentibus adhuc & pubentibus. *Philo, lib. de Profugis.*

Rationem tui habeto ante obitus diem, antequam scilicet tibi sol obtenebrescat, & luna, & stellæ: huiusce modi enim tenebræ vnicuique contingunt in extremo vitæ obitu. Tu itaque curato salutem tuam, priusquam in aquam terrámque soluaris. Corpus enim hoc nostrum, quod veluti nubes quædam videtur animæ superincumbere, ac superpositum esse, defunctis nobis in similia elementa resoluitur, aquam scilicet atque aërem. In ipso etiam mortis die domus, hoc est, animæ custodes commouentur, & obliquũ declinant, ac remittuntur quæ prius rectæ ac intensæ fuerant rationis vires, quæ hoc loco viri fortitudinis nuncu-

pantur: dolent enim ac conturbantur in ipso formidabili à corpore nostro exitu. Possunt & custodes domus intelligi, corporis nostri materiales oculi ac sensibiles, qui in mortis articulo contuendi vires extingui sentiunt. Tunc etiam molentes ocioſi sunt, hoc est, dentes ipsi ac molares, qui inditos ori cibos molunt atque comminuunt: nō quòd prorsus numero pauci fiant, sed quia ad paucitatem virtutis officiisque deueniant. Pupillæ quoque oculorum, quæ veluti per foramina quædam prospiciunt, tenebris obducuntur, cum meatus omnes, & operationum viæ, quibus vsi sumus in vita, penitus occluduntur. Incipit enim tunc homo tenui vocis filo ac infirmo loqui, cum in extremo respirat, voce vix ægréque & per dentes resonante. Prius itaque quàm te hæc mortis incommoda comprehendant, cura vt in officio sis, operesque virtutem. *Olympiodorus, in eccl. cap.* 12.

Vita nostra persimilis est vino, cum supereſt modicè, acescit. *Antiphanes, apud Stobæum, ser.* 113.

Vide Pueritia.

SERMO.

SERMONIS VSVS.

NOnne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum melius quam datum. *Eccl.* 18.

Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius: Sic verbum ex cogitatu cordis hominis. *Eccl.* 27.

Quemadmodū qui mala vtuntur oratione, nihil differūt ab his qui malo facto vtuntur, calumnia enim est ministra gladij, & affert dolorem maledictum, ex quibus est vitæ euersio, hæc autem fuerint opera improbæ orationis: ita etiā qui bona vtuntur oratione, prope accedunt ad eos, qui bonis factis vtuntur. Est enim salutaris oratio, sicut opus salutare. *Clemens Alexand. lib.* 1. *stromat.*

Sicut equi hinnitus est proprius, latratus canis, bouis mugitus, rugitus leonis. Sic sermo hominis. Hic est enim propriè munimentum, indumentum, armatura & arx hominis, animalis Deo chariſſimi. Et quemadmodum doloribus, timoribus, aliisque malis pressos fauor, sedulitas, dexteritá ſ-

que amicorum sæpe refouet: Sic non sæpe sed semper grauissima onera, quæ nobis imponit vel corporis coniuncti necessitas, vel externus casus aliquis ex improuiso irruens, dimouet præsentissimum sermonis rationisque remedium: qui socius & amicus familiarissimus à natura nobis est non tam additus quàm agglutinatus, vt inuisibiliter, sic insolubiliter, ideò præmonet quid conferat, & si quid secus accidit quàm volumus, non vocatus succurrit, præstans nõ alterũ tantum officium, vt adiuuet sine consilio, vel consulat sine auxilio, sed vtrumque pariter. Nec enim vires habet se imperfectas, sed oĩbus partibus integras. *Philo. lib. de somnis.*

Quemadmodum sagittarij scopo sibi aliquo proposito conantur omnia tela in eũ defigere: Ita orator de re quadam dicturus, omnem orationem ad rei alicuius finem refert, sententiásque omnes ad certum quendam scopum dirigit. *Idem, in lib. de sacrificio Abelis & Caini.*

Sicuti legislator bracteas auri concidit in fila, ad contexẽdá quædam sua opera firmius: Ad eundem modum sermo, quouis auro precioſior, ex variegationibus innumerisque idæis laudabiliter absoluitur, quando vsque ad exigua capitula concisus formam alicuius inuenti accipit, additis demonstrationibus, tanquã aptè contextis staminibus. *Ibidem.*

Quemadmodum aqua quæ non certis canalium marginibus dirigitur, sed per aream diffunditur planiciem, euanescit: ita & res per sermonis vastitatem diffusa, lectorem fallit. *Greg. Nazianz. lib. 3. de theologia.*

Non patior vt fons obturetur, ac torrens profluat, sed abscondatur, & astra splendeant, canicies cedat ac iuuẽtus ferat leges, sapientia obticeat, & rerum inexpertus iuueniliter verba faciat, imber enim rapidus nequaquam placido est vtilior. Ille enim cum impetuose fertur, rura trahit, agricolámque lucro plectit capitali. Hic verò leniter effusus, & ad inferiora delapsus, terram fœcunditate replet, arantémque à labore liberat, ac spicam ad fructum perducit maturum: ita & in sermonibus, abundantior nequaquam sapientiori est vtilior. Hic enim aliquantulum oblectans fortassis euanescit, paritérque cum aere percusso dissoluitur, nihil vltra hoc conferens, sed auditu auidum facundia tanquam incantamento demulcet, qui verò in mentem penetrat, ac os dilatat, repletur spiritu, & generatione videtur

longior, multúmque fructum paucis producit syllabis. *Idem, orat. consolatoria.*

Equi furor regitur freno, regitur habenis equitis aurigæque arte. Hominem verò versat oratio minimè ignaua, minimè sordida, minimè neglecta: sed quæ lenitate atque acrimonia temperata nequaquam ocium auditoribus præbet, vt voces duntaxat ac vocum voluptates inquirant: sed illos potius excitet, ac veluti tubæ sonitu percussos cogat debachari. Tuba etenim interdum classicum sonat, interdum receptui canit. Qui si huiusmodi orationem requirant, philosophiã affectantes, nimirum dare operam oportet, vt eum cuius ea facultas existat, habeamus, probemus, eligamus: siue ille senex, siue iuuenis, siue pauper, siue diues, siue multi nominis sit. *Tyrius, ser. 37.*

Vt leonum animaliúmque impetus, caueis coërcetur: Sic hominum, quorum maximè in seductu orationes sunt, ita tamen delituerint, vt vbicunque ocium suum abscõderint, prodesse velint singulis & vniuersis, ingenio, voce, cõsilio. *Seneca, de tranquill. vitæ, cap. 2.*

Quemadmodum vniuscuiusque actio dicenti similis est: Sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. *Idem. lib. 2. cap. 115.*

Quomodo conuiuiorum luxuria, quomodo vestium, ægræ ciuitatis indicia sunt: Sic orationis licentia (si modò frequens est) ostendit animos quoque, à quibus verba exeunt, procidisse. *Idem, lib. 2. epist. 115.*

Quomodo in vino non antè lingua titubat, quàm mens cessit oneri, & inclinata vel prodita est: Ita ista oratio quid aliud quàm ebrietas est? nulli molesta est, nisi animus labatur. Ideo ille curetur: ab illo sensus, ab illo verba exeunt: ab illo nobis est habitus, vultus, incessus. Illo sano ac valente, oratio quoque robusta, fortis, virilis est. *Ibidem.*

Vt ægrotus non quærit medicum disertum, sed sanandi peritum: Sic à philosopho non requirimus orationem phaleratam. *Idem, apud Erasmum.*

Qui bibunt, vbi iam desierint sitire, tum poculi sculpturam contemplantur: Sic in oratione primùm animaduertendum, quàm salutare sit quod dicitur: deinde si vacat, quid sit elegans aut nitidum, considerare licet. *Plutarchus in Moralibus.*

Vt ridiculus sit cantor, qui rem graué Lydiis efferat modis: ita ridiculus qui de diis, aut rectè viuédo verba faciés, rhetoricis lasciuiat flosculis. *Ibidem.*

Vt iuxta vias asperas ac salebrosas violæ flosculíque nõnunquam occurrunt: Ita in oratione infacunda nonnunquã & sententiæ & figuræ incidunt dignæ quæ laudétur. *Ibidem.*

Non idem finis sermonis, qui cursus, iuxta Sophoclem: nam illic vincit qui præuenit, hic qui magis ad rem dixit, non qui celerius: imò vincit sæpe, qui posterior dicit. *Ibidem.*

Qui statim orationis ornatum requirit, perinde facit, ac si quis nolit antidotum bibere, nisi vas sit adductum ex Atticæ Veneris figulina: nec in hyeme vestem induere, nisi quæ lanam habeat ouium Atticarum. *Ibidem.*

Musici leui chordarum tactu demulcent, non graui pulsu: Sic oratio placida, citius quàm aspera mouet populum. *Ibidem.*

Qui coronas nectunt, belliſſima quærunt, non vtiliſſima: at apes etiam amariſſimo thymo insidunt, atque inde mellificium colligunt: Sic oportet auditorem non flosculos orationis, voluptatis causa sectari, sed vim sententiarum & vtilitatem. *Ibidem.*

Vt balnei non purgantis: Ita nec sermonis vlla est vtilitas. *Ibidem.*

Vt athletis amphotides adduntur contra plagas: ita pueris focalibus magis est opus aduersus pestilentem orationem. *Ibidem.*

Vt frẽno circumagitur equus, vt clauo nauis: ita oratione ducuntur homines. *Ibidem.*

Non conuenit, vt in tonstrina surgens, ad speculum cõtempleris teipsum, num rectè sis curatus: Ab oratione discedens, non expendas, num melior sis curatus: Ab oratione discedens, nõ expendas, num melior sis factus, aut deterior ex auditione. *Ibidem.*

Vt lumen, ita nec oratio vlli prodest, nisi volentibus accipere. *Ibidem.*

Facilè est demoliri, quod alius extruxit: at difficillimum, idem aut melius aliquid extruere: ita aliorum orationẽ reprehendere, in procliui est: at eodem modo, meliúsue dicere, non est perinde facile. *Ibidem.*

Vt ædium ostio carentium, & crumenarum absque vinculis nulla est vtilitas: Ita multo magis oris claustro carentis, nullus est vsus. *Ibidem.*

Vt in calamitatibus firmissimi atque optimi amici adsunt vtiliter: Sic & sermones optimi. *Ibidem.*

Qui in Platone & Demosthene nihil quærunt, nisi puritatē Attici sermonis, quid aliud agunt, quàm ij qui in pharmacis nihil amant, nisi fragrantiam & nitorem, vim purgandi seruandíque negligunt? *Ibidem.*

Vt stragulæ picturatæ dum extenduntur, ostendunt imagines, dum contrahuntur, celant easdem & abolent: Ita etiam oratio si bene & aptè composita & pronunciata sit, rei seriem ponit ob oculos, si finem apponit orator, ex animo pleráque euanescunt. *Idem in Græcorum apopthegmatis.*

Qui castam ac Philosophicam orationem meretriciis ac sophisticis laudibus prosequuntur, perinde faciunt, atque ij qui athletam liliis aut rosis coronent, nō lauro aut oleastro. *Ibidem.*

Vt in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam quod deceat videre. *Cicero, in Oratore ad Brutum.*

Vt mulieres ideo bene olere, quia nihil olent, videntur: Ita hoc ipso est ornatior oratio, quòd ornamenta negligat. *Idem, ad artic. li. 2.*

Quemadmodum Protogenes pictor Apellem ex vnica linea cognouit, nunquam alioqui visum: Ita ex vnico responso ingenium & prudentiam viri deprehendet, qui sit ipse sapiens. *Erasmus, in similibus.*

E voce agnoscimus hominem, facie non conspecta, nam sua cuique vox: ita ex oratione licet hominis vitam coniectare. *Ibidem.*

Nouella vitis copiosius gignit vinum, sed vetustior melius: ita pluta loquuntur iuuenes, sed vtiliora senes. *Ibidem.*

Taurus anis cum sit pusilla, tamen boum vocem imitatur: Ita nonnulli cùm re sint exigui, tamen loquuntur reges ac satrapas. *Ibidem.*

QViſquis ſub allegationibus, tituliſque Eccleſiæ crumenam auxerit, & quia idoneus videatur temporibus acerbitatem deſiderantibus, potentiam ſibi comparauerit, hic ille eſt quẽ è cõuentu Chriſtianorũ explodẽdum cenſemus. Non fecit Deus in abſolutã virtutẽ, nec op⁹ habet maliciæ ſubſidiis: nõ deerunt milites Deo congruẽtes, & apti Eccleſiis. Inueniet ſocios hic quidẽ gratuitos, mercedisque expertes, in cœlo tamẽ plenè remunerandos. Hos ego vos futuros ſpero. Decorum enim eſt, bene agentibus bene precari, præuaricantib⁹ dira ominari. Quicũque igitur flacceſſit, etiã prodit. Qui verò acriter inſiſtit, vt tamen aliena ſuppilet, is apud deũ culpa nõ caruerit. Id vnũ in cõmune contendite: nũmulariosque iſtos prauos, qui diuina dogmata aut nũmos adulterãt, publicè traducite: & quotquot ſunt, manifeſtos reddite, quinã ſint, & itaignominioſi habiti finibus Ptolomaidis expellantur: vt quiquid cum illis huc venerit prophani, ſecũ auferãt. Qui cõtra iſta aliquid fecerit, execrabilis Deo eſto. *Syneſius, epiſt. ad presbiteros.*

Siquis vult pingere vel ſculpere imaginẽ veri hominis, & illam pingit vel ſculpit bicorporem vel tricorporem ſub vno capite, vel econuerſõ: nonne potius imago illa mõſtrum reputabit, quàm hominẽ: Sic & tu clerice aut ſacerdos, qui plures curas beneficiorũ, plures habes Eccleſias. tu prælate, qui plures tenes dignitates: tu canonice plures præbendas: tu clerice plura beneficia, magis prænotas, magis repræſentas monſtrum, quàm Chriſtum. Ergo, vt dixi, figura es mendax, imago fallax. *Volcuinus, homil. in Euangelium Matth. Simile eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo. & ſuperuenit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizaniam.*

Agrippæ qui vocantur, quoniam præpoſterè naſcuntur, hoc eſt, pedibus primùm emergentibus, malis auſpiciis in vitã ingredi creduntur, magnoq; humani generis malo: vt Marcus Agrippa & Nero. : Ita qui per nefas & ſimoniam irrumpunt in imperium, aut epiſcopatum (vt vocant) magnam peſtem adducunt ſibi ſuiſque. *Erasmus in ſimilibus.*

Vide lingua.

QVis miserebitur incantatori à serpēte percusso, & omnibus qui appropiāt bestiis? Sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius. *Eccles.* 12.

Omnis homo simili sui sociabitur. Si cōmunicabit lupus agno aliquando, sic peccator iusto. Quæ cōmunicatio sancto homini ad carnē, aut quæ pars diuiti ad carnē? *Eccl.* 13.

Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis *Eccles.* 21.

Sicut sæpe vidimus putrefactas & emortuas corporis carnes, à connexione viuentium membrorum ferro secante separari: Tale aliquid est, quod agit veritatis agnitio, necesse est enim, vt salutis causa, filius, verbi gratia, qui sermonem receperit veritatis à parentibus separetur incredulis. *Clemens libr. 6. recognitio.*

Qui tument te videbunt me & lætabuntur, Consuetudo impiorum est, vt conspectis religiosis viris tristes sint. Oderint enim necesse est ebriosus sobriū, continentem impudicus iustum iniquus; & tanquam conscientiæ onus, præsentiam sancti cuiusque non sustinet. Contra verò ad conspectum viri fidelis, religiosi omnes quibus timor Dei est lætantur, vt vel solo corpore contemplationis vice gratulētur, modo auium herbarumque quarumdam, quæ visæ tantum & conspectæ morbis aliquibus & infirmitatibus medentur. *Hilarius in psal.* 118.

Quemadmodum in pestilentibus locis sensim attractus aer latentem corporibus morbum iniicit: Sic item in praua consuetudine ac conuersatione, maxima nobis mala hauriuntur, etiamsi statim incommodum non sentiatur. *Basilius. hom. 9. quod Deus non est auctor malorum.*

Non aliter quàm ceruus venenum ex antris trahit halitu suo, & purgat: Ita quidam sua pia conuersatione alios à peccato retrahunt, & conuertunt. *Basilius in psalterium.*

Quemadmodum in contagiis pestilentiarū etiam ij qui summa cura seruant victus rationem, tamen iisdem morbis quibus ægroti laborant, ob consuetudinem eorum qui corrupti sunt, opplentur & ipsi: Itidem nunc omnes similes inter nos facti sumus, à contentione, quæ nostros animos occupauit, ad malorū æmulationē redacti. *Idem de spū sancto.*

Quemadmodum suauia aromatum odoramenta, proprium quiddam per aerem continentem spirant, quibus præsentes recreantur: Ita vir bonus toti sibi commorantium cõtubernio salutaris & iucũdus. *Idẽ in Gordianũ martirẽ*

Quemadmodum in corporibus cum vnum aut duo mẽbra male sunt affecta, haud difficulter reliquis succurritur, sanitatisque bonum maioribus subuenit partibus, quòd celeriter & illa conualescant, cum verò plura dissident & male habent, nullo remedio subueniri potest, quin omnia ægrotent, periculumque illud iam manifeste se ostendit: Ita morbi etiam qui singulis accidunt subditis, à communi populo qui melius habet, sunt abscindendi, cum verò maior pars corrupta est, tum vniuerso imminet periculũ. Nec mihi secus hoc tempore, his qui nos tã capitali odio, nec non tantæ Christianorum retributioni euenisse videtur. *Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Iulianum.*

Considera hic quomodo propter vnius intemperantiam vnam ciuitatem habitantes, pœnarum socij fiunt. Sicut enim accensa pyra, & qui prope habitant, periculi sunt participes, igne omnia depascente: eodem modo & nunc adolescentis intemperantia non solum patrem, sed omnes ciues perdit. *Chrysostomus hom. 59. in genesin.*

Nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit? Sanies quædam peccatũ est reliquum corporis depopulans. Veluti domo ardente & qui nondum malo læduntur, his qui in malo sunt molestia non minori premuntur, atque vniuersa conferunt, quo ne vrgens ignis ad próprias inualescat domos Sic & Paulus eos excitat dicens: Pyra quædã est, præueniamus malum, extinguamus incendiũ priusquã ecclesiam inuadat. *Idem hom. 10. de pœnitentia.*

Corrũpunt bonos mores colloquia praua. 1. Cor. 15. Profũt ergo eol loquia bona, castigãt & colloquia terribilia. Est enim animus instar ceræ cuiusdam. Nam si frigida colloquia induxeris, solidaueris ipsum atque induraueris: si verò calida & feruentia, mollieris. Emollitum autem ad quodcunque voles finges ac formabis, imaginemque illi regiã insculpes. Non est enim anima nostra vel bona vel mala natura, sed voluntate aut mala fit, aut bona, Quemadmodũ enim velum eò nauem defert quocunque spirauerit ventus, imò quemadmodum ipse clauis nauem defert, si prosper ac se-

cundus fuerit ventus: ita & cogitatio, si secundo & prospero vento bona spirauerint verba nauigabit absque periculo: si vero contraria, submergēt sæpenumerò cogitationem. Quod enim nauigiis sunt flatus, hoc animis sunt sermones. *Idem hom. secunda in secundam ad Thessalonicenses.*

Et melius fuerit tristibus immorari quam iucundis. Nā si domum ingressus fueris vbi parantur nuptiæ, ad horam quidem spectaculo oblectaberis, nouissimè verò digressus teipsum mœstitia macerabis, propterea quod tanta non habes. Si vero domum lugentium intraueris, etiamsi valde diuites fuerint, digressus magis recreaberis. Non enim liuorem illinc capies, sed consolationem paupertatis tuæ. Videbis reipsa quā nihil boni habeant diuitiæ, nihil mali paupertas, sed vtræque res sint indifferentes: ita & nunc si de delitiis sermocinatus fueris, magis animum dolore obtundes, non habentem pari modo vnde delicietur: si verò aduersus delitias locutus fueris, & de gehenna sermonē in medium adduxeris, exhilarabitur res ista, plurimumque voluptatis capies. *Ibidem.*

Balneū egressus, publica conuenticula cuitas, nē beneficium forte fomēti negotia molestiora corrūpant: Quantò magis cum ab ecclesiæ congregatione regrederis, oportet hoc facere, ne ignē deuotionis quē sermo in vobis predicationis accenderat, extingant pestifera colloquia, & conuersatio vitiosorum hominum. *Idem hom. 5. de ira.*

Vt aurū eligitur, & vilis terra relinquitur: & vt apes flores colligunt, herbas relinquunt: Sic vos ab homine malo doctrinam colligite, conuersationē relinquite. *Idem hom. 43 operis imperfecti.*

Velut lutū farinam, acetū vinū corrūpit: Ita mali homines bonos. discedem⁹ ergò à Babylone. *Idē hom. 28. in Mat.*

Minuta quædam (vt ait Phædon) animalia cum mordent, non sentiuntur, adeò tenuis, illis & fallens in periculum vis est: timor indicat morsum: & in ipso tremore, nullum vulnus apparet: Idem tibi in conuersatione virorum sapientium eueniet: non deprehendes, quemadmodum aut quando tibi profit: profuisse deprehendes. *seneca libro. 1 epistola. 95.*

Vt in pestilentia cauendum est, ne corruptis iam corporibus, & morbo flagrātibus assideam⁹, quia pericula trahe-

nus, afflatuque ipso in proximo laborabimus: Ita in amicorum legendis ingeniisdabimus operam, vt quam minime inquinatos assumamus. *Idem de tranquil. vitæ, lib. 1. cap. 7.*

Torpedo piscis haud nocet, nisi contactu, sed virus suũ etiam ab ære per linum, & arundinis internodia ad piscatoris manum mirè transmittit: Sic improbi ac pestilentes haud nocent, si nihil cum illis habeas commercij, rerum quacunque consuetudine contacti morum venena afflant. *Plinius lib. 32. cap. 1.*

Aconitũ etiam contactu necat: Ita quorundam conuictus protinus inficit, aut si vel tantillum cum illis inceptes cõmercii. *Idem lib. 29. cap. 2.*

Quemadmodum vna meretrix multos fornicatores facit: sic plurimam populi partem inquinat paucorum effeminatorum obominanda permixtio. Et nescio qui eorum ante Deũ deteriores sint, cum æquali in scriptis sacris sorte damnẽtur. *Salusianus de vero iudicio & prouidentia dei, lib. 7.*

Vt vinum moribus potatorũ sese commiscet: Sic quoq; animus consuetudini se insinuat, ac sodalibus. *Demosthenes, apud Stobæum.*

Vt cæcias ventus nubes: Sic improborum vita in se vitia attrahit. *Plutarchus in Moralibus.*

Beata res foret, si quemadmodũ & puerũ & adolescentẽ atq; iuuenẽ senẽq; tẽpus facit, ita etiã prudentẽ, & iustũ fidũq; faceret. Quinetiã malis mulieribus nihil sunt meliores viri praui. Nã corpore differũt ab illis, nõ animo. Sicuti igitur lex eas ad nullas res maiores accedere finit, sed definiuit quousq; cõueniat: Eodẽ opinor modo cũ vulgaribus hominib⁹, in minimis societas habẽda est: in actionib⁹ aũt maioribus, aut sermonib⁹ necessarijs, aut vitæ securitate, nunquã. Etenim si quãdo à maleficiis abstinẽt ob quancũq; causam, procliuis tũ ad naturã reditus est. Quemadmodũ feræ sæpenumero quiescunt, suntq; mansuetæ dormientes, aut saturatæ, suã ipsarũ tũ naturã nõ abiecerũt: Similiter & illi aliquod tempus nihil nocuerunt, deinde accidente occasione, & vsuram (aiunt) & sortem prauitatis persoluũt. *Dion Chrysostomus, Oratione 74. De incredulitate.*

Multa tutior meliorque solitudo est, quàm societas cum hominibus, nisi absque timore contingat, & participum attentione. Et quemadmodum nauigantibus vtilius

est pelagus, quàm terra, si quis in tranquillitate nauiget, & clare norit loca: in pelago enim haud sæpe frangitur nauis, sed apud littora, circáque promontoria videtur naufragia. Quapropter cum tempestas apprehenderit, vnusquisque inexpertorum quidem desiderat terram, gubernator autem quam longissimè fugit. Quanquam portus quis inueniat tranquillos, quib. facilè naues credere possit, quantuscunq; etiam consurgat vētus. Homines autem modestissimi, æstuis sunt similes stationibus, quæ præsentia spectant: ita & illorum quisque ad vnam quampiam in vita rem mansuetus est, haud æquè etiam alia. *Idem oratione 74. De lege.*

SOLICITVDO VANA.

VT vociferantium terror obuij flatus impetu frangitur. Sic & interna mentis cogitatio externorum sollicitudine interpellatur. *Gregor. Nazianz. lib. 2. de Theologia.*

Nolite solliciti esse quid manducetis, &c. Math. 6. Sicut cum ali quis ebrietatis vitio obsessus est, difficile omnino credit esse quempiam hominum qui ne aquam quidem gustarit vnquam, cum certè plurimi id apud nos monachi fecerint. Et sicut ille qui cum mille meretricibus volutatur, virginem quemquam permanere posse desperat, & vt alienorum raptor, etiam propria quemquam facile contenere posse non annuit: ita qui mille curarum languoribus contabescunt, non facile accipiunt hanc quæ à saluatore præcipitur in aliis esse virtutem. *Chrysost. hom. 22. in Matthæum.*

Neque quisquam ad conuiuium iturus opulentum, de ipsius dici cibo se curare patietur. Nec ad fontem aliquis accedens, sollicitudinem de sitis necessitate patietur. Nequaquam ergo etiam nos, cum habemus liberalitatem & prouidentiam Dei cunctis omnino fontibus affluentiorē, inopes nos putemus. *Idem hom. 23.*

Cum Deus te pascat nulla tibi sollicitudine opus est. Nā si rege aliquo tibi pollicente quotidianum ex mensa sua cibum, ac refectus cibum non quæreres: multomagis cum omnia tibi ex diuina voluntate, quasi è fontibus emanant, omni cura expers esse debes. *Idem hom. 56.*

Quid inter nos & formicas interest? Nam vt hæ duntaxat corporis curā habent, pariter & nos certè: imò verò multo

peius. Non enim pro rebus vt illæ tantum necessariis laboramus, sed pro superfluis quoque ac turpibus. Vitam illæ nullo crimine peragunt, nos auaritiæ seruientes, non illas sed lupos & Leones imitamur. Cur & has dixi bestias, cum multo simus peiores? nec enim aliter quam rapiendo natura illis concessit viuere: nos quos ratione & æqualitate honorauit, non pudet illas rapina superare. *Idem hom.* 70.

Sicut viator in via nihil solicitus est, nisi quod necessarium habet ad vsum: Ita & homo in hoc transitu mundi, nihil debet esse sollicitus, nisi quod opus habet ad vsum. *Idem hom.* 31. *operis imperf.*

Quemadmodum fieri non potest, vt qui nauigant, absq; cura sint: ita & hi qui vitam hanc fragilem viuunt absque solicitudinis angore esse non possunt. Si diues fuerit, plurimæ illi mœstitiæ occasiones: Si rex, curis destinetur innumeris. *Ibid. hom.* 1. *in secundam ad Timotheum.*

SOLICITVDO VTILIS.

OPus est vigilantia dilecti. Nam & miles dormit non in lecto, sed humi, piscator nõ dormiens piscatur, sed stans aliquando peragit noctem. Agricola omnem exhibet vigilantiam, ne Domini vinea lædatur. Et pastor sub dio stans noctem consummat gregem custodiens, sicut Iacob dicebat, *Fui ardens æstu per diem, & gelu per noctem & somnus recesserat ob oculis meis*. Et quæ ipsius vigiliæ ratio? ne vlla ouis feræ captiua fieret. Si vero tãta de irrationali pecude cura, quales esse decet, de rationali anima sollicitudinem gerentes, anima inquam, omnium pretiosissima, nec æquiualentem totum pariter orbem habente, quæ simul nobiscum resurgit, paritérque defenditur, & diuino tribunali simul assistit? *Chrysost. hom.* 22. *ad pop. Antioch.*

Vt peccata germinant negligentia: ita solicitudo virtutes parit. *Theophilus Alexand. epist. 3. paschali.*

Si hominum quispiam clarus & locuples in locum liberorum adoptaturus acciret, ires per oppositas rerum difficultates, & per quamuis longi recessus iter iactatus curreres. Deus vniuersitatis rerúmque Dominus te in adoptionem vocat, illud (si velis) blandum filij nomen impartiens, quo Deum nostrum, vnicum suum nuncupat, & non accen-

ſus raperis? non properus vrgeris, ne conditionem tantam celeri occurſu mors præripiat? *Eucherius Lugdunenſis in epiſtola ad Valerianum.*

Semper & ad omnia vigilias eſſe ſalutares nullus ignorat, quia re vera plus vigilare, plus viuere eſt. Nam quid tã mortis ſimile, quàm dormientis aſpectus? Indulgendum ſomno eſt, vt corpus reparet, non reſoluat, & vires reuocet, non eneruet. Quæ ars quod opus, quod tempus, quæ poteſtas, quod officium, non vitæ lucra lucubratione perquirit? Hinc eſt quod rex in procinctu peruigil callidi hoſtis præ cauet, & euitat inſidias: tunc in caſtris miles ſuperueniẽtes nocturnos impetus caute pernoctatione propellit. Sic nauta vigilando diffuſi itineris incertas vias intrat, & calles trãſit inuios, & veſtigio furtiuo ad lucroſi portus voluiam peruenit manſionem. Hinc paſtor adiungit noctes diebus, & totum ſibi tempus denegat dormiendi: ne qua lupis ſuffragante ſomno, graſſandi in gregem prebeatur occaſio. Sic viator ſolers per auras noctis, æſtus ſolis præuenit: actumque diem prouidentius deputat manſioni. Hoc Propheta ſciens non die ſolo, ſed nocte tota clamabat ad Dominum: *Domine Deus ſalutis meæ in die clamaui & nocte coram te.* Quid plura ipſe Dominus pernoctat in oratione, vt ante nos oratione liberet, quam redimat paſſione. Et ſi pro ſeruis Dominus vigilet, merito pro ſeipſis ſeruos vigilare ſic iubet. Præcincti (inquit) ſint lumbi veſtri. *Petrus Chryſologus ſermone 24. de ſeruo vigili.*

In procinctu belli ſemper vigiliæ ſunt militum diſtribute, vt inſidiis nihil liceat, nil pateat dolis. Perniciosiſſimus eſt nimis repentinus hoſtis: nam aut inſcios præuenit, aut incautos præoccupat, aut opprimit dormientes. Hinc eſt quod Chriſtus per totam ſeculi noctem milites ſuos præmandatis vigiliarum vicibus, commonuit contra diaboli, ideſt, veteris hoſtis ſubtiliſſimum dolum, contra latentes impetus vitiorum, contra criminum inſidias irruentes, contra ſcandala, contra tentamenta præſentis vitæ, contra vrentes acies ſecularium preſſurarum, taliter admonens Ioã: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Ibidem.*

INfœlices sophistæ canoris quibusdam suis nugis garriẽtes, cum in nominum delectu, & certa dictionum compositione, tota vita laborant, cicadis sunt loquaciores. *Clemens Alexand. lib. 1. strom.*

Verum nihil obierit, si sermoni narratiunculam quãdam brevem, tanquam condimentum aliquod addamus, quo scientibus memoriam refricemus, ignorantibus autem doctrinam impertiamur. Athenis ex iuuenibus quamplurimi, imò modestiores etiam circa sophisticen desipiunt, nõ ingenerosiores solum, & nomine obscuri, sed generosiores iã & clariores, non secúsque ac multitudo inter se decertant, cum moribus prediti sint iuuenilibus, & haud facilè cohiberi possint, ideò video idem illis accidere, quod & equorũ ac spectaculorũ amatoribus incursu equorũ aduersariorum, saltant enim, clamant, puluerem in cœlũ spargunt, in aurigis sedentes aerem verberant, equos digitis tanquã flagellis cũ coniungentibus coniungunt, & cum nullius sint Domini facile inuicem concedũt aurigas, equos, stationes equorum præfectos. At quinam sunt illi? vt plurimum indigentes ac pauperes, & qui nec tantum habent vt vno sustineant die, eodem modo & hi, in his admodum pro doctoribus suis conflictantur, & aduersariis indignãtur, quo ipsi plures existant, ac doctores quorum illi curam gerunt præcipuam, locupletiores reddant, quæ res admodum absurda est & infœlix. *Gregorius Nazianz. oratione funebri in laudem Basilij.*

Quemadmodum indoctæ & lasciuæ in venatione canes, non intelligentes neque cognoscentes vestigia, decipiunt alias voce & forma: ex scientibus autem atque videntibus, multæ eas sequuntur, stultiores propemodum quàm illæ quæ frustra latrant. Ex illis hæ quæ vocem non emittunt, sed silent, ipsæ tantùm decipiuntur: hæ verò petulantissimæ & stultissimæ sunt, quæ priores imitantur tumultum excitantes: atque eo imitantur, vt & alias seducant. Eiusmodi quiddam inuenias & circa eos qui dicuntur sophistæ, quos interdum multa sequitur turba stolidorum homidum, & intelliges, quòd nihil homo sophista ab libidinoso eunucho differat. *Dion Nyceus de regno oratione 4.*

Quæsiui ergo scire, quænam hæc sit multorum sophistarum stulticia & turbatio, & inconstans error, mentísque circumductio: & inueni demum, hanc ipsorum sapientiã persimilem esse adulteræ mulieri. Sicut enim illa blandis sermonibus ac dolosis iuuenes lactat: Ita & hæc stultos venatur, irretitos syllogismorum laqueis & sagenis. Ac sicut illa molli contrectatione animam frangit, fractámque deuincit: Ita hæc mala eadem adducit titillanti orationis cõcentu. *Olympiodorus in Ecclesiasten, capite 7.*

Vt præstigiatorum fraudes fallunt & cum voluptate: Sic sophisticis argutiis capi ridiculum est, non periculosum. *Seneca.*

Vt bonaso cornua oneri sunt tantùm, nulli autem vsui, adeò sunt in se reflexa: Ita sophistæ dialecticen habent, sed qua neminem reuincere possint, adeò est intorta. *Plinius lib. 8. cap. 15.*

SPECTACVLA.

MVlti à sepeliendi officio redeuntes, balneum confestim intrarunt, à theatris autem recedentes, nec gemuerunt, nec lacrymam vllam effuderunt. At certè nullam immũditiam cadauer habet, peccatum autem ita maculat, vt nulla flumina sed lacrymæ solum atque confessio mundare queant. *Chrysostomus hom. 38. in Matthæum.*

Nunquid theatrum sunt præsentia: sed puto theatra faciunt hoc, infrænes nobis iuuenes constituunt, & incõpositos. Quæ hîc ædificantur, illîc subuertũtur: nec hoc solum, sed etiam alia necessarium est ipsos immunditia repleri. Et idem accidit, perinde ac si quis expurgare locum velit, in quem fons superpositus cœnum supernè demittat. Nam quantumcũque purgaueris, rursum aliud influit: idem hîc accidit. Cum ingressos, à theatris immunditiam reportantes expiauerimus, eò rursum abeuntes maiorem suscipiunt sordem. *Idem hom. 40. ad pop. Antioch.*

Vt admonet Socrates cauendum est ab iis eduliis, quæ illicerent ad edendum etiam non esurientes, & à potu qui ad bibendum inuitaret etiam non sitientes: Sic fugienda sunt spectacula, sermonésque qui pelliciunt sui desiderio eos ad quos nihil attinent. *Plutarchus in Moralibus.*

Maledictus

MAledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedet cor eius. Erit enim quasi myrricæ in deserto, & non videbit cum venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis & inhabitabili. Benedictus vir qui cõfidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quasi lignũ quod transplantatur super aquas, quod ad humorem immittit radices suas, & non timebit cum venerit æstus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. *Ierem.* 17.

Vniuersa opera quæ spectantur in hoc mundo, spẽ ob aliquam fiunt: nempe mercedis recipiendæ gratia laborũ suorum. Itáque nisi quis certissimè sibi persuadeat, se fruiturũ laboribus nihil promouet. Nã & agricola seminat sub spe recipiẽdorũ fructuum: & labores sustinet propter expectationem. In spe inquit debet qui arat, arare: Et qui ducit vxorem, sub spe hæredum habẽdorum ducere solet. Mercator quoque lucri gratia, mari & promptissimæ morti seipsum committit. Eadem ratione & in regno cœlorum ob spem quam quis concepit, de cordis oculis illuminãdis, seipsum dedicat, relictis rebus secularibus, dans operam precibus & obsecrationibus, expectans Dominum, quando veniens illi seipsum patefaciat, & expurget eum à peccato inhabitante in eo. *Macarius hom.* 14.

Vt qui plantat vineam priusquam aggrediatur laborem, gaudio ac spe ducitur apud se, describitq; in animo vindemias, ac reditum supputat nondum nato vino, & hac ratione laborem suscipit. Spes enim ac expectatio alacrem illũ reddunt ad laborem: tamdiuque è re familiari sumptus nõ paucos facit. Itidẽ qui domũ ædificat, aut terrã excolit; de suo multa primũ erogat, spe futuri reditus: non aliter hic fit nisi quis præ oculis habeat gaudium ac spem, nempè consecuturus sum redemptionẽ ac vitam, perferre nequit tribulationes, neq; pondus nec angustiã suscipere. Spes enim & gaudiũ si adsint, efficiũt vt ipse laboret ac toleret afflictiones, pondúsq; & angustam viam suscipiat. *Idem hom.* 16.

Quemadmodum Raab nihil nocuit habitare cum alienigenis, sed fides eam reddidit idoneam partib' Israelitarũ: ita peccatum minimè lædit eos qui in spe & fide redẽptoré

expectant, qui veniens immutat cogitationes animæ, eásq; facit diuinas, cœlestes & probas, nec docet animã verã precandi ratione, non distractam nec errabundã. *Idem hom. 31.*

Beatus vir qui non abiit, &c. Vt iter facientibus per asperrima quęq; ac pene inaccessa loca, tędiũ releuat laboris spes certo proposita commodioris hospitij: vtq; maris periculo ausint se cõmittere mercatores, facit cupiditas parãdarum mercium: & agricolis imminuit ac suffuratur labores spes secuturæ fertilitatis. Eam ob rẽ eximius doctor ille spiritus sanctus initio statim mercedem ob oculos ponit: vt laboribus dum in manibus sunt veluti iam trãsmissis, tota mente ad bona quæ in cœlis reposita nobis sunt auidius properemus. *Basil. in Psalm. 1.*

Dic oro, si quis te ad regnum terrestre, & imperium vocaret, atque ante ingressum eius ciuitatis, in qua coronandus esses, in stabulum diuertere necesse esset, vbi luti ac fimi plurimum, viatorúmque tumultus esset, & latronũ perturbatio, summáque pressura & angustia: nũ ad illa tristia cogitatione conuerteris, an illa omnia quasi nihil essent, gaudio & spe regni contemneres? perquam igitur ineptum & indignum est, terrenis mortalibúsque rebus potiturum, nihil his quæ interim inciderint contrahi, æterni autem regni spe elatum & erectum, atque ad cœlos accersitum, per singula quæ in diuersorio contingunt tristia decidere, atque perturbari? *Chrysostomus libr. tertio de Prouidentia Dei.*

Spes non confundit. Quid igitur in spe nobis bona? In spe certè sed non humana, quæquidem intercidit, atque idẽtidem pudefacit sperantem, eo abs quo præsidium expectabatur vel mortuo, vel adhuc viuente, à voluntate deducto. At non talis est rerum nostrarum conditio: imò firma atque immobilis spes. Nam qui spopondit, is semper viuit. Nos autem ad quos promissorum fruitio pertinet vt moriendum nobis sit, tamen iterum resurgemus: ac nihil prorsus est quod possit nos pudefacere, tanquam temere, tanquam frustra, tanquam spe sublatos fragili. *Idem, homil. 9. ad Romanos.*

Induti thoracẽ fidei & charitatis, locõ galeæ spem salutis. 1. Thess. 5. Quemadmodum galea principale membrum eorum quæ in corpore nostro sunt, conseruat, dum caput circundat &

vndique tegit: ita & spes, cogitationem nostram concidere non finit, sed capitis instar erigit, nihil extraneum in illam incidere permittens: donec verò nihil deciderit, neque ipsa prolabitur. *Idem homilia nona in priorem ad Thessalonicenses.*

Non vides naucleros vt insaniente mari, nubibus transcurrentibus, fulminibus elisis, omnibus in nauigio tumultuantibus, ad gubernacula sedent ipsi sine trepidatione & metu, arti suæ vacantes vt imminentem procellam repellant: hos & tu imitare, & sacram capiens anchorã, in Deum spem inconcussus permane & irreuolubilis. *Idem homil. 15. ad pop. Antioch.*

Spem iam in terram sanctam tãquam anchoram præmisimus, ne in isto mari turbati naufragaremus. Quemadmodum ergo de naui, quæ in anchoris est, recte dicimus quod iam in terra sit, adhuc tamen fluctuat, sed in terra quodam modo educta est, contra ventos & tempestates: Sic contra tentationes huius peregrinationis nostræ, spes nostra fundata in illa ciuitate Ierusalem, facit nos modo abripi in saxa. *August. in Psal. 64.*

Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Psal. 125. Ipse agricola quando procedit & portat semen, nonne aliquãdo frigidus est ventus, & imber deterret? Attendit cœlum, videt tristem diem, attendit & expectat diem lætam, ne tempus transeat, & non inueniat quod metat. Seminate & vos in hyeme, seminate bona opera. *Idem in Psal. 125.*

Dirigenda est omnis animi intentio in spem futuri, quã spem vt plenius ac manifestius consequaris, aperire eam etiam sub alicuius exempli conditione non abnuam. Si cui aliquis quinque hodie ex ære denarios offerat, quingentos vero aureos in crastinum spondeat, optionémq; offerat, vtrum eos ad præsens sumere, an aurum mallet in posterum, dubium ne id est, quin præoptet grandia illa munera, cum parua mora? Tu quoque breuis huius atque æternæ vitæ conditione perspecta, noli eligas capere vilia, cum capere possis speciosa. *Eucherius Lugdunensis epistola ad valerianum.*

Spes est quasi columna, quæ totum spirituale ædificium sustẽtat: qua deficiente, ædificium corruit, ac in barathrum desperationis concidit. Est etiam anchora animæ, eam

seruans, ne à procellis tentationum irrumpatur. De qua Apostolus: Firmissimum solatium habeamus, qui cõfugimus ad tenendam propositã spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, &c. *Laurentius Iustinianus in ligno vitæ, cap. 2. de spe.*

Quemadmodum Ægyptij lege iubebãtur expectare, donec peperisset, si qua grauida morbo fuisset correpta: Ita non facilè abiicienda spes in hominum erratis, *Plutarchus in Moralib.*

SPIRITALIS.

SPiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quo vadat: Sic & omnis qui natus est ex spiritu. Accipe lapidem & mitte in cœlum, aut siphonẽ aquæ, & eiaculare in cœlum, & vide, si possis pertundere cœlum. At grando minimum granum est, & cum cadit supercaput hominis, quomodo dolores præstat? Aut vide stillicidium, quod à tegula cadit in terram, & cauat lapidem: Sic igitur minima quæ desursum cadunt super terram, magnam vim habent. *Herm. is. seu Pastor.*

Spiritalis diudicat omnia & ipse à nemine iudicatur. Quemadmodum enim qui inflammatus est ac febre detinetur, exhorrescit & respuit quemcunque obtuleris ei cibum aut potum, etiam suauissimum, eo quod ipse febre ardeat, & ab ea grauiter torqueatur, hac ratione, qui cœlesti sancti spiritus desiderio sacro & præclaro flagrant, & amore dilectionis diuinæ animam habent vulneratam, ac diuino & cœlesti igne (quem Dominus in terram mittere venit, vultque confestim ardere) vehementer impelluntur, & accendũtur cœlesti desiderio Christi, quæcunque præclara sunt in hoc seculo & pretiosa, respuẽda & odio digna existimãt, propter ignem charitatis Christi continentem eos & efficientem, vt animi voto bonisque cœlestibus flagrent & ardeant erga Deum. *Macarius hom. 9.*

Sicut is qui cum in latronum rapinas multas & pericula incidisset, multò cum labore euasit, & postea vigẽtes opes & varias facultates consecutus est, iam non amplius damnum metuit propter abundantes diuitias: Sic & spiritales homines, qui tentationes multas & horrenda loca transie-

runt, deinde gratia & bonis cumulatè freti, non amplius fures extimescunt, eò quod diuitiæ, non paucæ suppetunt: non tamen metu carent, metu inquam non nouitiorũ malos spiritus formidantium: sed timent ac sunt soliciti quam rectè administrabunt spiritalia dona sibi credita. *Idem hom.* 16.

Sicut ij qui consulatus officia vel thesaurum regium adepti sunt, perpetuam gerunt curam ne quoquã pacto regem offendant: Sic & illi quibus aliquod opus spiritale creditum est, semper sunt soliciti: & quiete fruentes, perinde sunt ac si non fruerentur: quia in eo sunt, vt regnum tenebrarum subintrans ciuitatem hoc est, animam, ac barbaros occupantes eius pascua à se propulsant. *Ibidem.*

Quemadmodũ oues aut cameli nacti fœnum, voraciter & celeriter accedunt ad pabulum, alimentúmque sibi recõdunt: & dum esuriunt, illud ipsum è ventriculo reuocãt, ac ruminant, habéntque alimenti vice quod anteà recondiderant: ita nunc etiam quicũque regnum cœlorum rapuerũt, & viuentes in spiritu gustauerunt escam cœlestem, resurrectionis tempore eundem habent legentem & fouentem illorum omnia membra. *Idem hom.* 32.

Filij carnales similantur carnalibus patribus in facie, aut in loquela aut in risu, aut in aliquo corporis signo: Filij autem spiritales in sanctitate. *Idem hom.* 13. *operis imperf.*

Filij quidem carnales etsi similes fuerint patribus, laudem nullam merentur, etsi dissimiles, nullam vituperationem, quia non est in potestate hominis qualẽ accipiat corporis qualitatẽ: Filij autẽ Dei, si quidẽ Deo similes fuerint, laudandi sunt, si autem dissimiles, nimis vituperandi, quia in potestate vniuscuiusque est mẽsura faciẽdæ iustitiæ. *Ibid.*

Quomodo inter cœlum & terram aer medius cõstitutus separat creaturam vtrámq; vt ostendat quia inter cœlestia & terrena, nulla potest esse commixtio: ita nec inter spiritalia & carnalia vlla coniunctio esse potest. *Idem hom.* 7. *operis imperfect.*

SPIRITVS SANCTVS.

QVis enim hominum nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? Sic & ea quę sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei. 1. *Cor.* 2.

Cum de spiritu sancto multi participent, nõ vtique corpus aliquod intelligi potest spiritus sanctus, quod diuisum in partes corporales percipiat vnusquisque sanctorum, sed virtus profectò sanctificans est: cuius participium debent habere omnes, qui per eius gratiam sanctificari meruerũt. Et vt facilius quod dicimus possit intelligi, ex rebus quamuis imparibus sumamus exemplum. Multi sunt qui disciplinæ siue artis medicinæ participant, & nunquam putandum est, omnes eos qui medicinæ participant, corporis alicuius quod medicina dicatur in medio positi sibi auferre particulas. An potius intelligendum est, quod quicunque promptis paratisque mentibus intellectum artis ipsius percipiunt, hi medicinæ participare dicuntur? Sed hæc non omnimodo similia exempla putanda sunt de medicina sancto spiritui comparata, sed ad hoc tantummodo probandum, quia non continuò corpus putandum est, cuius participatio habetur à plurimis. *Origenes libro primo perarchon capit. primo.*

Auferam de spiritu qui in te est, & imponam in 70. seniores. Sed caue putes hanc ablationem fieri per abscissionem diuisionémque, imò potius qualis ab igne fit: qui etiamsi faces innumeras accenderit, idem manet nec tantillum quidem diminutus. Talis est natura etiam scientiæ. Postquam enim discipulos & familiares peritos omnes reddidit, nihilo diminuitur: nonnunquàm augetur etiam, sicut narrant de fontibus qui frequentantur ab aquatoribus. Nam & hos ferunt hoc modo dulciores fieri. Sic cõtinua colloquia, meditationem & exercitium afferentia, perfectionem absoluunt. *Philo Iudæus lib. de gygantibus.*

Nam & paradisum totum fons viuus irrigat, & vna pluuia in vniuersum descendit mundum, quæ alba quidem fit in spinis, rubra in rosis, purpurea verò in hyacinthis, ac in diuersis speciebus diuersa, & in omnibus fit omnia: cum ipsa nihilominus eadem sit eiusdémque speciei. Néque enim seipsam transmutans pluuia, alia & alia descendit, sed cuicunque naturæ sese adiunxerit, illi fit incrementum. Sic & spiritus sanctus cum sit vnus & idem, & non diuisibilis, vnicuique diuidit gratiam prout vult. *Cyrillus Ierosolymit. catechesi. 16.*

Quemadmodum & Aaron vocatur Christus, & Dauid

& Saul, & alij Christi vocantur, vnus tamen est verus Christus: Sic & appellatio spiritus, cum de rebus diuersis dicatur, pulchrum est videre, quid sit peculiariter spiritus sanctus. Multa enim spiritus vocantur. Et angelus vocatur spiritus. Anima nostra vocatur spiritus. Ventus hic flans vocatur spiritus & virtus magna & spiritus immũdus. *Ibidem.*

Quemadmodum lumen vno radij progressu illuminat omnia: ita spiritus sanctus eos qui habent oculos illustrat. Quod si quis non respiciens, illius gratia non potitur, non spiritum sanctum sed suam ipsius arguit perfidiam. *Ibidem.*

Aqua quidem exterius circundat, spiritus autem interiorem animam abluit incomprehensibiliter. Si ignis per ferri spissitudinem interius transiens, totum efficit ignem, & frigidum fit feruens, & nigrum fit lucidum. Si ignis cum sit corpus, in corpus ferri ingrediens, sic absque vllo impedimento vt vides operatur, quid miraris si spiritus sanctus in animæ interiora ingreditur? *Idem, catechesi.* 17.

Spiritus sancti sic omnes participes sunt, vt ipse maneat integer, radij solis in morem, cuius beneficium sic adest ei qui fruitur, quasi soli adsit, cum & terram illustret, & mari & aeri misceatur. Itidem & spiritus sanctus, vnicuique capacium cum adsit quasi soli, omnibus sufficientem & integram gratiam infundit quo fruuntur quæcunque de illo participant, non quantum ipsa sua natura possunt capere, sed quantum potest ille. *Basil. de spiritu sancto.*

Sicut quæ iuxta floridos colores posita sunt, è splendore promanante colorantur & ipsa: Sic qui euidenter intendit oculos in spiritum, ex illius gloria quodammodo transformatur, vt fiat illustrior, dum veritate à spiritu promanante, seu corde illuminatur. *Ibidem.*

Quomodo disciplinæ, & virtutis assumptor, signaculum & figuram (vt ita dicam) in suum sensum recipit eius scientiæ, quam assumpsit: Sic & is qui spiritus sancti particeps efficitur, per communionem eius fit spiritalis pariter & sanctus. *Didymus, lib. 1. de spiritu sancto.*

Quomodo enim qui aliqua disciplina plenè est, qui perfectè eam habet, eruditè & subtiliter potest de ea proferre sermonem: Sic qui spiritum sanctum consummatè acceperũt, ita vt impleantur eo, cũ fiducia verbum Dei loquũtur, quia præsens spiritus sanctꝰ dignã Deo vocẽ ministrat. *Ibid.*

Sicut corpus carnis nihil est aliud quam caro: ita donum spirituſſancti nil est aliud quam spirituſſanctus. *Aug. lib. 15. de trinitate, cap. 19.*

Spirituſſanctus est patris & filij amor & connexio, ad ipsum pertinet societas, qua efficimur vnum corpus vnici filij Dei. Sicut enim vnum corpus hominis multis constat membris, & vegetat omnia membra vna anima, faciens in oculo vt videat, in aure vt audiat, & sic in cæteris: ita spirituſſanctus membra corporis Christi quod est ecclesia cõtinet & vegetat. Et sicut humani corporis membrum præcisum formam quidem qua membrum fit cognoscitur, retinet, sed nequaquam spiritus sequitur, quo præter vnitatẽ corporis viuat: Sic quicunque à prædictæ pacis vnitate diuisus est, sacramentum quidem tanquam formam retinet, sed spiritu præter vnitatem non viuit. Fruſtra ergo foris de forma gloriantur, nisi intus spiritu vegetentur. *Idem, lib. de gratia noui testamenti.*

Sed interrogas vtrum semper spiritus ex patre procedat? Semper cum filio & semper ex illo, sicut calor ex igne. Ita sine intermissione profertur vt egredi sinat. *Paschasius de spiritu ſancto.*

Quod vero in singulos sedisse memoratur, id causę est vt intelligatur per plures non fuisse diuisus, mansisse in singulis totus, sed sicut fieri in ignibus mos est. Hanc enim vt nouimus habet naturam ignis accensus, vt quanti ad eum quanti ad crinem purpurei splendoris aspexerint, tantis vsum suæ lucis impertiat, tantis ministerium sui muneris tribuat, & nihilominus in sui integritate permaneat. Ita spirituſſancti virtus quantumlibet effluat, quãtumlibet in plurimos gratia diuinæ largitatis exuberet, sicut probatur recipere mensuram: ita nullam sentit expensam. *Idem, ibidem.*

Adamantes solidiores gratia Dei nos effecit, & si volumus omnino inuictos. Itaque sicut qui adamantem secat, nihil adamanti nocet, sed seipsum fatigat, & robur suũ imminuit: & contra stimulos calcitrans suos pedes cruentat: In hunc modum res se habẽt nostræ cum salutis nostræ aduersario, si armis quæ nobis spirituſſancti gratia exhibet, continuo muniamus. *Chryſoſt. Hom. 4. in Geneſin.*

Sicut omne artificium corporea visitatione seruatur & additur: Sic & gratia omnis per exercitationem additur, &

per desidiam minoratur. *Idem, Hom. 13. oper. imperf.*

Sicut non est possibile, vt ex sola pluuia fructificet terra, nisi super eam flauerit ventus: Sic non est possibile, vt sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit spiritus sanctus in corde ipsius. *Idem. Hom. 20.*

Sicut terra non germinat nisi pluuias susceperit, nec pluuia fructificat sine terra: Ita nec gratia sine voluntate aliquid operatur, nec voluntas sine gratia quicquam potest. *Idem, Hom. 32.*

Sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur vbi tempestas voluerit: Sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito, per peccatum agit quod non vult, sed quod diabolus. *Idem, Hom. 37.*

Spiritus sanctus ignis est, vt excitamentum, & feruorem gratiæ, & peccatorum absumptionem significet. Aquam dicit eum, vt ablutionem & refrigerium, quibus ipsum accipientes animi fruantur. Etenim tanquam hortum virente, & fructiferis, & semper florentibus arboribus comante, ita promptam animã disponit, vt nulla anxietate, nullis sathanæ insidiis distrahi sinat, sed omnia ardentia malitiæ tela extinguat. *Idem Homil. 11. in Ioan.*

Quemadmodum in speculo impurgato rerum imagines intueri non possunt: Sic homo spiritussancti illustrationẽ recipere non potest, nisi peccatum & carnis affectionem abiiciat. *Basilius de spiritusancto.*

Mare certè immensum est, & capacitas eius Deo soli nota ex hoc si quis velit multis hominibus, secũdum id quod gestare queunt, tradere: necesse est, vt ad mensuram vnicuique tribuat, & partes eius mensuram recipiant, cuius solidum immensurabile est. Ita & Spiritus S. immensus quidẽ est, & nullo fine concluditur: tamen vnicuique datur secũdum quod expedit. *Hieronymus, in 2. ad Eph. cap. 4.*

Quemadmodum in vulneribus putridis, ne cancer serpat, & emortuum corpus viuas carnes depascatur, medici statim vulnus & vrunt cauterio, vel puluere cauterico: Ita Spiritus Dei, finem posuit mendacio, ne vltrà populus Dei pseudoprophetarum vocibus subuertatur. *Idem, in cap. 1. Michææ.*

Nulla sit in vobis inuidia: per hanc enim Spiritus sanctus mentem derelinquit. Recedente autem Spiritu S. à taber-

naculo mẽtis, euacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine: nullúsque locus ei est in cœlo: quia alienũ se fecit à bonitate. Efficitur cubile draconum, & habitatio immundorũ spirituum. Inde ab auaritia absorbetur: & ab omni dulcedine infructuosus & sterilis contabescit miser & derelictus. *Martialis, in epist. ad Burdegalenses.*

STVLTITIA, STVLTVS.

VIdi tantum inter sapientem & stultum interesse quantum inter lucem & tenebras. *Eccl.* 2.

Sicut muscæ in vnguentum quantúmuis fragrans collapsæ, si illic moriantur, vnguentũ corrumpunt, & bullis veluti scabie obducunt: Sic parua sæpe stultitia, homini ob sapientiam & reliquas naturæ dotes claro, multum existimationis adimit. *Eccl.* 10.

Cor fatui quasi vas confractum sapientiam non tenebit. *Eccl.* 21.

Stultus mutatur vt luna. *Eccl.* 27.

Sagitta infixa fœmori canis: Sic verbum in corde stulti. *Eccl.* 19.

Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius. *Eccl.* 33.

Vt luna cum videatur vna esse per substãtiæ immutationem, tamen semper à semetipsa alia est, sempérque diuersa. Et sic etiam in ipsa constat quod vna multæ sint: Sic ergò & nos qui adhuc insipientes sumus & imperfecti, quia semper mutamus sententias, & semper diuersa cupimus & sentimus, vnus non possumus dici. *Origenes, Ho. vnica, in lib. Reg.*

Sagitta infixa fœmori canis, sic verbum in corde stulti. Sicut enim canis nõ quiescit donec eiusmodi remouerit è fœmore suo: Ita nec stultus quiescere potest, donec verbum malũ quod de proximo audiuit, aliis retulerit. *Gulielmus Peraldus in Ecclesiasticí, cap.* 19.

Vt conchilia crescente luna augescunt, decrescente marcescunt: Ita stultus à fortuna pẽdens, nunc magnus est, nũc paruus, nunc elatus, nunc supplex, vtcunque Rhamnusia mutauerit sese. *Plinius, lib.* 2.

Quemadmodum iubar fulgens à solis lumine, caligo superueniens occultat: Ita sæpenumero intellectum quoque

noſtrum veluti in ipſa meridie ſplendente, & luce ſua conſpicuum, ſtultitia vel amentia ſuperueniens obſcurat. *Antonius, in Meliſſa part. 1. ſer. 10.*

Vt ægrotantiũ lectus aureus nihil iuuat: Sic neq; ſtolidũ inſignis fœlicitas & opes ampliſſimæ. *Socrates, apud Stobæum, ſer. 92.*

Vt Cyclops exoculatus, manus quoquo verſum porrigebat, nullo certo ſcopo: ita magnus rex cui deſit prudentia, quíduis aggreditur ingenti rerum tumultu, ſed nullo iudicio. *Homerus. Odyſ. 9.*

Quemadmodũ infantes leuiſſimas ob cauſas luctus cauſam arripiũt: Sic ſtultus quoq; in re nullius momenti cõmouetur. *Iſocrates, apud Stobæum, ſer. 2. de imprudentia.*

Quemadmodum ægri & debiles, rebus vtuntur ad curãdũ aptis: Sic & ſtulti ſapientia indigẽt, meliúſq; lõgè ipſam quã argenti & auri theſauros mercari, longéque itẽ carior lapidibus preciofis, & omne admodũ precioſum ipſa prorſus dignum non eſt. *Baſilius, in Iulittam martyrem.*

Crates ſtultos terebris ſimiles eſſe dicebat, quòd nihil eorum quæ recta ſunt, ſine vinculo & neceſſitate facere velint. *Maximus, ſer. 60.*

SVPERBIA.

SIcut eructant precordia fœtentiũ, & ſicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueũ: Sic & cor ſuperborum, & ſicut proſpector videns caſum proximi ſui. Bona enim in mala conuertens inſidiatur, & in electis imponet maculam. *Eccl. 11.*

Quemadmodũ ſi quis liber & ingenuus more ſeculi, ac valde locuples, reditũ inſuper cogat, & fructus inferat, ille arrogãs eſt, ac ſibiipſi fidit: cúmque ſit intolerabilis, omnes calcitrat & colaphis afficit: ita ſunt quidã nulla diſcretione prediti qui cũ paululũ quietis precationíſq; fuerint adepti, extolli incipiunt, rebelles eſſe, atq; de aliis iudiciũ ferre: & hoc pacto delapſi ſunt in profundiſſima tenebræ. *Macarius, ho. 27*

Vox Domini confringentis cedros. Cedrus enim quandóq;, vt reliquis quidem arboribus longæuitate præſtantior & putrilagine ſuperior, & odorata & obumbrans tectoriũ præbere apta, apud ſacra volumina laudatur. Quãdóque verò vt infructuoſa & flecti neſcia, ſicque impij adimplens ſimilitudinem in malam traducitur partem. *Baſil. in Pſal. 28.*

naculo mētis, euacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine: nullúsque locus ei est in cœlo: quia alienũ se fecit à bonitate. Efficitur cubile draconum, & habitatio immundorũ spirituum. Inde ab auaritia absorbetur: & ab omni dulcedine infructuosus & sterilis contabescit miser & derelictus. *Martialis, in epist. ad Burdegalenses.*

STVLTITIA, STVLTVS.

VIdi tantum inter sapientem & stultum interesse quantum inter lucem & tenebras. *Eccl.* 2.

Sicut muscæ in vnguentum quantúmuis fragrans collapsæ, si illic moriantur, vnguentũ corrumpunt, & bullis veluti scabie obducunt: Sic parua sæpe stultitia, homini ob sapientiam & reliquas naturæ dotes claro, multum existimationis adimit. *Eccl.* 10.

Cor fatui quasi vas confractum sapientiam non tenebit. *Eccl.* 21.

Stultus mutatur vt luna. *Eccl.* 27.

Sagitta infixa fœmori canis: Sic verbum in corde stulti. *Eccl.* 19.

Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius. *Eccl.* 33.

Vt luna cum videatur vna esse per substãtiæ immutationem, tamen semper à semetipsa alia est, sempérque diuersa. Et sic etiam in ipsa constat quod vna multæ sint: Sic ergò & nos qui adhuc insipientes sumus & imperfecti, quia semper mutamus sententias, & semper diuersa cupimus & sentimus, vnus non possumus dici. *Origenes, Ho. vnica, in lib. Reg.*

Sagitta infixa fœmori canis, sic verbum in corde stulti. Sicut enim canis nõ quiescit donec eiusmodi remouerit è fœmore suo: Ita nec stultus quiescere potest, donec verbum malũ quod de proximo audiuit, aliis retulerit. *Gulielmus Peraldus in Ecclesiastici, cap.* 19.

Vt conchilia crescente luna augescunt, decrescente marcescunt: Ita stultus à fortuna pẽdens, nunc magnus est, nũc paruus, nunc elatus, nunc supplex, vtcunque Rhamnusia mutauerit sese. *Plinius, lib.* 2.

Quemadmodum iubar fulgens à solis lumine, caligo superueniens occultat: Ita sæpenumero intellectum quoque

noſtrum veluti in ipſa meridie ſplendente, & luce ſua conſpicuum, ſtultitia vel amentia ſuperueniens obſcurat. *Antonius, in Meliſſa part. 1. ſer. 10.*

Vt ægrotantiũ lectus aureus nihil iuuat: Sic neq; ſtolidũ inſignis fœlicitas & opes ampliſſimæ. *Socrates, apud Stobæum, ſer. 92.*

Vt Cyclops exoculatus, manus quoquo verſum porrigebat, nullo certo ſcopo: ita magnus rex cui deſit prudentia, quiduis aggreditur ingenti rerum tumultu, ſed nullo iudicio. *Homerus. Odyſ. 9.*

Quemadmodũ infantes leuiſſimas ob cauſas luctus cauſam arripiũt: Sic ſtultus quoq; in re nullius momenti cõmouetur. *Iſocrates, apud Stobæum, ſer. 2. de imprudentia.*

Quemadmodum ægri & debiles, rebus vtuntur ad curãdũ aptis: Sic & ſtulti ſapientia indigẽt, meliúſq; lõgè ipſam quã argenti & auri theſauros mercari, longéque itẽ cariorẽ lapidibus preciosis, & omne admodũ precioſum ipſa prorſus dignum non eſt. *Baſilius, in Iulittam martyrem.*

Crates ſtultos terebris ſimiles eſſe dicebat, quòd nihil eorum quæ recta ſunt, ſine vinculo & neceſſitate facere velint. *Maximus, ſer. 60.*

SVPERBIA.

SIcut eructant precordia fœtentiũ, & ſicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueũ: Sic & cor ſuperborum, & ſicut proſpector videns caſum proximi ſui. Bona enim in mala conuertens inſidiatur, & in electis imponet maculam. *Eccl. 11.*

Quemadmodũ ſi quis liber & ingenuus more ſeculi, ac valde locuples, reditũ inſuper cogat, & fructus inferat, ille arrogãs eſt, ac ſibiipſi fidit: cúmque ſit intolerabilis, omnes calcitrat & colaphis afficit: ita ſunt quidã nulla diſcretione prediti qui cũ paululũ quietis precationiſq; fuerint adepti, extollii incipiunt, rebelles eſſe, atq; de aliis iudicũ ferre: & hoc pacto delapſi ſunt in pfundiſſima tenebræ. *Macarius, ho. 27*

Vox Domini confringentis cedros. Cedrus enim quandóq;, vt reliquis quidem arboribus longæuitate præſtantior & putrilagine ſuperior, & odorata & obumbrans tectoriũ præbere apta, apud ſacra volumina laudatur. Quãdóque verò vt infructuoſa & flecti neſcia, ſicque impij adimplens ſimilitudinem in malam traducitur partem. *Baſil. in Pſal. 28.*

Sicut nauis quæ multos fluctus transit, multasque tempestates effugit, in ipso autem portu tandem in scopulum impingit, iacturam totius in se reconditi thesauri facit: Ita & Pharisæus ille, postquã sustinuit labores ieiunij, aliasq; virtutes omnes, quia linguam non coercuit, arrogantia sua in ipso portu naufragiũ fecit. *chrysost. ho. de pfecto Euãgelij.*

Sicut oculis captus, ab omnibus offendi potest facile: Ita & superbus quoque dominum nescius (principium enim superbiæ est nescire Dominum) etiam ab omnibus facile capi potest, vt pote lumine summo orbatus. *idẽ ho. de Ozia.*

Quemadmodum si quis cum statura cubitus sit, instar mõtium, imò etiam altiorem se putet, ac ideo seipsum quasi montes excessurus erigat, nullum iam aliud signum eius insaniæ quæremus: Sic cum inflatum videris hominem, qui meliorẽ se cæteris arbitretur, cõtemnique opinetur, si cæteris hominibus cõferatur, nullum aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tantò quippe ridiculosior his est, qui natura insaniunt, quantò ipse sponte hunc morbum intecit: nec hac re solum miser, verum etiam quia in miseriæ fundum se detrusit, vt nihil sentiat. Certè quasi vile mãcipium & miserum, captiuum eũ Dyabolus abduxit, agitatque verberibus & mille contumeliis quocunque velit. Nã in tantam amentiam plerumque impelluntur, vt persuasi esse videantur, liberis quoque ac vxoribus, parenti & maioribus esse meliores, nonnullos autem maiorum excellẽtia inflari facit. Ita contrariis causis febricitant. Alij quoniam parentes auos & proauos humiles habuerũt: alij quoniam claros & nobiles efferuntur. Quomodo quispiam vtriusque tumorem poterit deprimere? Si ad alteros scilicet dixerit, Tu qui magna de nobilitate maiorum iactas, vltra proauos atque atauos si progrediaris, inuenies multos è genere tuo agasones forsan, aut caupones fuisse, ad alteros autem, progrediaris tu aliquantum vltra parentes, & inuenies te multo clariores fuisse. *idem hom. 59. in Matthæũ.*

Quamnam auem altius volare opinaris? vtrum eam quæ cum per aera feratur, arũdines aucupis atque rẽtia nõ formidat: an eam quæ vel sine arundine vel visco, quoniam humi serpat potius quam volat, manibus facile capitur? huiusmodi certe insolens animus est, qui cũ humi serpat, in omnem laqueum incidit: quod etiam à nequissimo illo

dæmone colligere possumus, qui propter arrogantiam in profundum depulsus est, homo autē quamuis corporeus sit, tamen si humilitate polleat, ita illum excedit, vt sub calce hominis ille iaceat. *Ibidem hom. 69. in Mat.*

Mihi videntur accensæ stupæ similes esse arrogātes. Nā & illa post incēdium tumidum quid esse, & in nescio quid præcipui immutata videtur: modicum verò passa contactum totum amisit, omni puluere vilior apparens. Tales sunt & illorum animi. Nam & illorum inflationem inanē si facilis quidam contactus apprehenderit, humiliare deiicereque poterit; oportet enim omnino infirmus sit, qui arrogans est. Altitudo siquidem valida non est, sed quēadmodum aquaticæ ampullæ facile rumpuntur, ita & illi facile pereunt, Quod si dubitas, da mihi temerarium quendam & arrogantem, & videbis illum quouis elanguido timidioréfactū, idque qualicunque reprehensū incōmodo. Quemadmodum enim flamma illa quæ in stupis aridis sursum fertur, simulatque contacta fuerit: in cineré vertitur, solidorum enim lignorum ea natura est, vt neque facile incendantur, neque cum accensa fuerint, ardentem flammam facile dimittant: ita & illi quidam animi, qui solidi sunt ac firmi, neque facile extinguntur, isti vero vtraque illa vnico momento patiuntur. Hæc itaque scientes humilitatem exerceamus: Nihil enim illa potentius, sed & petra est & fortior, & adamante solidior, & in maiorem nos securitatem collocat, quam queant vel turres vel vrbes, vel muri: omnibusque diaboli machinamentis sublimior facta contingere volentibus insuperabiles facit: quemadmodum vicissim arrogantia, etiam quibuslibet captu faciles reddit, ampulla quauis vt dixi facilius rumpitur, aranearum textura citius scinditur, fumo leuius dissoluitur. *Idem hom. 20. in epist. ad Rom.*

Quemadmodum corpus commensurata complexione amissa, intemperatumque factum, quibusuis passionibus est obnoxium: ita animus posteaquam humilitatē prudētiamque perdiderit, habitum quemdam nactus diuersum, infirmus, tumidus, temerarius ac stultus redditur, seque ipsum deinceps ignorabit: qui autem seipsum ignorat, quomodo quæ supra se sunt cognoscet? Quemadmodū enim qui phreneſi laborat, cum seipsū non agnoscat, neque quæ

ante pedes sunt nouit: Et oculus cum ipse cæcus est, omnia reliqua membra in tenebris sunt: ita arrogantia se habet. vnde & insanis, iisque qui natura stulri sunt, miseriores sunt arrogantes. *Idem & sermone contra desperationē & superbiā.*

Nullum malum est quod superbiæ par sit. Ex homine facit dæmonem, conuitiatorem, maledicum periurum, mortis ac cædis cupidum. Superbus perpetuus est in tristibus, perpetuò indignatur, perpetuò mœret, nihil est quod hāc animi ipsius affectionem exaturare queat. Etiamsi regem ante se procumbere ac procidere viderit, non satiatur, sed magis incenditur. Quemadmodum enim auari, quanto plura acceperint, tanto pluribus egent, ita & arrogantes, quanto maiore honore fruuntur, tanto cupiunt honorari magis. Crescit enim illis ista animi passio. Passio vero finem non nouit, sed tum primum cessat quando laborātem occiderit. Non vides eos, quos βελιμιῶντας vocant, quomodo semper esuriunt? Est enim passio, sicut medici dicunt. *Idem hom. 1 in secundam ad Thessalonicenses.*

Quod in corporibus tumor: hoc in animab⁹ superbia est. Sicut enim illic quod immodice turget, sanū non esse, ita & tumidos carere sanitate dicimus. *Idem hom. decima septima in 1. Timothæi.*

Si ad quod nō opus est facultatibus tuis vteris, nō debes altū sapere quoniā pecuniarū tuarū seruus effectus es. Nā dic mihi, si quispiā febriū ealore correptus, multum aquæ bibat, & modico quidē tēpore sitim extingat, ipsum verò flammam denuo validius accendat, num propterea debet altum sapere? Alienarum in nobis passionum interdum demonstratur vtilitas. Iracundia plerunq; vtilis est, & cupiditas & cæterę passiones. Arrogantia verò nusquam bona potest existere. *Idem hom. secunda ad Hebræos.*

Sicut auari quanto plura ceperint, tanto pluribus egent: itidem & superbi, quanto maiori funguntur honore, tanto plus cō cupiscunt. Crescit enim in eis morbus, morb⁹ enim est: morbus aūt finem nescit, sed cum habentē occiderit, tum demum sistit. Nonne vides ebriosos quod semper sitiunt? morbus enim est, nō naturæ cupiditas, sed ægritudo peruersa. Nōne vides quos vocāt boulimos, quod semper esuriūt? *Idem hom. ad pop. Antiochenum quadragesimæ.*

Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus. Quomo-

do vinum contra potantem facit,& postquam surrexerit, neque pes neque mens suum officium tenet, omnisque lætitia & mētis exhilaratio vertitur in ruinam: Sic vir superbus non decorabitur, nec voluntatem suam perducet ad finem. *Hieronymus lib. primo comment. in Abacub. cap. 2.*

Fumus à loco ignis erumpens, in altum extollitur,& ipsa elatione in globum magnum intumescit, sed quanto fiet globus ille grandior, tanto fit vanior: Sic impius quo magis exaltatur, tanto citius deficit, *Augustinus in psal. 36.*

Sicut inter ignem & aquā tenēda est via vt nec exuratur, homo, nec demergatur: Sic inter apicē superbiæ & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum est Non declinantes neque ad dextram neque ad sinistram. *Idem epist. 81.*

Medicus quando egritudinem discutit, si curet quod per aliquam causam factum est,& ipsam causam per quam factum est, non curet, ad tempus videtur mederi. Causa manente morbus repetitur, verbi causa, apertius hoc dicam, humor in corpore scabiem vel vlcera gignit, in corpore fit magna febris, & non paruus dolor. Exhibentur quædam medicamenta, quæ scabiem compescāt,& feruorē illum vlceris sedent,& adhibentur & proficiūt. Vides hominem qui fuit vlcerosus, & scabiosus, sanatum, sed quia humor ille non eiectus est rursum ad vlcus redit: Cognoscens hoc medicus, purgat humorem, detrahit causam, & nulla erunt vlcera. Vnde ergo abundat iniquitas? Per superbiam. Cura superbiam,& nulla erit iniquitas. Vt ergo causa omnium morborum curaretur, id est, superbia, descendit & homo factus est filius. Dei *Idem tractatu. 28. in Ioannem.*

Nihil arrogantia atque superbia peius, quæ mentis quoque vires natura hominibus concessas ita deiicit, vt amentes ex prudentia, ac animo stolidos efficere videatur. Nam quemadmodum si quis cum statura cubitus sit, instar montium, imò etiam altiorem se putet, ac ideo seipsum quasi montes excessurus erigat, nullum aliud argumentum insaniæ suæ quæremus: Sic cum inflatum hominē videris, qui meliorē se cæteris arbitretur, contemnique opinetur, si cæteris conferatur, nullum aliud signū vecordiæ hominis exquiras. Tanto quippe ridiculosior is est qui naturā insanit, quanto ipse hunc sibi morbum inie-

cit: nec hac re solùm miser, sed quia in miseriæ fundum se detrusit, vt nihil sentiat. Quando enim is peccata sua vt oportet, cognoscet? Quando nimium se delinquere sentiet? Certè quasi vile mancipium, & miserum captiuum Diabolus eum adduxit, agitatque mille verberibus & cõtumeliis quocunque velit. *chrysostomus homilia 59 in Mathæum.*

Si quid in vtres velis infundere boni, ventum atque aerem emoueas oportet: Sic fastum ac tumorẽ eximas oportet ab animo eius, quem velis docerẽ. *Plutarchus in moralibus.*

Vt Deus irascitur, qui fulmen ac tonitru imitantur, eosque in tartara præcipitat, vt Saloneum: Sic superbis & elatis indignatur, qui magnitudinem æmulantur, non exprimunt bonitatem. *Ibidem.*

SYMBOLVM APOSTOLORVM.

In bellis ciuilibus hoc obseruari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos vnus est, atque eadem instituta bellandi, nequa doli surreptio fiat, symbola discreta vnusquisque dux suis militibus tradit, quæ latine signa vel indicia nominãtur, vt si fortè occurreret quis de quo dubitetur, interrogat⁹ symbolũ prodat si sit hostis, an socius. Id circò denique hæc non scribi chartulis atque membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, vt certum esset, neminem hac ex lectione quæ interdum peruenire etiã ad infideles solet, sed ex traditione didicisse sufficeret. Discessuri ergo, vt diximus, ad prædicãdũ istud vnanimitatis, & fidei suæ indicium Apostoli posuere. *cyprianus in symbolum Apostolorum.*

Sicut nonnullis scire permissum est, apud veteres symbola vocabantur, quòd de substantia collecti in vnum sodales, in medio conferebant ad solemnes epulas, & ad cœnæ communes expensas: Ita & ecclesiarum patres de populorum salute solliciti, ex diuersis voluminibus scripturarum collegerunt testimonia diuinis grauida sacramentis: Disponentes itaque ad animarum pastum salubre conuiuium, collegerunt verba breuia & certa, expedita sententiis, sed diffusa mysteriis, & hoc symbolũ vocauerunt. quomodo si aliquis pictor egregius, ex multarum pulchritudine personarum vnã aliquam vellet coaptare, & exprimere

personam,

personam, ex plurimis speciebus speciosa deferret, ac diuersas vultuum gratias in vnam faciem colligat, & de præcipuis præcipua eligat, & vnam ex plurimis formam, artificis dispositione componat. Aut quomodo si aliquis possessor diffusus ac locuples migraturus ad aliam regionem, quascunque opes habet in aurum ac gemmas redigat, & intra vnum sacculum congreget bona sua, non cumulo estimanda, sed pretio, vt facile quocúque vadit summas secum possit ferre diuitias, concludens, in sinu suum thesaurum: Ita ecclesiarum magistri, studiosissimi salutis nostræ negotiatores, in scripturis sanctis de magnis maxima separauerunt in mentium pagina inscribenda, vt cuilibet cordi quamuis angusto, quamlibet rustico, sine vllius difficultatis impedimento, facile insinuari possit veritatis agnitio. *Eusebius emissenus hom. 1. de symbolo.*

Sicut fons ore angusto manãs magnis fluuiorũ laticibus ampliatur: Sic fides symboli breuiato sermone credulitatis latissimos dat meatus. Et sicut radix alte fixa, in excelsum germen se protendit, fides sic radicata pectoris in profundo, in excelsum credulitatis cacumen attollitur. *Petrus chrysologus sermone sexagesimo primo in symbolum Apostolorũ.*

Fides catholica in vniuersum mundum per patriarchas & prophetas & gratiæ dispẽsatores spiritusancto insinuãte diffusa est. Hanc apostolicam solicitudo atque perfectio sicut per sanctas paginas dilatauerat, ita per symboli salutare collegit, & tanquam per diuersas remediorum species dispositum in corpus vnum, ac velut ex innumeris aromatibus pretiosum confecit vnguentum, cuius odor omnes fines terræ potẽtia fragrantiæ spiritualis impleuit, vt in ipso vniuersitatis assensu virtus appareat vnitati. *Paschasius de spiritusancto.*

TACITVRNITAS.

ANarcharsis Scytha dormiens, sinistra manu pudenda continebat, os autem dextera, significans oportere quidem vtrumque, sed maius esse linguam cohibere quã voluptatem. *clemens Alexandrinus libro. 5. stromatum.*

Vt monas non suum finem, sed semper in vno manet, vnde & nomen habet: dyas autem initium differentiæ

infinitum, protinus enim per se duplicatur ad multitudinē: Ita sermo donec apud vnum manet, verè arcanus est & secretus: quòd si ad alterum transierit, iam spargitur in famam. *Plutarchus in Moral.*

Vt vas experiamur, aquam, non vinum infundimus: Ita friuolum quiddam aliquādo committendum amicis, quo silentij fidem experiamur, vt si effutiant, nihil sit periculi. *Ibidem.*

Vt egregius artifex iaculandi, statim scopum petit: Ita sapit, qui pauca loquitur, sed ad rem. *Ibidem.*

Vt mysteria cum silentio spectantur: Ita quædam melius laudantur silentio, quàm oratione. *Ibidem.*

Grues cum ex Cilitia deuolant, lapillos in os sumunt, atque ita Taurum montem aquilis plenum tutò transuolant: idque noctu, ne vox prodat: Ita tutissimum vbique silentium. *Ibidem. & Plinius lib. 10. cap. 23. atque Aristot. de natu. lib. 9. cap. 10.*

Muta cicada pro miraculo est, quòd ipsū genus sit garrulum: sunt autem huiusmodi in agro Rhegino: Sic magis admiramur constantiam & silentium in fœmina, quòd ipsum genus mutabile sit, & loquax. *Plinius, lib. 11. cap. 27.*

TEMPLVM.

SCrinium aliud paterni thesauri exinanitum hodie dicam. Quondam psallebant in vnum omnes, facimus & nos, sed tum vna omnium mens, cor omnium vnum fuit: hodie ne vna quidem in mente concordiam vllam reperias, sed bellis vndique omnia feruent. Pacem & nunc episcopus velut paternam domum ingressus omnibus optat, sed pacis eius nomen frequens quidem extat, res prorsus nulla. Tum etiam domus ecclesiæ erant, nunc verò ecclesia domus, imò domo quālibet prophana magis. Nam in domo quidem ordo seruari solet. Hera thronum occupat. omni cū venustatè famulæ tacitè sedentes texunt, familiarium quisque quod imperatum est in manibus habet: hic verò magnus tumultus, magna cōfusio, nihilque à caupona differunt nostra, tanta turba, tantus risus quātus in balneis, quantus in foro, clamantibus, tumultuantibus omnibus, atque hæc quidem in vrbe nostra solum. Nam alibi

ne amicum quidem, in quem post longum tẽpus incidisti, compellare licet, sed foris ista fiunt, & recte quidem: neq; enim tonstrina, aut vnguentaria taberna ecclesia est, aut officina forensis: sed locus angelorum, locus archãgelorũ, regia Dei, cœlum ipsum. Quemadmodum igitur si cœlum quispiã in angustum redactum illuc inducat, etiãsi patrẽ, etiamsi fratrem videas, tamen præstupore non alloquare: sic neque hic aliud quicquam quam sancta seruare decet. *Chrysostomus hom. 36. in. 1. Cor.*

Quid domos ad nugandum non habetis? Atqui iucundũ colloqui cum familiari. Esto sane non veto, sed domi, sed foris, sed in balneis fiat. Ecclesia enim nõ disceptandi, sed discendi locus est. Nunc autem foro nil differt: & si non sit temerarium dictu, fortasse nec scena ipsa: adeò prostitutis scortis petulantius, quæ huc mulieres congregantur, sese comunt, & sine dubio non paucos hic sollicitant, homines intemperatos. Si quis corrumpere matronam conatur locum hunc maximè idoneum putat. *Ibidem.*

Qui se conferunt in medicorum officinam, illis non eò simpliciter eundum est, sed curandum vt discant quomodo curentur ac pharmacis vtãtur: ita & nobis qui in ecclesiam conuenimus, non hoc tantũmodo agendum, sed discendum quid ad salutem prosit. *Idem hom. 7. ad Eph. fios.*

Stat sacerdos Dei orationẽ offerens cunctorum, tu autẽ rides nihil timens. Non contremiscis, non colligis teipsũ? Et in aulam quidem regiã intraturus, & habitu & oculis, & incessu, & in cunctis aliis componis & ornas temetipsũ: huc autẽ ingressurus vbi est aula regis, & talis qualis cœlestis est, rides? *Idem hom. decima quinta ad Hebræos.*

Seminans non propter hoc seminat, vt tantum seminet, sed vt metat: quod nisi fieret, & damnum sementis pateretur, seminibus temere & incassum marcefactis. Mercator non propter hoc nauigat, vt tantum nauiget, sed vt peregrinatione maiorem faciat rem: quod nisi hoc adsit, & damnum accidet extremum, & damnosa mercatorum nauigatio. Sic nos in ecclesiam conuenimus non propter hoc solum vt illic immoremur, sed vt aliquod magnum lucrati, & spirituale lucrum, discedamus. *Idem hom. quinta ad populum Antiochenum.*

Medicamentum si tibi adhibeatur, nec te purget, nonne altera die rursus idipsum adhibes! Sit quispiam incisor arborum ô homo, velitque quercum incidere, accipit asciam, deinde radicem incidit, quod si vno ictu arbor non concidit, nonne & alterum ictum addit, non quartum, non quintum, non sextum, non decimum. Itidem tu facito. Ingressus es in ecclesiam ô homo, dignatus es Christi cõsortio, ne exeas nisi dimittare. Nã si ante missionem exieris, perinde ac fugitiuus reposceris. Totum diem in his rebus quæ ad corpus spectant, insumis, & duas horas spiritalibus non vacas. Ad theatrum sæpe adis, neque inde discedis, donec dimittaris, & in ecclesiam ingressus; priusquam diuina mysteria peragantur, abis. *Idem hom. de non contemnenda ecclesia Dei.*

In tam prolixis noctibus quem non infirmitas detinet, nõ sine reatu animæ suæ tardius ad ecclesiam venit. Rogo vos fratres, si institores, aurifices maturius vigilãt, vt possint corporis necessaria prouidere, nos non debemus ante lucem ad ecclesiam surgere, vt peccatorum indulgentiam mereamur accipere? *Cæsarius arelatensis hom. 29.*

Si vnguentario quispiam aut vnguentariæ tabernæ assideat, etiam inuitus illum accipit odorem, longe magis qui ecclesiam frequentat. *Chrysostomus hom. 51. in Ioannem.*

Ne imiteris illos qui nulli vacant meditationi, ac reuerentiam adhibe, cum fit exorcismus, quousque alij exorcizati aderũt, viri cũ viris, mulieres cũ mulieribꝰ. Nũc enim opus est proponere exẽplum arcæ Noe in qua erat & vxor eius & vxores filiorũ eius, si quidẽ & arca erat vna & oltiũ clausum. Sed quid hæc significabant? Si concluſa est ecclesia, & vos omnes intus, hæc tamen seperantur, viri vt sint cum viris, mulieres cum mulieribus, ne studium salutis sit perditionis occasio. Et si enim pulchrum sit institutum proximo assidere, sed procul tamen sint affectiones. *Cyrillus Ierosolymitanus præfatione catecheseon.*

Est ecclesia Dei mercatus quidem spiritualis medicorumque officina animabus, & par est, vt sicut qui ad nundinas veniũt, inde multis mercibus conquisitis redeamus, vel quasi è medici domo receptis quæ animabus nostris congruent medicamentis, exeamus *Chrysostomus homilia. 21. in genesin.*

VEluti agricolæ periti præ multa consuetudine, cum vbertas est annonæ non planè cura vacant, sed postea famem & sterilitatem expectant: nec è diuerso valde desperant, cum fame aut sterilitate premuntur, eo quod vicissitudinem probe norunt: Sic est in re spirituali, cum in varias tentationes inciderit anima nõ est attonita, nec desperat, quia nouit expermissione se relictã esse vt probaretur, & erudiretur à malo: nec vicissim, quando diuitiis multis & quiete fruitur, solicitudine caret: sed mutationem expectat. Similiter & sol cum sit corpus & opificium, relucens in locis fœtidis, lutosis & impuris, nihilo lædituraut inficitur: quantominus spiritus purus & sanctus, qui habitat cum anima, quæ adhuc à malo torquetur, inde vitij contrahit? Cũ igitur homo diteſcit gratia, & nihilominus tentatur, habet adhuc aliquid oleris ad pascendum vitiũ. Verum protectorem habet sibi opitulantẽ. *Macarius ho.16.*

Nec pueris sub pædagogo constitutis similis fias, qui castigatione irati scindunt libellos: patri verò consulenti ac cibum prohibenti vestem concerpunt, vel matris ora vnguibus petunt. Nam & nauclerum tempestas, & athletam stadium, & ducem pugna, magnanimum calamitas, Christianum verò tentatio probat & examinat. *Basilius hom. 8. in diuites auaros.*

Medicus quando infirmum curat, neque semper fame detinet, neque semper larga mensa frui finit, vt non voracitas febrim pariens augeat morbũ, fames verò infirmiorem eum efficiat: sed coniectans apud se quantæ sint ægrotantis vires, & diligenter vtens arte omnia sua in medium affert. Similiter & misericors Deus, sciens quid cuiuis expediat, aliquando cõcedit nobis prosperitate frui, aliquãdo etiam exercitationis gratia tentationibus nos circundat. *Chrysostomus, homil. 40. in Genesin.*

Sicut vnguentum & in hyeme flori dũ est, & boni odoris, & homines suo odore delectat atque inpinguat cum ex eo vncti fuerint: Sic & iustus in tẽpore tentationis immarcessibilis est & manet fidelis, *Idem homil 1 operis imperfecti.*

Quemadmodum si focum posueris super terram, comburit ipsas radices herbarũ, & vt in loco illo iam nõ faci-

le nascatur herba : Sic & tentationis ignis positus super carnem comburit radices concupiscentiarum in ea vt nō facile concupiscat. *Idem hom.* 3.

Nunquid tu potes, cum sit messis tua in agro, triticum à palæis separare? Et si tentaueris, nec paleas à tritico separas, & triticum similiter cum paleis perdis. Sic non poterat fieri, vt deus de Iudæis aut gentilibus iam electos sine tentatione discerneret & vocaret. *Ibidem.*

Sicut quando permodica est aura, non permundatur tota tritici massa, sed leuiores quidem paleæ modica aura iactantur, grauiores autem remanent, similiter remanent & vacua grana. necesse est ergo vt maior expectetur vētus, vt & grauiores paleæ, & vacua grana iactētur: Sic & quando modica est tentatio, illi proiiciuntur de ecclesia, qui multum sunt infideles. Ideo necesse est tentatio maior, vt omnes infideles plenius expellantur, vt perpurgetur Ecclesia. *Ibidem.*

Sicut aurum & argentum combustum in fornace sordibus colatur: Sic homo in fornacem tētationis missus, depositis peccatis sanctificatur. *Idem hom.* 5.

Vt qui ad bellum transmittitur, ad gloriam paratur: Ita cui tentatio imponitur, correctio ostēditur ei. *Ibidē hom.* 31.

Sunt plerique in mari natantes ex aliqua necessitate, qui cum peritiam & artem natandi optimè teneant, vbi vndas in se proruentes aspexerint, incuruati illis se subiiciunt, dum pertransierint, atque ita ab eis nusquam læduntur. Quod si vellent venienti vndæ seipsos opponere, illos absque dubio longius vnda repelleret & quasi iacularetur in mare, atque ita fatigarentur & frangerentur vi vndarum nihil omnino proficientes. Idem in tentationibus cōtingit. Cū quis aduenientē tentationē tulerit cum humilitate & patientia, illam sine molestia, sine læsione vlla pertransit. Qui si angatur, crucietur, turbetur, causas in quemcumque ferens, seipsum lædit & tentationem ipsam grauiorem reddit, ita vt non solum non prosit ipsa tentatio, sed maximè obsit Illi enim sunt vtiles tentationes: qui eas intrepide susceperit ac sustinuerit. *Dorotheus doctrina decima tertia, vt vtiliter tentationes feramus.*

Deus vtitur cacodæmone in nostris tentationibus sicut

medicus in tyriacis serpentibus & viperis. Id enim agit vt prosit infirmo. *Theodoretus sermone 3.*

Optimus imperator cum solis ne hostibus manus conserit, & in eos sagittat, & iaculatur, phalangésque eorum & ordines perrumpit: an suos etiam milites armat, & ordinat & ad se fortiter gerendum, animos & spiritus excitat? ER. Hoc ei potius faciendum est. OR. Non sunt enim partes Imperatoris, vt ipse quidem pericula adeat, ipse stet in acie, sinat autem milites in vtramuis aurem dormire: sed oportet eum etiam illis animum addere, vt stent in acie, & ordines rectè seruent. ER. Verum. OR. Hoc etiam dicit diuinus Apostolus. Ad eos enim qui crediderant, scribens, dicit: Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere insidiis diaboli. Et rursus: State ergo succincti lumbos vestros, in veritate, &c. Recordare etiam eorum quæ antea diximus, quòd medicus quoque adiicit qualitatem, quæ deest naturæ. Si enim inuenerit redundantem frigidam, adiicit calidam: & similiter alias. Hoc etiam fecit Dominus. ER. Et vbi ostendes hoc fecisse Dominum? OR. In sanctis Euangeliis. ER. Ostende ergo, & imple promissum. OR. Quid Seruatorem Christum existimabant Iudæi? ER. Hominẽ. OR. Quòd autem etiam Deus erat, omnino ignorabant. *Idem Dialogo secundo.*

Vide persecutio, Tribulatio.

TESTAMENTVM VETVS ET NOVVM.

QVid est vmbra & quid veritas? Age similitudinem ab imaginibus sumamus, quas pictores pingunt. Vidisti sæpe imaginem regiam, veneto colore coloratam, deinde pictorem circunducere cãdidas lineas, & facere regem & seruum regiũ, & equos circũstantes & iancearios & vinctos hostes & subditos: & cũ hæc vides delineata & adũbrata, néque scis totum, neque ignoras totum, sed quod homo pingitur & equus, obscurè cognoscis, qualis autẽ sit rex, & qualis sit hostis, nõ valde perspicuè cognoscit, donec colorum veritas adueniẽs, certiorem reddat visum. Sicut igitu in hac imagine, nõ exigis totum ante veritatem, colorem

sed etsi obscuram quandam accipias cognitionem eorum quæ fiunt, satis tamen picturam absolutam putas: Sic & de veteri & nouo Testamento senti, vt non omnem veritatis diligentiam in typo exquiras. *Chrysostomus hom. in illud Pauli, Nolo vos ignorare fratres.*

Nam vt differentes Cytharæ vel psalterij fides, quarum vnaquæque proprium quendam sonum, qui & minimè videatur sono alterius consentiens, perficit, existimantur à Musicæ imperito & ignorante musicæ ratione, inter se discordare propter sonorum dissimilitudinem: Sic qui nesciũt intelligere Dei in sacris scripturis cõuenientiam, & cõcinnitatem, putant non congruere veteré nouæ, aut legi Prophetas, aut Euangelia inter se, aut Apostolũ Euangelio, aut sibiipsi, aut aliis Apostolis. *Origenes in phicocal. cap. 7.*

Quisquis negat ideo vtrúnque Testamentũ ab vno Deo esse posse, quia non eisdẽ sacramentis tenetur populus noster, quibus Iudæi tenebantur, vel adhuc tenetur, potes dicere nõ posse fieri, vt vnus paterfamilias iustissimus, aliud imperet eis quibus seruitute duriorem esse iudicat, aliud eis quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Si autem præcepta vitæ monent, quod minora in veteri lege sunt, in Euangelio maiora, & ideo putantur nõ ad vnum Deum vtraq; pertinere, potest qui hoc putat perturbari, si vnus medicus alia per ministros suos imbecillioribus, alia per semetipsum valentioribus præcipiat, ad reparandam vel obtinendam salutem. Vt enim ars medicinæ, cum eadem maneat, neque vllo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: Ita diuina prouidentia cum sit ipsa omnino immutabilis, mutabili tamen creaturæ variè subuenit, & pro diuersitate morborum, aliis alia iubet aut vetat, vt à vitio vnde mors incipit, & ab ipsa morte ad naturam suam & essentiam, ea quæ deficiunt id est ad nihilum tendunt, reducat & firmet. *Augustinus, de vera religione.*

Vos hæretici dicitis licet, nos dicimus non licet, inter licet vestrum & nostrum non licet, nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis. Quærendi sunt iudices: Si Christiani de vtráque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur, deforis quærendus est iudex. Si paganus, non potest nosse Christiana se-

creta. Si Iudæus, inimicus est Christiani Baptismatis. Ergo de cœlis quærendus est iudex. Sed vt quid pulsamus ad cœlum, cum habeamus hic in Euangelio Testamentum? Tale est quod quiuis hominum habens numerosos filios. His quandiu pater presens est. tum ipse imperat singulis, non est adhuc necessarium Testamentum. Sic & Christus quandiu præsens in terris fuit, quamuis nec modo desit, pro tempore quicquid necessarium erat, Apostolis imperauit. Sed quomodo terrenus pater, cum se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam rupta pace, litigent fratres adhibitis testibus voluntatē suā de pectore mortuo transfert in tabulas diu duraturas. Et si fuerit contentio nata, non itur ad tumulum sed quæritur Testamentum. Is cuius Testamentum est, in cœlo est, Ergo voluntas eius in Euangelio queratur. *Optatus lib. quinto contra Parmenianum.*

THEOLOGIA.

QVemadmodum in agricultura & medicina ille vtiliter didicit, qui varias attigit disciplinas, vt possit melius colere, & curare: Ita etiam eum bene & vtiliter eruditum existimo, qui omnia refert ad veritatem, adeò vt ex geometria, musica, grammatica, & ipsa Philosophia, colligens quod est vtile, nullis insidiis interceptam seruet fidē. *Clemens Alexand. lib. 1. stromat.*

Quemadmodum athleta contemnitur, qui prius se non instruxit ad certamen, contra laudatur gubernator, qui multarum rerum habet experiētiam, qui mores nouit multorum hominum, & medicus qui multa est expertus: Ita qui singula refert ad rectam vitam, exempla ex græcis asserens, is valde peritus veritatis inuestigator, instar lapidis lydij, creditur posse discernere, aurum adulterinum, à probo, sophisticam à Philosophia, hæreses à veritate. *Ibidem.*

Quomodo qui artes didicerunt, per ea qua docti sunt, alimenta acquirunt: Ita is qui est cognitione præditus, per ea quæ scit vitam acquirens, fit saluus. *Idem libr. septimo stromat.*

Quemadmodum siquis intueri solis lucem velit, oculum purgat, clariorémque reddidit seipsum, fermè ad eius quem cernere cupit similitudinè mundans, vt illa luce affectus oculus, solis lucem queat intueri. Aut quemadmodum siquis ciuitatem, aut regionem inspicere cupiat, pergat ad locum inspiciendi gratia: Ita & qui Theologorum assequi intelligentiam cupit, abluere prius animam debet atque detergere, & per vitæ morúmque similitudinem, ipsos adire sanctos, vt voto atque instituto illis coniunctus, ea etiam quæ illis Deus reuelauit, intelligat. Nam absque munditia animi & vita sanctitatis æmula, possibile non est sanctorum dicta intelligere. *Athanasius lib. 2. de incarnatione Domini.*

Cuilibet disciplinæ necesse est indemonstrata esse discentibus principia, hoc enim manifeste ex his quæ sunt extra fidem apparet. Nam si geometriæ prima principia non concedas, durum fuerit inde symperasma deducere. Idem in Arithmetica, in primis immorantes elemétis, principia minimè demonstrantur. Denique in quolibet studio, quod ordine in finem procedit, impossibile primorum subiectorum demonstrationes exquirere. Sed necesse omnium artium, quæ probatione nituntur, principia sine vestigatione posita, reliqua quæ deinceps sequuntur cum ratione ostendent: Sic & Theologiæ mysterium ex fide, minimè rationibus probata ædificium quærit. *Idem in Psalm. centesimum decimum quintum.*

Quæso te virorum optimè, respondeas mihi. Artem aliquam vel disciplinam dicis esse, tibia canere, vel cytharam ferire? Sine dubio disciplinam esse fatebitur. Quid deinde? Sapienter sentis. At quid de ipsa sapientia, id est, de diuinarum humanarúmque rerum disciplina & scientia? Concedunt etiam hoc. Et quid? Meliores esse illas artes quam sapientiam ducimus, an multo his omnibus præstare sapientiam? Scio quod etiam hoc concedent, & hucusque fidem seruabunt in responsionum veritate. Quid ergo? Cytharæ quidem & tibiæ disciplina habebit doctrinam, atque institutiones suas, & tempus ad hoc discendi dabitur, & labore studium adhibebitur, & mercedes doctoribus præstabuntur. Interdum etiam sicubi quis peritior magister auditur, ob hoc peregrinatio quóque lon-

ga ſuſcipitur: & quicquid illud eſt, quod ad elimatam pertineat eruditionem, etiamſi ſit ſumptuoſum, toleratur & geritur. Sapientiam verò quæ omnium & princeps eſt & inuentrix, & in ſemetipſa habet omnia & continet, cuius nomine etiam Deus vocari magis quàm cæteris, quibus humanum ſermonem vti fas eſt, appellationibus gaudet, ita leuem & ita nullius momenti æſtimabimus, vt putemus voluiſſe quempiam tantum, & ſtatim eſſe ſapientem? *Gregorius Nazianz. in Apologetico.*

Apes exteriora tectoria faciunt ex ſuccis amarioribus, quod dulciſſimum eſt, in intimis recondunt: Ita Theologia inſipidis quibuſdam allegoriarum corticibus obtegit ſapientiam, quo prophanos arceat. *Eraſmus, in ſimil.*

THESAVRVS SPIRITVALIS.

TEmporis acceſſione opes quæ ad corpus ſpectant, facilè intereunt, veſtimenta abſumuntur, domus deſtruuntur, & aurum rubigine conſumitur, & in ſumma omnis ſenſibilis ſubſtantiæ natura, tempore tandem aboletur & intercidit. At nō ſic ſe res habet in ſpiritalibus theſauris, de martyribus (inquam) qui ſemper in eodem manent vigore, ſemper in eodem iuuentutis flore ſunt, ſemper ſuæ gloriæ fulgorem emittunt & radios. *Chryſoſtomus ſermone in Iuuentinum & Maximum martyres.*

Etenim homo vrinator nullam aliam ob cauſam audet ſeipſum in profundum aquarum demittere, quàm propter margaritas, bellorum cauſam. Quanquam non materiam reprehendo, ſed mentem intemperantem. Et tu vt accipias theſaurum deficere neſcium, plantéſque vineam in anima tua, non ſuſtines æſtum neque ſudorem? Nō vides iſtos qui ſudant in theatro, quomodo ſudent, nudóque capite ſolis radium excipiant, quo fiant captiui mortis, quò ſcorti mancipia. Ad exitium illi laborant, & tu ad ſalutem ſegnis & remiſſus es? *Idem homilia 4. de verbo Iſaiæ, vidi Dominum.*

Si qui in auri fodinis laborant, vbi quaſdam venas diuites conſpicati fuerint, à fodiendo non deſiſtunt, donec quæ obſtant amouerint, & in profundum deſcēdentes

copiam inde auri perceperint. Multomagis nos non auri ramenta inquirentes, sed inenarrabilem thesaurum inuenturos sperantes, decet illum quotidie inuestigare, vt multis diuitiis spiritalibus in sinum collectis, domum redeamus. *Idem, Hom. 4. in Genesin.*

TIMOR DEI.

QVemadmodũ dies sunt pars vitæ quæ pergit ascendere: ita etiam timor est principium dilectionis, qui fit per incrementum fides, deinde dilectio. Sed non sicut ferã & odi & timeo: ita etiam patrem vereor quem timeo & amo. *Clemens Alex. lib. 2. Strom.*

Nemo de præteritis securus sit. Tanti laquei obiecti sunt ante pedes animæ nostræ, tam innumeri hostes obseruãt & custodiunt iter nostrum, tantæ foueæ & tanta prærupta, tãtæ rerum difficultates interiacẽt inter nos & finem nostrũ: via ipsa quæ per se ardua & arcta est, tantis spiritalium latronũ insidiis obsidetur, tantos nos scopulos tantósque fluctus transire necesse est, & videre, antequã anchorã optato in litore collocemus, & putamus nos de præteritis esse securos, & sine quotidiana cura & sine quotidiano timore, & tremore diẽ nostrũ transigere debere? Quis transiens super alicuius profunda fluminis, per arctissimi pontis angustias, etiamsi maiorẽ partem inoffenso transmiserit pede, iam periculũ euasisse se credat cum in vltimi pótis spatio, si paululum titubauerit, casum quem in medio spatio timebat, incurrit? Sic nos etiamsi magna pars vitæ istius prospere videatur fuisse transacta, non ideò fiduciam præsumamus, cũ adhuc periculum pars extrema minetur. Quis in acie positus, ante finem certaminis, aut ante victoriæ sententiam arma deponat? *Eusebius Emissenus, Hom. 5. ad monachos.*

Christiani sub timore degunt ac tremore. Quemadmodum si quis habens thesauros proficiscatur ad loca in quibus sunt latrones, gaudet quidem propter opes & thesaurum: nihilominus metuit, ne quo pacto latrones irruant, ac deprædentur illum. Itaque perinde est ac si manibus suis proprium corpus gestet. *Macarius, Hom. 27.*

Sicut mercatores inter nauigandum, etiamsi ventũ propitium & mare tranquillum nacti sint, necdum ad portum

petuenerint, metuunt ne quomodo repente contrario vento excitato fluctibus æstuet mare, & nauis periclitetur: Sic & Christiani licet habeant in se flantem prosperum ventum sancti spiritus, adhuc tamen formidant, ne ventus aduersariæ potestatis insurgat: qui flet, & tempestatem fluctúsque moueat animis eorum. *Idem, Hom.* 43.

Quemadmodum qui corporis membra habent clauis transfixa, ad actionem quamlibet ea immobilia retinēt: Sic hi quorum animam occupauit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati & obstreperam occasionem vitant. *Basil. in Psal.* 33.

Confige timore tuo carnes meas: Sicut qui clauos corpori infixos habet, doloribus pressus non facile quicquam agere potest: Sic Dei timore confectus non oculo vti præter decorem, non manus ad nefarias mouere actiones, non denique paruum aliquid aut magnum contra officium agere poterit, quasi mœstitia quadam minarum ac supplicio-rum expectatione vinctus atque oppressus. *Idem in principium proverb.*

Talis est anima in arrogantiam sublata. Semel enim desperata salute, nequaquam definit furere. Verum habenas laxans irrationabilibus cupiditatibus quouis rapitur, nec aliter quàm equus ferociens, vbi frenum ore, sessorem tergo excussit, fertur quouis vento velocius, omnibus obuiis intolerabilis, diffugientibus cunctis, neque quoquam audente cohibere: Sic & anima quæ Dei timorem ipsam refrenantem excussit, vbi rationem habenas moderantem eiecit, ad quæuis malitiæ loca decurrit, donec in exitij barathrum delata, præcipitat suam ipsius salutem. *Chrysost. de verbis Isaiæ, Hom.* 5.

Quemadmodum ventis ex aduerso inter se concurrentibus, mediámque scapham dum inter se depugnant, corripientibus, ac multis fluctibus partim à prora, partim à puppi insurgentibus, gubernator clauo assidens seruat nauim, vndarum incursus gubernandi prudentia depellens: Sic & mulier tum illa (Anna) cum ira & angor in animum illius facerent impetum, rationem illius perturbantes, multósq; fluctus excitarent, non iam biduum aut triduum, aut dies viginti, sed ad totos annos (nā hoc vt ait scriptura, ex multo tempore factum est) fortiter prætulit tempestatem, nec

passa est rationem demergi. Siquidem Dei timor tanquam nauclerus gubernaculis assidens persuasit, eam tempestatē magno animo perferendam esse, nec prius destitit mētem illius gubernare, donec in tranquillum, adduceret portum, onere plenam, hoc est vtetum pretioso thesauro onustum. *Idem. Hom. de fide Annæ.*

Quemadmodum quercus altius defixis radicibus, nullius venti viribus sternitur: ita animam diuino confixam timore nullus tentationum ventus euellet. Idcirco, inquit, propheta: *Confige timore tuo carnes meas. Idem Homil. 53. in Ioan.*

Imitare pueros qui scholis traduntur ac liberalibus disciplinis, qui cum viderint socios & contubernales suos rationem reddere eorum quæ didicerint, cósque qui negligentiores fuerint, cædi ac per singulos discuti, concidíque verberibus, admonentur quid de se sperare debeant, & pene præ timore moriuntur: ac si quis ex sociis eos flagris plurimis fortasse cæciderit, nequaquam irascuntur, cum metus ille animum penitus occupauerit: neque magistrum interpellare habent, sed vnū tantum intuentur, quo pacto scilicet ingredi, atque egredi absq; verberibus possint: solúmque id tempus semper versatur ante oculos, & cum excesserint ianuas, eo iam metu liberi, maxima tenentur voluptate. Tu vero stans ac pro tuis sceleribus deprecans non exhorrescis aliorum peccata animo voluere? *Idem, Hom. 6. in 1. Timoth.*

Sicut statera si lancem loco motam habeat, pondera iustè non indicat: ita & anima nisi habeat rationis lancem stabilem, ac firmiter vi diuini amoris affixam, res syncere diiudicare nō valet, sed circumfertur iugiter atque deprimitur. *Idem, Hom. 5. in 2. Timoth.*

Arbor cum in altum radices miserit, ne vehemens quidē eam procella agitare poterit: si verò superficietenus fibras porrexerit, neque ad profunda descenderit, paruus licet vēti flatus irruat, eam à radicibus euulserit: ita & in nobis si affixerim⁹ diuino timore carnes nostras, nihil mouere nos poterit. *Idem. Hom. 9. in 2. Timoth.*

Sicut in mare decidens immensum scintilla breuis facile deletur: sic quantacúmque deum timenti illudantur, velut in vastum lætitiæ pelagus incidentia extinguntur, atq; perduntur. *Idem, Hom. 18. ad popul. Antioch.*

Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit, & videtur quasi vulnus augere. Ecce putredo quando erat in corpore, minus erat vulnus, sed periculosum. Accedit ferramentum medici, minus dolebat illud vulnus quam dolet accedente medicina, vt nunquam doleat succedente salute. Occupet ergo cor tuum timor, & inducta charitate succedat cicatrix ferramenti medici. Talis est medicus, vt nec cicatrices appareãt, tu subde te dextræ ipsius. Nam si sine timore es, non poteris iustificari. Opus ergo est vt primò timor intret, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas. *August. tractatu 9. in epist. Ioannis.*

Non potest melius explanari, quid interfit inter duos timores, castum & eum quem foras mittit charitas, quam si ponas duas maritatas, quarum vnam constituas volentem facere adulterium, delectari nequitia, sed tamen ne damnetur à viro, huic onerosa est viri præsentia. Tales sunt qui timent ne veniat dies iudicij, ne damnentur. Fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, & nulla se adulterij immunditia maculari, optat præsentiam viri. Vtraque timet. Vox vna, diuersus animus. Illa timet ne veniat. Illa timet ne discedat. O anima quæ sic times Deum, ne te damnet, quomodo mulier virum, quam delectat nequitia, quomodo tibi displicet mulier illa, displice & tu tibi. Si forte habes vxorem, nunquid vis, vt sic te timeat vxor tua, ne dãnetur abste, vt delectet illam nequitia, sed pondere timoris tui reprimatur, non damnatione iniquitatis. Castam eã vis vt te diligat, non vt te timeat. Exhibe te talem Deo, qualem vis habere vxorem. Timet illa ne oculos viri offendat, latet eum, peccat, sed tu non poteris Deum latere. Vultus eius super facientes mala. Tu ergo non times eius oculos, quem fallere non potes? Castus timor ait, Quando venies ad me? cauet, obseruat se à peccato, ne deseratur, non vt puniatur. *Idem, ibidem.*

Vt solis radius domum per foramen ingressus cũcta quę in ea sunt illuminat: ita & timor domini si fuerit in anima, cuncta ei peccata sua etiam minutissima ostendit. *Climacus de discretione gradu 26.*

QVoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero acceptibiles in camino humiliationis. *Eccl. 2.*

Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. *Eccl 27.*

Vt cibum labor præcedat oportet: ita & sudor eos qui per arctam viam, ad æternam transmittuntur salutem. *Clemens Alexand. lib 6. stromat.*

Auro similes esse debemus. Aurum quippe cum reluentibus terris tremulo videris splendere sub lumine, ros & liquidum flammis torrentibus resoluunt. Nam & artificis grana, fere sic est, caminis quoties sane languentibus æstuans ignis euomit, aditu terrestri canali angusto diues flammis eligitur: & refluctibus leuis arena retinetur. Vnde necesse est vniuersa sufficere, quo possimus omni scelere carere. *Cyprianus, de laude Martyr.*

Alius est is qui est in certamine & afflictione, & alius qui ignorat quid sit bellum. Quandoquidem etiam semina, cũ in terram mittuntur, afflictionem sustinent à glacie, hyeme & frigoribus aeris: postea tẽpore opportuno reuiuiscit germen. *Macarius*, Hom. 11.

Viri diuini præparare sese debent ad certamen & prælium. Et sicut strenuus adolescens illata verbera sustinet ac repercutit: ita etiam Christiani externas tribulationes, tum interiora bella perferre debent, vt afflicti vincãt per patiẽtiam. Ea est enim Christianæ religionis via, vt vbi est spiritussanctus, ibi statim sequatur conflictus & persecutio. Vides prophetas, quónam pacto à contribulibus suis persecutionem passi sunt, in quibus tamen spiritus operabatur. Vides quomodo Dominus qui est via & veritas, non ab alia gente, sed à suis persecutionem passus est, nempe à propria tribu Israël. Itidem & Apostoli. Itaque statim à cruce transiit spiritus paracletus, & migrauit ad Christianos: ita vt de cætero nullus persecutionem passus sit, sed Christiani martyria pertulerunt. *Idem*, Hom. 15.

Dimittam vineam & non putabitur neque fodietur. Quemadmodum qui vineam putant, astringunt eius vites & interne continent, vt maiore cum temperamento procedat ad pro-

ferendos

ferendos vtiles fructus. Ad eundem modum contingit animæ assiduitate afflictionũ propendenti & incuruatæ, Quodammodo in se contrahitur, seque vtiliter demittit atque humiliat, & ad sui diligentiorem custodiam retrahitur. E contrario, anima quæ indulgẽter ac remisse viuere finitur, perinde atque vinea quæpiam neglecta, eluxuriat & sylueſcit sarmentis, seque effundens circa incommoda nec vllã afferentia frugẽ, natiuo succo exhauritur, in hoc instituens omnem suorum operum ostentationem, vt multos in errorem pelliciat. *Basilius. in cap. 5. Esayæ.*

Cæterum postquam in hos semel incidi sermones, ad aliam quoque deueni similitudinem, admodum rebus præsentibus conuenientem, forsitam me senem & fabulæ narratorem existimatis, licet illam vobis explanauerim, sed parcendum mihi puto, cum sciam scripturam sæpius ad manifestiorem demonstrationem talibus vti. Arbor quædam est fabulosa, quæ excisa magis germinat, & contra ferrum decertat. Et si quid mirabili⁹ in re mirabiliori dicere oportet, morte viuit, & abscissa pullulat, necnon consumpta augetur. Hæc referunt fabulę, & arbusti illius natura talis est. Mihi autem manifestè videtur, tale quid philosophum esse qui per afflictiones clarescit, & ex grauibus materiam facit virtutis, ac in aduersis gloriatur, nec dextris iustitiæ armis extollitur, nec finistris deprimitur, sed semper ille idem, licet non eisdem permanet, tanquam aurum in fornace igne examinatum. *Greg. Nazianz. orat. cum reuerteretur ex agro.*

Sicut qui mare nauigarunt, & innumeras procellas tulerunt, multásque hyemes perpessi sunt, anteaquam merces referunt, non paruum suæ peregrinationis lucrum reportant, eo quod aliquanto fidentiores sunt, ac pelagi sæuitiã minus horrent, namque increpidè, & voluptate quadam transmarinas peregrinationes aggrediuntur: Ita & qui in præsenti vita, propter Christum multas fert afflictiones, multáque grauia patitur, etiam anteaquam regni cœlorũ magnam illam retributionem assequatur, magna hic potitur fiducia, animámque suã ita excelsam efficit, vt posthac grauia omnia, quasi è sublimi derideat. *Chrysost. Hom. de resurrectione.*

Ponamus seruum aliquem multarum pecuniarum proprio domino esse debitorẽ, vim quoque perpeti ab iniquis

hominibus, hunc seruum & aliquanta eorum, quæ habebat amittere. Si igitur Dominus volens cohibere raptorem, nõ quidem seruo restituat erepta, sed cuncta tamen quæ perdidit, sibi illa computet reddidisse, nonne etiam lucra damni occasione collegit? quod certè ab omnibus probatur absq; ambiguo. Hoc & in nobis cum iniustè aliquid patimur, cogitemus quia scilicet pro illatis iniuriis nobis, remissionem accipiamus omnium peccatorũ, aut si in vobis tãta delicta nõ fuerint, clarioribus honoremur coronis. *Idẽ ho. 9. in Mat.*

Deus tribulationes irruere permittit, vt ad ipsum frequẽtius confugiamus. Tale aliquid faciunt amantiores filiorũ parentes, cum paruulos suos viderint à se quidem sæpe discedere, æquæuorum autem suorum lusibus detineri, præcipiunt famulis terribilia, multa simulate, vt exagitati etiam metu paruuli, ad maternũ sinũ cõfugere festinent: Ita Deus non modo ab aliis nos sæpe tribulari sinit, sed nonnunquã etiã ipse plagã minatur, vt nos ad se adducat. *Idem, Hom. 10.*

Si nautis minaces illi pelagi fluctus, si tempestates atque hyemes agricolis, si vulnera cædésque militibus, si grauissimi illi ictus plagæque pugilibus leues videntur, atque tolerabiles propter spem temporalium ac pereuntium commodorum, multomagis cum cœlum proponatur in præmio, & ineffabilia illa bona atque perpetua nihil ex præsentibus his aduersitatibus sentietur. *Idem homil. 14. in Mathæum.*

Sicuti pluuia in terram descendens, erigit semina: sic & tribulatio animam intrans erigit desiderium. *Idem hom. 14. ex variis in Matthæum locis.*

Si animam præparatam habes non nocebit tribulatio. Sicut enim aurum in camino non læditur, sic nec stabili animæ tribulatio nocebit. Quid operatur caminus? aurum mundat. Quid operatur tribulatio? tolerantiam, ampliorẽque patientiam. Abscindit enim desidiam, & coadiuuat animam, & sobriorem reddit. *Idem.*

Sicut granum tritici inclusum in palea foras non egreditur, nisi fuerit trituratum: Sic & homo impedimentis mundialibus & rebus carnalibus quasi in palea inuolutus, difficile egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus. *Idem, Hom. 3. operis imperfecti.*

Sicut plenum granum mox, vt leuiter percussum fuerit,

de palea sua exilit foras, si autem subtile fuerit, tardius egreditur, si vacuum, egreditur nunquam sed illic conteritur palea sua, & ita cum paleis foras iactatur: Sic omnes homines in rebus carnalibus delectãtur, sicut grana in palea. Sed qui fidelis est, & boni cordis habet medelam, mox vt leuiter tribulatus fuerit, negligens quæ sunt carnalia, currit ad Deum. Si autem modice infidelior fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit, & vadit ad deum. Qui autem infidelis est & vacuus quantúmvis contritus fuerit, sicut granum vacuum de palea nõ egreditur. Sic nec ille de carnalibus rebus & impedimentis mundialibus vnquam egreditur, nec transit ad deum, sed illic in malis constitutus cõteritur, vt cum infidelibus quasi cum paleis foras proiiciatur. *Ibidem.*

Iustum hic multa sustinere oportet. Et si sunt nulli quos perturbat impiorum fœlicitas, hi secum perpendant, quod quemadmodum & latrones & fures & homicidæ, & pyratæ priusquam ad iudicem trahantur, multis delitiis fruuntur, & ex aliena calamitate suam constituentes abundantiam, iniustísque opibus locupletati, inebriabantur: vbi autem iudicis sententiam audiuerint, omnium horum luent pœnam: Ita & illi qui scorta mercantur, & Sybariticas mẽsas instruunt, & supercilia surrigunt, & fastu pleni pauperes opprimunt, quando vnigenitus Dei filius aderit cũ angelis suis, & sedens super thronum illum, orbem terrarũ in medium adducet, tunc nudi & animi sui splendore destituti adducentur, & nullum vel aduocatum vel patronum habentes, absque venia in igneos fluuios proiicientur. Qua propter neque hos beatos dixeris ob presentes delitias, sed potius defle ob futura supplicia. *Idem*, *Hom.* 1. *de resurrectione.*

Quid mihi curæ esse cœlum, cum videam Deum cœli, cum ego efficiar cœlum? *Veniemus*, inquit, *Ego & pater, & mansionem apud eum faciemus.* Faciamus igitur animam nostram cœlum. Clarum quidem & festiuum est cœlum propria natura. Neque enim in hyeme nigrum efficitur, non enim ipsum est quod conuertit faciem, sed nubes cõcurrẽtes illud obtegunt. Cœlũ autem solẽ habet, habemus & nos solẽ iustitiæ. Imo & meliores cœlo fieri licet nobis.

Quonam modo! Quando Dominum solis habemus. Cœlũ vbique mundum est, & sine macula, non in hyeme, non in nocte mutatur. Proinde & nos neque in tribulationibus, neque in versutiis diaboli hoc patiamur, sed maneamus immaculati & mundi. Cœlum altum est, & multum distans à terra. Hoc etiam nos faciamus, separemus nos à terra, & in excelsum illud leuemur, & multum nos à terra extollamus. Cœlum superius est, & ab imbribus, à pluuiis, & à nullo consumitur: hoc & nos poterimus, si velimus. Cœlũ quidem putatur pati, verumtamen nihil patitur: Sic etiamsi putamur pati, tamen non patimur. Sicut in hyeme pulchritudo eius non agnoscitur: Sic nos in tribulationibus. *Idem, Hom. 16. ad Hebræos.*

Vmbræ sunt ista & somnium qualiacúnque sint, illa speremus & spectemus: Ista nobis mala nulla apparebunt, vel ex naturæ consideratione vel temporis. Quid enim vis ad mala illa futura cõparemus? Quid ad ignem inextinguibilẽ? Quid ad vermẽ qui non moritur? Quid ex huius vitæ rebus inæquale possis edicere stridori dentiũ, vel vinculis vel exterioribus tenebris? Quid illi iræ? Quid tribulationi? quid angustiæ? Præterea tempori infinito quid conferes? Quid sunt decem millia annorum, cum secula cogitas infinita? Nonne quantum est stillicidium minimum abysso comparatum? Sed illic immensitas est bonorum quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, pro quibus millies concedi nemo non eligat occidi, cõburi, & mille mortibus subiici, & quic quid dici potest sæuissimum tolerare, vel verbo vel opere. Si enim in ignis combustione esset viuendum, nonne tolerandum erat vt possemus adipisci illa quæ nobis repromissa sunt bona? *Idem, Hom. 18 ad Heb.*

Qui principibus seculi ministrant, ac reipublicæ negotiis inseruiunt, horum nihil requirunt, sed tãtum si aliquid luere temporalis habeat eius militiæ locus. Quod si hoc solum esse cognouerit, iam nullus refugitur labor, nullum periculũ vitatur, nulla indignitas excusatur. Seruilia etiãsi ab ingenuo exposcantur officia, non negat peregrinationes longissimas, contumelias feret, omnem sustinet laborẽ spe lucri, separationem quoque coniugis & liberorum patitur. Nos è contra, qui non pecuniam quærimus, sed sapiẽtiam: nec terram sed cœlum petimus, & ad cœli diuitias se-

ſtinamus, quas neque oculus vidit, &c. Vide quanto illis molliores ſumus & miſeriores. Quid agis ô homo? Cœlum paras aſcendere, & interrogas, ne qua tibi difficultas occurrat? Idem, *lib. 1. de compunctione cordis.*

Inſanabilis morbi indicium eſt, velle potius nequiter vitam ducere, quam ad diem vnum tormentis vexari. Nam & pueri minutiores cum medicum ſpectant, vel vſtionem, vel inciſuram aliquam illaturum, diffugiunt gemebundi, & ſe lacerantes exiliunt, malúntque ſanie continua & tabe interire, quam momentaneum dolorem ferre, vt in reliquũ conualeſcant: verum qui mentis ſunt compotes, non ignorant aduerſam eam corporis valetudinem fore, cauterio quouis & ſciſſione grauiorem, nec minus improbum eſſe, quóduis ſupplicium malignitate excedit. *Idem, ſermone de tolerantia in aduerſis.*

Qui ſeminant in lacrymis in exultatione metent. Pſal. 125. Non ſic ſemina delatus imber germinare & creſcere facit, vt pietatis ſemen excitat, & vernare facit ex lacrymis imber: hic animam deterget, irrigat mentem, doctrinæ germen breui progredi facit propterea & profundum ſulcum proſcindere neceſſarium. Etenim & propheta hoc admonuit ita dicens: *Renouate vobis noualia, & nolite ſeminare in ſpinis.* Quem admodũ igitur aratrum immittens deorſum, terram aperit, tutam ſeminibus cuſtodiam parans, ne iacta in ſuperficie remaneant, ſed in ipſos terræ ſinus immittantur, & in tuto radices figant: ſic & nos facere neceſſarium, & tanquã aratro tribulatione vtentes, cordis profundũ ſcindere: hoc enim & alius propheta admonet, dicens: Scindite corda veſtra & non veſtimenta: multum enim de tribulatione luerũ. Nam & cum agricola ſemina cum multo labore collecta ſeminauerit, ignarus quidem omnia quæ fiunt cernens admirabitur, fortéque apud ſeipſum dicet: Quid hic homo tandem facit? collecta diſſipat, nec diſſipat tantum, ſed & terræ cum multa cura commiſcet, ne facilè colligi poſſint: nec tantum commiſcet terræ, ſed & optat vehementem fieri pluuiam, vt proiecta omnia marceſcant, & lutum fiant, & turbabitur cernens fulmina & coruſcationes deferri: agricola verò non ita, ſed lætatur & gaudet hyemẽ cernens: non enim præſentia reſpicit, ſed futura: non reſpicit ad fulmina, ſed manipulos computat: non marceſcentia ſemina,

ſed vernantes ſpicas: Itidem & nos, non præſentem ſpectemus tribulationem aut dolorem: ſed orientem ex ipſa vtilitatem, ex ipſa naſcentem fructum. *Idem, Hom. 4. ad popul. Antioch.*

Tribulatio patientiam operatur. Rom. 5. Sicut firmas arbores ventorum impetus incidens, & vndíque iactans, non euellit ſed & ſolidiores & firmiores his incurſibus reddit: ſic animam ſanctam & piè viuentem tentationum incurſus & tribulationum non ſupplantant, ſed etiam ad maiorem patientiam præparant. *Ibidem.*

Poteſt Deus omnia grauia hodie ſoluere: ſed donec nos purgatos videat, donec videat factam conuerſationem, & pœnitentiam firmam & inconcuſſam, non diſſoluit tribulationem. Etenim aurifex, donec aurum bene purgatum viderit de conflatorio non extrahit: ſic & Deus non abducit hanc tribulationis nubem, donec nos penitus emẽdauerit. Qui enim tentationem permiſit, ipſe nouit & tentationis ſoluendæ tempus. Et ſicut cytharœdus, neque neruum intendit, vt non abrumpat: neque remittit vltra modum, ne harmoniæ concentum lædat: ſic & deus agit, neque in remiſſione continua: nec in longua tribulatione noſtram cõſtituit animam, ne vel ſegniores fiamus, aut deſperemus. Et ſicut ex remiſſione tribulatio facta eſt: ſic ex tribulatione remiſſionem expectare conuenit. Neque enim ſemper hyems, neque ſemper æſtas, nec ſemper procella, neq; tranquillitas, nec ſemper nox, nec ſemper dies: ita nec ſemper tribulatio. *Idem, Hom. 4. ad pop. Antioch.*

Sicut in cæſtibus pugnans ſtadio exire feſtinat, vt vulneribus liberetur, & luctator ſpectatores exurgere concupiſcit, vt laboribus abſoluatur: Sic & in rigida & aſpera vita cum virtute viuens, finem deſiderat vt præſentibus eripiatur laboribus, & pro repoſitis valeat coronis confidere, ad tranquillum nauigans portũ, & illo tranſmigrans, vbi non eſt amplius timendum naufragium. *Idem, Hom. 6. ad popul. Antioch.*

Ne fugias laborem vt aſſequaris coronam Mercator non deficit ſed ſuſtinet vndas, vt pecunias inueniat. Decertans athleta generoſe fert vulnera, reſpiciens ad coronã. Agricola non inuenit faſciculos, niſi prius per proprios ſudo-

res semina mittat. Similiter in cœlum respicientes, nihil putant tribulationes bonorum spe roborati. *Idem hom.22.*

Sicut corpus tritum laboribus & ærumnis confectum, amori non vult vacare, non indulgere ventri sed requiescere, & quiete iacere: sic anima plurimis obsita malis ad requiem & quietum statum festinat. Et sicut in aqua multa leue quidpiam superueniens concutitur: sic in multam lapsa lætitiam anima. *Ibidem hom.62.*

Vide in corpore cum æstuat, cum bene se habet, celerrimam habet in ægritudinem ruinam: cum autem pressũ fuerit, non ita. Manifestiorem itaque vobis reddam sermonem. Si corpus multum habens sanguinis, & carnes multas & vigens: hoc ex quacunque mutatione febrem parere poterit, si simpliciter otietur: sit autem aliud cum fame potius pugnans & afflictione, hoc est captu difficile, & ad infirmitatem inexpugnabile. Ita anima tribulationibus exercita. *Ibidem.*

Sicut nunc quidem nox est, nunc autem dies: & interdũ quidem æstas interdum hyems: sic & in nobis, nunc quidem tristitia, nunc autem voluptas: & nunc quidem ægritudo, nunc vero sanitas. Itaq; ne admiremur, cũ ægrotamus, alioqui & cũ valem⁹ admirandũ esset. *Ibidẽ hom.63.*

Si multo potius in nequitia viuere vis, quam puniri, nihil mirandum. Quoniam infantes pueri cum medicum viderint, ignem vel sectionem inferentem, fugiunt & vlulantes resiliunt & plangentes: & malunt continua corporis tabe consumi, quam tẽporalem sustinẽtes dolorẽ futura sanitate potiri. Mentẽ autẽ habentes, nolũt quod ægrotare quam secari grauius est: sicut malũ esse peius est quã puniri. Nã curati quidẽ est & conualescere: perire verò est in continua esse ægritudine. Quod autẽ sanitas infirmitate melior est, cuiq; est manifestũ: quoniã & latrones nõ quãdo latera fodiuntur, lugere dignũ est, sed quãdo parietes perfodiunt, & cædem patrant. *Ibidem hom.64.*

Quid de his dices qui frequenter à tribulatione subuersi sunt? Quod non tribulationis est subuersio, sed illorum imbecilitatis. Nec enim siquis infirmũ habẽs stomachum, amaram non admittat medicinam curare valentem, sed potius atteratur, medicinã nos accusabimus, sed membri

infirmitatem, sicut & hic mentis facilitatem. *Ibidem.*

Cum omni virtute ingruentia mala feramus, nō ad tribulationes spectemus ad lucrū hinc nobis proueniens: hæc enim est spiritalis mercatura. Et sicut pecunias colligere volētes & hāc secularē exercentes mercaturā, non aliter propriam rē augere possent, nisi multa terræ mariſq; pericula sustinerēt: necessariū enim est & latronum insidias & piratarum incursus sufferre, & prorsus omnia cū magna subeunt promptitudine, propter lucri expectationem, nullum capientes tristium sensum: eodem & nos modo diuitias hic nobis confluentes & spiritualem cogitantes mercaturam, gaudere decet & exultare: nec quæ videntur, sed quæ videri non possunt considerare. *Ibidem.*

Nullus athleta generosus in stadio balnea querit, aut mensam cibis & vino redundantem. Hoc non est athletæ sed delicati Athleta namque pugnat puluere, oleo, solis ardore, sudore largo, tribulatione & angustia. Hoc est certaminis tempus & pugnæ: igitur & vulnerum, & cruoris & doloris. Audi quid dicat Paulus: *Ita pugno non tanquam aerem verberans.* 1. Cor. 9. *Ibidem hem.* 67.

Sicut ab vno igne aurum rutilat & palea fumat & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: Ita vna eademque vis ignis ruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat & exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur & laudant. Tantum interest, non qualia sed qualis quisque patiatur. Nam pari modo exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum, *Augustinus lib. primo de cuitate cap.* 8.

Nunquid lucet aurum in fornace aurificis? In monili lucebit, in ornamento lucebit, patiatur tamen fornacem, vt purgatum à sordibus veniat ad lucem. Fornax ista, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat aurifex. In fornace ardet palea, & purgatur aurum, illa in cineres vertitur, à sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult aurifex, facio: vbi me ponit, tolero: iubeor ego

tolerare, nouit ille purgare. *Idem in psal. 61.*

Vua pendet in vitibus & oliua in arboribus, his enim duobus solent torcularia præparari. Et quandiu pendent in frutetis suis libero aere perfruuntur, & nec vua vinum est, nec oliua oleum ante pressuram: Sic sunt homines quos prædestinat Deus ante secula, conformes fieri imaginis filij, quæ præcipuè in passione magnus botrus expressus est. Huiusmodi ergo homines antequam accedant ad seruitutem Dei, fruentur in hoc seculo, tanquam delitiosa libertate, velut vuæ aut oliuæ pendentes, sed quoniam dictum est, fili accedens ad seruitutem Dei sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem, accedens quisque ad seruitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat, contribulabitur, conteretur, comprimetur, non vt in hoc seculo pereat, sed vt in apothecas Dei defluat. Exuitur carnalium desideriorum integumentis quasi vinariis, hoc enim illi contigit in desideriis carnalibus. *Idem in psal. 83.*

Boni laborant, quia flagellantur vt filii, mali exultant quia damnatur vt alieni. Duos filios habet homo, alterum castigat, alterum dimittit. Facit vnus male, & non corripitur à patre, alter mox vt se mouerit, colaphis cæditur, flagellatur. Vnde ille dimittitur, & ille cæditur, nisi quia huic cæso hæreditas seruatur, ille autem dimissus exhæredatus est? videt eum non habere spem, & dimittit eum vt faciat quod vult. Puer autem qui flagellatur, si cor non habuerit, & imprudens fuerit & stultus, gratulatur fratri suo qui non vapulat, & genuit de se, & dicit in corde suo, Tanta mala facit frater meus, quicquid vult facit contra præcepta patris mei, & nemo illi facit durum verbum: ego mox vt me mouero, cædor. Stultus est & imprudens, attendit quid patitur, & non attendit quid illi seruetur. Ideo ait propheta in quinquagesimo psalmo. *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget.* hæc Quæ sunt, quæ non intelliget stultus, & quæ imprudens non cognoscet? Cum exorti fuerint peccatores, sicut fœnum. Quid est sicut fœnum? Virent cum hyems est, sed æstate arescent, Attendis florem fœni, quid citius transit? Quid lucidius? quid viridius? Non te delectet viriditas ipsius, sed time ariditatem ipsius.

Sed iustus vt palma florebit. Palma in nouissimis pulchra est, vt initium eius à terra ducas, finem ipsius in cacumine vbi habet totam pulchritudinem, aspera radix videtur in terra, pulchra coma sub cœlo est. Erit & tua pulchritudo in fine, radix tua fixa sit, sed sursum versus habeamus radicem nostram. Nunquid cum sol exierit, arescit palma? Nunquid arescit cedrus, cum autem sol cadens aliquando fuerit, arescit fœnum. Veniet iudicium vt arescãt peccatores, vt vireſcant fideles. *Idem in psal.* 93.

In tubis ductilibus. Ductiles tubæ æreæ sunt, tundendo producũtur. Si tundendo, ergo vapulando, eritis tubæ ductiles ad laudem Dei productæ. Si cum tribulamur, tribulatio, tunsio, profectus, productio est. Quomodo sonuit, quam suauem sonum dedit tuba ductilis, qui in tribulatione percussus gratias agit? Ecce inquit fabricator deus, illã tubam perficere volo, non perficiam nisi tundam, male sonabat antequam produceretur, forte productus est & fact⁹ est tuba ductilis, laudes domini sonabit amissa blaphemia *Idem in psalmum.* 97.

Secari & vri se homines patiuntur, vt dolores nõ æterni, sed aliquanto diuturnioris vlceris acriorũ dolorũ prelio redimantur, in languida & incerta vacationis breuissimæ atque vltimę vita. Immanissimis bellis miles atteritur, pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quam in otio quieturus. Quibus tempestatibus & pro cellis, quàm horribili & tremendæ seuitiæ cœli & maris importuni sunt mercatores, vt diuitias ventosas acquirant, maioribus, quam quibus acquisituri sunt, periculis & tẽpestatibus plenas? Quos æstus, quæ frigora, quæ pericula ab equis à fossis, & precipitiis, à fluminibus à feris perferũt venatores? quem laborem esuriendi & sitiendi, quantas viliſſimi & sordissimi cibi & potus angustias, vt bestiam capiant, & interdũ nec ipsius bestiæ carnes propter quam & hæc tanta sustinent epulis necessarias. Quanquam & si aper cerauusque capiatur, magis suaue sit venantis animo, quia captus est, quam comedentis palato, quia coctus est. Quantis cruciatibus prope quotidianarum plagarum tenera puerorum ætas subditur? Quantis etiam scholis vigiliarum & abstinentiæ molestiis exercentur, non propter discendam, sa-

pientiam sed propter opes honoresque vanitatis, vt numeros & literas & disertas fallacias eloqui discant? Sed in his omnibus qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur. Qui vero amant, eadem quidem, sed non grauia pati videntur. Omnia enim sæua & immunia, prorsus facilia facit amor. Quantò ergo certius ac facilius ad veram beatitudinem charitas facit? quod ad miseriam quantum potuit, cupiditas fecit? Quam facilè toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna requies comparetur? Non immeritò ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futurã gloriam quæ reuelabitur in nobis?* Ecce vnde ill ud, Iugum meum suaue est, & sarcina leuis. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit psalmista, Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus, eisde mipsis mitescunt amantibus. *Idem sermone. 9. de verbis Domini ex Matheo.*

Sicut vnguenta nisi commota redolere altius nesciunt, & sicut aromata fragrantiam suam nõ nisi cum incenduntur, expandunt: Ita sancti viri omne quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. Vnde recte dicitur in euangelio, Si habueritis fidem sicut granum synapis. Nam non contritum, leue est, si verò conteratur, inardescit, & quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic vir sanctus cum non pulsatur, despicabilis ac leuis aspicitur, si qua verò illum tritura persecutionis opprimat, mox omne quod calidum sapit, ostendit, atque in feruorem virtutis vertitur, quicquid in illo ante despicabile infirmumque videbatur. *Gregorius lib. primo moral. ca. 4.*

Aduersitas magis auget desiderium in Deum. Sic semina messiũ gelu cooperta, fertilius germinant. Sic ignis flatu premitur, vt crescat. *Idem epistola. 27.*

Quantũ prosit hic pati causa Dei. Vua calcibus tunditur & in vini saporẽ liquatur. Sic oliua cõtusionibus expressa, amurcã suã deserit, & in olei liquorem pingue scit. Sic per triturã areæ, à paleis grana separãtur, & ad horreũ purgata veniũt: Ita quisquis hic flagellatur, securus ad deum venit, quippe cuius rubiginẽ ignis tribulationis purgauit. *Idem hom. 15. de quadragesima super illud Exiit qui seminat.*

Quemadmodum si praui ac pernitiosi humores in præcordiis ac inteſtinis lateant, non accuſatur medicus quod eos ipſe fecerit, ſi arte ipſos in cutem vt appareant traxerit, ſed effecit quidem illos inordinata dieta, traxit autem in manifeſtius non imperitus medicus. Sic cum dolores ac cruciatus hominibus à Deo factos audimus intelligere decet à nobis ipſis cauſas & initia earum vexationum fuiſſe. *Gregorius Nyſſenus in myſtica vitæ Moſis enarratione.*

Sicut infirmitas quæ à circunſtantium & ſuperiorum corporum impreſſionibus infligitur. Neceſſario radices agit in homine, ita quod vix aliqua medicina curari poſſit: ſic neceſſe eſt quod tribulationes quæ à cauſis ſuperioribus ſcilicet à Deo, & à Dei miſericordia & iuſtitia, & à naturæ neceſſitate generaliter omnibus ſunt indictæ patiamur, & quod ab ipſis quando viuimus affligamur. *Idiotæ contemplationum lib. 2. cap. 5.*

Sicut vnguenta redolere non ſolent, niſi agitentur, & aromata fragrantiam ſuam emittere niſi incendãtur: ita viri iuſti virtutes tribulationibus maximè innoteſcere ſolẽt. *Ibidem cap. 10.*

Ægro de quo deſperatur, medicus concedit, vt cũcta quę concupiſcit, accipiat: qui verò ſanari poſſe creditur, eum à multis eum prohibet. Ita Deus quem diligit tribulationibus afficit. *Ibidem cap. 11.*

Sicut in medicamẽtis illa communiter ſunt vtiliora quæ amariora ſunt: ſic mundi attritio correptio, & tribulatio, quamuis ſenſualitati & carni ſit medicina amara, tamen animæ & ſpiritui eſt vtilis & proficua, medicinalis & fructuoſa, quia ſcilicet retrahit hominem à peccato. *Ibidem capite 14.*

Sicut ſagitta infixa corpori dolorem infert & remedium quærere compellit: ſic tribulatio dolorem affert cordi noſtro, & nos mouet & impellit vt in re alia ſolatium requiramus, ſcilicet in cogitatione boni æterni, ideo ſcribitur. Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam. *Ibidem cap. 16.*

Scriptum eſt quod in ædificio tẽpli omnes lapides prius malleis tundebãtur: Sic & viui lapides qui ponendi ſunt in illa cœleſti Ieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, variis infortuniis & concuſſionibus prius poliuntur. Sicut in

horreum non ponitur granum nisi tritu ratum. *Ibidem capite 19.*

Qui ambulare non vult vias duras tribulationum non est filius Dei sed seruus. Scribitur námque quod seruus nō manet in domo in æternum, filius autem manet. Nam seruus offendens Dominum non flagellatur, sed è domo expellitur, & odio habet Dominum suum, eúmque quantum potest, fugit. Filius autem patrem offendens, flagellatur à patre, sed è domo non expellitur, nec habet patrem suum odio, neque ab eo fugit, & idcirco dicitur quod filius manet in domo in æternum. *Ibidem cap. 21.*

Solidissima pars est corporis, quam frequens vsus agitauit. Præbendi fortunæ sumus, vt contra illam ab ipsa duremur. Paulatim nos sibi pares faciat. Contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nautica corpora ferendo mari dura. Agricolis manus tritæ. Ad excutienda tela militares lacerti valent, agilia sunt membra cursoribus. Non est arbor solida nec fortis nisi in quam frequēs ictus incursat, ipsa enim vexatione constringitur & radices certius figit, fragiles sunt quæ in aprica valle creuerūt. *Seneca lib. de prouidentia.*

Quemadmodum te & in dubiis & in aduersis, & in lætis sapienter geris, & dubia prudēter tractas, aduersa fortiter, læta moderatè: Ita in omnia vtilem te amico exhibere potes, aduersa eius si nec deseruieris, nec optaueris. *Idem lib. 6. de Benefi. cap. 34.*

Quemadmodum tyrones leuiter saucij non vociferantur, at manus medicorum magis quàm ferrum horrent: at veterani quamuis confossi patienter ac sine gemitu velut aliena corpora excoriari patiuntur: Ita tu nunc debes te fortiter præbere cutationi. *Idem libro ad Albinam matrem, capite tertio.*

Cogita, non esse magni animi se rebus prosperis fortem gerere, vbi secundo cursu vita procedit. Nec gubernatoris quidem artem, tranquillum mare, & obsequens ventus ostendit. Aduersi aliquid incurrat oportet, quod animum probet. *Idem de consolatione, cap. 6.*

Agricola euersis arboribus, quas aut ventus radicitus euulsit, aut contortus repentino impetu turbo perfregit, sobolem ex illis residuam fouet, & amissarum semina sta-

tim plantásque disponit, & momento (nam vt in damna, ita ad incrementa rapidum velóxq; tempus est) adolescunt amissis lætiora. *Idem de consolatione, cap.* 16.

Vt nihil adfert momenti nimbus in mare décidens: Ita fortunæ incommoda nihil mouent sapientem. *Ibidem.*

Rhododendri frondes iumentis, capris, & ouibus venenum est, idem homini contra serpentium venena remedio: Ita quod stultis perniciem adfert, vt res aduersæ, aut eruditio, id sapiens vertit in suum bonum. *Plinius libro* 16. *capite.* 21.

Vt quercus, & aliæ quædam arbores, sub terra defossæ duriores redduntur ac durabiliores: Ita qui diu premũtur aduersa fortuna, diutius florent. *Idem lib.* 16. *cap.* 41. *&* 43.

Semel icti à scorpio, nũquam postea vespis, crabronibus, aut apibus feriuntur: Ita nullum est incommodum, quod non commoditatis aliquid habeat adiunctum. *Idem lib.* 28. *capite tertio.*

Murena fuste non potest interimi, ferula protinus: Ita quosdam leue incommodum exanimat, vt conuicium, qui grauissimas fortunæ procellas infracto tulerunt animo. *Idem lib.* 23. *cap.* 2.

Vt musici duriores harmonias aliis obscurant modulationibus: Sic in vita si quid accidit præter animi sentẽtiam, meliorum collatione est obscurandum. *Plutarchus in Moralibus.*

Vt apis ex amarissimo thymo, suauissimũ mel colligit: Ita sapiens ex tristissimis reb. aliquid excerpit vtilitatis. *Ibid.*

Vt in musica graues acutis sic miscentur, vt concentum efficiant: Ita bonis & malis vtendum in vita, vt ex vtrisque viuendi ratio temperetur. *Ibidem.*

Vt in pictura quæ splendida sunt, oculis sunt obiiciẽda: celanda si qua mala, quæ deleri non queant: Sic in vita, bonorum contẽplatione, obscurãda malorũ memoria. *Ibid.*

Non quemadmodũ in tragediis: Ita nobis in calamitatibus opus est, qui comploret, & collachrymet. *Ibidem.*

Vt est locus in Olyntho Thraciæ, in quẽ si scarabeus incidit, non possit exire, sed distorquens sese immoritur: Sic quidam malorũ suorum memoriæ immoriuntur. *Ibid.*

Cum volucrum natura sit vt per aera ferantur, nulla cibi copiosa suppeditatio efficere vnquam aut allicere potest,

vt naturæ suæ obliuiscantur, semper enim libertatē amant. Cuius rei iudicium est, quod omnes caueę ruinas omnibus pene momentis scrutantur, si fortè inuenire viam possint, qua in libertatem vendicentur. Vnum illud non intelligunt, quod scilicet vtilius sit illis ac tutius, cauea illa veluti carcere detineri, sic enim tutæ redduntur & ab aucupum & à rapacium auium insidiis. sed hoc propterea illis accidit quod destitutæ ratione sunt. Quam excusationem homo habere non potest, si non intelligit, afflictiones, veluti carceris angustias quasdam, esse adiumento aduersus diaboli, aucupis ac venatoris versutissimi fraudes, ne videlicet illius blanditiis, quas ex mundi voluptatibus proponit, & quasi retia tēdit, decipiamur. Sed illud est quod imitemur, Nam sicut illæ melius ac frequentius canunt clausæ, quàm cum per aerē vagari permittuntur: sic nos in recte facta melius incumbimus, cum difficultatibus ac molestiis veluti cauea detinemur, ne arbitrio nostro vagi sensibus indulgeamus, qui abducere homines ab illa cum cœlestibus consuetudine consueuerunt. Illud etiam cum fructu contemplemur, quod si nimis pinguescant, non canunt: sic ista rerum terrenarum opulentia prohibet nos, quominus, vt docet Paulus, in hymnis & canticis spiritualibus exerceamur. *Isidorus Clarius oratione 57. tom. primi.*

Sicut abundant Christi passiones in nobis: ita abundat per Christum consolatio nostra. Simile autem mihi videtur hoc, vt cum rosaria plantantur, tunc enim nihil præter spinas cernitur, neque tamen idcircò plantare desinunt, Sciūt enim nouo vere rosaria ipsa mira florum ac rosarum specie aspectus hominum & odoratus etiam oblectatura. Quis ergo sanę mentis non multò malit Euangelicum luctum, quàm mundi oblectamenta? *Idem tomo. 3. orat. 8.*

TRINITAS.

QVi subsistentiam Adami considerat, quomodo vt esset acceperit, inueniet eum non genitum, non enim ex alio quopiam homine, sed diuina manu formatus est: ea formatio modum subsistentiæ denotat, significat enim quomodo factus sit, & viciſſim subsistentiæ modus formationem exprimit. indicat enim

similiter eum formatum fuisse. Quod si quæras eam essentiam qua coniunctus posteris suis hominem pro subiecto inuenies. Sicut igitur formatio modum subsistentiæ denotat, & subsistentiæ modus formationē exprimit. Cæterum essentiæ ratio hominem subiectum ipsum indicat: sic & Deum patrémque considerabimus. Nam si modum subsistentiæ quæras, videns ex nullo alio genitum, vocabis eū ingenitum: Si verò ingeniti vocabulum consideres, subsistentiæ modum significare id inuenies. Quod si essentiam ipsam indicare velis, qua cum filio cohæret ac spiritu, demonstrabis eam Dei nomine. Itaque illud ingenitus & subsistentiæ modus, notæ sunt quibus interstringuntur. Cæterum vox hæc Deus essentiam significat. Sicut enim Adam, quamuis non eodem quo ipsius posteri modo genitus, tamen communem cum eis habet essentiā. Sic nulla ratio cur propter ingeniti nomen diuellatur essentia cōmunis patri, filio, spirituique. Itaque voces hæ ingenitus, genitus & procedens, non essentiam sed subsistentias significant: valent enim ad discernendas personas patris, filij, sancti spiritus, & indicandas nobis singulorum proprias subsistentias. *Iustinus lib. de Trinitate.*

Itáque deos omnino non dicam, nec dominos, sed Apostolum sequar, vt si pariter nominandi sunt pater & filius, Deum patrem appellem, & Iesum Christum Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere sicut idem Apostolus. Ex quibus Christus, qui est, inquit, Deus super omnia benedictus in æuum omne. Nam & radium solis seorsum solem vocabo, solem autem nominans cuius est radius, non statim & radium solem appellabo. Nam etsi soles duos faciam, tamen & solem & radium eius tam duas res & duas species vnius & indiuisæ substantiæ numerabo, quàm Deum & sermonem eius, quam patrem & filium. *Tertulian. aduersus Praxeam.*

Quomodo pater genuerit filium nolo discutias, nec te curiosius inseras in profundi huius arcanum ne forte dum inaccessæ lucis fulgorem perscrutaris, exiguum ipsum qui mortalibus diuino munere concessus est, perdas aspectū. Aut si putas in hoc omni genere nitendum prius tibi propone quæ nostra sunt: quæ si consequenter valueris expedire, tunc à terrestribus ad cœlestia præpara te. Expedi primò si

mò si potes, & explana quomodo mens, quæ intra te est generet verbum, & quis sit in ea memoriæ spiritus, quomodo hæc cum diuersa sint rebus & actibus, vnum tamen sint substantia vel natura, & cum è mente procedant, nunquam tamen ab ipsa separantur. Fons quomodo ex se generat fluuium? quo autem spiritu rapidum fertur fluctum? quod quidem cum vnum & inseparabile sit, & fluuius & fons, tamē nec fons fluuius, nec fluuius fons, intelligi aut appellari potest, & tamen qui viderit fluuium videt & fontem. Exerce te prius in horum explanatione, & discute si potes quæ habentur in manibus, & tunc ad horum sublimiora veniemus. Nec putes quia statim te de terra suadeam ascendere super cœlos, sed prius, te si placet, ad istud firmamentum quod oculis patet, educam, & ibi si potes, naturam inuisibilis huius luminis discute. Quomodo ignis iste cœlestis generat ex semetipso splendorem lucis? Quomodo etiam producit vaporem? Et cum sint tria in rebus, vnum tamen sunt in substantia. Quod etsi hæc singula inuestigare potueris, scito adhuc diuinæ generationis mysterium, tantò esse differentius, & eminentius, quantò creator creaturis potentior. Credendus est ergo Deus pater esse vnici filij sui Domini nostri, non discutiendus. *Cyprianus in symbolum Apostol.*

Non res quæpiam extrinsecus adinuenta est filij substātia, neque ex nihilo inducta est, sed ex patris substantia nata est, quemadmodum à luce splendor, quemadmodum ab aqua vapor. Neque enim splendor, neque vapor est ipsa aqua, aut ipse sol, neque res aliena, sed defluxus ex patris substantia, ita vt patris substantia non perpessa sit partitionem. Nam quemadmodum sol idem manens, non minuitur radiis ab ipso effusis, ita nec substantia patris, mutationem perpessa est, quum habeat suam ipsius imaginem filium. *Athanasius de decretis Nycenæ synodi epistola.*

Et ignis quidem natura multas lucernas ab vna accendit, & quæ prima est non imminuitur. Rursus autem potest eadem essentia ex multis particularibus esse lucernis aut facibus. At non sic Deus: absit. Non enim rursus venit verbum & coniunctionem cum patre fecit. Sed pater, pater est. Filius, filius, Spiritus sanctus, spiritus sanctus.

Sicut non potest esse sol sine splendore, vel ignis sine calore, vel immortalitas sine æternitate, vel virtus sine fortitudine, Sicut inquam, non potest esse ratio sine sapientia, vel veritas sine iustitia, vel bonitas sine misericordia, ita non potest esse pater sine filio. *Euseb. Emissenus hom. 1. de Symbolo.*

Ex patre filius, lumen de lumine. Quomodo si cereus illuminetur ex alio vnus ex vtroque, ignis corruscat: duo licet cerei sint, ista tamen flamma est in secundo, quæ refulget in primo: Ita Dominus noster Iesus Christus (in quantum possunt magnis parua conferri) cum patre alius est in persona, sed non alius in substantia, vel natura. *Ibidem & Cæsarius Arelatensis hom 4. de pascha.*

Quoniam is Christi spiritus teste Paulo ex Deo est, fit, vt quemadmodum in cathena, qui vnius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul & insertum alterum attrahit: ita & hic qui spiritum trahit, vt Propheta inquit, per ipsum & filium & patrem vna simul attraxerit. *Basilius Epist. 43.*

Crede Trinitatem Margaritam esse vnam, vndique similem, & æqualiter splendentem, Margarita enim si in aliqua parte deturpatur, tota eius gratia euanescit: Ita cum filium ignominia afficis, quò patrem venereris, nequaquam honorem tuum suscipit, ob filij dehonestationem pater minimè glorificatur, si sapiens filius lætificat patrem, quãtò magis filij honor erit patris? *Gregor. Nazianz. hom. in dictum Euangelij.*

Quemadmodum lucis radij habitum inter se iuxta naturam habent indiuisibilem, & nec à luce segregantur, aut inuicem, abscinduntur, sed ad nos vsque gratiam luminis mittunt: eodem etiam modo saluator noster, & spiritus-sanctus geminus patris radius, ad nos vsque veritatis lumen subministrat, patríque communicat. *Idem ad Euagrium de deitate.*

Et quéadmodum cum humor nectareus, à fonte aliquo aquarum copiose scaturiens, pro fluuio suo abundantiam ostendit, inde lapsu perenni in flumina duo inciditur, vnicam ex vno fontis ortu à principio vim continens, bifariã autem fluminum formatur species, sine nocumento tamen essentiæ flumen illud diuiditur. Humorum enim positione

tantum fluor ille discriminatur, at humoris qualitatem vnam & eandem continet, etiamsi flumen vtrumque, vt dictum est, quàm longè distare, & multum à fonte abesse videatur, principium enim ad continuitatem fontis commu nem cum sua habet matre. Similiter etiam omnium bonorum Deus, veritatis ille administrator & Saluatoris pater, prima vitæ causa, ac immortalitatis planta, fons vitæ sempiternæ, bifluam quandam filij & spiritus sancti cognoscibilem ad nos demisit gratiam, ipse vero nullum propterea nocumentum in essentia est perpessus. Nullam enim imminutionem propter istorum ad nos demissionem, & ad nos vsque accessum sustinuit, nec illi propterea à patre separationem vllam sustinuerunt, indiuisibilis enim quemadmodum sub initium diximus, meliorum est natura. *Ibidem.*

Quemadmodum anima intellectualis cum sit, & cognitionum infinitarum multitudinem gignat, non tamé ob id cognitionis diuiditur affectus, neque ob multitudinem cognitionum anima vnquam propter antea cõcepta facta est egena, sed ditior potius quam pauperior euadit, eodem etiam modo, quo & enunciabilis, ille etiam communis omnibus nobis est sermo; si quidem indiuisibilis est ab anima, quæ illum profert, pariter & ab audientium animabus: nihilominus tamen ibi consistit, & ab illa non est segregabilis, ab istis verò repertibilis, vnitatẽ autem potius quàm diuisionem, ipsorúmque & animarum nostrarum operans: ita mihi noscas & filium, nunquàm à spiritu esse segregabilem: & ab hoc rursum, spiritum sanctum, quẽadmodum & à mente cogitationem. Sicut enim inter mentem & cogitationem ac animam diuisio cognosci potest nulla, aut incisio quædam, ita neque inter spiritum sanctum, & saluatoris patrem, incisio aut diuisio cognosci potest vnquam. quoniam sicut diximus natura cognoscibilium & diuinorum indiuisibilis existit. Aut etiam rursus quemadmodum impossibile est inter circulum & radium diuisionem inuenire propter impossibilitatem & corporis defectum, simplicitatémque & insegregabilitatẽ: sed radius annexus est circulo, & è conuerso circulus tanquam oculus fluuiatilis radios infundit toto, tanquam diluuios quosdã luminis nobis procreans, abundéque ornatũ subministrãs:

Ita etiam fermè radij quidam patris super nos demittuntur, lucidus nempè Iesus, & spiritus sanctus. Quemadmodum enim lucis radij habitum inter se iuxta naturam indiuisibilem habent, & nec à luce segregãtur, aut inuicem abscinduntur, & ad nos vsque gratiam luminis mittunt: eodem etiam modo saluator noster, & spiritus sanctus, geminus patris radius, ad nos vsque veritatis lumen submiſtrat, patríque communicat. *Ibidem.*

Cum de fonte interrogati, non possumus dicere, quod ipse sit fluuius, nec de fluuio interrogati possumus dicere, quod sit fons, & rursum potionem quæ de fonte vel fluuio est, nec fluuium, nec fontem possumus appellare, tamen in hac Trinitate, aquam nominamus. Nam si quæro in fonte an aqua sit, Respondetur aqua. Et si quæramus vtrum aqua in fluuio, nihil aliud respondetur, & in illa potione? Non potuit esse alia responsio, nec tamen eas tres aquas, sed vnam dicimus. Sicut in arbore radix non est nisi radix, nec robur nisi robur, nec ramos nisi ramos possumus dicere. Non enim id quod dicitur radix potest dici robur & rami, nec lignum quod pertinet ad radicem potest alio etiam transitu, nunc in radice esse, nunc in arbore, nunc in ramis, sed tantummodo in radice, cum illa regula nominis maneat, vt radix lignum sit, & robur lignum, & rami lignum, nec tamen tria ligna dicantur, sed vnum. Aut si hæc habeant aliquam dissimilitudinem, non possit non absurdè tria ligna dici propter firmitatis diuersitatem. Illud certè omnes concedunt, si ex fonte tria pocula repleantur, posse dici tria pocula, tres autem aquas non posse dici, sed omnino vnam aquam, quanquam de singulis vocalis interrogatus, in quolibet illorum aquam esse respondeas, quamuis nullus transitus fiat, sicut de fonte in flumina dicebamus. Hæc autem propter illius diuinæ naturæ similitudinem, sed etiam propter visibiliũ vnitatẽ corporalia exempla data, vt intelligatur fieri posse, vt aliqua tria non tantum sigillatim, sed etiam simul vnum singulare nomen obtineant. *Augustinus lib. de fide & symbolo cap. 9.*

Non sicut ex vino, aqua, melle, vna fit potio, & singula per totum sunt, & tamen tria sunt, nulla enim pars est potionis, quæ non habeat hæc tria, non enim iuncta sunt, ve-

ut si aqua & oleum essent, sed omnino commixta sunt, & substantiæ sunt omnes. & totus ille liquor vna quædam est ex tribus confecta substantia. Non tale aliquid arbitrandum est esse hæc tria, mentē, amorem, notitiam. Nam nō vnius substantiæ sunt aqua, vinum & mel, quamuis ex eorum commixtione fiat vna substantia potionis. *Idem lib. 9. de Trinitate cap. 4.*

Cum scribimus literas, facit eas primo cor nostrum, deinde manus nostræ, literæ fiunt primo à corde, deinde à cor pore nostro, Manus seruit imperanti cordi, easdem literas facit & cor & manus. Nūquid alias cor, alias manus? Nam aliud est manus, aliud cor. Eadem quidem facit manus, sed non similiter. Cor enim facit eas intelligi inuisibiliter, manus autem visibiliter. Ecce quomodo fiunt eadem & dissimiliter. Sic pater facit, quę filius similiter. *Idem tractatu 18. in Ioannem.*

Attende candorem lucis, in cœlo est, & expandit candorem per terras omnes, per maria omnia, & vtique corporalis lux est. Si separas candorem solis à sole, separa verbum à patre. De sole loquor. Lucernæ vna flammula tenuis, quæ vno flatu possit extingui, spargit lucem suam super cuncta quæ subiacent, vides lucem sparsam à flammula generatā, emissionem vides, separationem non vides. Intelligite fratres sic Trinitatem, patrem, filium, spiritū sanctum, sic cohęrere, & omnia opera vnius Dei esse, hæc esse patris, hæc filij, hæc spiritus sancti. *Idem tractatu 20. in Ioannem.*

Paulus filium glorię splendorem appellat, vt doceat nos, quemadmodum lux ex face proueniens, & ex natura facis splendentis est, & cum illa est. Nam simulatque fax apparuit, lux ex ipsa pariter effulsit, sic etiam filium ex patre esse, & sine filio patrem fuisse nunquam. Sicut enim fax esse non potest sine luce, sic gloria patris sine filij splendore esse non potest. Quamobrem vt ille qui splendorem esse dicit, gloriam item esse testatur, quæ nisi esset, nec splendor ex illa fulgeret, ita qui splendorem negat aliquando fuisse, tunc non fuisse gloriam ostendit, cum splendor, non erat, non potest enim esse gloria sine splendore. Sicut igitur de splendore non licet dicere, si erat, genitus non est, si genitus est, nō erat, sic amentis est, ea de filio, qui splen-

dor est, loqui. Qui verò minus & maius de filio & patre dicunt, discant à Paulo ea quæ mensuram non capiunt, metiri, non oportere. Apostolus enim filium, patris figuram appellat. Iam qui genitum ingenito natura dissimilem affirmant, exemplo Adam & Abel discant non insanire. Adam enim naturali hominum lege non est generatus, Abel autem ex Adam generatus est. Neque tamen propterea fit, quominus eorum vterque sit homo, tam ille qui generatus est, quam ille qui sine generatione factus est. Nullam igitur in ratione diuinitatis explorandæ naturæ differentiam dicimus proficisci, ex eo quod pater ingenitus, filius autem genitus sit. Sed quemadmodum in Adam & Abel vna est humanitas, sic vnam esse in patre & filio diuinitatem. *Gregorius Nyssenus in oratione ad Simplicium.*

Docet sancta & Apostolica Ecclesia simul patrem & simul vnigenitum eius filium. Quemadmodum simul ignis & simul ab ipso lux, neque prius est ignis & posterior lux, sed simul sunt. Et quemadmodum lux ab igne semper gignitur, & nequaquam separatur ab eo: hunc in modum & filius à patre gignitur, & nequaquam ab eo separatur, sed semper in eo est. Sed lux quæ ab igne inseparabiliter gignitur, in ipso semper manens, non habet propriam subsistentiam præter ignem. Nam natiua qualitas ignis est. Verum filius Dei vnigenitus, à patre inseparabiliter genitus & indiuisibiliter, in eo semper manens, propriam habet subsistentiam, præter eam quæ patris est. Et quemadmodum non dicimus alterius substantiæ ignem, alterius lucem, hunc in modum fieri non potest, vt rectè dicamus patrem & filium alterius & alterius substantiæ, sed vnius & eiusdem, & quo pacto dicimus per eam lucem quæ ab ipso est, ignem illucere, & non ponimus organum administratorium ignis esse lucem quæ ex ipso est, sed potius virtutem naturalem: Sic dicimus patrem quæcunque facit per vnigenitum filium eius non vt per instrumentum seruile, sed vt per virtutem naturalem & substantialem facere. Et vt dicimus ignem illuminare, & rursus dicimus lucem illuminare: sic omnia quæcunque

facit pater, & filius facit, sed lux quidem propriâ subsistentiam præter ignem non possidet: filius autem perfecta subsistentia est à subsistentia paterna discreta. *Damascenus, lib. 1. de fide, cap. 9.*

Deus vnus est pater & filius & spiritussanctus, & tamen ad solum Christum pertinet caro. Nempe aliud est anima, aliud ratio, & tamen in anima est ratio, & vna est anima: sed aliud anima agit, aliud ratio: anima viuit, ratio sapit: ad animam pertinet vita, ad rationem sapientia: & tamen nec anima est sine ratione, nec ratio sine anima: & cum vnum sint, anima sola suscepit vitam, ratio sola suscepit sapientiam: Sic pater & filius licet vnum sint, & vnus Deus sit, tamen ad solum Christum pertinet caro: sicut ad solam rationem pertinet sapientia, licet non recedat ab anima. Ecce igitur in sole calor & splendor in vno radio sunt, sed calor exiccat, splendor illuminat: aliud suscipit calor, aliud splendor: licet ab inuicem calor & splendor non possint separari. Suscepit ergo splendor illuminationē non feruorē: suscepit calor feruorē non illuminationem. Aliudergo singulariter agunt, & tamen ab inuicē nō recedūt: Sic & filius carnem suscepit solus & tamen non deseruit patrem, nec se diuisit à patre. Ad hoc cytharam respice, vt musicum melos sonis dulcibus reddat. Tria pariter adesse videntur, ars, manus, chorda. Ars dictat, manus tangit, resonat chorda. Tria operantur, sed sola chorda resonat quod auditur. Nec ars nec manus sonum reddunt, sed cum chorda pariter operantur. Sic nec pater nec spiritussanctus suscipiunt carnem, sed tamen cum filio pariter operantur. Sonum sola chorda excipit. Carnem solus Christus accepit. *Antonius Constantinienſis, epistola ad Arcadium actum in exilium.*

Neque enim sicut stella à stella differt in claritate & gloria, quod forte maior minore sit, neque quia corpus mole sua, & conerementō excedit aliud, puta iuuenile corpus superat pusionē, nō itē vt tēpore homo homine fit procerior verbi gratia Abrahā ipsoDauide vixit ætate prouectior, aut certe Dauid Zorobabele: ad eundē modū edocti simus profiteri de personis sacrosanctę trinitatis aut sentire, sed cōnaturales sibi actiones communes habet quæ quidē liquido

ipsam exprimunt essentiam. Personæ autem simul collatæ animo apprehenduntur, cumque à se inseparabiles sint, eiusdem sunt gloriæ ac virtutis, quando sunt essentiæ & naturæ eiusdem. *Anastasius, lib. 1. de rectis fidei dogmatibus.*

Habet homo quomodo legat & discat in seipso: quid per contrarium estimare debeat de Deo suo. Conferamus si placet in vnum quæ ratio ratiocinando inuenit in natura diuina, & ea quæ experientia reperit in natura humana. Vtrobique vnitas, vtrobique pluralitas. Ibi vnitas substantiæ: hic vnitas personæ, ibi pluralitas personarum: hic vero pluralitas substantiarum Ibi siquidem pluralitas personarum in vnitate substantiæ: hic autem pluralitas substantiarum in vnitate personæ. Ecce quomodo natura humana & diuina videntur se mutuo & quasi ex opposito respicere, alterutra alteri veluti per contrarium respondere. *Richardus Victorinus de trinitate, lib. 3. cap. 9.*

TRISTITIA.

SIcut vinum aceto mixtum, eandem suauitatem non habet: Sic & tristitia spiritui sancto nexa, eandem orationē mundam non habet. *Hermas seu Pastor.*

Quemadmodum mari sese tollente, & fluctibus vndiquę ad summum eleuantibus, sub procella scapha inundatur: sic & anima vndique mœrore circundata, velocius demergitur, ni quempiam dantem habuerit manus. *Chrysost. Hom. 10. de pœnitentia.*

Quemadmodum hi quibus aliqua pars corporis dolet, putant se plus dolere, quàm proximos, & qui oculum dolent, nullum putant sibi æquari posse dolorem. Rursúmque qui stomachi languore tenetur, illum putat dolores omnes excedere, singulíque quibus detinentur incommodis, omnia vi suæ magnitudinis transcendere existimant: ita & in angore animi ac mœstitia contingit, vt quo quisque premitur, eum putat cæteros sua acerbitate superare, quippe qui hoc suo experimento diiudicat. Sicut qui filios non habet, nihil ea infœlicitate putat esse molestius, & qui inter paupertatis angustias filiis angitur, nihil æque, atque filiorum multitudinem execratur. *Idem. Hom. 1. in 2. Timoth.*

Tristitiam Deus non ob aliud nobis indidit, nisi propter

ſolum peccatum, & hoc per ipſam rerum experientiam manifeſtauit. In pecuniarum enim multa & morte, & ægritudine & aliis nobis ingruentibus moleſtiis dolentes & mœrentes, non tantum nullam cõſolationem capimus, verum & moleſtias augemus. In peccatis vero ſi doleamus, & triſtemur, peccati magnitudinẽ minuimus, & quod erat magnum reddimus paruum: ſæpe verò & funditus ipſum totũ delemus. *Idem, Hom. 7. ad pop. Antioch.*

Sicut arborum radices ipſæ quidem ſunt amaræ, iucundiſſimũ autem nobis fructum ferunt: Sic profecto & ſecũdum Deum triſtitia nobis multam afferet voluptatem. *Ibidem, Hom. 18.*

Sicut nauigans non in agonia eſſe non poteſt, nauigans inquam, mare magnum: ita hanc viuens vitam, non in triſtitia eſſe non poteſt. *Ibidem. Hom. 67.*

Sicut in corporis dolentes partibus, ſe proximos doloribus ſuperare putant: & oculum habens vitiatum, nullam ægritudinem aliam talem eſſe cenſet, qualem ſuam: rurſum qui ſtomacho laborat, hoc omnium eſſe difficillimum aſſerit. Et quo quiſque tenetur, hoc omnium moleſtiſſimũ eſſe dicit: itidem & in triſtitia, qua quis detinetur, hanc aſſerit eſſe difficillimam. Sicut qui filios non habet, nil ita graue putat, vt filiis carere: qui multos habet cum paupertate, nil tam accuſat quam filiorum multitudinem. Vnum habens, nil peius quam vnum habere putat. *Qui pulchram habet vxorem, nil ſe peius habere dicit. &c. Ibidem.*

Triſtitia animarum crudele tormentum eſt, dolor quidã inexplicabilis: & iudicium omni iudicio vindictáque deterius. Nam & vermi eſt ſimilis venenato: non ſolummodo carnem, ſed & animam ipſam perimens. Et tinea non ſolũ ad oſſa, ſed ad corda pertingens: & perpetuus quidam carnifex non animam dilacerans, ſed vires animæ conſumens: & iugis nox ac tenebræ profundæ & tempeſtas & turbo, febris non apparens omni igni validius incendens, & pugna requiem non habens. *Idem, epiſt. 8. ad Olympiam.*

Sicut tinea veſtimento & vermis ligno: ita triſtitia viri nocet cordi. Prouerb. 25. Veſtimẽtum namque tinearum eſu attactum, nullius pretij velhoneſti vſus poterit vlterius habere commercium. Itidémque lignum vermibus exaratum, nõ iam ad ornatum vel mediocris ædificij, ſed ad combuſtionem

ignis merebitur deputari: Ita anima quæ edaciſſimis triſtitiæ morſibus deuoratur, inutilis erit vel veſtimento illi pontificali, quod vnguentum ſpiritusſancti de cœlo deſcendés, prius in barbam Aaron, deinde in oram ſuam ſolere ſuſcipere, ſancti Dauid vaticinio perhibetur, Sicut vnguentum in capite. *Caſſianus lib. 9. de inſtitutis cœnobiorum, cap. 2. & 3.*

Vt vermes plurimi innaſci ſolent tenerioribus lignis: haud ſecus angor ipſe deiectioris animi in eos homines ſe inſinuat qui molliore ſunt nec conſtanti ingenio. *Baſil. Hom. de gratiarum actione.*

Sicut nubes quædam condenſata, & ſub ſolarem radium currens, omnem retrorſum ſplendorem auertit: ſic & triſtitiæ nebula, cum ante animum noſtrum ſteterit, non ſinit facilem eſſe orationis curſum, ſed ſuffocat, & cum multa neceſſitate intus reprimit. *Chryſoſt. Hom. 6. ad popul. Antioch.*

Vt muſcæ à leuibus locis veluti ſpeculis dilabuntur, aſperis & cauis inſident: Sic quidam bonorum obliti, triſtium memoriam vrgent, ac premunt. *Plutarchus in Moralibus.*

Quæ natura ſunt amara, his admixtis quibuſdam dulcibus gratiam addidimus: Ita res per ſe triſtes ratione ſunt alleuiandæ. *Ibidem.*

Quemadmodum omnia vitia penitùs inſidunt, niſi dum ſurgunt, oppreſſa ſint: Ita quoque triſtitia & miſeria, & in ſe ſæuitia ipſa, nouiſſimè acerbitate paſcuntur, & fit infelicis animi, praua voluptas dolor. *Seneca, ad Martiam de conſolatione, cap. 1.*

TYRANNVS.

SIcut ſi ex choro ipſum principem auferas, nequaquam modulatus chorus, vel ordinatus exiſtit. Et phalanx militum ſi ducem non habeat, nullo modo numerosè acies illa, vel ordinatè procedit. Et nauis ſi gubernatore priuetur, peſſum eat neceſſe eſt: & gregi ſi paſtorem abſtuleris, cunctus diſpergetur & peribit: Ita & malum, & multarum cladium eſt & occaſio confuſionis & turbationum principiũ, vbi nullus principatus, & eſt ſubuerſionis argumẽtum. Verùm ſi Princeps malus exiſtat, peius malum eſt, quàm ſine Principe conuerſari. Melius eſt à nullo, quàm à peſſimo regi. Ille quidem ſaluatur aliquando, ac ſi in periculum deci-

dat. Iste autem omnibus modis pericula subiturus est, dum ad foueas & ruinas impellitur. *Chrysost. Hom. 34. epist. ad Hebræos.*

Sicut dæmones nisi eos quos fallendo deceperint, possidere non possunt: Sic & homines Principes non sanè iusti, sed dæmonum similes, ea que vana esse nouerunt, religionis nomine populis tanquam vera suadebāt: hoc modo eos ciuili societati velut arctius alligantes, quo similiter subditos possiderent. Quis autem infirmus & indoctus euaderet simul fallaces, & principes ciuitatis, & dæmones? *Augustin. de ciuitate Dei, lib. 4. cap. 32.*

Quemadmodum si etiam summā diligentiam adhibeas, tamen piscem sine spinis non inuenias: Sic neque hominē inuenire licet, qui non dolosum spinosúmque quiddam habeat admixtum. *Archytas, apud Aelianum, lib. 10. de varia historia.*

Vt hyenæ fel, & phocæ coagulum, atque aliæ pessimarū ferarum partes, aduersus magnos morbos efficax habēt remedium: Sic Deus pessimis tyrannis vtitur nonnunquam ad correctionem vitiorum. *Plutarchus in Moral.*

Vt si gladium paruo puero, aut si imbelli seni, aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat: sin ad nudum vel fortissimi viri corpus accesserit, possit acie ipsa vel ferri viribus vulnerare: Ita cùm hominibus eneruatis atque exanguibus, magistratus tanquam gladius est datus, qui per se pungere hominem nunquam potuissent, hi magistratus nomine armati, Rempublicā trucidauerūt. *Cicero, pro Sextio.*

Cerui cum arrexêre aures, acerrimi auditus sunt, cum remisêre, surdi: Ita principes si quid est quod placeat, id procul etiam percipiunt: si quid secus, quantúmuis clames, nō intelligunt. *Plinius, lib. 8. cap. 33.*

Formicæ triticum accedunt ea parte, qua germinare incipit, ne sibi reddatur inutile: Sic potentes quo ministris perpetuò vtantur, premunt: ne si emerserint, tædio seruitutis relinquant aulam. *Idem, lib. 11. cap. 30.*

Crocodilus, inuictum alioqui & pernicioſum animal, tamen Tentyritas adeò metuit, vt ad vocem etiā expaueſcat: Ita tyranni cum omnes contemnant, tamen eruditorum literas subtiment. *Idem, lib. 8. cap. 25.*

Aſpis, peſtilentiſſimum malum, non vagatur, niſi cum compare: ea interfectorem pertinaciſſimè perſequitur: Ita tyranni filium, aut alium tyrannidis ſucceſſorem adiungunt, ne deſit vltor, ſi quid acciderit. *Idem lib. 8. cap. 23.*

Catoblepas & baſiliſcus ſolo aſpectu necant, maximè ſi oculos intueare: Ita tyranni nonnulli ſolo oculorum conſectu nonnullos ad laqueum adiguntaut formoſa mulier, & impudica, perimit intuitu. *Idem lib. 8. cap. 21.*

Aquilarum pennæ quoque aliarum auium pennis admixtæ, eas deuorant: Ita tyrannis penitùs inſita vis eſt ſpoliandæ plebis, vt mortui quoque aliquid auferant. *Idem lib. 10. cap. 1.*

Quemadmodum agricola non inciſit ſpinam, priuſquã aſparagum inde ceperit: & Libyes non antè incendunt ſarmentum quàm thus collegerint: Ita Deus non excidit genus regum peſtilens, priuſquam hinc fructus aliquis bonus contigerit. *Idem lib. 28. cap. 8. & Plutarch.*

Crocodilus patitur trochilum auiculam capere eſcam è faucibus ſuis, non illius amore, ſed ſua ipſius cauſa: repurgat enim roſtro ſuo os illius: Ita tyranni, etiamſi quid alicui concedunt, ſemper ad ſuum referunt commodum. *Idem lib. 8. cap. 25.*

Quemadmodum ludi literarij magiſtri, qui minis ac verberibus nimis in pueros ſæuiunt, hebetiores illos tardioresque reddunt, & in odium diſciplinarum, bonarumque artium eos compellunt, quos nimia formidine coercent, verbis verò ac verberibus obdurant: vt peſsima quædam mancipia, quæ plagis conſueſcunt, ingenia quoque puerorum nimia ſeueritate emendationis deficiunt, maluntque ignorare, quàm tanta cum difficultate perdiſcere: Eodem pacto vecordes & ignaui fiunt ciues, qui tyranni ſæuitiam ſemper formidant. *Patritius ſenenſis lib. 2. cap. 1. de Regis inſtitu.*

Si tyranni quæris imaginem, leonem, vrſum, lupum, aut aquilam cogita, quæ laniatu viuunt, ac præda: vt quoniam intelligunt ſeſe omnium odiis obnoxia, omnium inſidiis peti, præruptis locis ſe continent, aut ſpecubus, & ſolitudinibus addunt ſeſe. Niſi quòd horum quoque ſeuitiã ſuperat tyrannus. Dracones, pardi, leones, cæteraque immanitatis damnata crimine animantia, à ſuo genere tem-

perant, & tuta est inter feras similitudo motum. At tyrannus homo in homines, ciuis in ciues potissimùm feritatem suam exercet. *Erasmus de institu. principis.*

Quemadmodum corpora cœlestia, si vel paululum tumultuentur, aut recto cursu diuarient, non sine graui rerum humanarum pernicie id faciunt: id quod palàm videmus in defectibus solis ac lunæ: Ita summi Principes, si quid aberrent ab honesto, aut si quid ambitione, ira, stultitiáue peccent, id protinus ingenti totius orbis malo faciunt. Nec enim vlla vnquam eclipsis sic afflixit hominũ genus, vt Iulij pontificis, & Lodouici Gallorum regis dissidiũ, quod nuper & vidimus & fleuimus. *Ibidem.*

Princeps qui nihil aliud agit, nihil aliud cogitat, nisi vt quam plurimum pecuniarum à ciuibus extorqueat, vt nummorum vim quantam potest maximam irretiat legibus, aut quamplurimo vendat magistratus & officia: quæso vtrum is Princeps dicendus est, an negociator, an (vt verius dicam) prædo? *Ibidem.*

Si capite plectitur qui Principis monetam vitiarit: Quãto dignior est eo supplicio, qui Principis ingenium corruperit? *Ibidem.*

Qui suos eatenus curant, quatenus expedit propriis cõmoditatibus, ij non alio loco ciues suos habent quàm vulgus hominum equos & asinos. Nam hos quoque curant illi, sed omnem curationem suis, non illorum vsibus metiuntur. Cæterùm qui rapacitate deglubunt populum, aut crudelitate laniant, aut ob ambitionem suam periculis omnibus obijciunt: ij peiore loco ciues habent liberos, quã vulgus empta iumẽta, aut lanistæ sua mãcipia. *Ibidem.*

Nullus cometes, nulla vis fatalis sic afficit res mortaliũ, vt vita Principis rapit ac trãsformat mores & animos ciuium. *Ibidem.*

Malus ac pestilens Princeps, mali dæmonis imaginem repræsentat, cui multum adsit potentiæ, cum summa malicia coniunctum. Quidquid habet virium, id omne consumit ad calamitatem humani generis. An non huiusmodi quidam orbis malus genius fuit Nero, an non Caligula, an non Heliogabulus: quorum non solùm omnis vita pestis quædam mundi fuit, sed ipsa etiam memoria publicæ mortalium execrationi est obnoxia? *Ibidem.*

Vide Princeps, Rex.

STillet sicut pluuia doctrina mea, Fluat vt ros eloquiũ meum, Quasi imber super herbam & quasi stillæ super germina. *Deut.32.*

Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum, terræ purgatum septuplum. *Psal.12.*

Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. *Isai.55.*

Videtur mihi vnusquisque sermo diuinæ scripturæ similis esse alicui seminum, cuius natura hæc est, vt cum iactum fuerit in terram, regeneratum in spicam, vel in quãcunque aliam sui generis speciem multipliciter diffundatur, & tantò cumulatius, quantò vel peritus agricola, plus seminibus laboris impenderit, vel beneficium terræ fœcundioris indulserit: Sic ergò efficitur, vt culturæ diligẽtia, exiguum semen verbi gratia, synapis, quod est minimum omnium, efficiatur omnibus maius oleribus, & fiat arbor, ita vt veniant volatilia cœli, & habitent in ramis eius: Ita & hic sermo, qui nobis ex diuinis voluminibus recitatus est, si peritum inueniat, & diligentem colonum, quum primo attactu videatur exiguus & breuis, vt cœperit excoli, & spiritualiter retractari, crescit in arborem, in ramos, in virgulta diffunditur, ita vt possint venire disputatores & rhetores huius mundi, qui velut aues cœli, leuibus pennis, verborum duntaxat pompa excelsa sectãtur & ardua, & rationibus capti, velut habitare in ramis istis, in quibus non loquendi decor est, sed ratio viuendi. *Origenes hom.1. in Exodum.*

Mutis & animalibus quamuis sit imperitus & indoctus, rationabilis homo si comparetur, videbitur eloquens ad comparationem eorum quæ rationis & vocis expertia sũt. Si verò eruditis & eloquentibus viris, atque in omni sapientia probatissimis conferatur, ineloquens & mutus videbitur. At si ipsum quis contemplatur diuinum verbum, ipsamque diuinam respiciat sapientiam, quantæuis

sit eruditionis, & quantæcunque sapientiæ, multò amplius quàm apud nos sunt pecudes, ipse apud Deum mutum se animal profitebitur. *Idem hom. 3.*

Scriptum est de manna, quia secundum tempus illud, siquis id ita sumpsisset, nutriretur ex eo: Si quis verò contra præceptum Dei, & contra statutum diuinitus modum, voluisset assumere, non frueretur ex eo vt vitali cibo, sed vermes ebulirent ex eo. Et ita fiebat, vt vna atque eadem species mannæ, aliis vermes & putredines generaret, aliis verò salubrem cibum conferret, & vitæ necessarium. Igitur & nostrum manna verbum Dei est. Et apud nos ergò sermo Dei aliis efficitur ad salutem, aliis ad pœnam. *Ibidē hom. 3. in numeros.*

Non solum homo cum viderit cibum, scit eum non pro se, sed pro animalibus creatū. Sed & ipsa animalia cognoscunt proprios cibos, & aliis quidem verbi causa, vtitur leo, aliis ceruus, aliis bos, aliis verò aues. Sed inter homines sunt quædam differentiæ in appetendis cibis. Et alius quidem, qui benè sanus est, & habitudine corporis valens, fortem cibum requirit, & credit confiditque se edere omnia velut robustissimi quique athletarum. Si quis verò infirmiorem se sentit & inualidum, delectatur oleribus, & fortem cibum pro sua infirmitate reiicit. Si verò sit aliquis paruulus, etiamsi voce indicare non possit, re tamen ipsa nullam quam lactis requirit alimoniam. Et ita vnusquisque vel pro ætate, vel pro viribus, vel pro corporis valetudine, aptū sibi & competentē viribus suis expetit cibū. Si sufficienter rerū corporaliū cōsideratis exemplū, nunc ab iis ad intelligentiā spiritalium veniamus. Omnes natura rationabilis propriis & cōpetētibus nutriri indiget cibis. Cibus autē verus naturæ rationabilis sermo dei est. Sed sicut in nutrimentis corporis multas paulò ante dedimus differentias, Ita natura rationabilis, quæ ratione & verbo Dei pascitur, non omnis vno atque eodē verbo nutritur. Vnde ad similitudinem corporalis exempli est aliquibus etiam in verbo Dei cibus lactis, apertior scilicet & simplicior doctrina, vt de moralibus esse solet, quæ præberi consueuit his qui initia habent in diuinis studiis, & prima eruditionis rationabilis nutrimenta suscipiunt. *Idem hom. 27. in numeros.*

Vinum sanos & commode degentes iuuat, & (sicut scriptura dicit) cor hominis duntaxat lætificat. Febricitantibus verò si sumpserint perniciem continuò & interitum parit: Ita fit vt eadem res (cuiusmodi est verbum Dei) vni quidem vitam, alij autem conferat mortem. *Idem hom. 5. in Iudic.*

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Sermo Domini sagittis est similis. Denique & saluator ita dicit, posuit me sicut sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me. Qui ergo loquitur sermonem Domini, sagittas iaculatur. Et cum loquitur corripiens & castigans correptiones, iaculo cor proferat audiētis Qui ergò ita suscipit verba Domini, vt ex his quæ audit sermonibus cor suum cōfigatur, & per stimulum eorum quæ dicta sunt, ad pœnitentiam suscitetur, certum est quoniam in illum in vanum non abiit sermonis Dei iaculum, neque transuolauit, sed in ipso omnes illæ sermonū Dei defixæ sunt sagittæ. *Idem hom. 1. in psal. 37.*

Ad medicum vadunt decem, habentes species infirmitatum. Non omnes eodem modo curat, sed alium illo, & alium alio, vt puta sanat emplastro, aliis aliud tribuit medicamentum, nonnullis quod cauterium nuncupatur, imponit: Alium amara, alium dulci temperat potione, cuiusdam verò vulnera crassiore vnguine delinit: Sic & sermo Dei pro qualitatibus hominum loquitur, nec passim sapientiæ suæ ingerit sacramenta. *Idem hom. 3. in Ezechiel.*

Hic est sermo quem præcepit Dominus. Viden' cibum animæ qualis sit? Verbum Dei continuum rori simile, per circuitū totam complectens, & nullam partem eius expertem sui relinquens. Hic sermo non vbique apparet. sed vbi desertum est vacuum vitiis & affectibus, estq; tenuis qui percipiatur & intelligatur pellucidusque ac purus aspectus, & coriano similis. Aiunt autem rei rusticæ periti, etiamsi semen hoc concidatur minutissimè singulas portiunculas & micas satas germinare, non secus quam corianum solidum. Huiusmodi etiam sermo Dei: qui vel integer iuuare potest, vel quacunque sui particula. Quid si corio id est pupillæ oculi similis dicitur? Sicut enim hæc quamuis minima particula, videt hos cœlestes orbes, & immensum mare & aeris amplitudinem, præterea solis tam occidētis quàm orientis terminos: pari modo sermo

quoque

quoque diuinus cernit acutissimè, qui sufficit inspiciendis rebus omnibus, per quem videbuntur quæcunque digna spectatu. ideoque album est manna. Quid enim fulgidius Dei sermone, aut radiantius? cuius participatione & aliæ res caliginem ac tenebras excutiunt, quæ appetunt lucem animarum. huic sermoni quiddam peculiare accedit. Nã quando animam ad se aduocat, gelu excitat in omnibus rebus terrenis, corporeis ac sensibilibus. ideò dicitur tãquã prima super terram. Quoties enim homo Deum videns fugam meditatur ab affectibus, congelantur vndæ, hoc est, impetus ac moles eorum & iactantia. concreuerunt enim vndæ in medio mari, vt transiret affectum Israel videns Deum. Itaque percõtentur se inuicem animæ, quæ admiserunt quidem iam sermonem, sed non possunt dicere quidnam sit. Nam sæpe perfusi dulcedine, saporem nescimus vnde illa proficiscatur, & suaues odores olfaciendo ignoramꝰ. Sic & anima sæpe gaudens, nõ potest indicare causã suæ lætitiæ, sed docetur ab initiatore Moyse, hic est panis, cibus quem dedit Deus animabus, vt se pascant verbo ipsius atque sermone. *Philo libro 2. legis allegoriarum.*

Sermo Dei quo ex errore ad veritatem retrahimur, quo per commination em terroremque iudicij, ad innocẽtis & sanctæ vitæ viam regimur, virga est per quam intra disciplinam diuini metus cohibet timoratio ac prouidẽtis rectoris monitu coarcemur. Apostolus monuit Corinthios, vtrum mallẽt cum seueritate doctrinæ atque oburgationis adesse, an in spiritu lenitatis. Quod vtrumque secundum modestiæ tenorem erat necessarium, vt obedientibus lenior, insolẽtibus verò sæuior aduenire. Virga de radice Iesse floruit, vt virgæ seueritatem floris suauitas temperaret, cum vnicuique nostrum doctrinæ terror regimen perfectæ beatitudinis admoneret. *Hilarius in psal. 2.*

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Mel in ore etiam in faucibus dulce est. Extra regionẽ enim oris corporalium saporẽ nullus est sensus. Sed Dei eloquia in faucibus dulcia sunt, in animam scilicet defluentia & intima penetrantia. Non in ore modo cibi placentia, sed illic dulcia vbi cognitionis & prudentiæ & intelligẽtiæ sensus est. Et ideo eloquia in faucibus, in ore mel dulce est. Sed

vt mel per egritudinem æstumque febrium ea quæ acciderint oris amara mitificat, Ita animæ nostræ amaritudines & tristes cupiditatum insalutarium febres, infusa Dei eloquia mitificant, si modo non ore cõtineantur, sed faucibus deuorentur. *Idem in psal.* 118.

Lucerna pedibus meis verbũ tuum. Vt enim quis nocte egressus lucernam antefert, & quo pedem inferat contuetur, atque ad singulos gressus lumine præeunte sollicitus est: ita vnusquisque nostrum manens in se verbum Dei, in omnes operum processus tanquam lucernam prætendit. Omnis enim doctrina cœlestis, dux nobis ad iter vitæ est quæ lucernæ modo in hac nocte seculi præferenda est, cũ aliquid aut agimus, aut cogitamus, aut loquimur, vt ea in omnem progressum cuiuscunque operationis vtamur. *Ibidem.*

Oleum peccatorum non impinguet caput. Vt lumen ex oleo luminis habet causam: Ita vt lucé spiritualis gloriæ retineamus, doctrinæ atq; operatio præstat. Vt caput nostrũ sedes scilicet & prudentiæ, vitæ, & omnium sensuum, oleo operationis doctrinæq; pinguescat. *Idem in psal.* 140.

Quemadmodum si quis vilibus indutus, per visum se locupletem perspexerit surgens autem è somno rursum se pauperem & nudum videat: Sic & qui sermonem spiritalem loquuntur, cõmodè loqui videntur: verùm si non habeant verborum effectum, cum quodam gustu, facultate ac certitudine fidei in mente firmatum, in opinione quadam subsistunt. Aut velut mulier holosericis & margaritis circumornata prostat in lupanari: Sic eiusmodi hominum cor quoddam lupanar est immundorum spirituum, volunt quidem sermocinari de iustitia, ad quam opere complendam minime se inclinant. *Macarius hom.* 17.

Qui ergo non gustantes vsurpant verba spiritalia, sunt eius similes, qui calore vigente desertum agrũ perambulat: & sitibundus depingit fontem fluentem aquam, adumbrans seipsum bibentem, cum tamen præ siti qua tenetur labra eius ac lingua exaresçant: aut cum quis de suauitate mellis disputat, qui non nouit vim dulcedinis eius, cum non gustauerit: Sic se habent qui de perfectione, exultatione, seu affectionum vacuitate verba faciunt, cum vim ac certitudinem non tenent, certè non omnia sic habent vt loquuntur. *Ibidem.*

Debent qui verbum Dei audiunt in suis ipsorum animis opus verbi demonstrare. Nam verbū Dei non est ociosū, sed habet opus quod peragitur in anima: proinde appellatur opus, vt opus quoque inueniatur apud eos qui audiunt. Præstat ergo Domin⁹ opus veritatis audiētibus, vt verbū in nobis fructuosum reperiatur. Quemadmodum enim vmbra præcedit corpus, vmbra vero corpus indicat, at veritas est ipsum corpus: ita verbum est velut vmbra veritatis Christi. *Idem hom.* 30.

Quemadmodum arbor perpetua irrigatione in magnā excrescit altitudinem: Sic & diuinorum eloquiorum sermonibus assiduè irrigatus, ad virtutis fastigium peruenit. *Chrysostomus hom. de Anna & Samuelis educatione.*

Quemadmodum esurire corporis bonam valetudinem declarat, sic & sermones appetere spirituales, animæ sanitatem arguit. *Idem hom.* 2. *in Isayam.*

Sicut esurire, signum est bonæ valetudinis: ita amare diuina eloquia, spiritualis sanitatis indicium fuerit maximum. *Idem hom.* 10. *in Genesin.*

Sicut gladius carnes præcidit: Sic sermo diuinus concupiscentias carnales. *Idem hom.* 8. *operis imperfecti.*

Sicut grana arenæ non conueniunt in vnum, neque adhærent adinuicē, sed semper sunt separata: Sic verba quæ audiuntur, & non conuertuntur in vnam iustitiæ massam, per opus separata sunt & dispersa. *Idem hom.* 20.

Vt nemo bonarum rerum potest sentire saporem, quandiu delectatur in malis: Sic & si quispiam spiritualem doctrinam audit, non intelligit, quia sensus eius, carnalium vitiorum lepra corruptus est. *Idem hom.* 22.

Non est possibile vt inter tantas vitiorum amaritudines sentiatur dulcedo sermonum. Sicut qui in magno vase aceti modicam guttam mellis immiscat, etiam mel perdit, & acerbitas aceti non mutatur: Sic homini in hac multorum multitudine collocato, si collocutus fueris iustitiæ verbum, & verbum perdis, & ille non temperatur in concupiscentia mundialium rerum. *Idem hom.* 31.

Ecce si ostendis leoni viridē herbam, aut cāpū bene florentē, non excitas eum in concupiscentia, quia non habet hoc in natura, vt herbas manducet, è cōtra si ostēdas boui

carnes, non concupiscit quia bouis natura nō est vt ducet carnem: Sic & homini mundali, si de bono cœlesti loquaris, non excitatur in concupiscentia boni. *Ibidem.*

Quemadmodum si pluuia super lapidem cadat, desuper quidem sudat, intus autem siccus est, quia non descendit humor in eum: Sic & homini mundali quando loqueris verbum Dei, tantummodo sonus verbi desuper percutit aures eius carnales, in cor aūt ei? nihil descēdit. *Ibid.*

Meritò iacentia super lapidem verbi semina, rapiunt volatiles dæmones. Puto enim non esse culpam rapientiū dæmonum. Ille enim latro qui parietem perforat, in secreta domus parte ingreditur, qui autem inuenit foris expositum & proiectum, quomodo quasi latro culpetur? Sic & diabolus si poterat introire in secreta pectoris tui, vt à te nolente raperet verbum Dei, bene culparetur, nunc autem quod à te neglectum est & contemptum hoc ille diripit. *Ibidem.*

Sicut stomacho ministrante vnumquodque membrum suscipit nutrimentum, & conuertit ipsum in se, secundum suam naturam, vt puta quod suscipit iecur, totum fit sanguis, quod autem suscipit fel bilis efficitur totum, quod verò in pulmonem, phlegmata fiunt, quod autem in mămilas, totum efficitur lac, Sic sacerdotibus in ecclesia loquentibus, verbum omnes recipiunt, vnusquisque autem conuertit illud secundum suum cor, ita vt vnum idipsum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem peruersis suscitet iracundiam quasi bilis, in aliis autē operatur dilectionem dulcissimam quasi lac, in aliis autem odium, quasi phlegma nociuum & expuēdum. *Idem hom.* 38.

Sicut duram terram ferrum emollit: Sic & verbum duritiam cordis relaxat. *Idem hom.* 40.

Sicut rastro ferreo herbæ radicitus euelluntur à vinea: Sic & acri sermone vitia de populo resecantur. *Ibidem.*

Terra semel accepto semine mox fructum profert, nec altera eget satione. In anima nostra non ita vsuuenit sed frequenter & diligenter in ea serendū, vt vel semel fructū recipiat. Primum enim Dei verba nec facile incidunt nec imprimuntur animo, multis obstruuntur spinis, multa difficultas, multi insidiatores semen rapientes: Cum ger-

minant item & radices agunt, multa iterum indigent diligentia, vt maturè exeant, multa cum peruenerint, vt integra persistant nec lædantur. In seminibus spica è vagina erumpens, rubiginem cæteraque noxia facile contemnit: At in doctrina opus interim perfectum tempestas incumbens labefactat, & tam rerum difficultate, quam hominũ qui lædere nolunt & volunt fraude, aliisque tentationibus omnino perdunt. *Idem hom. 17. in Ioannem.*

Neque si quis vulnus acceperit, & medicinam imposuerit non diligenter alligabit, sed decidere permittet: neque aquam, puluerem, & alia vulneri contraria non cauebit, ne grauius malum sequatur: Non medicinæ sed propriæ desidiæ culpa hoc nobis accidere solet, cum diuinis sermonibus parum, secularibus semper attendimus: ita semé omne suffocatur, fructus nusq; prouenit. *Idem hom. 83. in Io.*

Hirundines alimenta suis pullis ab ore in os tradunt: nostra autem non sic, sed ab ore in aurem. Illa quippe in corruptionem, nostra in incorruptionem procedunt. Illa corpus: animam autem nostra impinguant. *Idem hom. 2. in 2. cap. Ioann. contra Iudæos gentiles. & haret.*

Reliquias & mensam cum audis, nihil palpabile arbitremur aut crassum. Nos carnem non conscindimus sed verbum Dei vobis insinuamus. Ex mẽsa carnali caro die vna cocta remanens deperit & corrũpitur: aliter in proloquio sapientiæ, vel integrum manens annum, suauitatem longè lateque diffundit. Remansit caro, & paulopost computruit: remansit sapientia, suauior euasit. Comedit quis carnem, sentiet corruptelam, comedit sapientiam, verbũ bonum eructat, & proximum suum replet dulcedine. Ita qui tales escas edebat, fiducialiter dicebat: *Eructauit cor meum verbum bonum. Idem hom. 2. in psal. quinquagesimum.*

Sicut calculus genus est lapidis durissimi, & rotundi, & omni puritate leuissimi: Ita sermo Dei, qui neque hæreticorum nec omniũ aduersariorũ potest contradictionibus cedere, dicitur calculus. *Hieronymus epist. ad Damasũ.*

Vbi est ergo beatitudo vestra. Beatus qui ambulat in virtutis via sed si ad virtutes vsq; peruenerit. Nec prodest à vitiis cessisse, nisi optima cõprehendas. Quia non tam initia sũt in bonis studiis laudanda, quam finis. Sicut enim in vinea multi vsque ad prælũ vuæ gradus sũt: & primum necesse

est vt vitis germinet in pampinis, spem promittat in floribus: dehinc vt flore decusso, futuri botri species deformetur, paulatimq; turgescens vua parturiat, vt pressa torcularibus dulcia musta desudet. Ita & in doctrina singuli beatitudinum sunt prouectus: vt audiat quis verbū Dei, vt concipiat, vt in vtero animæ eius adolescat, & ad partū vsque perueniat: vt cum pepererit illum, lacte enutriat: & per infantiam, pueritiā, adolescentiam, iuuentutē, ad perfectum virum vsque perducat. *Idem lib. 2. commentar. in epist. ad Galat. cap. 4.*

Sicut in vuluam mulieris primum semē iacitur informe vt sulcis & fundo eius quasi quodam glutino adhæreat. Deinde per nouē menses restricto sanguine, futurus homo coagulatur, corporatur, pascitur, atque distinguitur, vt postquam in vtero palpitarit, statuto tempore fundatur in lucē, & tantis difficultatibus nascitur, quātis postea ne intereat enutritur. Ita & semen sermonis Christi cum in animū audiētis inciderit, per gradᵒ crescit, & vt multa prætereā, tandiu in ancipiti est, quādiu pariat qui cōcepit. *Ibidē.*

Ignitum eloquium tuum, Ignis est verbum dei, quem misit qui secretos mentium diuinę ardore cognitionis inflammaret affectus, qui vaporem fidei & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accēderet. Bonus ignis qui calefacere nouit, nescit exurere nisi sola peccata. Hoc igne super bonum fundamentū posito, apostolicū illud aurū probatur: hoc igne illud morum vel operum examinatur argētum, hoc igne lapides illi pretiosi illuminantur, fœnū autem & stipula consumitur. Mundat hic ignis aurum, consumit errorem. Hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur. Vrit enim sermo diuinus, vt corrigat conscientiā peccatoris non exurit vt perdat. Hic ignis habitare per fidem Christum in cordibus facit. Hic ignis materialium extinguere sæua flammarum consueuit incendia. Denique Hebræi hoc igne succensi fornacis ardentis vaporem nec timere nec sentire potuerunt. *Ambrosius sermone. 18.*

Hoc quidē mirū, quicquid de fluminibᵒ haurias, signo dispendij nō notari. Quicquid de fontibᵒ hauseras, vsurario quodā reparari meatu. Sed ex fluminibus si nihil decederet, nihil tamē videtur accedere, & fontibᵒ vt cumulata fluēta cernūtur, ita dū minuūtur, fluēta p̄duntur. At verò

hic panis quem frangimus, id est sermo Dei, cum diuiditur augetur, dum editur, sine vlla dispēdij cumulatione cumulatur. *Idem lib. 6. in Luc. cap. 37.*

Vestimenta Christi alba sicut nix, id est, verba eius. Nix è cœlo missa in terram, ieiuna nostrorum arua pectorum fœcundat, vt mens nostra pluuiæ huius humore virideſcat, terram nostram huius niuis candore respergat, ne præpropere calore vernantis corporis arua luxurient, sed potius potu niuali semina verbi cœlestis pressa fœcundet. Nix cum cadit, non habent aues cœli vbi inhabitent, & lætior solito tritici prouentus exuberat. *Idem libro septimo in Luc. capit. 41.*

Sicut corporis medicamenta quæ hominibus ab homini bus adhibentur, non nisi eis prosunt, quibus Deus operatur salutem, qui & sine illis mederi potest, cum sine ipso illa non possint, & tamen adhibentur, Et si hoc officiosè fiat, inter opera misericordiæ vel beneficentiæ deputatur: Ita & adiumenta doctrinæ tunc prosint animæ adhibita per hominem, cum Deus operatur vt prosint, qui potuit Euangelium dare homini, etiam non ab hominibus, neque per hominem. *Augustinus libro quarto de doctr. Christian. capit. 15.*

Sic sunt ista verba fratres, quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem, forinsecus operatur, adhibet aquam & diligentiam culturæ quamlibet forinsecus adhibet. Nunquid poma formar? Nunquid nuditatem lignorum vestit vmbra foliorum. Nunquid tale aliquid intrinsecus agit? Sed quis agit hoc? Audite agricolam Apostolum, & videte quid sumus, & audite magistrum interiorē, Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incremētum dedit. Neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus, id est, vnctio illius quæ docet nos de omnibus. Nos qui forinsecus loquimur ad aures vestras, ita sumus quasi operarij adhibentes culturam forinsecus ad arborem, sed incrementum dare non possumus, nec fructus formare. Ille autem qui nos creauit, & redemit & vocauit per fidem, & per spiritum suum habitans in nobis, nisi loquatur vobis intus, sine causa nos perstrepimus. *Idem in actatu quarto in Epistol. Ioannis, & sermone quarto de verbis Apostoli.*

Quoties salutaribus succis contra lethales morbos antidotum temperat peritia præcauta medicorum, si præter artem, præter medicinam, præter tempus accipere præsumat ægrotus, fit periculi causa quod prouisum est ad salutem: Sic Dei verbum si præter magisterium, præter doctrinam, præter dogma fidei, scire temerarius præsumat auditor, quod est vitæ materia, fit perditionis occasio. *Petrus Chrysologus sermone 156. de Epyphania.*

Quantum animam digniorem nouimus, tantum de eius victu maiorem solicitudinem habere debemus. Si enim caro in diebus reficitur, quam molestum & iniquum iudicet aliquis, si vel post septem dies anima Dei verbo pascatur? Quomodo enim caro reficitur cibo isto terreno, sic anima pascitur Dei verbo. Et ideo quoties vobis oblatum non fuerit, per sanctam oportunitatem vestram excitate pigritiam nostram, & quod vobis ex iure debetur, exigite. *Cæsarius arelatensis hom. 22.*

Erat porrò simile grano coriandri. Tradunt coriãdri naturam penitùs semini respondere, adeò vt si succidatur etiam coriandri semen, vim suam non amittat, vt sementi idoneum amplius nõ existat. Huiusmodi verbum est omnino, cuius omnis particula ad terræ cultum natura apta est, si mandetur commodæ & bonæ terræ, id est, animæ. Est porrò albũ etiam. Lumen enim verbum est, idq; splendidum, ac proinde quoque album ipsum intelligenti, ab eóque nutrito. Est item saxi simile. Contortum etenim est, & neutiquam flaccidum, neque fluxum, verùm saxeum. Cœleste quippe verbum est, ac nobis cœlestia permittit. Non dixit verò, Verumetiam in omni verbo: verùm, Sine etiam. tanquam si dixisset: Non in hoc quo putatis solo, verùm in hoc. Manifestum est autem, quòd manna ex ore proficiscens, verbum erat. Nam commune aliquid habet manna, quo docemur, non solo pane hominem viuere, cum Dei verbo, quo viuimus *Procopius in Deuteronomium.*

Vide concio, concionator.

VERBI AVDIENDI RATIO.

SI quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro cõsideranti vultum natiuitatis suæ, in speculo. Cõ-

siderauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. *Iacobi* 1.

Non omnibus dictum est, vos estis sal terræ. Sunt enim aliqui etiam ex his qui verbum Dei audiunt, marinis piscibus similes, qui cum ab ipso ortu in salso nutriantur, salibus tamen ad condiendum indigent. *Clemens Alexand. lib.* 1. *stromat.*

Quemadmodū sphæra ludere, non tantum dependet ab eo, qui mittit sphæram, sed ei etiam opus est, qui numerose eam excipiat, vt ex sphæræ legibus peragatur ludi exercitatio: ita etiam vt sit doctrina fide digna, accidit, quando fides eorum qui audiunt, quæ est ars naturalis, confert ad disciplinam. Adiuuat terra fertilis, ad seminum deiectionem. Neque enim optimæ doctrinæ est aliqua vtilitas, nisi adsit eius qui discit susceptio, neque Prophetiæ, nisi adsit obedientia eorum qui audiunt. Aridæ enim festucæ, quæ sunt paratæ, ad suscipiendam vrendi facultatem, facilius accenduntur, & lapis qui vulgo iactatur, ferrum trahit, & lacryma succini attrahit festucas, & electrum paleas. *Idem lib.* 2. *stromat.*

Non omnibus qui impudenter & temere dicunt & scribunt, aures oportet præbere. Nam quemadmodum calices qui à multis sumuntur per aures, id est, ansas, aures etiam amittunt, præterea ipsi etiam excidentes confringuntur: Ita qui multis nugis, fidei castam incestarint auditionem, ad veritatem obsurdescentes, inutiles fiunt, & in terram cadunt. *Idem lib.* 5.

Vt in rebus ante oculos positis, dum committitur bellū, non eò proficiscuntur sapientes aut primates, sed mortem extimescentes residēt: obiiciuntur autem tyrones, pauperes & plebeij: & accidit vt parent victoriam aduersus hostes, quos persequentes expellunt è limitibus, & victoriæ præmia coronásque à rege accipiunt, & promouentur ad dignitates: illi vero magni reperiuntur his posteriores. Ad hunc se modum habet res spiritalis: simplices initio verbū veritatis intellectu audientes, ipsum opere exprimunt, & gratiam spiritus à Deo accipiunt: sapientes autem, & qui subtilitatem in verbo quærunt, fugiunt bellum, nec proficiunt, sed his qui dimicarunt & vicerunt posteriores inueniuntur. *Macarius hom.* 44.

Quemadmodum parui pueri doctrinam despiciẽtes ob ferulas flagellaque, quæ magistri & pædagogi adhibere solent, attentius dictata suscipiunt, & ipse sermo ante plagas non auditur: post verbera doloresque, veluti statim apertis auribus & auditu excipitur oratio, & memoriæ custoditur. Sic accidit & his qui diuina audiunt præcepta, & ad ea seruanda se negligenter habent, postquam à Deo disciplina illis inflicta est, tunc quæ molestè semper illis inculcabantur diuina mandata, quasi iam primum in aures ipsorum cadãt suscipiuntur. Hæc itaque de causa inquit, disciplina Domini aperit aures meas. *Basilius in principium Prouerb.*

Neque in tabulis cereis scribere possis, nisi prius literas expunxeris quæ ante scriptæ fuerunt, neque animæ prius diuina placita accommodaris, quam anticipatas opiniones ab ea exemeris. *Idem epist. 1.*

Quod si quis dicat, ad componendas animi sui affectiones moresque animi sui instituendos, sufficere sibi diuinarum scripturarũ doctrinam, is similiter facit, vt si quis discere ædificare, neque vnquam tamen ædificaret, & æs cudere, & quæ didicisset ea in actum nunquam educeret. Sine dubio autem in eiusmodi hominem probè Apostoli illud conueniat si quis dixerit: Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. *Idem in regulis fusius disput. interrogat.*

De quibus disputandum, & quatenus? De his solum ad quæ humani ingenij acies pertingere potest, & quatenus conditio auditoris & facultas quiuerit assequi, ne vt intensior vox auribus, aut alimentum immodicũ corpori, vtque onera paulo grauiora subeũtibus, terræ denique crebriores pluuiæ nocent: ita sanè & auditores quæstionibus altioribus, & quasi solidioribus degrauati depressiq; dãni aliquid accipiant. *Gregor. Nazianz. lib. 1. de Theologia.*

Alij sunt qui omnibus se tradunt magistris, atq; omnem susciptiunt sermonẽ, velut quod melius est & rectius electuri, ignorantes quia nõ bonos de veritate iudices elegerũt, semetipsos videlicet: & iudicare se posse putant, de his quę se fatentur ignorare. Tum deinde ex verisimilibus frequenter, modo in hoc, modo in illud versi atque mutati, & omni verbo nunc acquiescentes, paulò pòst iterum reluctantes, simul & magistros & studia permutant: & velut puluis ven-

to agitatus, facile transferuntur. Ad vltimũ verò ſtultitiæ ſuæ proferunt fructum. Nam velut fatigati audiendo diuerſos, & victi tædio, ſimul omnia reſpuunt, & velut vacui & inanes ex omnibus quæ crediderunt, facti, continuò etiam contemnere & irridere nos incipiũt, velut nihil rationabile in fide noſtra habentes: & patiuntur quod accidere ſolet his qui oculos dolent, & ſolis lumẽ accuſant, vel qui aures & voces hominum minus eſſe ſonoras queruntur. Propterea ergò multo vtilius eſt animæ ſimpliciter & purè veritatis elementa ſuſcipere, & velut ceris ea nondum figuratis inſcribere, quam ſuper illa quæ ante malè ſcripta ſunt ſuperducere, id eſt ſuper malam doctrinam & peruerſa dogmata verbum fidei ac veritatis ingerere, & cum primis poſtrema confundere. Nam viam quidem incedere attritam & læuigatam aſſiduitate commeantium præſtat, quàm inuſitatam & rudem & nullis anteà veſtigiis proculcatam. Cãpum quoque ſerere exercitio aratri frequentis edomitum, melius eſt quàm illum qui ignarus eſt ſulci, & vomeris neſcius. Animam verò illam melius excolam, quæ nullo adhuc maligni cultoris aratro temerata eſt, nec præuentione peſſimi ſeminis occupata. Alioqui duplicabitur nobis labor, dum neceſſe eſt prius conceptas malitiæ formas corde detrudere, tum deinde bonitatis imaginem, virtutum ceris variantibus reformare, vt quàm multæ ac diuerſæ fuerant in anima deprauationis, tam multæ ſint & reſtitutionis. *Idem in Apologetico.*

Agedum nunc vigilantiſſimis oculis auſcultate. Non enim nobis de rebus vulgaribus certamen eſt. Abſurdum enim fuerit alios in certaminibus Olympiacis quotidie à medio noctis vſque ad meridiem perdurare, expectantes vt videant, cui ceſſura ſit corona, nudóque capite excipere ſolis radios, nec prius abſcedere, quàm de certamine fuerit pronunciatum. Nos verò nunc cum certamen ſit non de tali corona, ſed de corona immortali, defatigari ac tædio affici. *Chryſoſtomus Oratione ſecunda aduerſus Iudæos.*

Quẽadmodũ homines vino, & potationibus dediti, ſingulo quoq; die ſimulac ſurrexerunt obambulãt, curioſéq; diſquirũt, vbi cõpotationes agãtur, vbi cõuiuia, vbi cœnæ, vbi

mensæ largitas sumptum facit, & conuiuium exhibentis imminuit substantiam: hic omnino aliter: quanto plures verbi participes & concionis, tanto plus concionantis accedit substantiæ. *Idem, Hom. 45 in Genesin.*

Diuinæ leges sunt, & cœlitus allatæ propter salutem nostram. Iam si cum regiæ leguntur literæ, vbique est silentium, abéstque strepitus & tumultus, omnibus astantibus, & aures arrigentibus, vt sciant quæ regiis literis manifestétur: & quisquis vel parum tumultuatus fuerit, in magno periculo est: Multo magis cum magno timore & tremore astandum, & altum habendum silentium, & pellendæ cogitationes turbulétę, vt quæ dicuntur intelligere possitis: quò rex approbata obediétia vestra, maioribus vos muneribus remunerare dignetur. *Idem, Hom. 14. in Genesin.*

Si balneum egressus publica cõuenticula euitas, ne beneficium forti fomento negotia molestiora corrumpant: quantomagis cum ab ecclesiæ congregatione regrederis, hoc te oportet efficere? Núc vero contraria agentes cuncta disperdimus: nondum quippe vtilitate sermonis in mente defixa, plurimus irtuẽs secularium impetus actionum, omnia pariter euellit. Quod ne accidat, quoties à sancta congregatione discedítis, ea quæ audiendo didicistis, ea cõseruate meditando. Nimia enim omnino indeuotio, vt quinque & sex dies in rebus carnalibus consumentes, vnum spiritalibus diem, imo exiguam diei partem nolitis impendere. *Idem ho. 5. in Mat.*

Sicut qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcũque cibũ, primum molit eum dentibus, & ita dimittit eum in stomachum: Sic & cum audimus verbum Dei, ne cesse est ipsum meditari in ore sensus, & videre quid est quod dicit, aut vnde dicit, aut propter quam rem dicit. *Idem, Hom. 41. oper. imperf.*

Quemadmodum qualemcumque cibum nisi masticauerimus dentibus, non sentimus saporem eius: ita & verbum quod audimus, nisi masticauerimus ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius. *Ibidem.*

Sicut cibum postquam masticauerimus, demittimus in stomachum: ita & verbum postquam bene tractauerimus, cõmendemus ipsum memoriæ tanquam stomacho. *Ibidem.*

Sicut cibus nihil prodest si manducauerimus & iterum euomimus eum de stomacho: Sic nihil in nobis prodest verbum quod audimus & obliuiscimur illico. *Ibidem.*

Apud Iudæos illa animalia sunt munda, quæ reuocant cibum & ruminant: Et homo ille est spiritualis & sanctus, qui audiens verbum Dei tractat, & cum intellexerit memoriæ quasi vtero tradit, & iterum de memoria quasi vtero reuocat & ruminat & retractat. *Ibidem.*

Qui agonum certamina spectare consueuerunt, cum insignem quempiam athletam, & plurimis coronis donatũ, alicunde profectum intelligunt, omnes certatim concurrunt, vt eius luctas artémque & corporis robur conspiciãt, & videri nõnunquam vniuersum theatrum licet multis hominum millibus inundans qui & corporis & animi oculos intendunt, vt nihil eorum quæ in ipso aguntur spectaculo se prætereat. Tum si quis præstanti ingenio musicus aduentauerit, non minori studio idem ipsi theatrum occupant & omissis omnibus quæ in manibus habent negotiis, & sæpenumero necessariis & vrgentibus, non minori studio aduolant, sedéntque indefessi cantus plausúsque accipiendi cupiditate, & de vtriúsque præstantia inter se disputant. Qui autem rhetorum callent rationes, ipsi quoque in sophistis hoc idem contendunt. Quippe & in his spectacula sunt, audiũt omnes plausus, suffragia & inquisitiones eorum quæ dicuntur, diligenter. Quantò ergo maior diligentia adhibenda est, non in tibicinis, neque in sophistæ aut gladiatoris, sed viri è cœlo vocem tonitru clariorem proferentis spectaculo, qui vniuersum orbem suo clamore cohibuit, comprehendit, implicuit, non nimio quidem, sed diuinæ gratiæ exuberantia, quæ ab eius lingua affatim emanauit. *Idem, prologo in Ioannem.*

Date vt in terram bonam semen iaciamus, curate vt ad recipiendum præparemini, & si quis spinas foueris, spiritus sancti ignem iniiciat. Si quis durum & contumax cor habuerit, eodem igne & molle reddet & placabile. Si quis secus viam multis cogitationibus conculcatur interiora petat, neque his assideat quæ ipsum vnco ad se trahere annituntur, vt bonarum segetum in vobis exuberantium prouentum pulcherrimum conspicemur. Quare summopere

cauendum, ne nobis dicatur quod aspidis surdæ aures habeamus nihil enim à fera talis differt auditor. nonne omnibus brutis est rationis expertior, qui loquentem eum audire dedignatur. *Idem Homil. 1. in Ioan.*

Sæpius doctorem volentem ad vlteriora procedere, & secretiores altioréſque sermones attingere, non permittit segnities discentium. Sicut enim apud magistros ludi, si semper puer elementa audiens non teneat, semper illi necessitas erit eadem insonare puero: & nõ cessabit antea docendo, vsquequo illa integrè valuerit discere. Enimverò stultitiæ magnæ est, vt qui prima non bene imposuerit, ad alia velit puerum adducere: sic itaque & in ecclesia, si semper eadem dicentibus nobis nihil amplius ediscatis, nunquam eadem dicendo cessabimus. *Idem, Hom. 9. ad Heb.*

Aquantes non tantum apud fontem habent vasa repleta, domum autem abeuntes euacuãt: sed illic ipsa maxima cũ cautela reponunt, ne subuertantur, & labor fiat inanis. Hos etiam imitemur, & domum profecti dicta cum studio seruemus. Itaque si hic maneatis satiati, domum verò redeatis inanes, vasa mentis vestræ admonitione vacua referentes, nulla vobis ex hac repletione erit vtilitas. *Idem, Hom. 16. ad pop. Antioch.*

Dic mihi si tuum videas filium quotidie scholam petentem, & tempore progresso nihil amplius inde lucrantem, nunquid patienter feres? Nonne & flagella puero infliges, & præceptorem accusabis. Postea si didiceris quod à præceptore quidem omnia facta sunt, & prætermissum est nihil, sed omnium causa fuit peccati negligentia: nonne causa liberans præceptorem, omnem in puerum transferes excusationem? Idem hic fieri iustum est. Nos enim quodammodo à diuina sumus gratia constituti, quasi spirituales filios ad hanc scholã quotidie venimus, salutarem vobis doctrinã apponimus, non quæ veniunt ex propria mente loquentes: sed documenta nobis à Domino per diuinas donata scripturas in medium proponentes. Itaque si nobis omne studium & sedulitatem exhibẽtibus, & quotidie vos ad virtutis ducentibus semitam, vos in iisdem permanẽtes: & quantus nobis erit dolor, & vobis quanta damnatio, cogitate. *Ibidem, Hom. 73.*

Quomodo in coniugio sæpe viri semen in causa est ne liberi procreentur: & nonnunquam sterilis vxor semina nõ tenet, & frequenter neuter ad generandum aptus est, & è contrario vtérque fœcundus. Ita & in his qui verbum Dei seminant, quadrifariam hæc diuisio custoditur, vt impleat quidem suum doctor officium, sed sit sterilis auditor, vel auditor bonæ indolis sit, sed per imperitiam doctoris verbi semen intereat, aut certè tam vecors sit qui docetur, quã ille est qui præcipit, raróque contingit vt magister & discipulus sibi consentiant, scilicet vt tantum iste doceat, quantum ille potest haurire, vel tantum susscipere doctus, quantum doctor ingerere. *Hieron. lib. 2. commentar. in epist. ad Galat. cap. 4.*

Dicitur aspis hinc álteram aurem quàm pressius potest terræ infigere, inde verò alteram caudæ immissione nihilominus obturare ne audiat. Quid adhæc incãtãtis vox, quid sermo faciet prædicantis? Orabo pro eo, baptizabor pro mortuo, vberrimo quodam profluuio lacrymarum, apud quem viderim nihil humanæ incantationis quamlibet sapientiam, nihil quantam cúmque admonitionis industriã prævalere. Nouerit tamen vir sapiens non cœlo sese, sed solo infigere caput, quod sapientia quæ desursum est, non modo pudica, sed & pacifica sit. Hæc autem magis vt ita dicam aspidica, nisi terrena esse non potest. Sed nec ideo obsurdesceret, nisi cauda quoque obturaret auditum. Cauda est finis intentionis. Hæc surditas desperata, dum hic quidem velut terræ infixus, propriæ quisque inhæret voluntãti, inde velut reflectens caudam, finem aliquem meditatur & infigit animo, quod desiderat adipisci. Inde tam mordax, & amarus sermo inuenitur in ore hominis obstinati, quod nulla ad eum penetrare queat beneuolentia monitoris. Inde aspidis virus in linguæ aculeo perseuerat, quod aduersus linguam incantatoris tanto se studio obturarit. Aspis latitat in arena, etiam aues volantes flatu attrahit venato. *Aug. in Psal. 110 ser. 13.*

72 Verbi auditor similis esse debet animalibus quæ ab hoc quod ruminant, munda esse dicuntur, vt non pigeat cogitare quæ in aluo cordis accepit, & cum audit sit similis edenti, cum audita in memoriam reuocat, sit similis ruminanti. *Idem, de vera innocentia, cap. 110.*

Cane

Canes venaticos imitatur sapiens ac probus auditor, huc illúcque feras quærentes. Ipse enim non intellectam rē sæpe ac multum inuestigans, interrogánsque tandem assequitur. *Cyrillus Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 13.*

VERITAS.

QVemadmodum qui studio tenetur venationis, postquā quæsiuit, inuestigauit, indagauit, canes qui cursu persequerentur, emisit, feram capit: ita etiam apparet, verū dulcedine quæsitum, & labore paratum. *Clemens Alex. lib. 1. strom.*

Vt agricolæ proprium est, rosam quæ in spinis nascitur, citra noxam carpere: Et artificis eam quæ in ostrei carne infossa est, margaritam inuenire: Sic veritatis contemplator in multis probabilibus, cupit verum persequi. *Idem, lib. 2. strom.*

Quomodo eundem aërem spirant omnia animalia, sed alia aliter & ad diuersum quidpiam: ita etiam plurimi accedunt ad veritatem, vel potius, ad id quod de veritate dicitur. *Idem, lib. 6.*

Quomodo si vna sit via regia & multæ aliæ, ex quibus aliquæ ferant in precipitium, aliquæ ad fluuium rapide fluentem, aut ad mare profundum, non dubitauerit quispiam viam ingredi propter dissensionem, sed vtetur via regia, & trita, & seiuncta à periculo: Ita cum alij alia dicāt, de veritate non est discedendum, sed est exactius & diligentius, inquirenda eius exactissima cognitio. *Idem, lib. 7.*

Sicut multis apud græcos & barbaros pollicentibus veritatem, desueuimus apud omnes eam quærere, qui eam falsis opinionibus asserebant, posteaquàm credidimus Dei filium esse Christum, & ab ipso nobis hanc discendam esse persuasimus: Ita cùm multi sint qui se putent sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur verò ecclesiastica prædicatio, per successionis ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in ecclesiis permanens. Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica traditione discordat. *Origenes proem. in Periarchon.*

Quemadmodum si princeps aliquis imperatoris, videns ciuitatem Romanam ab hostibus expugnari, cum posset liberare eam, & neglexit defendere, ipse videbitur tradidisse, quam potuisset liberare, si voluisset: ita & tu videns veritatem ab impiis expugnari, cum eam potuisses defendere, si loqui voluisses, tacens expugnasti, per hoc ipsum quod passus es expugnari. *Chrysost. Hom. 25. oper. imperf.*

Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire quod voluimus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quãdo nihil quærimus, nisi patere quod clausum est? Sed quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque dicentes propter fastidia plurimorum, etiam ipsa sine quibus viui non potest, alimenta condienda sunt. *Augustinus, libro quarto de doctrina Christiana, cap. 2.*

VESTITVS.

HOc ergo restat ne habitum ac figuram quampiam præ nobis ridicule feramus, quemadmodum in pompis videntur nonnulli extrinsecus ita vncti ad grauitatem, vt stuporem & admirationem afferant, intus autem sunt miseri. *Clemens Alexand. Lib. 2. pædagogi, cap. 3.*

Quemadmodum signa quæ ad causas proximè accedũt, si adsint, ipsum rei effectum significant, vel potius indicãt, vt fumus ignem, bonus color, bonúsque pulsus, sanitatem: Ita amictus noster indicat qualis sit morum nostrorum cõstitutio. *Idem, lib. 3. cap. 11.*

Cum animaduertisset Aristoteles adolescentem propter chlamydis magnificentiam se iactantem & gloriantem: Non desines adolescens, inquit, propter ouis gloriari virtutem. *Maximus, ser. 34.*

Delinquis hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo diuitias datas credis, vt illis non salubriter perfruaris. Nam & vocem homini Deus dedit, & tamen non sunt ideirco amatoria cantanda nec turpia, & ferrum esse ad culturam Deus voluit nec homicidia ideirco sunt facienda, aut quia thura & myrrham & ignem Deus instituit, sacrificandũ est idolis,

vel quia abundant pecudum greges in agris tuis, victimas & hostias immolare debebis. Ornamentorum & vestium insignia & lenocinia fucorum non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. *Cyprianus, de habitu virginum.*

Quis non id execretur & fugiat, quod aliis fuerit exitio? Quis id appetat & assumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit & telo? Si hausto poculo moreretur ille qui biberat, venenum scires esse quod ille potauit. Si accepto cibo, qui acceperat, interiret, scires esse lethale quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde nec biberes, vnde interiisse alios antè conspiceres. Nunc quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia, id velle quod & nocuerit semper & noceat, & putare quod inde non pereas, vnde alios periisse cognoscas? Neque enim Deus purpureas aut coccinas oues fecit, aut herbarum succis aut cõchyliis tingere & colorare lanas docuit. Nec distinctis auro lapillis & margaritis contexta serica, & numerosa compage digestis monilia instituit, quibus ceruicem quã fecit absconderet, vt operiatur illud quod Deus in homine formauit, & conspiciatur id quod diabolus adinuenit. *Ibidem.*

Sicut continens ac pudicus vilibus induitur vestimentis, vt se oculis diuinæ maiestatis exhibeat mundum: ita impudicus ac continens, vt videatur magnificus, satagit vestiri preciosioribus ac mollibus. *Laurẽtius Iustinianus, in lib. de ligno vitæ, cap. 5.*

Quemadmodum equus generosus non ex apparatu magnifico iudicandus: Sic nec vir bonus ex vestitu & habitu corporis. *Socrates, apud Stobæum, sermone primo de prudentia.*

Vestimentum putato esse animæ corpus tuum. Mundum igitur id conserua. *Xistus Philosophus, in Enchiridio.*

Incontaminatum custodi corpus tuum, tanquam si indumentum acceperis à Deo: & sicut vestimentum corporis tui immaculatum seruare stude. *Ibidem.*

Quemadmodum stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum eius ac frena: Sic stultissimus est

qui hominem aut ex veste, aut ex cõditione, quæ vestis modo nobis circundata est, æstimat. *Seneca, lib. 2. epist. 47.*

Vide Mulierum ornatus, Pulchritudo.

VIRTVS.

NEquaquam iuuentu facile est quænam ex virtutibus præcellat vt ei victoriæ tribuatur palma, quemadmodum nec in prato odorifero ac variis floribus distincto, flosculum discernere pulcherrimum & fragrantissimum, cum alius aliter odoratum & aspectum ad se rapiat, ac vt primum decerpatur suadeat. *Greg. Nazianz. orat. de paupertate fouenda.*

Quemadmodum inter homines multæ sunt differentiæ viarum, ac electionum institutæ, tam maiorum quàm minorum, splendidorum ac periculosorum: ita & in diuinis, non vnica solum virtutis est via per quam saluamur, sed plures, & quod solum sint plures apud Deum, hoc vbique diuulgatum est, ac omnium celebratum ac cognitum linguis, ob nullam aliam causam, quàm quod multæ sunt viæ quæ illac ferunt, quædam periculosiores clariores tamen, aliæ verò humiliores, sed tutiores. Cur igitur securiores relinquimus, & ad hanc vnam nos conuertimus, cum sit lubrica ac pernicioſa, & quonam ferat ignoramus, si quidem non omnibus idem conuenit cibus, sed aliis alius iuxta veritatem ætatis ac habitus. *Idem de modestia in disputationibus.*

Vt agriculturæ finis est frugum perceptio, ædificationis, ædium est habitatio: & nauigationis diuitiæ, certaminis corona: Sic virtuosæ vitæ finis est, vt seruus Dei & fis & vociteris. *Gregorius Nyceno in Mystica Mosayce vitæ enarratione.*

Nec in hoc tantum differentia constat & dissimilitudo, sed & in alio quoque quia nec temporis in vtrisque declaratur æqualitas: sed multum interest quia malitiæ gaudiũ temporale & supplicium æternum: in spiritualibus vero virtutis molestia æque temporalis, iucunditas æque sempiterna. *Chrysost. Hom. 30 ad Hebræos.*

Solis vis & lux, integra est etiam inter oppositã & quam

uis aliquid interiaceat quod nos prohibeat eius aſpectu, in opere eſt, curſu ſuo fertur. Quoties inter nubila luxit, non ſereno minor nec tardior quidem quoniam multum intereſt vtrum aliquid obſtet tantum, an impediat. Eodem modo virtuti oppoſita nihil detrahunt. Non eſt minor ſed minus fulget, nobis forſitan non æque apparet ac nitet, ſibi eadem eſt, & more ſolis obſcuri, in occulto vim ſuam exercet. *Seneca, epiſt. 93.*

Altum quiddam eſt virtus excelſum & regale inuictum infatigabile, voluptas humile ſeruile, imbecillum caducũ, cuius domicilium fornices ac popinæ ſunt. Virtutem in tẽplo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus. Voluptatem latitantem ſæpius ac tenebras captantem. Circa balnea ac ſudatoria, ac loca ædilem metuentia, mollem eneruem, miro atque vnguento madentem, pallidam ac fucatam & medicamentis pollutam. *Idem de vita beata.*

Aggrediamur virtutem cum tempus habemus, diſtribuamus virtutes nobis ſicut ſibi diſtribuunt agriculturam agricolæ, in hoc menſe vincamus detractiones, iniurias, iracũdiam, iniuſtitiam: & dicamus hodie ab hoc nos vitio corrigamus in illo autem menſe patientiam doceamus, & in alio aliam virtutem: & cum hãc virtutem in habitu perceperimus, ad eam tranſeamus: ſicut ſolent diſcipuli, qui quæ acquiſierunt, cuſtodiunt: qui vero nec diem didicerũt, diſcendo acquirunt. *Chryſoſt. Hom. 24. ad Hebræos.*

Sicut vbicúmque fuerit triticum, neceſſe eſt vt inueniatur illic & zizania: Sic vbicunque fuerit bonum dei illic erit & ſcandalum inimici. *Chryſoſt. Hom. 13. oper. imperf.*

Iam vero in mediis illis Olympicis corona poſt victoriã nihil aliud eſt quam lauri folia, quam vulgi applauſus atque clamor, quæ veſpere accedente marceſcunt omnia & pereunt. At corona quæ pro virtute próque eius datur ſudoribus, nihil habet ſenſibile, neque in hoc nobiſcum ſeculo diſſoluitur, immarceſſibilis eſt, perpetua extendit ſe in omnia ſecula, tempori non cedit, & finem non habet. *Idem, Hom. 14. in Geneſin.*

Quemadmodum cadaueri cadauer adiectũ nihilo ſecus immobile efficitur: Ita qui tumidos naturæ motus victor ſedauerit, nulli vnquam humanæ paſſioni ſuccumbet. Nam

ſicut in pecuniis duorum aureorum lucrum feciſſe, maiorẽ ad denos congerendos animum facit: Ita & in virtute. *Idem, Hom. 25. ad Hebræos.*

Quemadmodum equi virtus non in argenteis frænis, pulchriſque tapetibus ac ſericeis flammulis phaleriſque gemmatis, iubáque aureis intexta funiculis, ſed in velocitate curſus & fortitudine pedum greſſúſque cautela ac pectoris firmitate: Sic animi virtus, non in diuitiis, corporis ſanitate, fama aut exiſtimatione humana, nec in libertate, iſta enim auferri poſſunt ſed vt de Deo bene ſentiat, & recte inter homines agat. Idẽ, *hom. quod nemo lædítur niſi à ſe ipſo.*

Sicut in arboribus accidit, ſi quis fructum cum foliis auferat, & ramos omnes amputet radice manente, tota cum maiori etiam ornatu arbor reſurgit: ſic ſi pietatis radix permaneat, etſi diuitiæ auferãtur, & corpus corrumpatur, omnia rurſus nõbis cum maiori copia redeunt, quod in Iob deprehenſu facile eſt. *Idem*, Hom. 4. *ad popul. Antioch.*

Quemadmodum ſi quis margaritam in luto conculcet, eius amplius demonſtrat pulchritudinem: Sic virtus ſanctorum quocúmque eam proieceris, declarat ſuam virtutem, in ſeruitute, in carcere, in proſperitate. *Idem*, Hom. 63 *in Geneſin.*

Quemadmodum vnguentum odoriferum fragrantiam ſuam in ſeipſo non detinet occluſam, ſed protinus illam emittit, & aërẽ odore penetrãs vicinorũ quoque ſenſus occupat: ita & generoſi ac præclari viri virtutem ſuam in ſeipſis clauſam non habent, ſed fama ſua multos iuuãtes, & melior reddunt. *Idem*, Hom. 2. *in* 1. *Theſſalonicenſes.*

Quemadmodum vnionum magna differentia eſt, licet omnes appellentur vniones: Ita & complures viæ virtutis, ſed vni quidem candẽs eſt atque ex omni parte rotundus, alius verò huiuſmodi ſpecie caret, cæterum alio decore niteſcit. Nam ad imitationem corallij veluti quadam arte efficiam, oblongam præfert lineam angulóſque tornatos, habétque quiddam albo colore venuſtius praxinum, ſed omni virore iucundius, alius coloris amœnitate præfert ſanguinis ſpeciem, alius mare colore ceruleo ſuperat, alius fulgoris purpurei eſt æmulus, ſolis quoque colores inuenies. Huiuſmodi ſancti ſunt, alij ſeipſos exercent, alij & eccleſiaſtas ſecum. *Idem hom. decimaquarta in* 1. *Timoth. & ſermone*

de dispensatione rerum tuarum.

Qui alicuius, siue boni siue mali procreator existit, ipse prius aut illo bono fruitur, aut illo malo punitur, & meritò, Sicut enim aqua siue salsa sit, siue sit illa potabilis, & vasa replet haurientium, & suum fontem ex quo manat nequaquam vacuum remanere permittit: sic & nequitia, sic & virtus vnde processerit procreatorem suum primitus illa lætificat, & ille consumit. *Idem hom. prima ad Hebræos.*

Qui amara bibunt antidota, patienter ferunt quidem primùm molestiam, & tunc sensum percipiunt sospitatis. Tale quiddam est etiam virtus, tale quoque illic malitia. In ista primum est voluptas, & sequitur ægritudo: in illa verò primum est mœstitia, & tunc iucunditas procreatur. Sed nihil simile est, non enim est simile cum primùm aliquis contristatur, & postea gaudio perfruitur, & cum primo gaudetur, & postea in mœrores incidere. Et quomodo hoc? Hic enim timor futuræ tristitiæ præsens gaudiũ imminuit: illic autem spes futuræ iucunditatis detrahit præsenti tristitiæ *Ibidem hom. tricesima.*

Noli mirari si cũ virtus amara sit, fructus tamẽ proferat dulciores. Nã in arboribus cortex pene semper amarus & asper est: fructus tamen ipsi suauitate iucundi sunt. *Ibidem.*

Quid difficilius est quam in fune contento super eum quasi per solum incedere, subire etiam ac redire veluti stratо insidentem? dico obsecro, quid difficilius est, quã in fronte contum erigere, super imposito dehinc pugione motus innumeros dediſſe, quibus spectatores applaudant? Nonne horrenda nobis res adeò videtur, vt nec spectare quidẽ patiantur oculi, sed ipso etiã visu timeamus, formidemus? Verum his omnibus facilior est virtus, si cœlum conscendere velimus. *Idem sermone de vitiis & virtutibus.*

Sicut in cythara nõ vnius tantum fidis melodiam excitasse satis est, sed omnes pari quodam numero percurrendæ: sic in virtutibus omnes æque sunt obseruandæ. *Ibidem.*

Vt victoria constare sine certamine non potest: Sic nec virtus sine hoste. *Lactantius de opificio dei cap. 20.*

Sicut in rudibus agris priusquã serere incipias, euulsis sentibus & omnium stirpium radicibus amputatis, arua purganda: Sic de nostris animis prius vitia detrahenda, & tunc demũ virtutes inserendæ, de quibus seminatæ per

verbũ Dei fruges immortalitatis oriantur. *Idem lib. acephalo.*

Hoc scitote dilecti, virtutes omnes inter se colligatas esse tanquam enim catena quædam spiritalis, vna dependet ab altera: precatio à dilectione, dilectio à gaudio, gaudium à mansuetudine, mansuetudo ab humilitate, humilitas ab obsequio obsequium à spe, spes à fide, fides ab auditu, auditus à simplicitate. Haud secus quam in aduersaria parte vitia dependent vnum ab altero, odium ab ira, ira à superbia, superbia à vana gloria, vana gloria ab infidelitate, infidelitas à duritia cordis, duritia cordis à negligentia, negligentia ab ignauia, ignauia ab acedia, acedia ab impatientia, impatientia à voluptate, & reliqua vitiorum membra inuicem dependentia. Ita etiam circa bonam partem, virtutes à se mutuo manant & dependent. *Macarius hom.* 40.

Quemadmodum suauia aromatum odoramenta, proprium quiddam per aerem continentem spirant, quibus præsentes recreantur: Ita vir bonus toti sibi commorantium conturbernio salutaris & iucundus. *Basilius hom. in Gordium Martyrem.*

Quemadmodũ aliorum animantium virtus in vno quoque propria consideratur: ita & propria viri laus est cuius ex rebus ab ipso bene gestis testimonium habet. *Idem hom. de S. Mamante.*

Quemadmodum in pecuniis, qui duos lucratus est aureos, procliuis est ad decem, ad viginti colligendos congregandosque: Sic vsuuenit & in virtute qui fecerit bonũ opus, officiumque præstiterit, extimulationem aliquã aut exhortationem ad agẽdum sumit, vt alia quoque benefacta aggrediatur. *Chrysostomus oratione 4 aduersus Iudæos.*

Sicut gubernator aliquis imminentẽ clauum magna vigilantia corripiens, nauem suam ab irruentibus malitiæ procellis submergi non est passus. Ita & virtutis amator, virtutis gubernaculum dirigit. *Idem hom. 26. in Genesin.*

Sicut is qui super excelsam petram stat, fluctus ridet quos videt, ad fluctus magno impetu rumpere: & protinus in spumam solui: Ita & virtuti vacans, in securo constitutus loco, nihil insuaue fert à rebus turbulentis, sed tranquillus animo & quietus sedet. *Ibidem.*

Quemadmodum marini fluctus videntur nunc quidem

in altum extolli, mox autem deprimi: Ita & videmus qui virtutem contemnunt & malitiam operantur, nunc quidē sublimia sapere, & supercilia surrigere, nunc verò ad profundum inferni descendere. *Ibidem*

Quemadmodum lyra & omne instrumentum musicum deficit, etiamsi vnicus tantùm sonus discrepet: concinnum autem est, quando ad vnum pulsum consonantes, eandem reddunt symphoniam: Sic quoque animæ instrumentum discrepat quidem, quādo aut audacia nimis intensum sonare cogitur iusto acutius: aut timiditate supra modum remissum in grauiorem sonum laxatur. Tunc autem demum consonat, quando fortitudinis omniſque virtutis toni temperati omnes vnam concinnam melodiam efficiunt. *Philo lib. de temulentia.*

Quemadmodum canes venatici è longinquo ad feras peruenunt, odorem sectantes, cuius eximio sensu à natura sunt præditi: Eodem modo à iustitia, cæteriſque virtutibus exhalantes suaues auras amator scientiæ inuestigat, cupiens originem tantæ voluptatis assequi, hucque illucque cursitans, & vel ipso honestatis odore, tanquam sacro nidore se recreans. *Idem de somniis,*

Sicut flamma vrit subiectam materiam, illustrans vicinum aerem: Ad eundem modum virtus exurit vitia, totam mentem replens lumine. *Idem libro quis rerū diuinarum hæres.*

Quemadmodum solis radios extendit opifex à cœlo vsque ad terminos terræ, vt vehementia caloris ei⁹ remitteretur, laxareturque per aerem frigidum: Ad eundem modum sapientiam Dei & scientiam, item prudentiam, iustitiam, cæteraſque virtutes singulas. *Idem in lib. quod deus sit immutabilis.*

Sicut post obitum musici cuiuspiam aut grammatici, musica grammaticaque horum cum ipsis periit, sed ideæ manent harum artium, duraturæ vnà cum mundo in perpetuum, iuxta quas præsentes posteriqué fient musici ac grammatici: Ita etiam, singulorum prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia, aut in vniuersum sapientia si tollatur, nihilominus in huius vniuersi natura immortali, prudentia immortalis & virtus omnis incorruptibilis insculpta est, iuxta quam & nunc probi censentur, & erūt in posterum. *Ibidem.*

Vnus signatorius annulus sæpe post expressas innumeras formas, easque interdum vnà cum suis subiectis abolitas, tamen in sua natura illæsus perseuerat. Et non putamus virtutes, etiansi omnes characteres ab eis impressi in studiosorum animas, per prauam vitæ rationē, aut aliam quamuis causam euāuerint, in perpetuum cōseruaturas naturam suam incorruptibilem, nulliq; vnquā fato obnoxiam? *Idē in lib Quōd deterius potiori insidietur.*

Sicut nec musicam iratis Musis, nec grammaticam illiteratè, nec artem quamuis ruditer aut peruersè sed artificiosè vnamquamque tractare conuenit: ita nec prudentiam callidè, nec tēperantiam sordidè illiberaliterq; nec fortitudinem temerariè, nec superstitiosè pietatem, nec inscienter vllam aliam virtutis scientiam. *Ibidem.*

Sicut oriens sol totum cœlum radiis illustrat: Eodem modo etiam virtutes suis in homine radiis, posteaquam mentem penetrant totam, eam reddunt lucidissimam. *Idem in libro de plantatione Noe.*

Quemadmodum per lubricum incedentes labuntur, fallente vestigio: qui verò per viam siccam gradiuntur, certo gradu iter faciunt: Sic qui per corporis externaq; bona ducunt animam, nihil aliud quàm cadere illam assuefaciunt. hæc enim lubrica & parum firma sunt. Sed qui per virtutum contemplationem ad Deum properant, tutū inconcussumque iter dirigunt. *Idem lib. de Abrahamo.*

Sicut in nuce idem est finis & principium: in quantum semen, initium: in quantum fructus, finis: Sic etiam in virtutibus vnaquæq; finis est & principium: principiū, quia non aliunde quàm ex seipsa oritur: finis verò, quia vita tendit ad eam naturaliter. *Idem lib. 3. de vita Mosis.*

Quemadmodum in familiis alij propius cognati sunt quàm alij, quamuis in eadem cognatione: Sic quibusdam rebus certæ virtutes naturaliter cohærent propius, reliquæ minus familiares habentur. *Ibidem.*

Quemadmodum caput prima summaque pars est in animali, secunda pectus, inguen tertia: rursumque in anima prima pars rationalis, secūda irascibilis, tertia concupiscibilis: Ita & virtutū omniū prima est, quæ circa præcipuum animæ, quod est rationale, versatur, & circa summū caput habitat prudentia. Secūda fortitudo, quia circa

secundã partẽ animæ quidẽ irã, corporis verò pectus stabulatur. Tertia tẽperãtia quia circa inguen, tertiã regionẽ corporis, & circa vim cõcupiscibilem, quæ tertium locum habet in anima, occupatur. *Idem lib. 1. allegoriarum legis.*

Virtute excepta quicquid non absoluitur, nullam affert vtilitatem. Quemadmodum in animali si caput adimas, pereunt alia membra. Caput autem negotiorum est finis eorum, quo adhibito, viuunt quodammodo, moriuntur autẽ mutilata si illud præcidere volueris. Itaque & Athletę qui non possunt reportare victoriam semper succumbentes ab incœpto desistant: & si quis negotiator aut nauclerus maria sulcans infortunatus est, mutata vitæ ratione quiescat, laudem merebuntur si desinant, non enim propter excercitium exercemus talia, sed propter scopum ad quem referuntur. *Idem lib. de sacrificiis Abel & Cayn.*

Scire non possumus ægrotationis mala, nisi cum fuerit sanitas consecuta. Et quantum boni virtus habeat, vitia demonstrant, clariusque fit lumen comparatione tenebrarum. *Hieronimus epist. ad Rusticum.*

Eadem est virtutis natura quæ nemorum: vt si adhuc exigua de terrenis ad superna se subrigunt, dum teneris ætas adolescit, frondibus sæui veneni dentis obnoxia facile aut succidi possit, aut euelli. Si vero alta se radice fundauerit, & nemorũ sublimitatẽ sustulerit, frustra eã vel ferarũ morsib⁹, vel lacertis agrestiũ vel diuersorum flatuum procellis arbor tentatur. *Ambr. lib. 4. super Lucam cap. 4.*

Sicut quocunque membro hominis, vel minutissimo adempto, totum corpus quamuis sit parua pars, quę desit toti figuræ, informe efficitur. Sic qui vel vnam virtutem neglexerit, vniuersum continentia decorum dissoluit ac delet. *Diadochus de perfectione spirituali cap. 42.*

Sicut contingere solet vt per aerem sublatæ nebulæ radios solis cohærendo eorum intercipiant fulgorem, nec propterea sol propriam virtutem amittat tametsi eum opacitas nubium abscondit, Ita etiam virtus ab impetu cæditur fortunæ, neque ideo pulchritudinem dimittit, sed quasi in caliginem densam inciderit, vmbratilis fit, ac discutitur, quo maximè tempore huic ipsi virtuti opus est, Deum adiutorem certaminis socium præsentemque esse. *Tyrius platonicus sermone 26.*

Anima virtuti dedita, similis est perēni fonti, cuius aqua est pura, imperturbata, potabilis, & dulcis, accepta, fruitioni apta, copiosa, ab omni noxa & pernicie aliena. *Epictetus apud Stobæum in sermone de virtute.*

Quemadmodum cithara prodest quidem suo sono aliis, ipsa tamen nec sentit, nec audit quicquam: Tales sunt illi qui de virtute loquuntur, nec rectè tamen viuunt. *Diogenes apud Laert. lib. 6.*

Vt equus generosus nō ex apparatu precioso iudicatur, sed quia naturā sit egregius: Sic neque vir honestus, qui magni precij possidet opes, sed qui generoso animo sit. *Plutarchus apud Antonium part. 1. sermon. 31. Melissæ.*

Vt aromata pannos ac laceras vestes, odoratas reddunt: contrà, byssus sudore infecta malè olet: Sic quæuis vita iucunda, si virtus accesserit: contrà, malicia etiam quæ splendida videntur, molesta reddit & intoleranda. *Idem in Moral.*

Vt acer equus suapte sponte facilè currit: Ita qui ardet amore virtutis, non eget admonitore. *Ibidem.*

Vt amanti omnia placent in amato: Sic in eo, in quo virtutem amamus, etiam gestum, incessum, & aspectum imitari gaudemus. *Ibidem.*

Vt qui verè amant, etiam balbutiem ac pallorē adamant in amatis: Sic admirator virtutis, non horret Aristidis exilium, nec Socratis paupertatem, nec Phocionis condemnationem. *Ibidem.*

Vt ex igni & terra, veluti necessariis, cōpositus est mundus, iuxta Platonem, terra soliditatem conferente, igni calorem ac formam: Ita magna imperia non parātur, nisi misceatur cum fortuna virtus, & altera alteri fit auxilio. *Ibidem.*

Vt non est verus amor, qui caret zelotypia: Ita non amat vehementer virtutem, nisi qui ardet æmulatione rectè factorum ab aliis. *Ibidem.*

Qui sepem aut aggerem construunt, quæcunque congerunt, lignum, saxum, aut colūnam à sepulchro delapsam: at qui regiam ædificat, nihil temerè componit: Sic vir bonus nullam vitæ partem negligit incompositam. *In Moral.*

Virtutem Plato dicit liberam, nullíque domino obnoxiam. Verùm si quis eam in precio non habeat, neque obsequetur, sed venalem se pecuniis exponat, multos ille sibi do

minos conquirit. *Apolonius Epistola ad Euphratem.*

Vt si is qui citharista esse debuerit, citharam non nouit, qualiter citharœdus erit? Si etiam instrumentum illud non agnouerit, & si agnouerit, sed tangere illud noluerit, qualiter citharœdus erit? Si autem illud agnouerit & tetigerit, sed eius vsum habere contempserit, nunquam propter cognitionem & voluntatem sine vsu huius artis peritus erit. Taliter námque licet quis habeat scientiam bene viuendi, & voluntatem, nequáquam bonus erit, nisi etiam boni operis vsum tenuerit iuxtá suam possibilitatem. *Anselmus, in Similit. cap.153.*

Vt obscuratur & offunditur luce solis, lumen lucernæ: Sic rerum corporearum æstimatio, splédore virtutis & magnitudine obscuretur, & obruatur, atque intereat necesse est. *Cicero, lib. 2. Offic.*

Vt gemmæ quamuis abiiciantur in lutum, fulgorem tamen & proprietatem non amittunt: Sic multi qui quamuis in tenebris inuoluti fuerint, non tamen optimam naturam, quam non ab homine, sed ab ipso Deo genitam putamus, amiserunt. *Idem, in Verrem.*

Vt non omnem frugem atque arborem in omni agro reperire possis. Sic non omne facinus in omni vita nascitur. *Idem in oratione pro Roscio Amerino.*

Quemadmodum corpus in procliui retineri debet, in ardua impelli: Ita quędam virtutes in procliui sunt, quę cliuũ subeunt. *Seneca de vita beata, cap.25.*

Quomodo res appetere sine vllo virtutum amore, & sine cultu ingenij, ac nudas ædere operas minimè probabile est (misceri enim inter se ista, & conferri debent) Sic imperfectum ac languidum bonũ est, in ocium sine actu proiecta virtus, nunquam id quod didicit, ostendens. *Idem de vita beata, cap.32.*

Vt quædam in contactos è corpore vitia transiliunt: Ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus conuictores in amorem vini traxit. Impudicorum cœtus fortè, & si liceat virum, emollit. Auaritia in proximos virus suum trãstulit. Eadem ex diuerso ratio virtutum est, vt omne quod secum habent, mitigent. *Idem lib. 3. de ira, cap.7.*

Vt salutaria, quæ citra gustum tactúmque odore proficiunt: Ita virtus vtilitatem etiam ex longinquo & latens

fundit, siue potitur & fruitur suo iure, siue precarios habet accessus, cogitúrque vela contrahere, siue ociosa mutáque est, & angusto circumscripta, siue adaperta: in quocunque habitu est, profit. *Idem de tranquil. vitæ, cap. 3. lib. 1.*

Leuium metallorum fructus in summo est: illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assiduè plenius responsura fodienti. Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfunctoriam voluptatem, & quodcunque inuenticium gaudium est, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, solidũ est, & quod plus pateat introrsus. *Idem lib. 1. Epistola 23.*

Quemadmodum virtutes retentæ exire non possunt, facilísque earum tutela est: Ita initium ad illas eundi arduũ: quia hoc primum imbecillæ mentis atque ægræ est, formidare inexperta. *Idem lib. 2. epistol. 51.*

Solis vis & lux integra est etiam inter oppositas: & quamuis aliquid interiaceat, quod nos prohibeat eius aspectu, in onere est, cursu suo fertur. Quoties inter nubila luxit, non est sereno minor, nec tardior quidem: quoniam multum interest, vtrum aliquid obstet tantùm, an impediat. Eodem modo virtuti oppositæ nihil detrahunt. Non est minor, sed minus fulget, nobis forsitan non æquè apparet ac nitet: sibi eadem est, & more solis obscuri, in occulto vim suam exercet. *Idem lib. 2. epist. 93.*

Quemadmodum primum militiæ vinculũ est religio, & signorum amor, & deserendi nefas: tunc deinde facilè cætera exiguntur, mandantúrque ad iusiurandum adactis: Ita in his quos velis ad beatam vitam perducere, prima funda mẽta iacienda sunt, & insinuanda virtus. *Idem lib. 2. epist. 96.*

Quemadmodum visus oculorum quibusdam medicamentis acui solet, & repurgari: Sic & nos, si aciem animi liberare impedimẽtis voluerimus, poterimus perspicere virtutem, etiã obruptam corpore, etiam paupertate oppositã, & humilitate & infamia obiacentibus. *Idem lib. 2. epist. 116.*

Vt ingentes obelisci magno quidem negocio statuuntur & collocantur, ob immensum molis pondus: sed collocati semel, infinitis durant seculis: Ita arduum est, virtutis aut sapientiæ parare famam: sed parata nunquam intermoritur. *Plinius, lib. 36. cap. 9.*

Lotos, quam Latini fabam Græcam vocant, ramenta li-

gni habet amarissima, fructum dulcissimum: Ita conatus ad summam virtutem durus est, fructu nihil suauius. *Idem lib 24.cap.2.& lib.13.cap.17.*

Crocum gaudet calcari, premendóque melius prouenit: vnde iuxta semitas & fontes lætissimum est: Ita virtus aduersis exercita rebus, lætius emicat. *Idem lib.21. cap. 6. & Theoph. lib.6. cap. 6.*

Vt palma quia cortice sit cultellato, difficilis quidem est ascensu, sed fructum habet dulcissimum: Itidem eruditio & virtus aditum habent difficilem, sed fructum dulcissimum. *Erasmus, in Similibus.*

Vt spectaculum nõ reddit imaginẽ, nisi substernas vitro stannum, aut æs, aut aurum, aut simile quippiam solidum, quod imaginem non sinat perfluere: Ita non nisi in animis solidis & vera virtute nixis, relucet imago veri. *Ibidem.*

Vti sol quo magis in alto est, hoc minores iacit vmbras: quo terræ propinquior, hoc maiores, puta mane ac vesperi: Ita virtus quo maior est, & excelsior, hoc minus videri cupit, minúsque sese ostẽtat: contrà qui minus ipsa re valent, magis sese dilatant ostentatione. *Ibidem.*

Cum ad omnia aduolent apes, tamen nullis nocent floribus: Ita virtus & literæ sic ab aliis sumuntur, vt nihilo detrior sit is qui communicauit. *Ibidem.*

Asinæ per omnem gignunt vitam, cũ homo tam maturè desinat párere: Ita facilior ac perpetuus prouentus rerum vilium, egregia rarò contingunt. *Ibidem.*

Sicut primùm pictura cœpit ab vmbris & lineis, deinde monachromata, mox accessit lumen & vmbræ vnà cum colorum varietate, donec ad summam artificij peruenit admirationem: Ita virtus in nobis non statim absoluta nascitur, sed paulatim quotidianis auctibus ad summum perducit. *Ibidem.*

Rarò auri & argenti vena reperitur, nisi alia non procul sit, vnde & Græci nomen indidêre: Ita nulla virtus solitaria est, sed alia aliam adiungit.

Iris gemma non nisi in opaco reddit colores arcus cœlestis, nec itavt ipse habeat in se, sed parietibus illidat, in sole coloribus caret: Ita quidam varia virtutum simulachra præ se ferunt, sed in obscuro, & quod in se non habẽt, tamen in aliorum animis veluti repræsentant ac gignunt. *Ibidem.*

SIcut in spicis aristæ tanquam quædam prætenta spicula aues repellunt, non sinentes fructui insidere, & stipulam infirmiorem diffringere: Sic & in oculis, velut quædam aristæ, & spicula prætentæ fiunt palpebrarum setæ, puluerem & festucam & omnia vexantia extrinsecus repellentes ab oculis nec palpebras infestati sinentes. *Chrysostomus homil. vndecima ad pop. Antiochenum.*

Quemadmodum cum gladium à puero teneri videmus, etiamsi nondum vulneratum eum cernamus, verberamus tamen, ac sæpe minantes denunciamus, nequando illum rursus contingat: Ita etiam Deus inuerecundum coercet aspectum, ne quandoque in ipsam quoque incidat actionem. *Idem homilia 17. in Matthæum.*

Quod sol mũdo, hoc oculus corpori. Extincto sole, omnia perduntur & perturbantur: Ita amissis oculis, pedes inutiles sunt, & manus, & animus. Ita oculus animę. Quare vt in regio quodam loco, altiori corporis parte, sedem sortitus est, & cæteris præfertur sensibus. Oculus lucerna omnium mẽbrorum, ornat totum corpus. *Idem homil. 55. in Ioan.*

Visus haud facilè à iucundis diuelli solet spectaculis: si verò violentia quadam abstractus fuerit, iterum illac refertur: quemadmodum sermo à narrationibus suauissimis. *Nazianzenus, de laud. Basil.*

Sicut in corpore principatum natura dedit capiti, cui summum locum tanquam regiam attribuit, reliquis membris omnibus quæ à ceruice vsque ad imos pedes pertinẽt, ei pro basi suppositis: Ita inter cæteros sensus imperium penes oculos esse voluit: ideo hos quoque in sublimi collocauit vt principes, & quidem variis modis honoratos, sed præcipuè loco tam insigni ac conspicuo. *Philo, libr. de particularibus legibus.*

Vt venatores non sinunt canes quiduis olfacere, aut mordere, sed integros eos seruant ferę: Sic oportet aures & oculos non sinere quouis vagari, sed rebus necessariis reseruare. *Plutarchus, in Moralibus.*

Ex improuiso vel transeunter ad horam fœmineus aspectus occurrens, velut sagittas alienis oculis iactat. *Cyprianus, de singularitate clericorum.*

Quem-

Quemadmodum ei qui amorem exuere conatur, euitanda est omnis admonitio dilecti corporis: nihil enim facili' quàm amor recrudescit: Ita qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagrauit, & oculos & aures ab his quæ reliquit, auertat, *Seneca epistol. 70.*

Catoplebas & basiliscus solo aspectu necant, maximè si oculos intueare: Ita tyranni nonnulli solo oculorum conie ctu nonnullos ad laqueum adigunt. Aut formosa mulier & impudica perimit intuitu. *Erasmus. in Simil.*

Sunt qui aspectu effascinant hominem: Ita inuidus oculus perniciem adfert rebus lætis. Nec satis tutus regũ oculus, si quid habeas egregiè pulchrum. *Ibidem.*

VITA PRÆSENS, PEREGRINATIO.

SIC *curro non quasi in incertum.* Cursores sumus, cursu opus est & valido. Qui currit, neminem occurrentem sibi videt, siue per prata, siue per aspera loca transeat. Qui currit, non spectatores attendit, sed ad palmam, siue diuites, siue pauperes, siue detrahat quis, siue cædat, siue iniuriet, siue lapidet, siue domum diripiat, siue videat vxorem, siue aliud quid, ad vnum tantum festinat, currendo, vt accipiat palmam. Qui currit, nunquam stat. Nam si vel modicum negligat, totum amittit. Qui currit, nihil anteponit fini, sed magis ad Deum præcedit. *Chrysostomus homil. 7. in epistolam ad Hebræos.*

Fœlices qui se præsenti seculo nequam & aduenas & peregrinos exhibent, immaculatos se custodientes ab eo. Peregrinus siquidem via regia incedit, non declinat ad dextram nec ad sinistram. Si fortè iurgantes viderit, non attendit: si nubentes aut choreas ducentes, aut aliud quidpiam facientes, nihilominus transit, quia peregrinus est, & non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam suspirat, ad patriam tendit, vestitum & victum habens, non vult aliis onerari. *Bernardus sermone 7. in quadragesima.*

Omnia igitur faciamus, ne alibi egeni futuri simus. Nam quæ vtilitas in aliena regione multas diuitias relinquere, in propria autem & in patria necessariis carere. Itaque oro, festinemus dum adhuc tempus est, vt illuc trans-

feramus etiam quæ in hac aliena habemus. *Chrysostomus hom. 48. in Geneſin.*

Quicunque huc conuenimus, ſcopum eundem tenemus ad æternam patriam, ex eadem ciuitate egreſſi. Atque alij ſtadia quinque profecti ſubſtiterunt, alij decem. Hi verò iter medium pertexêre, alij non omnino profecerunt, ſed cum ad vſque ciuitatem applicuerint, extra ianuam in fœtore & labe illius remanſerunt. Viatorés quoque alij, cum duo plerúnque ſtadia ambulauerint, errantes retro gradiuntur, vel duo profecti ſtadia, quinque reuertuntur. Viatores hi ſumus nos. Aliqui enim ex nobis ſeculo abrenunciantes, ad monaſterium venêre eo animo, vt virtutes quaſcunque ſtudioſiſſimè parent. Atque alij quidem cum vel parum vel nihil profecerint, deſiſtunt illicò, alij magis progrediuntur. Alij medium rei conſecuti, deſidia torpent, alij autem nihil omnino ſe erigunt aut proficiunt, ſed egreſſi corpore tantum è mundi illecebris, animo in eius labe & affectibus perſeuerant. Quidam etiam cum aliquid boni operis exercerint, illud ſtratim diſſoluunt & deſtruunt. Sunt & alij qui plus diſſoluunt quam exercerunt. Nonnulli virtutes conſecuti, ſuperbi & inſolentes, contemptoréſque proximorum & fratrum facti ſunt, qui extra ianuam manſerunt, neque intromitti potuerunt, atque ita neque hi ſcopum ſuum aſſecuti ſunt. Nam etſi ad ciuitatis portam perducti, non ſunt tamen intromiſſi, decideruntque infœlices ab obiecto ſuo. Contempletur igitur vnuſquiſque vbi ſit. Si vere egreſſus eſt è patria ſua, ſi extra portam ciuitatis in fœtore illius & labe remanet. Si paululum proceſſit aut multum. Si peruenit ad viæ medium. *Dorotheus doctrina decima, vt ad certum ſcopum & ſobrietatem dirigamur.*

Dicebat Pythagoras ſimilem videri vitam hominum & mercatum eum qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam vt illîc alij corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent, alij emendi aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur: eſſet autem quoddam genus eorum idque vel maximè ingenuum, qui nec plauſum nec lucrum quærerent, ſed diſcendi cauſa, venirent, ſtudioſéque perſpicerent, quid ageretur & quomodo. Ita nos quaſi in mercatus quadam

celebritate ex vrbe aliqua, sic in hanc vitam ex alia vitâ & natura profectos, alios gloriæ seruire, alios pecuniæ, raros esse quosdam, qui cæteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiosè intuerentur: hos se appellare sapientiæ studiosos, id est enim Philosophos. Et vt illic liberalissimum esset spectare nihil sibi acquirentem, sic in vita longè omnibus studiis contemplationem rerum cognitionem præstare. *Cicero lib. 5. Tusculanarum quæst.*

VITÆ PRÆSENTIS BREVITAS.

NVmerus dierum hominis vt multum centum annî, quasi guttę aquę maris deputati sunt, & sicut caleulus arenæ, sic exigui anni in die æui. *Eccl. 18.*

Et transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radiis solis, & à calore illius aggrauata. *Sap. 2.*

Omnis caro fœnum. Breuitas enim tẽporariæ istius ac deciduæ vitæ, oblectamentúmque prosperitatis humanæ, atque hilaritatis exiguo tempore persistens, accõmodatissimam est apud Prophetam similitudinem sortita. Hodie florulentus corpore, propter delitias obesus & florente colore preditus, ob ætatis viriditatem efflorescentem, lasciuiens, vehemens, impetu intolerabilis, nec quoquam secum consistens: cras idem ipsemet miserabilis, aut tempore maicidus, aut morbo forsan dissolutus senióque confectus. Est quispiam ob amplitudinem patrimonij illustris ac suspiciẽdus, & adulatorum hominum copia, & satellitium circa ipsum versatur, septúsque est fictis amicis, qui gratiâ ipsius venantur: magna quoque caterua sanguine propinquorũ, & ipsa simulata stipat': innumera deniq; sequitur illũ eorũ hominũ multitudo, qui partim alimoniæ emeretdæ gratia comitantur aut propter alios vsus ei adsunt: quos abiens domo secũque recipiens domum secum trahens, inuidiosus est occurrentibus. Adde diuitiis si volueris, & ciuilem aliquam potestatem, vel etiam honores ex regibus, curam & administrationem gentium, imperatorium munus exercitus ductandi, preconem prætantem &

anteambulonem, ipsius qui exerta voce reboet, feruligeros lictores qui vel ipso prægressu terrorem incutiant subditis imperio, plagas ingerant, & irrogent facultatum publicationes, abreptiones, carceres: è quibus intolerabilis subditorum, metus emergit atque accumulatur. Quid post hæc quæso? Nox vna, vna febris, aut certè pleuritis, abreptum hunc è medio hominem cœtu abit secum abducens hominem, omni prorsus quæ eundem circunstabat, scena spolians in vestigio ac nudans. *Basilius, homilia quinta Exameron.*

Via vita dicitur per quam quilibet natus properat ad finem. Quemadmodum qui in nauigiis dormiunt, sponte à vento in portum deducuntur, Sic & nos vitæ nostræ tempore prætereunte, velut quodam motu continuo & irrequieto ad proprium quilibet terminum latenti vitæ cursu properamus. Omnes vnum currimus curriculum, ad propriã metam tendentes. Quamobrem in via omnes sumus. In via si fuerimus cuncta quæ oculis occurrunt, facilè despicies, prætereibis plantas, herbas, animalia, & quæcunque spectatione digna, breui tempore oblectatus, relinques. Rursus si in loca iniqua, crepidines, valles, scopulos, quandóque in feras & sentes, & alia duriora & aspera, incideris, parumper aspectu turbatus, paulòpòst deseres. Talis est vita humana, quæ nec delectabilia, nec rursus tristia & acerba diu retinet. *Idem in Psalmum primum.*

Natura humanarum rerum nihilo secius se habet, quam amnium fluxus, & fumo in aerem euanescẽte fugacior est, & vmbra præcurrente inanior. In his si Philosophatus fueris, nec suauia poterunt te inflare, nec molesta deiicere. *Nazianzenus, oratione cum reuerteretur ex agro.*

Somnus est præsens vita, nihilque ab insomniis differunt, quæ in ea geruntur. Et quemadmodum qui dormiũt, & delirant sæpenumerò, & nihil sani vident: Ita & nos. Imo verò multo etiam peius. Nam qui turpe quid in somno vel fecit, vel dixit, quãprimum à somno liberatur, protinus & ab ipsa turpitudine liber, nullas dat pœnas: Hîc verò non ita, sed & turpitudo & supplicium perpetuò durant. Rursus qui somniando diuites sunt, orto die frustra se diuites factos apparuisse sibi deprehendunt: hîc verò & ante diem sæpe deprehensio illa incidit, & antequam

hinc abeatur, vana huiusmodi somnia iam auolarunt. *Chrysostomus homil. 24. in epistolam ad Romanos & sermone de non sectandis concupiscentiis.*

Scena quædam est vita præsens ac somnium. Sic enim in scena sublato velamine, varia illa soluúntur vt somnia. Vbi solis illuxit radius, auolant omnia. Ita & modo, consummatione propinqua, & omnium & singulorum, cuncta soluuntur atque euanescunt. Ac arbor quidem abs te plãtata permanet, & domus abs te condita durat: opifex vero & agricola pereunt. Hisque ita contingentibus, ne sic quidem reueremur, neque erubescimus: sed veluti immortales hæc omnia præparamus, in luxum delitiásque reuoluti. *Idem homil. decimaquinta in 1. Timoth. & hom. 55. ad populum Antiochenum.*

Dum tempus est, seminemus, vt metamus antequam tempus aduenias, dum mare nauigari potest, dum huius negotiationis sumus domini. Sed quando erit hyems? Quando magnus ille & tremendus dies aduenerit, non amplius mare hoc spatiosum & immensum nauigare nobis licebit. Mari námque præsens vita comparatur. Nunc serendi tempus est, tunc messis & prouentus. Qui non sementis tempore, sed in messe seminauerit, est sane ridiculus. *Idem homil. 24. in Ioannem.*

Vide quanta Dei clementia, mortem tibi æternam redimere posse, non temporalem concessit. Ne breuem, ait vitam hanc, sed æternam illam emas, illam tibi vendo futuram, non præsentem hanc. Non illudo tibi. Hanc si accepisti nihil accepisti: illam noui quanti sit pretij. Non ita caupones, qui seculares quæstus sectantur, faciunt. Hi si quos fallere volunt, & liceat quibus volunt illudere, paruum pro magno exhibent, vilia quæque carius vendunt. Dic quæso, Si ad aliquem profectus negotiatorem, duabus propositis gemmis, vili vna, pretiosa altera, vilis pretium poneres, pretiosam acciperes, num illum rideres aut incusares, & non potius admirareris, & gratias ageres? Nos contrà, cum duæ vitæ sint propositæ, temporalis & æterna, & vendat vtrámque Deus, æternam autem vili pretio dare malit: stultorum infantium more tristamur & indignamur, quod pretiosiorem pro vilis-

simo accipimus. *Idem homil. 36. ad pop. Antioch. & hom. septima in 2. Timoth.*

Vita fortunæ coniuncta torrenti similis est. Turbulenta enim & plena cœno, ingressúque difficilis, violenta & obstrepera est, & breue tempus durat. *Epictetus apud Stobæum sermone 3. de temperantia.*

Vt qui variis tempestatibus huc & illuc iactatus est, nec tamen peruenit, non multum nauigauit, sed multum iactatus est: Sic qui diu vixit, nec profecit ad bonos mores, non diu vixit, sed diu fuit. *Seneca libro de brevitate vitæ.*

Quomodo fabula, sic vita: non quàm diu, sed quàm bene acta sit, refert. *Ibidem.*

Vt in eundem amnem nemo bis descendit: Sic obrapidum cursum vitæ homo ad singula momenta alius est. *Ibidem.*

Supra modum deditus vino, fæcem quoque exorbet: Sic admodum vitæ auidus, qui ne extrema quidem senecta vult mori. *Ibidem.*

Breuis est imprimis vita, & fugacissimum vitæ tempus; rerum humanarum inquietum aduersis flatibus, & procellosum pelagus: rari & vix hominibus accessibiles portus, scopuli vndique innumerabiles: inter quos difficilis, & prorsus ambigua nauigatio est. Iam vix vni contingit ex millibus, vt integer enatauet: sic nos fortunæ imperium exercet, in omnes gradus hominum pari iure grassantis. Ita in quiduis obuium cymba fragilis nostræ mortalitatis alliditur. Et possumus inter hæc nobis, aut nostris, longiusculam vitam, imò (vt verius dicam) longius periculum optare. Fingatur aliquis tam benigno sidere, tam propitia fortuna, tam denique fauente Deo, iter hoc ingressus, vt nihil ei possit asperum molestúmque contingere. Rem impossibilem & inauditam seculis fingi iubeo. Nec ideo tamen quamuis periculum absit, aberit metus. Et idcirco fortasse non infœlicius nec incõsultius foret, modò nostri essent arbitrij. Sicut in æquore suspecto nautæ solent circumspecti clauum flectere, diuque ante solis occasum vela submittere: Sic in vita portum petere, & adhuc florenti ætate, atque animo virenti, & valentibus membris, mori prius quàm eò peruentum sit, quò saltem vita longior perducit,

ad vltimas scilicet angustias senectutis. Inter quas arctati quidam, & vixisse dolent, & mori metuũt: & totiens votis exoptatum tempus accusant: denique quid velint & quid nolint, nesciunt, tanta est discordia. Hæc & in his similia cogitantes abstinere decet, ne decretum cœleste, seu mortis festinantiam accusemus: alioquin pro nobis ipsis tantũmodo conqueri videbimur & affligi. *Franciscus Petrarcha.*

Fac cogites semper instantem mortem, & punctũ scilicet esse quod viuimus, & adhuc puncto minus, tum quam sit malus hostis antiquus, qui nobis regna mundi promittit, vt nobis regna cœlorum eripiat: quam falsæ voluptates, quæ ideò nos amplectuntur vt strangulent: quam dolosi honores, qui nos sublimant, vt deinde precipitent: quàm lethales diuitiæ, quæ quanto nos magis pascunt, tantomagis venenant. Quam breue, incertũ, instabile, vmbratile, falsum, imaginarium est, omne illud quod hæc omnia, simul etiã si ex voto affluant, nobis præstare possunt. Quam magna his & promissa parata sunt, qui contemptis præsentibus, illam suspirant patriam, cuius rex, diuinitas, cuius lex charitas, cuius modus æternitas. *Picus mirandula in epistola ad nepotem.*

Sic agamus semper tanquam in acie armati, vigilantes, accincti, intenti, occasionibus nostris non indormientes: Et cum tanta sit vitæ fugacitas, in tanta incertitate, vt ne crastinum quidem possit quisquam sibi polliceri, stultum est & periculosissimum, si spes nostras in longum tẽdamus, differamúsque nos adornare futuro itineri, quo singulis momentis vocamur, inscij quando (velimus nolimus) in illud pertrahemur. Quamobrem paremus nobis thesaurum ad futuram vitam cui aliquid quotidie accrescat: quo instructi & confisi, nunquam per segnitiem aut socordiam inopinantes opprimamur, aut discedamus mœsti, sed parati abire, & vitæ huius pleni, agentes præ nobis magnam & optimam spem vitæ, innocenter sanctéque transactæ per fidem filij dei, & pietatem, quam nos edocuit: quo munere nullum potuit homini à Deo maius aut pulchrius dari. quo Deum noscimus, & quantum effici à mortali potest, æmulamur, sequimur, consequimur. *Ludouicus viues in introductione ad Sapientiam, cap. vltimo.*

Comœdia est vita humana. Est enim seu ludus quidam, in quo vnusquisque agit personam suam. Danda est opera, vt moderatis affectibus transigatur, nec cruenta sit catastrophe, aut funesta, qualis solet esse in tragœdiis: sed læta, qualis in comœdiis. *Idem, in Satellitio.*

Luna semel extincta subinde renascitur, & vbi cõsenuit, reiuuenescit: At homo nec renascitur mortuus, nec repubescit senex. *Ex Plinio, lib. 2. cap. 29.*

Quid obsecro boni habet hæc vita cur expetatur? Si spatium cogites, atque illud conferas cum æternitate, quid ab his bestiolis distamus, quas ferũt apud Hyppanim fluuium qui ab Europæ parte in Pontum influit, nasci, atque vnum diem viuere? Sicut ergo ex his ea quæ octaua hora mortua sit, prouecta ætate esset mortua, quæ verò occidẽte sole decrepita, eo magis si etiam solstitiali die: sic si longissima ætas cuiusuis hominum conferatur cum æternitate, in multominore breuitate, quàm illæ bestiolæ reperiemur. Nulla est enim temporis cum æternitate comparatio. Quare rectius vix duarum horarum fabulæ quæ in scena agatur, valet comparari. At quis vel mediocriter prudens eiusmodi fabulæ spectandæ studio ita afficiatur, vt si ea careat, mœrore contabescat, aut ingens se damnum fecisse arbitretur? Si ergo hæc huius vitæ scena, si etiam toto hoc spatio omnibus affluret bonis, sine vllo mali aut incommodi cuiusquam sensu, ob vitæ tamen breuitatem pro nihilo est putãda, quanti facienda est, cum tot malis est obnoxia, vt longo interuallo mala superent? quorum solus metus posse illa accidere, quamuis nunquam euenirent, inficere ac commaculare omnem vitæ iucunditatem posset. Multo verò magis cum experiamur illa euenire, morbos, labores, rerum iacturas, lites, controuersias, inimicitias, quæ & huius generis alia plerúmque mortem vita optabiliorem faciunt. Sed fingamus hominem, quod quam rarissime, aut nunquam potius contingit, fingamus tamen hominem cui nulla vnquã experiri priuata incommoda cõtigerit, nonne saltem illud quod commune cum omnibus est, satis incommodorum secum affert? Somnus ipse qui singulis diebus tot horas aufert, ac mortuis persimiles reddit, an morbus per se nõ est? Sed consuetudo ipsa est impedimento quominus hæc attẽdamus, quemadmodum & de cibi quotidiana necessitate.

Quod si aliquot annos viuere sine alimento & somno contingeret, processu verò temporis per ætatum gradus hæc & capiendi cibi & dormiendi necessitas accresceret, profectò iudicaremus nos cœpisse in cibum incidere, qui pro cibi vel somni portione angeretur. Quamuis enim in cibis capiendis voluptas quædam esse videatur, primum exigua est, & vix duorum digitorum obtinet latitudinem, deinde obruit animum, præcipuam hominis partem. Preterea bona ipsa quibus frui in hac vita contingit, quæ aut quanta tandem sunt? Excepta enim virtute, in qua tandem quo maiores progressus fiũt, eò magis vitæ huius cupiditas imminuitur, cætera quid sunt, opes, honores, imperia? quæ cũ animi bonis officere plurimùm soleant, ne bona quidem sunt appellanda. Atque hæc cogitatio efficiebat, vt ipsi etiã Ethnici dicerent, cum accidit, vt à Deo denuatietur, vt excamus è vita, lætos & gratias agentes parere debere emittíque nos è custodia, & leuari vinculis arbitrari, atque è tenebris in lucem excedere. *Isidorus Clarius, ora. 10. de morte, to. 1.*

Posteaquã in hac æternitate fueritis expatiati referte mox animum ad breuissimum hoc spatium, quo hîc viuendum est, quodque tanti à vobis fit, & reperietis longissimam ætatem centum & eò amplius millium annorum, si conferatur cum æternitate, minus multo esse, quam duarum horarum fabula, quæ in scena agatur. Quare in hac item scena paulisper immoremur. Fingamus ergò hîc fabulam recitari, quis non dico sapiens, sed non omnino stultus vehementius angatur si aut illius fabulæ spectaculo priuetur, aut etiam si sperasset in ea regem agere, frustretur cum sua spes? Quod si quis illum cerneret mœrore confici ob eam causam, profectò vel rideret, vel hominis stulticiam miseraretur. At in hac stultitia cerno eos imprimis versari, quicunque inter vos prudentissimi, atque in rebus agendis solertissimi habentur. Fingamus rursus, in fabula quæ ageretur ita constitui, vt qui agere regem in ea vellet, peracta vita contemptissimus tota reliqua vita haberetur, qui verò mancipij fungeretur officio, is summo in honore postea esset habendus, nemo profectò reperiretur, qui tanta cum iactura regium honorem in ludicra expeteret, omnes verò mancipium agere eligerẽt

labentissimè, spe nimirum secuturæ post fabulam dignitatis. At cur eodem iudicio non vtimur in hac tanti momẽtu causa? Illud præterea accedit, quod in fabula conditio melior est, quàm in hac vitæ scena. Nam vbi agenda fabula est, antequam agatur, expectatio illa aliquid secum affert delectationis, & postea etiam quam acta est, ipsa recordatio non caret voluptate. At hic sola voluptas est, dum agitur, si quid tamen syncerè in ea est voluptatis, antè verò cum nondum essemus, neque post cum grauioris negotij res sint successuræ, quam liceat his somniis vacare, fructus nullus sperandus est. *Ibidem, oratione duodecima, de Iudicio.*

VITÆ PRÆSENTIS DIFFICVLTAS.

OMnia vmbra, somnia, cursus. Cursor est vita. Vt si quispiam rupis excelsæ verticem tenens, pelagus omne prospiciat, multósque inde nauigantium crebris fluctibus freti, vnda submergi, alios in prærupti montis saxo collidi, nonnullos ad alia littora contendendo properare, aliquos tabulæ vnius auxilio, ex fragmentis nauis inuentæ à morte defendi, aliquãdo pro gubernaculo atque remigiis, manibus tantummodo suis vti, alios autem videat turbidos fluctus multiformi, atque multiplici genere, cadauera ferre. Ita est qui militat Deo, cum se à tempestatibus atque turbinibus vitæ istius separarit, consistit in arduo semper ac tuto securus loco. Quid enim celsius potest esse, quid tutius, quàm vnam tantùm nos solicitudinem gerere, quomodo Deo placere possimus? Vidisti naufragia huiusmodi pelagus, vndásque declina: & excelsum illum huiuscemodi pelago quære naugantem: & excelsum locum occupa, à periculo captiuitatis immunem. *Idem, Hom. 21. ad Theodorum monachum.*

Pelagus est latè longeque protensum hæc vita: & quẽadmodum in mari vniuerso sinus diuersi, aliis atque aliis tempestatibus commouentur, præcipuè veluti Ægæa ventis exasperatur, propter angustias Charybdis, quæ Libyen versus, propter stagna Syrtis, & breuia portus, magnitudine fluctuum, atque impetu Hispanicus oceanus quia inuius carẽtia portuum & locorum, ignorantia intri-

catus, difficilis nauigantibus est, similiter aliis de causis: Sic & in vita nostra fieri videmus: nam præmium in ea pelagus statim videre licet, puerum, ætatis conditione, quæ multis ac magnis procellis exagitatur, tum quia mens imbecilla est, tum quia nulla firmitate adhuc roboratur, sed huc atque illuc facilè flectitur. Quapropter pædagogos illi & magistros præfecimus, vt defectus naturæ, diligentia suppleat, veluti & in nauigando gubernatoris officio maris asperitas superatur. Adolescentium fluctus pueritiæ succedunt, qui vehementioribus sicut Ægæum pelagus exagitantur concupiscentiæ ventis: quæ quidem ætas quanto magis correctione indiget, tanto minus instruitur, nō solum quia magnis fluctibus cæditur, verumetiam quia peccantes non redarguuntur, cum & magister, & pædagogus subtrahantur, magnitudine tempestatis, cum maiore turbine venti spirent, & gubernator sit imbecilior, nemoque alius tutor adsit, atque defensor. Idē *hom. 82. in Mat.*

Via ipsa quæ per se arcta & ardua est, tantis spiritalium latronum insidiis obsessa est, tantos nos scopulos, tantosque fluctus trāsire necesse est, vt ignoremus quid deueniat, antequam anchoram oblato in littore collocemus. Et tamen nos de præteritis esse securos, & sinè quotidiana cura, sine quotidiano timore & tremore, diem nostrum debemus transire. Quid transiens super aliquius profundi fluminis per arctissimi pontis angustias, etiamsi maiorem partem inoffenso transierit pede, iam periculum euasisse se credat, cum in vltimi pontis spatio, si paululum titubauerit, casum quem in medio spatio vitarat, incurrit. Sic nos etiamsi magna pars vitæ istius videatur fuisse transacta, non ideo fiduciam præsumamus, cum adhuc periculum pars extrema minetur. Quis in acie positus ante finem certaminis aut ante victoriæ securitatem arma deponet? Nemo ergo securum se iudicet antequam ad finem fœlici consummatione perueniat. *Cæsarius Arelatensis, Hom. vigesima quinta.*

Vita humana est vt nauis quæ bonis operibus velut quibusdā mercib⁹ onusta, in portū salutis tendit. Gubernaculū huius nauis est sermo Dei, qui in mari huius seculi ita aduersa & prospera debet dirigere ad portum. Sed vbi peccatrix anima repulerit verbum Dei à corde suo, tunc ventis,

procellis, tempestatibus irruentibus vndecunque quasi fracto gubernaculo, periclitetur tempestate, Ab aquilone Diaboli suggestio, à meridie vana gloria. *Absalon abbas sermone quinto de aduentu domini.*

Quemadmodum per frequentia vrbis loca properanti in multos incursitandum est, & alicubi labi necesse est, alicubi retineri, alicubi respergi: Ita in hoc vitæ actu dissipato & vago, multa impedimenta, multæ querelæ incidunt. *Seneca lib. 3. de ira.*

Est quidem vitæ nostræ iter, quod Christiano homini agendum est persimile, vt si stagnum aliquod esset trãseundum, cui pons per quem ire oporteret, impositus esset, ita angustus, vt vix hærere illi pes posset. Stagnum verò illud hydris venenatisque serpentibus ac feris bestiis plenum esset, quæ si quis è ponte decideret, eum exciperent lacerandum ac deuorandum. Ex vtraque autem parte stagni, essent horti pulcherrimi, viridariaq; amœnissima, domus quoque ac ædificia mira arte ac sumptu constructa, quæ spectantibus voluptatem parerent admirandam. Si ergò cuipiam imperaretur, vt stagnum illud per eum pontem traiiceret, quo hunc animo censetis futurum? Existimatis ausurum amouere oculos à põte, vt illa rerũ specie, quæ stagnum ambiret, oculos oblectaret? Non opinor. Paueret enim anxius, videreturque sibi singulis momẽtis in bestiarum illarum ora cadere deuorandus. Quare nusquã oculos à pedibus ac ponte deflecteret. Simillime faciendum nobis est, ac multò etiam studiosius, quantò damnosius est in æterna quam temporaria mala decidere. Obseruemus vt admonet Salomo, dies nostros, neque ab eis deflectamus oculos, ne forte humanarum rerum curiositas nos à recta via abducat, & in immanium bestiarum, Dæmonum videlicet deuorationem tradat. *Isidorus Clarius oratione octaua tomi tertij.*

Via est vita præsens qua ad patriam tendimus, ideo conterimur frequenti perturbatione, ne viam pro patria diligamus. Solent enim nonnulli viatores, cũ amœna fortassis in itinere prata conspiciũt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare. Electis autem suis Deus ad se pergẽtibus, iter huius mũdi asperũ reddit, ne dum quisque vitę præsentis requie quasi amœnitate vię

pascitur, obliuiscatur patriæ. *Gregor libro 23. Moralium cap. 22.*

VITÆ PRÆSENTIS INCONSTANTIA.

VEllem tanquam bonus mercator & vbique lucri cupidus, & hîc quoq; vobis aliquid mercis afferre. Deambulabã ocioſus in littore, inclinante iam die(conſueui enim ſemper curas talibus diſſoluere remiſſionibus) Nam nec arcus ſufferre poteſt vt aſſiduè intendatur, ſed indiget vt parumper quandoq; laxetur, ſi rurſus vſui eſſe debeat,& nequaquam inutilis ſagittario in tempore neceſſitatis. Deambulabam igitur,& pedes me ferebant, aſpectus verò ad mare diregebatur. Erat autem ſpectaculum illud nequaquã iucundũ,licet aliàs ſit gratiſſimum quum tranquillum eſt & purpuraſcit,leniterque ac placidè littoribus allidit. Sed quid hoc erat?dicam enim lubens verbis Scripturæ. Vento magno flante, inſurgebat mare, & fluctuabat: vndę autem quemadmodum in ſimilibus fieri ſolet,partim à longè intumeſcebant, ac paulatim attollebãtur,inde confractæ littoribus illidebantur:aliæ autẽ proximis impactæ ſcopulis,ac repulſæ, in ſpumamq; verſæ, leuitate ſua in altũ iactabãtur: tũ, cõchæ & phocuſ marinus, nec non ex oſtreis leuiſſima quæq; nunc expellebãtur, & eiiciebantur,nunc verò rurſus reſorbebãtur, quũ vnda rediret: at quædam immobilia erant,& firma,nihilq;perpetiebãtur,nec perturbabãtur,præterquã quòd vndis tundebantur.Hinc ego ad philoſophiæ vtilitatẽ aliquid deſũpſi, &c.Mare vita noſtra eſt(humana enim multũ ſalſi ac inſtabilitatis habent) venti aũt ſunt tẽtationes incidẽtes, & quę inexpectatè eueniunt. Quod mihi & admirandus ille Dauid cognouiſſe videtur,dum ait: Salua me Domine quoniã ingreſſæ ſunt aquæ vſque ad animã meam.& Libera me à profundo aquarum.& Perueni ad imũ maris, ac tẽpeſtas ſubmerſit me.Ex iis autẽ quę tentabãtur, quę mihi oſtrearum demortuarum teſtæ leuiſſimæ videbantur, quę flatu hinc inde iactarentur, & nihil ommino tentationibus reſiſtebant.Non enim in ſeipſis robur habebant, & grauitatẽ conſilij ſapientis, quibus aduerſitatibus reſiſtere poſſẽt

incidentibus. Quidam autem videbantur petra, petra illa digni, supra quam firmati sumus, & cui seruimus quicũque sapienti vsi ratione, & multorum exuperantes humilitatem, omnia tolerant constanter & inconcussè deridentque eos, vel miserentur eorum qui concutiuntur: hoc quidem propter sapientiam, illud autem propter humanitatem. Ipsi autem inter turpia ponunt absentia mala contemnere, seu potius non timenda esse, præsentia verò inculpare: & quænam ex his? transitoria nempe non secus ac stabilia, & extra tempus philosophari, at in necessitatibus omni carere prudentia: quemadmodum si quis se optimum athletam censeat, quum tamen nunquam in stadiũ descenderit: aut gubernatorem eximium, qui in tranquillitate multum de arte gloriatur, in tempestate autem gubernacula relinquit. *Gregorius Nazianzenus, in oratione postquam reuerteretur ex agro.*

Vitam esse nostram crede veras nundinas,
Mutare lucra, si sequare: Nam licet
Aeterna fluxis, vilibusque maxima,
Sin illa fugit, tempus haud aliud venit.
Idem lib. primo sententiarum spiritalium.

Nihil est in reb⁹ humanis natura stabile, nihil æquabile, nihil sufficiens, nihil in eodem statu permanens: sed omnia quadam veluti rota circumuoluuntur diuersas sæpe diebus singulis etiam horis vicissitudines afferente vt instabilibus ventis & nauigij mare secantis vestigiis, & fallacibus noctis insomniis, quorũ breuis est gratia, & his quæ per ludum in arena fingunt pueri, magis fidendum sit, quã præsenti hominum prosperitati. Quare prudenter faciunt, qui propterea quod non fidunt rebus præsentibus, rationibus suis consulunt in futurum. Et propter instabilem humanæ fœlicitatis conditionem, benignitatem & misericordiam, quæ nunquam deficit complectuntur. *Idem oratione de pauperibus amandis.*

Sicut mare in eodem statu consistere non diu potest. Sed quod vides tranquillum, paulopost ventorum impetu turbatũ aspicies, quodque horridũ & vndis feruens ac tumidum, mox multa quiete consistere videbis: Sic humanæ res

facilè vtrinque conuertuntur. *Basilius in principium prouerb.*

Sicut in somniorū visionibus, videntes non videmus, audientes non audimus, gustantes aut tangentes, nec gustamus, nec tangimus, loquentes non loquimur, deambulantes non deambulamus, sed cum videamur vti molibus & habitibus, nullo prosus vtimur, mente inaniter sine vllis veris obiectis pingente sibi simulacra rerum non existentium, tanquam existentium. Eodem modo etiam in hoc mundo corruptibili vigilantium imaginationes somniis sunt similimæ: veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt, & priusquam comprehendantur, auolant. *Philo lib. de Ioseph.*

Cuncta quæ sub mundo sunt, vmbris spectrisque sunt similia: & sicut cum pompæ traducuntur, prima quæque, conspectum prætereunt: item in torrentibus fallēte visum celeritate vndæ preterfluunt: Sic vitæ totius negotia currentia præterlabētiaque videntur manere, cum ne momētum quidē maneāt, nunquam non subterfluentia. *Ibidem.*

Quemadmodum in scena tragœdos videmus, si quis voce sit bene exercitata, cum pari modo & Creontem agere, & Telephum (neque enim pupurei panni ad vocis claritatem aut bonitatem aliquid facient, aut ad theatrum carminis sono occupandum) idem etiam famulam & heram eadem musica repræsentet: tum quamcunque ei personam fabulæ choragus imponit, hanc cum bellè agere postulat. Ita igitur Deus nobis, & fortuna, diuersa vitæ genera, quasi personas quasdam in hac ingenti mundi fabula induit: neque vnius conditio, quàm alterius quicquam est vel melior, vel deterior. Eam vnusquisque gerit vt potest. Potest autem vir bonus omni loco se rectè gerere, siue mendicum ille, siue regem agat: neque de persona altercari solet. Nam & in tragœdo ridiculum fuerit, hanc illum refugere, aut alteram eligere. In anicularum enim persona si placeat, corollas & præconia consequitur: contrà verò, si in regia se turpiter det, exploditur & exsibilatur, non etiam nunquam lapidibus petitur. Neque enim vllum genus vitæ nobis proprium est, sed alienis his extrinsecus circundamur. Nos autem ij sumus, qui intus his vtimur: qui cùm opera, tum repræsentatione nostra ipsi meliora illa aut deteriora efficimus, vt actores quidā vi uarum fabularum. Quapropter nō aliter quàm vestes, illa

& sumentur, & mutabuntur. *Synæsius, de providentia lib.1.*

Vita humana est veluti circulus quidam rerum humanarum, qui sua rotatione nõ permittit eosdem semper agere fortunatè. *Herodotus apud Stobæum sermone.103.*

Plato confert hominis vitam ludo tesserarum, quid iactu cadat, non est in nobis situm: at quod cecidit, rectè disponere, in nobis est: Sic euentus in nobis non est: quod euenit, id in bonum vertere, nostri muneris est. *Plutarchus in moralibus.*

Vita nostra nauiganti similis est: is qui nauigat, stat sedet, iacet, vadit, quia impulsu nauis ducitur: Ita & nos sumus, qui siue vigilantes, siue dormientes, siue tacentes, siue loquentes, per momenta temporum quotidie ad finẽ tendimus. *Gregorius lib.6. epistola 26.*

Homines nati in mundo, sunt quasi flores in campo. Vita in carne, flos in fœno est: homo more floris ex occultis, & apparet subitò in publico, qui statim per mortem trahitur ad occultum: carnis viriditas nos ostendit, sed ariditas pulueris ab aspectibus retrahit. *Idẽ Moral. lib.11. cap.77.*

Nauis per mare commeantis imitatur transitum compendiosa præsentis vita conditio, qua sane nos nautas fallens suos, & pedetentim cunctanti raptans cursu, tandem ad suum cuiusque exitium perducit: si igitur hæc ita se habent, prætercurramus prætercurrentia mundi negotia, accuramusque his quæ ad secula seculorum permanent. *Agapetus diaconus in expositione capitulorum admonitoriorum.*

VITÆ PRÆSENTIS FRAGILITAS.

OMnes morimur & quasi aquæ dilabimur, quæ non reuertuntur, nec vult Deus perire animam, sed retractat, cogitãs ne penit⁹ pereat qui abiectus est. *2 Regũ. 14.*

Nidus est præsens vita ex festucis & luto coagmentatus. Licet mihi magnas ædes ostentes, siue regias ipsas auro multo fulgentes & gemmis, nihil ab hirundinũ nido differre censebo. Hyeme quidẽ instante cadent omnia sponte sua. Hyemem verò diem illum iudicij dico, non quidem omnibus hyemem. Nam & Christus illum noctem simul vocat & diem. Noctem propter peccatores, diem propter iustos: Ita & ego hyemem nunc illum voco. Si

æstate

æstate bene enutriti nõ fuerimus vt imminente hyeme volare possimus, non agnoscent nos matres nec fouebunt, sed fame perire sinent, aut cadente nido prorsus interire. Tanquam enim nidum quendam, imò & facilius etiam nido subuertet tunc omnia Deus reparans, ac restaurando adaptans omnia. Qui verò tum pennis carebunt, illique in aera occurrere non poterunt, sed ita fuerint ignauiter educati, vt leue alarum remigium non habeant, ea patientes quæ merito ad hunc modum dispositis ferenda veniunt. Nidus quidem herundinum si ceciderit, mox perit: nos nõ ita peribimus, sed continuè puniemur. Hyems erit futurũ illud tempus, imo hyeme sæuius. Non enim illic torrentes vndarum precipitabunt, sed fluuij ignei. Non fient ex nubibus tenebræ insolubiles, atque adeò crassæ & obscuræ, vt neque cœlum videre liceat, neque aerem, maioreq; premantur anguſtia improbi, quam siqui in terram defodiendi sunt. *Chrysostomus hom. 2. in epistolam ad Coloss. & hom. 50 ad populum Antiochenum.*

Nemo sane mentis in ciuitate quæ casura est, ædificat: Dic mihi, si aliquis diceret quoniam post annum ciuitas hæc tota lapsura est, aliam verò quamlibet permansuram esse firmaret: num rogo ædificares in ciuitate ruitura? Non ædificemus ergo in hoc mundo: post paululum enim casurus est, & cuncta perditum ibunt. Et quid dico quod mũdus casurus est? Nos autem ante ruinam eius peribimus, & tormenta sæua patiemur. Quid ædificamus super arenã mobilem? quin potius ædificemus in petra. Quicquid enim inciderit, inuicta fabrica perseuerat, nihil eam cõmouet, nihil euertit: & meritò. Inaccessibilis enim omnibus insidiis ille locus existit, sicut è contra iste cunctis patet. hîc enim & terræ motus obruunt, & incendia consumunt, & infestantia bella deuastãt, & viuos nos auferunt, antequã mundus iste cõcidat sæpe etiã cum illo multi pereunt. Sed & stante mũdo morbus irruit, & aut celeriter hinc excludit, aut permanentes hic non sinit viuere congruenter. Aliquando quod liberos nõ habemus æquanimiter ferimus. Sæpe quoq; vel ad seruos vel inimicos hæreditas nostra tota translata est. In cœlis autem nihil tale verendum est, ne forte aliquo moriẽte a dueniat inimicus, & hæreditatis iura susciptat. Illic enim neq; mors vlla erit,

neq; inimicus vllus extabit, sed tabernacula sola iustorũ. In sanctis aũt exultatio erit, & gaudium & iucũditas sempiterna. *Vox inquit exultationis in tabernaculis iustorũ.* Illa quippe tabernacula permanent in vigore perpetuo: Ista vero ædificia tempore consumuntur, & possidentes diuersis vicissitudinibus mutant. *Ibidem hom. 32. ad Hebræos.*

Euripides omnia quæ in huius vitæ mutabilitatem possunt cadere, diligenti meditatione esse prouidenda ait: quò in omnem casum armati instructiq́ue simus aduersus omnes animi motus vt sicut vigiles & periti gubernatores priusquam dent vela, Scythiam per Euxinum pelagus petant, se anchoris muniunt & rudentibus, ne si quis secus quàm opus sit ventus incubuerit frustra sint auxiliũ desideraturi: ita etiam nos non adeò rebus letioribus efferamur aut deliciamur aduersis, vt videamur obliti, quàm varia sit, quàm fragilis, quàm inconstans humana conditio. Quid enim aut nostrorum, aut noster etiam obitus nõ affligat? *Franciscus philelphus, In consolatione ad Iacobum Antonium Marcellum, de obitu filij.*

Rectè sanè hominem simulachrum Sophocles, atq; vmbram vocat, rem sanè & vanam & contemnendam. Hunc autem propemodum secutus Horatius Flaccus inquit:

Pulus & vmbra sumus.

Sed longè id potius & apertius Pindarus expressit: Quid autem est vllus? Quid nullus? Vmbræ somnium. Nam cum vmbra debilius nihil sit, quale sit vmbræ somnium, non est intellectu difficile. Vnde igitur tanta sit nobis animi elatio, nescio: vt qui cæteris animantibus sumus fragiliores, soli velimus ex omnibus detrectare ius mortis: quæ vt natura rationéque debetur, ita necessariò communis est omnibus. Quod si intelligeremus quam tum ineſt in ea boni: nunquã adeò nobis essemus aduersi atq; inimici. Quæ enim imprudẽtia nostra est, vt ignoremus ad finem omnia referri oportere? finem verò vt bonũ appeti? Finis aũté vitæ huius, quàm mors, alius est nullus. Quòd si summum bonum & finis vltimus conuertuntur, mortem habendam esse in ratione felicitatis, qui negarit, quæ sit felicitatis ratio, non intelligit. Simul enim cũ morte & vita, humana omnis finitur actio. *Ibidem de obitu filij.*

FVtura quotidie regna quæramus, omniaque præsentia vmbras esse prorsus ac somnia iudicemus. Neque si rex terrenus aliquis assumens te pauperē ac mendicū, repente sibi adoptaret in filium, tu iā ad tugurij tui respiceres vtilitatem: & certē non grandi hæc discrimine separarentur, Ita nunc igitur nihil præsentium putes esse pretiosum. *Idem hom. 12. in Mat.*

Vita nostra ludus est & forte quid deterius. Nō enim tēdit ad risum, sed intolerabilem quoque portendit dolorem eis qui mores suos non mature & diligēter instrūunt. Quo enim distamus à pueris, ludendi gratia casulas ædificantibus, nos qui ampla pretoria & clara constituim⁹? Quæ aūt est dissimilitudo inter eorum prandiola, ad ludum parata, & nostra hæc splēdide & delicate apparata cōuiuia? Nulla planē, nisi quod ea quæ nos ad supplicium nostrū sæpe facimus, illi imitantur ad ludum. Nondū venimus ad maturitatem virorum, quò cum venerimus, intelligemus ista omnia esse puerilia. Nam & illos cum ad virilem ætatem transimus, ridere cōsueuimus, obea certe ipsa, quæ cū pueri essemus, etiam studiose credebamus esse facienda. Nam & testas aliquando & lutum sæpius aggerētes, non minus gloriabamur, quā hi qui certatim amplas porticus, & triclinia gaudent superbe construere. Sed tamen peribāt illa continuo & corruebāt. Et sicut nos paruulos, de illa flētes destructione ridemus. Sic isti quoq; viri nobis de hac subuersione mœrentibus, non modo non rident, sed deflent. Quousque lusibus occupamur, ac saluté nostrā ipsi despicimus ac prodimus? Vt pueri cū neglectis literis ad huiusmodi nugas sua studia conuertunt, durissimis verberibus subiacebunt: Sic nos quoque qui in his rebus studium consumimus, cum à nobis spiritalium exigetur operū disciplina, nisi quæ reddenda erunt habuerimus parata, horrenda illa supplicia perferemus. Et hæc quidem quibus nunc dediti sumus, cuncta pariter euanescent, quæ verò ex istis pœna colligitur, immortalis erit & perpetua. Quod quidem accidere solet in paruulis, quorum puerilis illa cōstructio, à patre tota subuertitur, ipsi etiā verberati post lusus, ad lacrymas conuertuntur. *Idem hom. 24. in Mathæum.*

Non est theatralibus scenis præsens vita dissimilis. Nam vt illic ille imperatoris hic, iudicis, alter & militis implet officium, vbi autem consecuta nox fuerit, nec imperator agnoscitur imperator, nec iudex qui fuerit iudex videtur, nec miles postea qui prius miles: ita vnusquisque nostrum in illius seculi die, non personis, sed rebus atque actibus competentem accipiet dignitatem. *Idem epistola. 6.*

Omnia vanitas, omnia repentè spiritus flatu, tanquam folia cuncta decussa sunt, & arbor nuda derelicta est, & non solùm nuda, sed ab ipsis conuulsa radicibus. Omnia nox sunt, & somnium, & die exorta nusquam comparuerunt. Vmbra erat, & pertransiit. Fumus fuit, & dissolutus est. Bullæ aquarum fuerunt, & disruptæ sunt. Aranearum telæ erant, & discissæ sunt. Hoc vero seculum si saperent qui in potentia versantur, in parietibus omnibus, & in vestibus scriberent, in foro, in domo, in atriis, in ianuis, in ingressibus, & ante omnia in conscientiis. *Idem epistola septima ad Eutropium.*

Non est ludus vita, quinimo præsens quidem vita ludus, futura verò non ludicra. Forte verò non tantum est ludus vita, sed peius quid: non enim in risum desinit, verum & sua disponere nolentibus, multum affert nocumentum. Quid enim à pueris differimus ludentibus, & domos ædificantibus, nos splendidas erigentes domos? Quid autem à prandentibus illis nos delicatè viuentes? Nihil, nisi quod cum pœna hæc facimus. Si verò nondum rerum veritatem conspicimus mirandum non est: nõ dum enim viri facti sumus: cum autem facti fuerimus, sciemus quod hæc sunt puerilia, quoniam & illa viri euadentes dimittimus. Cum autem pueri sumus, seria esse putamus & testas & lutum coagmentantes, non minus magna erigentibus septa solliciti sumus, verum tamen statim pereunt & collabuntur: & neque si starent, vsquam nobis vtilia forent, sicut nec istæ splendidæ domus. Cœli namque ciuem admittere non possunt, neque cœlestem habens patriam in his morari sustineret. Sed quemadmodum nos hæc pedibus destruimus, ita & ille iudicio subuertit. Et sicut nos pueros in subuersione lugentes ridemus, sic & cœlites nos hęc ingemiscentes, non tantum rident, verum & deflent: quoniam & misericor-

dia sunt ipsorum viscera, & hinc multum est damnum. Efficiamur itaque viri. Quousque solo reptamus, in lapidibus & lignis altum sapientes? Quousque ludimus? & vtinam tantummodo luderemus. Nunc autem & nostram prodidimus salutem. Et sicut pueruli cum in his studium agunt literis neglectis, multa sustinent verba: sic & nos in his omne studium impendentes, dum spiritales exigemus disciplinas, tunc per opera, nec quas præstemus habebimus, extremam dabimus vltionem nec vllus erit qui nos eruat, siue pater, siue frater. *Ibidem hom. 47. ad populum Antiochenum.*

Si nauiges, & in nauī positus, vides terras ac promontoria, & montes transeuntia, non quod illa continuò moueantur, sed quia te vento prospere flante transis illa, se subducere videntur, ac ferri: Ita & in hoc seculo, sancto spiritu mentem tuam perflante & spirante, secundo ac prospero nauiges cursu, pertransibis sēsu tuo omnia hæc quæ videntur, quia temporalia sunt, & intuens illa quæ æterna sunt, sine dubio dices, quia hæc omnia quæ vidēntur, iam non sunt, quia nec futura sunt. *Origenes hom. 5. in psal. 36.*

VITÆ PRÆSENTIS MISERIA.

De *torrente in via bibit*. Sicut torrens pluuialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, & currendo decurrit id est cursum finit. Sic est omnis iste cursus mortalitatis, nascuntur homines, moriuntur & aliis morientibus, alii nascūtur, succedunt, accedunt, decedūt, nec manebūt. Quid hîc tenetur? Quid nō decurrit? Quid non quasi de pluuia collectū, it in abyssum? Quomodo enim fluui? repente collectus, de pluuia, de guttis imbrium, it in mare nec apparet, quia nec apparebat antequā de pluuia colligeretur: Sic hoc genus humanum de occultis colligitur, & profluit in mortem. Rursus in occultum vergit, medium hoc sonat & transit. De hoc torrente bibit Christus, hoc est, natus est moriturus. *Augustinus hom. in psalmum 109*

Quemadmodū in vtero puellus, sic in mundo viuimus multis intercluſi angustiis, venturique seculi nec fulgorē neq; claritatē valentes cōtueri: Cæterū vbi tēpus imminet parturitionis, & partus editur iuxta legitimū præuisumq;

tempus, hæc vita omnes tum excipit mortales. *Chrysostomus epistola. 5. ad Theodorum lapsum.*

Nonne omnes in vtero materno tanquam vermes in fœtida cloaca concipimur, ad partus vsque tempora captiui latemus in tenebris? Nonne omnes ex eodem vtero tanquã à sepulchro quodã proiicimur in mundum? vt haud ineptè hominem sepultum prius quàm natum dicas. Nonne omnes vitam auspicamur à fletu, certo miseriæ futuræ omine? *Diuo Philonius, de scientia bene moriendi.*

Miseria est hæc vita, quãlibet felix, non felicitas. Et hoc nomine vallis lachrymarum verè dicitur hic mundus, non cãpus Elysius. Nouit hoc Hesiodus, nouit hoc Homerus, nouit vtroque antiquior Orpheus, nouerunt & alij, vel paris aut maioris vetustatis, vel Ethnici, qui homines in hoc mũdo viuẽtes, quãlibet felices à vulgo iudicatos, peculiari semper epitheto notauerunt, & adhuc in suis momentis vocant miseros mortales. Quid hac de re sentiant Ecclesiæ doctores, meo iudicio non operæ precium est referre: quũ omnes paribus placitis doceant, in hac vita quemadmodũ nihil esse felicitatis, ita calamitatũ & miseriarũ plena esse & referta omnia. Et ipse Seruator Christus, promissionibus vitæ beatę nihil aliud innuit, quam huius præsẽtis miseriam. *Ibidem.*

VITA ÆTERNA.

SIcut testa ouorum quamuis pulchre facta, & diligenter formata videatur, necesse est tamen eam frangi & resolui vt inde pullus procedat, & illud pro quo totius oui forma expressa videtur, appareat: Ita ergo & huius mundi necesse est transire statum, vt status ille sublimior regni cœlestis effulgeat. *Clemens lib. 73. recognitio.*

Quemadmodũ in rebus ante oculos positis, rex non vtitur ministerio hominum greges pascentium, sed pulchrorum ac bene educatorũ: sic & in cœlesti palatio illi ministrant regi cœlesti, qui sunt puro corde sine macula & reprehensione. *Macarius hom. 65.*

Quemadmodum vita hæc temporaria cognatam obtinet & huic mundo conformem naturam: itidem & secuturæ illius vitæ ratio, sortem conditionemque exceptura est animarum nostrarum statui commodissimè respondentem. *Basilius hom. 1. exameron.*

Sicut variæ sunt vitæ electiones: ita & multę apud Deum mansiones quæ secundum dignitatem vnicuique diuiduntur & distribuuntur, & hic quidem hanc excolit virtutem, alius verò aliam, alius etiam plures, nonnulli quoque omnes, si saltem est possibile, tantummodo vltrà pergat quisque, & anteriora concupiscat, ac vestigia insequatur eius qui rectè deducit & dirigit, quique per angustam viam & portam ad latitudinem quæ illic est deducit. *Gregor. Nazianz. orat. de paupertate fouenda.*

Ponamus adolescẽtem aliquem esse mirabilẽ, eundémq; & cunctis florere virtutibus, & totius tenere orbis imperiũ, támque in omnibus esse perfectum, vt vniuersos erga se homines patrio ardere faciat aspectu. Quid nõ ergo istius patrem pati existimatis libẽti animo, ne talis filij priuetur alloquio: quod verò vel grande malũ vel exiguũ non esse subiturum, modo vt illum etiam videat, atq; illius præsentia perfruatur? Hoc igitur de futura gloria cogitemus. Neque enim sic filius patri, etiãsi virtutibus mille decoretur, desiderabilis est atq; mirabilis, vt cœlestiũ fructus bonorũ, ac resolui & esse cum Christo. *Chrysostomus homilia vigesima quarta in Mathæum.*

Quemadmodum qui regno inhiat, & si purpuræ loco alium quemvis honorem assequatur, nihil se adeptum arbitratur: sic & nos omnia despiciemus præsentia, si honorem illum desiderabimus. Nónne animaduertistis ludẽtes pueros, cum aciem struunt, & milites, precones, lictores præcedunt, medius puer principis loco incedit? Huiusce modi humanæ res sunt, neque puerilibus differunt ludis, vel etiam abiectiores quæ hodie existunt, cras nusquam apparent. *Idem hom. 1. in 1. Corinth.*

Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11. Vides vt bona dum rapiuntur, abundant magis: terrena verò dum fuerint direpta, minuuntur. Non itáque cõsenescamus inopia, sed diuitias ambiamus. Diuitiæ Dei sunt si plures sunt, qui cœlo perfruãtur. Violenti inquit rapiũt illud. Violẽtia & rapina opus, neque enim in prõptu atque ad manus est regnũ cœlorũ. Raptor huiusmodi semper est sobri', vigilq; perdurat, & in cura cogitationibúsq; versatur, vt rapere oportunè possit. Nónne aspicitis vt qui in bello rapere aliquid cupit, noctem totam peruigil duret in armis?

Si igitur qui secularia rapiunt, noctem in armis & vigiliis ducunt, quanto studio egemus nos qui molimur spiritalia, quæ sunt dignissima rapere? At contra quibus cœlestia consequi propositum est, etiam die media dormimus ac stertimus, sempérque nudi & inermes sumus. Si quis regnum inuadere nititur, nónne innumeras ante sibi mortes proponit: nónne cum sese instruxerit armis, cum rei bellicæ peritus euaserit, cum omnia huius rei gratia compararit, ita demum inuadere pergit? Non ita nos agimus, sed dormitãtes rapere volumus, atque ideo vacuis manibus abimus. Non vides raptores quomodo fugiant, quomodo currant, quomodo omnia impedimẽta dirumpant? Cursu opus est, nam protinus aduersum te diabolus currit, & his quæ præcesserint tenere te iubet: sed si fortis si exercitus fueris, omnia abieciſti, omnes auis instar euasisti: ac licet hinc iam proficiscaris, siue forum forensésque transcẽdas tumultus, seculum scilicet præsens etiam ad ea quæ superiora sunt, pertinges, quod est futurum seculũ. Rapuisti pudicitiã, ne sistas gradum, fuge, longè post te diabolum relinque: si viderit quod te deiicere nequeat, ne persequetur quidem: ita fere & nos facimus, qui cũ raptores nostris se subduxerint oculis, quasi desperantes, neque ipsi insequimur: neq; alios ad eos tenendos hortamur, sed abire permittimus: sicut tu quoq; initio vehementi vtere cursu: cum longè à diabolo discesseris, nihil iam contra conabitur, sed in tuto eris, bonísque foueris æternis. *Idem hom. 10. in 2. Timoth.*

Si quis te in regias duxisset aulas, & de parietibus aurum vndíque fulgens, & omnem alium ornatum tibi demõstrasset: postea te inde in pauperis cellã induxisset, & post breue tempus in regias reducturum illas, & perẽnem ibi se tibi daturum mansionem promisisset, nunquid non deberes affici desiderio, & vel ipsos paucos dies ægreferre? Hoc quoque de cœlis & de terra cogites, & ingemisce cum Paulo, non propter mortem sed propter præsentem vitam. *Idem hom. 5. ad pop. Antiochenum.*

Venale est quod habeo dicit Dominus: tibi eme illud. Quid habet venale? Requiem, regnum. Quantũ valet? Pretium eius labor est: Quomodo si diceret, pretiũ eius aurum est, non sufficeret hoc dicere, sed quæreres, quantũ aurum? Nam si solidus est, aurum est, & semiuncia, & libra, & tale

aliquid, ideo dixit pretium, ne laborares quærere, quandiu huius rei pretium labor est. Quantus labor est? Iam quære tu quantum laborandum sit, tu iudica quanto labore emenda sit requies illa sempiterna sine fine, vbi gaudium incorruptum sine fine, vita æterna sine fine. Quanto labore digna est requies quæ non habet finem. Quia sempiterna est requies, æquè pretium. Si verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur. Certè tantus debuit esse. Idem sempiternus labor pro requie sempiterna. Decies centena millia annorum in labore quid valent? Habent finem: quod tibi dabo, ait Dominus, non habebit finem. Qualis misericordia Dei? Nec dicit, decies centena millia annorum labora, non dicit vel mille annos labora, non dicit quingentos labora, sed cum viuis, labora paucis annis. Inde iam requies erit, & finem non habebit. Ecce quantum pretium damus, quodammodo vnam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos. Siliquam laboris ad requiem sempiternam. *Augustinus in Psalm. 93.*

Cum sic ametur ista ærumnosa vita, quam sit amanda æterna vita? Amas istam vitam vbi laboras, curris, satagis, anhelas, & vix enumerantur quæ necessaria sunt, in misera vita. Seminare, arare, nouellare, nauigare, molere, coquere, texere, & post hæc omnia finire habes vitam. Ecce quæ pateris in misera ista quam diligis, vita, & putas te semper victurum, & nequaquam moriturum? Templa, saxa, marmora ferro plumbóque consolidata, tamen cadũt, & homo nunquam putat se moriturum, dies mali hic sunt. Nõ sunt dies mali quos agimus in corruptela huius carnis in tanta vel sub tanta sarcina corruptibilis corporis, inter tantas tẽtationes, inter tantas difficultates, vbi falsa voluptas, nulla securitas gaudij, timor torquens, cupiditas auida, tristitia arida? Ecce quam malos dies, & nemo vult finire dies malos, multúmque rogant hinc Deũ homines vt viuant. Quid est autem diu viuere, nisi diu torqueri? Quid est aliud diu viuere, nisi quam malos dies, malis diebus addere? Et cum crescunt pueri, quasi accedunt illis dies, & nesciunt quia minuuntur, & ipsa est falsa computatio. Crescẽtibus enim decedunt dies potius quam accedunt. Constituite homini alicui nato, verbi gratia, octoginta annos, quicquid viuit,

de summa minuit. Et inepti homines gratulantur plurimis natalitiis, tam suis quam filiorum suorum. O virum prudentem si tibi vinum minuatur in vtre, tristaris, dies perdis,& gaudes? Mali ergo sunt dies,& eo peiores, quia diliguntur. Sic blanditur hic mundus, vt nemo velit finire ærumnosam vitam. Vita bona non est nisi beata. Vita beata esse non potest, nisi æterna, vbi sunt dies boni, non multi sed vnus. *Idem sermone decimo septimo de verbis Domini ex Matheo.*

Quemadmodum quibus vsus est bellica tela tractandi, cum ante regem mundi huius artis suæ cupiunt peritiam demonstrare, in paruissima quadam scutula, quæ figurata in se continet præmia, iacula sua vel sagittas contorquere contendunt, certi quod non aliàs nisi destinationis suæ linea ad finem possint desiderati præmij peruenire, securi de ipso si modo propositum scopum valuerint obtinere. Qui si fortè ab eorum fuerit subtractus intuitu, nec indeclinabiliter ei sagaciſſimorum obtutuum pernicacia inhæserit, quantumlibet recto tramite cassa imperitorum deerret intentio, & excidisse se tamen à contemplatione non sentiet,& cum sibi efficaciſſimis telorum immissionibus videãtur inniti, frustrato inertiæ labore falluntur quia illum sub tiliſſimum destinationis limitem persequi oculis ac mente non norunt & cum inutiles in aera vacuósque ictus effuderint, in quo peccauerint, quóve decepti sunt, diiudicare non possunt, quippè quos nulla mensura proposita arguit, quantum à directione discesserint, nec quoque deinceps corrigere vel reuocare debeant lineam disciplinæ, docere potest passiuus obtutus: Ita igitur & nostri propositi finis quidem iuxta Apostolum vita æterna est. Scopus vero puritas mentis, quam Paulus sanctificationem nuncupauit, sine qua prædictus finis non poterit apprehendi. *Cassianus collatione prima cap. 5.*

Remissione cito plurimi potiti sunt, beatam vero tranquillitatem, nemo repente possedit. Hanc enim vt acquirere possimus, longo tempore ac Dei adiutorio, & singulari gratia nobis opus est. *Climacus de discretione gradu 26.*

Quantum attinet ad scientiam rationalem memor quisque præteritorum malorum suorum erit, quantum autem ad experientis sensum, prorsus immemor erit. Nam & pe-

rìtiſſimus medicus, ſicut arte ſciuntur, omnes fere morbos nouit: ſicut autem corpore ſentiũtur, plurimos neſcit, quos ipſe paſſus non eſt. Vt ergo ſcientiæ malorum duæ ſunt, vna qua potentia mentis non latet, altera quæ experientis ſenſibus inhæret: aliter quippè ſciuntur vitia omnia per ſapientiæ doctrinam, aliter per inſipientis peſſimam vitam: ita & obliuiones duæ ſunt. Aliter námque ea obliuiſcitur eruditus & doctus, aliter expertus & paſſus. Ille ſi per imperitiam negligat, ille ſi miſeria careat. Secundum hanc obliuionem quæ poſteriori loco poſita eſt memores non erunt ſancti præteritorum malorum. Carebunt enim omnibus malis, ita vt penitus deleantur de ſenſibus eorum. *Iulianus Toletanus libro 3. Pronoſticon cap. 57.*

Sicut quilibet materiali ſole iuxta ſynceritatem virtutis viſus & gratia fruitur: & ſicut vna lucerna in vna domo lucente, fit cuilibet lux diuerſa in ſplendores plurimos lumine indiuiſo: ita in futuro ſeculo iuſti omnes indiuiſi in vna regione morabuntur, quilibet autem ab vno intelligibili ſole illuſtrabitur, ſecundum menſuram ſuam & pro meritis valet gaudium & lætitiam tanquam ab vno aere eris & loco & cathedra & aſpectu & forma: nec inuidebit quis, menſuris plus habentis vel minus, nec videndo gratiam ſuperabundantem amici ſui propriúmque defectum, fiet ſibi turbationis & triſtitiæ cauſa, quod abſit vbi non eſt triſtitia neque gemitus. *Yſaac Presbyter de mundi contemptu cap. 17.*

Pro momentaneo regno vel acquirendo vel ſeruando, quanta moliuntur homines, quàm immanis opum poſſeſſio, quanta ſit exercituum cædes, neque pro regno ſolũ, verùm pro parandis modicis facultatibus aut dignitatibus, circumeunt mare & aridam, mille ſe exponunt mortibus, omnibus ſe ſubiiciunt, nullum detrectant quamuis humile obſequium, & demum plerúmque ante de hac vita migrant, quam paratis vel tentatis fruantur: vbi verò æternitas agitur, & illud regnum quod amitti niſi nobis volentibus non poteſt (ô ſtoliditatem, ô ſtupiditatem) nihil laboramus, nihil conamur, ſubmiſſè nos erga proximum quẽque gerere piaculum exiſtimamus, *Iſidorus Clarius oratione 16. tomi tertij.*

Considera sub exemplo naturam ignis, & naturam rerũ ignitarum: si fortè ibi aliquatenus queas imaginari, qualiter illi summæ deitati pro modulo tuo possis participando deificari. Ecce ignis vnus est, & in sua natura calidus. In hunc igitur ignem porta lignum, plumbum & ferrum simul. Itaque cum lignum fuerit in carbones conuersum, & plumbum liquefactum, ita vt in carbonibus nihil nisi ignis appareat, & plumbo nihil caloris addi queat, nec dum tamen poterit ferro in calore coæquari, quod nondum forsan penitùs incanduit igni. Licet igitur aliud alio magis in calore profecerit: singulum tamen seruata natura sui, vsitato locutionis modo: quia quod ignitum est, per se dicitur ignis. Sic erit in illa beata supernorum ciuium societate, de qua loquimur. Nam quemadmodum hi, qui summæ deitati sunt propinquiores, & ob hoc aliis præstantiores, dij dicentur: Ita & qui illis sunt inferiores, quoniam vna & eadẽ, quæ & ipsi summæ deitati pro sua capacitate participant, simili nomine deos dicendos necesse est. Talis honor vt prælibauimus, iustis pro modo meritorum exhibebitur. Quisque verò malus econtrà sic exhonorabitur, vt in omni fœtore deiectus vermium etiam dominio subiiciatur.

Anselmus, de Simil. cap. 67.

Nihil in his terris rerum terrestrium est tam precioſum, vt valore suo vel minimam felicitatis æternæ æquet portionem. Neque mercator Christus est, qui mercaturam omnẽ vetat Ecclesiasticam: neque tam egens rerum, vt æterna perituris commutet. Non vendax est rerum cœlestium, multo minus emax terrenarum. Gratuitò largitur, quæ gratuitò promittit. Et vt omnium Dominus, non vult non nostra: animum tantummodo suis verbis credulum & audientem exigit, non precium: longè diuersus ab harum tenebrarum principibus, qui nihil donant, nisi bis emptum, receptis prius muneribus. *Hugo Philonius, de scientia bene moriendi.*

Vide Beatitudo.

VOLVNTAS.

Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Hoc vt euidentius fiat, vtamur similitudine, verbi gratia, vult quis

ſapiens fieri, nec tamen ſtatim vt voluit, ſapiés effectus eſt, ſed voluntas quidem præceſſit, nec ſine voluntate ſapiens aliquis fieri poteſt. Sed tamen cum voluntas fuerit, adhibendus eſt labor, ſtudium, ſolicitudo, vigiliæ, doctrina, inſtitutio, & vix aliquando vſu longo, & meditatione continua ſapiens efficitur. Iſte ergò ab initio quidem ſtatim voluntatem habuit vt eſſet ſapiens, ſed non ſtatim affuit ei opus ſapientiæ, ſed in eo ipſo eruditur vt ſapiens fiat, quod antè ſtultè & contra ſapientiã geſſit, quæ tamen intelligere potuit, quam ſtultè geſſerit, habebat iam ſtudiũ ſapientiæ, non tamen ita iam ſapiés erat, vt cauere poſſet, ne quid inſipienter admitteret. Iſte ordo & de pudicitia habẽdus eſt, quoniam non ſtatim vt voluerit quis pudicitiam profiteri, etiam opere implebit, vt nullis concupiſcentiæ ſtimulis agitetur: Sic & de manſuetudine & de patientia, & de ſingulis quibuſque virtutibus ſciendum eſt. *Origenes, lib. 6. in epiſt. ad Rom. cap 7.*

Si voluerit is quæ ſunt bona terræ edatis. Sicut ergo anteceſſit gratia voluntatem hominis in oſtenſione ſui, & in apertione veritatis: Ita antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Non enim prius baptizaris, & ſic velle incipis credere, ſed prius voluntatem perfectam exhibes ſacerdoti, & confeſſionem tuam tuis labiis pandis, & ita demum ad Dei gratiam vt conſequaris, attinges. *Arnobius, in Pſal. 146.*

Quemadmodum mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur, etſi vulnerata erat, nec ſanari poterat, pedes tamen habebat, quibus veniret ad dominum, & veniens ſanaretur: itidem & cæcus ille, quanquam accedere non poterat, & ad dominum venire, quia viſu careret, vocem tamen emiſit nũciis velociorem: dicebat enim, fili Dauid miſerere mei: & ita credens ſanitatem eſt adeptus, ad illum accedente domino & viſum illi reſtituente: ita etiam anima, licet vulnerata ſit obſcœnarum affectionum vulneribus, & tenebris peccati obcæcata, nihilominus prędita eſt voluntate clamãdi, & inuocandi Ieſum: vt ipſe veniens æternam redemptionem conferat animæ. Sicut enim cæcus ille niſi clamaſſet, & mulier illa niſi dominum adiiſſet, non fuiſſet ſanata: Sic niſi quis propria ſponte ac voluntate integra venerit ad dominum, & deprecatus eum fuerit, cum plenitudine fidei

sanitatem non consequitur. *Macarius, Homilia vigesima.*

Quemadmodum terra cum sit vna, hæc tamen est saxosa, illa verò pinguis: & alia quidem idonea est ad plantandas vites, alia ad serendum frumentum & hordeum: ita varia sunt hominum corda atque voluntates. Hunc etiam in modum charismata de sursum conferuntur: huic quidem donatur administratio verbi, illi vero discretio, alij gratiæ sanitatum. *Idem, Hom. 26.*

Sicut ex floribus poma formantur: Ita ex bonis voluntatibus opera perfecta nascuntur. *Chrysost. Hom. 25. oper. imperf.*

Sicut ante pomum flos procedit: ita ante opus bonum bona voluntas. *Ibidem.*

Vult aliquis fieri gubernator, non dicit volo tantum sed rem ipsam aggreditur. Vult fieri negotiator, non dicit volo tantum, sed rem ipsam aggreditur. Et sic in omnibus artibus non sufficit volo tantum, sed etiam opus oportet addere. In cœlum autem volens ascendere, dicis tantum volo. Quomodo ergo dicebas quia velle sufficit? De voluntate dixi cui opus sit adiunctum, quæ laboranti in ipsa re concertet. *Chrysostomus, Homilia decima sexta, ad Hebræos.*

Voluntas illa quæ est instrumentum volendi, sic est inter Deum & Diabolum, quomodo mulier inter legitimum suũ virum, vir enim præcipit, vt sibi soli coniungatur, adulter verò persuadet, vt & sibi copuletur. Si itaque se soli legitimo viro coniungat legitima est, & ipsa filios legitimos generat. Si autem adultero se iunxerit, adultera est, & ipsa filios adulterinos parit: Similiter ergo Deus imperat voluntati vt societur ipsi soli. Diabolus verò ex altera parte suggerit, vt coniungatur & sibi. Si itaque se soli Deo cõiunxerit, id est, spiritussancti suggestionem, velut semen bonum receperit, fit eius coniunx legitima: filiósque legitimos generat, id est, virtutes & opera bona. Mox enim ad imperium eius aperiuntur omnes animæ & corporis sensus ad implendum quod præcepit Deus. *Anselmus de similitudinibus, cap. 2.*

Propria voluntas est velut adultera quædam regina, quæ se cuidam regi adultero coniunxit, ex quo etiam tres filios habuit. Ex his verò tribus tot alij filij & nepotes geniti, itaque multiplicati vt numerari non possint: omnes

autem in familia illius regis & reginæ consistunt, eorúmque iussa quisque suo modo perficiunt. Rex itaque cum regina ista cuidam alij regi aduersatur: collectóque filiorum & nepotum exercitu regnum illius aggressum prædatur. Hic autem exercitus sic seruos illius regis inuadit, vt aut plures, plures, aut vnus vnũ, aut plures vnũ, aut vnus plures aggrediatur. Quoscunque verò deuincere possunt, vinctos & abductos in carcerem tradunt: exigentes ab eis quantum nunquam persoluere possunt, sed omnibus affecti miseriis in carcere illo deficiunt. Hæc autem regina propria est voluntas omnium obedientium domina: quæ ideo vocatur adultera, quia separatur à Deo cui deberet esse coniuncta, & Diabolo coniungitur, à quo deberet esse disiuncta. Ipse vero diabolus idcirco rex dicitur & adulter quia in hominibus regnans per voluntatem propriam animabus eorum Dei videlicet sponsis abutitur. Cui se postquam voluntas propria iunxerit, ex illius semine, id est, peruersa suggestione tria principalia vitia, delectationẽ, extollentiam & curiositatem concipit, & per quinque corporis sensus velut ea patiens emittit. Ex his vero tribus, tot alia vitia nascuntur, sicque implicantur, vt absque numero habeantur. Omnia virò ex familia Diaboli propriæque voluntatis existũt & ex seipsis quandam admirandam multitudinem reddunt. Diabolus itaque propriáque voluntas Deo regi regum aduersantur, & congregata vitiorum militia, regnum illius scilicet hunc mundum aggredientes prædantur. Hæc autem militia sic humanum genus inuadit, vt aut plura vitia plures homines aut vnum, aut plura vnum, aut vnum plures in diuersis modis accipiant. Quemcunque verò superare possunt mala consuetudine ligatum in infernum detrudunt, vbi ab eo vnumquódque vitium exigit, quicquid vnquam per illud commisit: quod quia nunquam persoluere poterit, & ei miseria nunquam deerit. *Ibidem, cap.* 27.

Rursus propria voluntas cuidã herbæ venenosæ atque mortiferæ assimilatur: quam medicus quidam peritissimus progenies cuiusdã interdixit: primis parentibus cõminans: quia si ex ea comederent leprosi effecti proculdubio interirent. At illi præceptis eius obedire noluerunt, sed ex eadẽ herba comederunnt, vnde & leprosi effecti leprosos quo-

que filios genuerunt: atque vt medicus eis comminatus fuerat, mortui sunt. Quorum filij licet agnouerint patres suos illa herba infirmatos fuisse & mortuos, seque ipsos lepra percussos & morituros. Eandem tamē herbam super omnes alias diligunt, indéque cibos vniuersos suos condiunt: mane quoque surgentes ex eadem quasi pro medicamento accipiunt. Hi igitur quam sint dementes omnis qui audit aduertere potest. Sed nec minus dementantur qui propria voluntate vtuntur. Ipsa est enim herba Diaboli venenosa suggestione venenata & omnibus ea vtentibus pestifera. Hāc Deus qui nostris piè medetur peccatis, primis humani generis parentibus inter dixit: cum eos comedere pomum sub mortis comminatione prohibuit, quia præceptum eius transgressi, ex eo comederunt, mox peccatores effecti, & in anima mortui postquam alios peccatores genuerunt, & ipsi carne mortui sunt, homines tamen eādem voluntatem præ cæteris diligunt, & eam immiscent omnibus pene quæ agunt: nihil itaque istis dementius, quam quod nihil vtuntur sua morte libentius. *Ibidem, cap.* 38.

Veluti cum quispiam desertam ciuitatem instaurare desiderat, imprimis ea quæ labuntur & ruunt, prorsus destruit & ita fodere incipit, & in loco defosso fundamenta ponere, actum ædificium collocare, nec mox constituitur domus eadē ratione qui desiderat in locis desertis & fœtidis hortum construere, primum incipit purgare, claudere, ductus aquæ præparare: tum plantat & crementum capiunt quæ plantata sunt, vt hoc modo multo post tempore hortus fructus proferat: ita voluntates hominum post transgressionem incultæ sunt, desertæ ac spinosæ: dixit enim Deus homini: Spinas & tribulos terra tibi producet. Multum igitur laboris ac diligentiæ est adhibendum vt quis perueſtiget ac collocet fundamentum, donec ignis, veniat in corda hominum qui spinas exurat: & ita incipiant homines sanctificari gloriam referentes patri, & filio, & spiritui sancto. *Macarius, Hom.* 15.

Vide Liberum Arbitrium.

QVomodo vulnera quæ in corpore sunt, sæpe paruo tẽpore accidunt, medelæ verò vulnerum cũ tormentis adhibentur ingentibus, non iuxta æqualitatem temporis quo illatæ sunt, sed iuxta rationẽ curationis: Verbi gratia, in puncto horæ fractura manus, & pedis contritio accidit. Hoc quod in modico factũ est, mensibus tribus ac longo tempore vix curatur. Sic & voluptas quæ neruos animi succidit & luxuria, & semel vniuersa peccata, cum in paruo tempore infœlicem animam illexerunt, magnum postea tempus, in supplicij cruciatibus promerentur. *Origenes, homo. 10. in Ezechiel.*

Mulier quam dedisti mihi, &c. Gen. 3. Obserua quod vir ait mulierem sibi dedisse, mulier verò serpentem non dedisse, sed decepisse. Sensus enim proprium est dare, non decipere. Verbi gratia, album naturaliter nigrúmque, calidum & frigidum dat sensus menti, non decipiendo sed veraciter. Nã talia sunt hæc subiecta, qualis & inde procedens imaginatio, sicut pleríque aiunt qui minus accurtatè scrutãtur physiologiam. At voluptas non quale est subiectum, tale id agnoscit cogitatione: sed addit arte mendacium, rem inutilem transferens in ordinem vtilium? Sicut meretrices deformes videre licet fucantes pingentésque faciem, vt tegant suam deformitatem: & intemperantem pronum ad ventris voluptates. Hic meri copiam, & ciborum apparatum amplectitur, tanquam rem bonam, lædens interim horum abusu tam corpus, quàm animam. Rursum amatores videre licet, sæpe insanire in mulierculas aspectu turpissimas voluptate decipiente & tantum non percensente, quod bona forma, bonus color, bona habitudo & mẽbrorum proportio his insit quæ habent omnia contraria. Itaque verò pulchras in quarum forma nihil desideres contemnunt: illas verò quas dixi depereunt. Ergo omni voluptati decipere est proprium, dare autem sensui. *Philo, lib. 2. legis allegor.*

Quisquis super ventrem quadrupes graditur & multos habet pedes impurus est. Talis est amator voluptatis semper supra ventrẽ gradiens & eas quæ inde nascuntur voluptates, cũ repente autem super ventrem coniunxit quadrupedem, non immeritò. quatuor enim sunt affectus voluptariorum. *Ibidem.*

Male conuenit corporeis molibus cum ingenuis animæ desideriis, sed corpora tanquam vasa ad mensuram facta, nihil admittunt immodicum, quicquid superfluit eiicientia, at concupiscentia nunquam expletur, semper indiga, nunquam non siticulosa. *Ibidem.*

Inimicitias ponam inter te & mulierem. Gen. 3. Re vera voluptas inimica est sensui, quamuis sunt qui putent amicissimam. Sed sicut adulatorem nemo amicum dixerit: est enim adulatio vitium amicitiæ: Sic & voluptatem si examines, inuenies adulterinam familiaritatem insinuantem se sensui. Certè saturatis voluptate, omnes sensus luxãtur. Annon consideras istos vini amatores ebrios, quomodo videntes non videant, audientes non audiãt, impotes etiam reliquorum sensuum. *Ibidem.*

Proinde vulgus hominum obeundo varios tractus, vsque extrema terræ, mare quoque traiiciendo, & sinus eius pene trando, nullam huius vniuersitatis partem imperscrutatã relinquendo, semper & vbique ista colligit, quæ ad cumulandam voluptatem faciunt. Nam sicut piscatores retia demittũt interdum longissima, in medio complexi magnum maris spatium, vt quamplurimos pisces inclusos ac velut obsidione cinctos capiant: Eodem modo maxima pars hominum, non in sinum aliquem maris, sed in totam aquæ, terræ aëríque naturam, omnicapientia, vt Poëtæ loquuntur, lina extendens, omnia vbique ad voluptatem inuncat & attrahit, etenim terræ metalla perquirunt, vasta maria traiiciunt, omnia belli pacísque exercent negotia, materiam copiosam seu reginæ voluptati parantes. *Idem, lib. de agricultura.*

Veluti dum quis inuitatus fuerit ad prandium, & huic apponuntur varia ciborum genera, peccatum suggerit, vt de omnibus gustet: & sic anima delectatione capta grauatur. Montes enim grauissimi sunt affectiones illæ: in quarũ medio currunt flumina draconum, venenosarum ferarum ac reptilium. *Macarius, Hom. 15.*

Pacifica res est concupiscentiæ fructus: Sed super iram dolosa cogitant. Sicut in hamo esca dulcis aspectu, lætabilis in gustu. *Arnobius, in Psal. 34.*

Sicut ignis mox vt calamum apprehenderit, non expectans aliquanto tempore, attactam materiam sua flamma

accendit: ita & concupiscentiæ ignis vt primum formositatem & venustatem visu attigerit, animam statim accendit. *Chrysost. ser. in Oseam.*

Sicut ignis iste communis vbi humidam corripit cõspersamque materiam, plurimum sine dubio fumum suscitat: Sic etiam concupiscentia vehemens illa prorsus ac flãmea, quando humentem alicuius ac palustrem succendit animã, multum in ea fumum gignit ac nutrit. *Idem*, Hom. 2. *in Matth.*

Quemadmodum ignis aqua pluuiali per ventorum flatum extinguitur: Sic quoque imber Spiritus sancti, & potẽtis illius auræ flatu, ignem concupiscentiæ in cordibus hominum extinguit, omnémque fumum dispergit. *Ibidem.*

Quemadmodum si tollis herbas de agro, triticum conualescit in illo: sic & concupiscentia si præcidatur, ab homine, iustitia conualescit: quia sicut herbæ suffocant triticum: Sic & concupiscentiæ carnales suffocant disciplinam. *Idem*, Hom. 8. *oper. imperf.*

Quemadmodum fit vt qui lauream expectat, is labores eos in quibus versatur, nullo modo sentiat: sic qui voluptate peracta supplicia sibi parata intelligit, fieri non potest, vt iusta lętitia perfruatur, timore omnia conturbante. *Idem*, Hom. 12. *in epist. ad Rom.*

Cani similis est voluptas, si pellas, fugit: si nutrias permanet, propterea dicit Apostolus, *Resistite diabolo & fugiet à vobis. Idem. Hom.* 12. *ad pop. Antioch.*

Duæ mulieres vnicusque nostrum cohabitant inimicitiis ac discordiis dissidentes, velut quibusdam zelotypiæ contẽtionibus domum nostræ replentes animæ. Vna earum nobis suauitati & amori est, blandæ conciliatrix gratiæ, quæ vocatur voluptas, quæ est meretrix. Nam quid tam meretricium, quam secularis voluptas, quæ à fenestra domus suæ intrat, oculis prima tentamenta præludens, & penetrat cor, si tu in plateas prospiciens, id est in publicas transeuntium vias, non in legis interna mysteria, obtutum mentis intendas? Ea profecto est quæ validioribus vinculis, velut cubile quoddam consociatæ nobis communitatis intexit, vt qui inclinauerit se, ligetur, & opprobriosæ fraudis velamen operiri corporis sui stratum, ad sollici-

tandum animos iuuenum, abſentiam viri hoc eſt, legis obtexens. Lex enim peccantibus abeſt. Nam ſi adeſſet, non deliqueretur. Ideo ait, non eſt vir in domo eius, quia in gratiam ſui legem velint eſſe venialium. Spargit odores ſuos voluptas, quia Chriſti odorem non habet. Theſauros oſtendit, regna promittit, amores ſpondet continuos, diſciplinas ſine pædagogo, ſine monitore ſermones, vitam, ſine ſollicitudine, mollem ſomnum, inexplebilem cupiditatem. *Ambr. lib. 1. de Cayn & Abel, cap. 40.*

Non immerito ſanctus Moſes delectationem ſerpentis figurauit ſimilitudine. Prona eſt enim in ventrē ſicut ſerpens non pedibus incedēs, aut vllis eleuata cruribus, ſed ſumoſo flexu totius velut corporis ſui lubrica. Ei terra cibus eſt, ſicut ſerpenti quæ eſcam neſcit cœleſtem. Corporalibus enim paſcitur, atque in varias mutatur ſpecies cupiditatum, & tortuoſis angulatur anfractibus. Venenum in dentibus habet, quibus ſe vnuſquiſque euiſcerat luxurioſus; helluo internecat, abliguritor perimit. *Idem, epiſt. 42.*

Sicut in aruo quod ſegeti proſciſſum eſt, aliqui flores internaſcuntur, non tamē hinc herbæ quamuis delectet oculos, tantum operis inſumptum eſt, aliud fuit ſerenti propoſitū, hoc ſuperuenit. Sic voluptas nō eſt merces, nec cauſa virtutis ſed acceſſio, nec quia delectat placet, ſed qua placet delectat. *Seneca, lib. de beata vita.*

Quemadmodum qui in mari ſyrtico nauigant, aliquando in ſicco deſeruntur, modo torrente vnda fluctuantur. Sic qui voluptatem colunt, aliquando eius inopia torquentur, quandoque autem copia obruuntur. Et vt feras cum labore venamur, & captarum quoque illarum ſollicita poſſeſſio eſt. Sæpe enim laniant dominos: Sic habentis magnæ voluptates in magnum malum euaſere, captæque cœpere. Quæ quo plures maioréſque eo ille minor, ac plurium ſeruus eſt, quem fœlicem vulgus appellat. *Ibidem.*

Quemadmodum qui beſtiarum cubicula indagat, & laqueo captare feras magno æſtimat, & magnis canibus circundare, vt illarum veſtigia premat, pottiora deſerit, multiſque officiis renunciat: Ita qui ſectatur voluptatem omnia poſtponit, & primam libertatem negligit, ac pro vene-

re dependit, nec voluptates sibi emit, sed se voluptatibus vendit. *Ibidem.*

Quemadmodum sues qui in cœno se obuoluunt, continuo sibi lutum augent: Sic hi fœditatem ex voluptate singulis diebus affricant sibi & aspergunt. *Basilius, in Psalmum primum.*

Ac sicuti lapis in aquâ cisternæ coniectus, non solum adiacentem aquæ partem, in quam cecidit, agitat: verùm orbes alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos lacunæ margines agitando perducit: ita & lasciuus obtutus, vel sermo voluptatis delinitus illecebris, in virginis animam, velut in vndam purissimam vehementer iniectus alias post alias quasi in profundo cogitationes amatorias excitat: ipsamque totam eius qui fecit imaginem sauciam fluctibus agitat. *Ibidem.*

Quomodo Abrahamo habitanti in propria terra non apparuit dominus, vocato autem & egresso cum venisset in terram ei monstratam visus est, & magna dedit promissa: Ita nobis in mundo manẽtibus & mundanis voluptatibus, nulla fit diuinitus illuminatio, parentibus autem suis præceptis, sui manifestat pro capacitate cognitionem. *Cyrillus Alex. in dictis veteris testamenti.*

Habent multi diuitias quas suis vsibus negent, quibus si nulla cupiditas inhæsisset, nec cupiditatis insignia possiderent. At verò qui cupiditate possessi sunt, perfruuntur animo quod vsu non tangunt: Ita qui despexit vinculum nuptiarum, & aliter vinculis fœmineis obligatur, quamuis nullo concubitu misceatur, desiderio tamen visu, colloquio, coniunctione semper oblectatur. *Cyprianus, lib. de singularitate clericorum.*

Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, &c. Math. 5. Sicut nos cum gladium teneri videamus à puero, etiamsi nondum vulneratum esse cernimus, verberamus tamen ac sæpe minantes denunciamus, ne quando illum rursus attingat: Ita etiam Deus inuerecundum coërcet aspectum, ne quando in ipsam quoque incidat actionem. *Chrysost. hom. 17. in Math.*

Vt captiuus tametsi ingentes copias habeat, vel ex hoc ipso imprimis capi aptus fuerat: Sic & illecebris irretitus

homo quanquam diademate præcinctus omni aranea abiectior est. *Idem, ser. de virtutibus.*

Rete malum est, è multiplici vitio ac iniquitate contextum. Est siquidem & bonũ rete, sagena scilicet è præceptis institutísque tum antiquis, tum recentioribus Saluatoris nostri contexta. Homines ergo, qui fluitans & instabile huius vitæ pelagus sulcant, varias voluptatum illecebras consectantes, quasi carentes ratione piscículi, malis retibus implicantur. Illi quoque qui opinione vana scientiæ superbiunt & efferuntur, cum sibi videantur excelsi esse, atque aërambuli, veluti volantes aues, dæmonum laqueis facilè capiuntur, & incidunt in malum tempus infernorum suppliciorum, cum repentinus interitus illis aduenìat. *Olympiodorus, in Ecclesiasten, cap. 9.*

Quemadmodum imperitus iaculator, frustra se laborasse, & inanem operam consumpsisse fateri cogitur, eo quòd scopum non attigerit: Ita illi qui omnes curas suas ad voluptatem dirigunt, omnem beatitudinis spem amittunt, à scopo enim proposito hominibus procul aberrarunt. *Diogenes, apud Laert. lib. 6.*

Non est necesse, tanquam meretricem in matronarum cœtum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere. *Cicero, lib. 2. de Finibus.*

Sicuti Maronæum vinum, cuius meminit Homerus, vicies tanto aquæ mixtum, tamen vigorem suum seruat: Ita sapiens nullis soluitur voluptatibus. *Plinius, lib. 14. cap. 4.*

Tradunt physici veteres, solem marinis aquis pasci, lunam dulcibus: ita sapientes amara quærunt, modò vtilia; stulti quæ delectant modò, sectantur. *Ibidem.*

VSVRA.

OFficium tuum fuerat, hominis depressi egestatem cõsolari ac leuiorem reddere. Tu cõtra potius adauges fructum ex homine destituto: veluti si quis medicus ad ægrotantes introgressus loco reddendæ sanitatis, id quod eis virium restabat, auferret. Et tu inopum calamitates materiam tibi constituis augendi prouentus? vtque coloni ad satorum augmentum imbres exoptant: sic tu inopiam & publicam egestatem hominum, vt pecunia tibi sucrescat & fiat lucrosior, requiris? An ignoras quod maior tibi pec-

catorum exurgat aceruus, quam sit accessus opum quem ex vsuris venaris? *Basilius in psal.* 14.

Canes accipientes mansuescunt, fœnerator verò accipiens irritatur. non enim conquieſcit allatrans, sed plura expetit. *Ibidem.*

Illas igitur expectemus spes, ne vti pisces ad escam pro-perantes, qui cum cibo hamum vorant: sic & nos cum pecunia vndique transfigamur è fœnore. Nullam paupertas conciliat homini turpitudinem aut dedecus. Quid ergò nobisipsis opprobria ex ære alieno comparamus? Nemo vulnere vulnᵉ curat. Nemo malis malo medetur: nec paupertas fœnore corrigitur. *Ibidem.*

Sicut dolores parienti, sic tempus statutum debitori exiſtit fœnus supra fœnus, malorum parentum mala soboles. Hi sane fœtus vsurarum rectè genimina viperarũ dicuntur. Viperas enim dicunt ventrem matris perrodendo nasci: Sic item fœnora debitorum domos absumendo nascuntur. Semina omnia suo tempore nascuntur, animalia quoque tempore præstituto suos edunt fœtus. Fœnus verò hodie nascitur, hodie parere incipit, Animalia etiam quæ citò pariunt, cito etiam à partu desiſtunt: Pecuniæ verò cum auiditate plus æquo habendi volucrem trahant originem, infinitam accessionem tanto progredientem vlterius recipiunt. *Ibidem.*

Qui talia vxori administrat, ad trapezitam venit: & hos quos accipit nummos priusquam vtatur, alij reddit creditori, alium ex alio assumens dominum, & semper cõtinuatione sese iugiter obligando probrum paupertatis fugit. Et quemadmodum hidropici suspecti habentur de carnulenta obesitate, ita & iste diuitem se imaginatur semper accipiens, ac semper reddens, & ex posterioribus priora soluens, denique fidem sibi ex continua versura conseruans. Et quemadmodum qui vtroque excernunt ventre id semper quod prius insederat eiicientes si nondum perfecta purgatione cibum sumpserit alterum, rursus hunc vomere coguntur cum dolore & intestinorum lancinatione. Sic hi qui fœnus ex fœnore sumentes priusquam priora purgentur secundum addentes, vbi aliquantum temporis fuerint in alienis deliciati, ad extremum rem domesticam amissam lugent. *Ibidem.*

Agricola accepta spica semẽ rursus sub radice non scrutatur: Tu verò fructus habes, nec desinis ipsam redituum sortem requirere. Sine terra plantas, sine satione metis, cum incertum sit cui congreges. *Ibidem.*

Cum enim æs & aurum quæ natura infœcunda sunt, fœnus suum, hoc est fœtus edant, quæ ex natura fœcunda est sterilis facta est, & in pœna eorum qui ipsam incolunt sterilitatis damnata est. *Idem hom. in fame & siccitate habita.*

Vt perinde ac hi qui ex cholera laborãt, semper id quod ante ingestum est, eii ciunt: & si priusquam penitus purgati fuerint, alium cibum superingesserint, summo cum dolore, ac lancinatione vomunt: ita etiam qui fœnora exercent, vsuras ex vsuris transmutãtes, antequã priora expurgentur, alterum mutuum superinducunt, atque vbi paululum aliena in delitiis habuerint, deinde res ob proprias lugent. *Idem oratione. 15. de auaritia.*

Sicut qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnum, & sic per suauitatem soporis moritur: sic & qui accipit sub vsuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium accipit: & sic per suauitatem beneficii non sentit quomodo captiuus efficitur. *Chrysostomus hom. 12. operis imperfecti.*

Sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit & corrumpit: Sic vsura per totas facultates eius discurrit & conuertit eas in debitum. *Ibidem.*

Sicut fermentum modicum quod mittitur in multam farinam, totam consperſionem corrumpit & trahit illam, & facit illam totum fermentum: Sic cum vsura in domũ alicuius intrauerit, totam substantiam eius ad se trahit, & cõuertit in debitum. *Ibidem.*

Qui in lutum inciderit, eum oportet aut fugere, aut manere: nam si se voluat, magis etiam inquinatur: Sic qui rem habet cum fœneratoribus. *Plutarchus in Moralibus.*

Cholerici qui purgari nolunt sub tẽpus, collecta in diem maiore bile, postea grauiter discruciantur: Sic qui sinunt fœnus accrescere, cum adest dies, grauiter è capite laborant. *Ibidem.*

Plato vetat aquã à vicinis petere, nisi prius domi foderis vsq; ad terrã, quã ceramitidẽ vocant, repereriſq; non spem esse venæ: Ita prius excutiendum, vt parsimonia, aliàue

via tibi suppedites, priusquam à mensatiis pecuniam mutuam petas. *Ibidem.*

Vt ignis inualescés, alia post alia corripit: Sic vsura. *Ibid.*

Lepus simul parit, & aliud alit, & rursum superfœtat: ita fœnerator æs alienum, priusquam conceperit, parit. Nam dantes statim petunt, & ponentes tollunt & fœnerant, quod pro fœnore accipiunt. *Ibidem.*

Vultures ipsi nihil occidunt, sed ab aliis occisa inuadunt: Ita nonulli alienis fruuntur sudoribus. *Erasmus in Similibus.*

VSVS ET ABVSVS RERVM.

SI nobis terram alentibus, ligone & aratro opus est, ligonem autē argenteum, falcemque auream, nemo fuerit fabricatus: Quid vetat, quominus in vasis quoque domesticis, idem sentiamus, quorum modus sit vsus, non sumptus, ac magnificentia? *Clemens Alexand. lib. 2. pædagogi cap. 3.*

Quomodo si essemus peregrini, qui beatè viuerē nisi in patria non possemus eaque peregrinatione vtique miseri, & miseriam finire cupientes, in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis, quibus vtendum esset vt ad patriam qua fruendum erat peruenire valeremus. Quod si amœnitates itineris & ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, conuersi ad fruendum his quibus vti debuimus, nollemus citò viam finire, & peruersa suauitate implicati, alienaremur à patria, cuius suauitas faceret beatos: Sic in huius mortalitatis vita peregrinantes à Domino, si redire in patriam volumus vbi beati esse possimus vtendum est mundo non fruendū, vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur, hoc est, vt de corporalibus & temporalibus rebus æterna & spiritalia capiantur. *Augustinus lib. primo de doctrina christiana cap. vndecimo.*

Neque propterea pro patria non est miles armandus, quia contra patriam nonnulli arma sumpserunt: aut ideo vti non debent boni doctique medici ferramentis medicinalibus ad salutem, quia his ad perniciem etiam indocti pessimique abutuntur. Quis enim nescit, sicut vtilia vel

inutilia fuerint ea quæ quæruntur: ita eloquentiam, hoc est peritiam facultatemque dicendi, sic esse vtilem vel inutilem, vt fuerint vtilia vel inutilia quæ dicuntur, *Idem lib. 1. contra Crescentium, cap. 1.*

Vinum sanos & commode degentes iuuat, & (sicut Scriptura dicit) cor hominis duntaxat lætificat: febricitantibus verò, si sumpserint, perniciem continuò & interitum parit: Ita fit, vt eadem res eodem modo sumpta, vni quidem vitam, alij autem conferat mortem. *Origenes in libro Iudic. homelia quinta.*

Quemadmodum Iudæi peccantis circumcisio pro præputio habebitur, contrà gentilis rectè agentis præputium pro circumcisione: Sic & quæ pura creduntur, pro impuris imputabuntur ei, qui non vt oportet, neque quantũ oportet, neque vnde oportet, illis vtitur: sed quæ dicuntur immunda, omnia sunt munda mundis. *Idem in cap. 15. Matth.*

Siquidem & mellis satietas vomitum mouet, quantumuis sit mel. Breuiter, vt Salomoni, sic & mihi videtur, suum cuique negocio destinatum esse tempus. Et videmus quæ per se bona sunt, si non bene quoque tractãtur, boni gratiam amittere. non aliter atq; hybernis mensibus sunt intempestiui flores. Nec mulieres virilis, nec viros muliebris ornatus decuerit. Vt nec luctui cõuenit musica, nec in potu lachrymę. *Greg. Nazianzenus libro. 1. de Theologia.*

Rerum humanarum naturâ quidem bona sunt, prudentia & temperantia, & iustitia, & animi magnitudo, & aliæ partes virtutis: mala autem, imprudentia, & intemperantia, & iniustitia, & timiditas, & alia quæ sunt his similia. Diuitiæ autem, & paupertas, & seruitus, & dominium, & sanitas, & aliæ vitæ humanæ prosperitates & aduersitates, sunt cuiusdam mediæ sortis & conditionis. Sunt enim veluti quædam instrumenta hominibus proposita. Et qui sunt quidem ex hominibus optimi & præstantissimi, per vnumquodque eorum quæ dicta sunt, sibi virtutem comparant. Tam enim eos qui se propter diuitias efferunt, quàm qui in paupertate degunt, videre licet virtutis curam gerentes, & benefactorem in sanitate laudantes, & in morbo se toleranter & fortiter gerentes: & seruos, qui propter temperantiam & iustitiam clari euadunt: & rur-

fus alios, qui in paupertate quidem vitium amplectuntur, & non solùm furantur, sed etiam mortuorum monimenta diripiunt, & sacrilegia committere non verentur: alios verò, qui diuitias in iustitiæ instrumentum efficiunt, & in sanitate quidem superbi sunt & insolentes, in morbis autem maledicta & blasphema verba eructant. Per quæ facile sciri potest quod eorum quidem qui vtuntur, diuitiæ & paupertas, & seruitus & dominium, & quæ sunt his similia, nunc quidem laudanda, nunc verò vituperanda sunt. Quemadmodum & ferrum nunc quidem hominum vitæ opem ferre dicimus, vt quod per aratrum, bipalium & ligonem terram colat, per falcem autem putet arbores, per dolabram verò & serram, & domorum & variorum instrumentorum & multiplicis supellectilis constitutionē præbeat: nunc autem nonnulli id illi insidiari dicunt, dum vident enses, & cædes quæ per eos fiunt. Sed neque ensis cædium causa est, sed is qui ense malè vsus est: neque diuitiæ & paupertas, aliæque vitæ prosperitates & aduersitates reprehendi & accusari merentur, sed qui vnoquoque eorum præter leges vtuntur. *Theodoret. In epitome Diuinorum decretorum, Tit. de prouidentia.*

Prometheus, Satyrum cum primùm vidensignem vellet amplecti, admonuit eum exurere contingentem, at oculis præbere lumen, Calfacit, inquiens, & seruit artibus: Sic eadem res, vtcunque vteris, ita pernicioſa est, aut vtilis. *Plutarchus in Moralibus.*

Si multi inebriantur vino, non ob id incidendæ vites, ita vt fecit Lycurgus, sed propius admouendi fontes: Ita si multi abutuntur Poëtica, non protinus abiicienda, sed adhibenda cautio, vt fiat salutaris. *Ibidem.*

Vt in rerum natura quæ spectatissima florent, celerrimè marcescunt, veluti rosæ, lilia, violæ, cum alia durent: Ita in hominum vita quæ florentissima sunt, citissimè vertuntur in diuersum. *Plinius lib. 9. cap. 15.*

Polypus, stupidum alioqui animal, in captandis cunctis incredibili vtitur solertia: Ita quidam ad solum quæstum suum sapiunt, alibi pecudes meræ. *Idem libro nono, capite vigesimo nono.*

Vina vasis è taxo factis mortifera sunt: Ita salutaris

alioqui erúditio, si inciderit in hominem pestilentem, moribus illius redditur noxia. *Idem lib. 16. cap. 11.*

VXOR BONA.

DOmus & diuitiæ dantur à parẽtibus: à Domino autem propriè vxor prudens. *Proverb. 19.*

Vt orator neglectis fucis ac theatricis cultibus, rebus ipsis magis mouet auditorem: Sic vxor non meretricio corporis cultu, sed moribus commendatur viro. *Plutarchus, in Moralibus.*

Vt tibicen per alienam vocem sonat: Ita mulier quædam non grauabitur per virum loqui. *Ibidem.*

Luna cum soli coniungitur, tum obscuratur, & occultatur: cum abest, lucet: contrà, proba vxor præsente marito maximè conspici debet, eodem absente maximè condi ac latêre. *Ibidem.*

Vt Philosophi colentes principem, se reddũt nobiliores, non illum: Sic vxores, subdentes se viro, laudem consequũtur: conantes autem imperare, deterius audiunt, quàm quę subiiciuntur. *Ibidem.*

Vt geometræ negãt moueri lineas & superficies sine corpore, sed vnà cum corporibus moueri: Sic vxor & in seriis & ludicris, fletu & risu, lætis & tristibus, accommodabit se marito. *Ibidem.*

Cum spirat Boreas, conatur vi vestem reuellere, at homo magis astringit pallium: quòd si sol tepido vento demulserit, tam sponte & tunicam abiicit: Sic vxor conãs conuiciis maritum à luxu reuocare, magis irritat: si placidè ferat, & roget, magis efficit. *Ibidem.*

Qui ministrant elephantis, non sumũt lucidam vestem: qui tauris, purpuream non induunt: nam his coloribus efferantur: tigrides tympanorum strepitum non ferunt: Ita vxor ab iis debet abstinere, quibus senserit maritum vehementer offendi. *Ibidem.*

Quæ veretur ridere apud virum, ne videatur lasciua: nec agere quicquam, ne audax: perinde facit, quasi nec vngeretur, ne videatur vnguentis vti: nec lauaret faciem, ne fucis vti putetur. *Ibidem.*

Quemadmodum speculi ex auro gemmísque constructi,

nulla fuerit vtilitas, nisi formam similem repræsentet. Ita neque diuitis vxoris fructus vllus est, nisi vitam exhibeat marito similem, & ingenium concors. *Apud Stob. serm. 70.*

VXOR MALA.

VT vermis in ligno: sic virum perdit improba mulier. *Prouerb. 5.*

Præstat in solitudine degere quam cum muliere pugnare & linguace & iracunda. *Ibidem.*

Cum leone & dracone habitare malis quam cum malitiosa muliere. *Eccl. 25.*

Sicut ascensus arenosus in pedibus senis: Sic mulier linguata viro taciturno. *Eccles. cap. 21.*

Bonum iugum concussum mulier nequam: qui dominatur illi quasi qui apprehendit scorpionem. *Eccl. 26.*

Vt cariosas naues procellæ & turbines: ita mala vxorum studia infirmas maritorum suorum animas demergunt. *Ex filius hom. de diuite.*

Vt equites decet ferocibus assuescãt vti equis, quos si domuerint, aliis etiam vtilius vtẽtur: Sic quoque prodest cum vxore iracunda consuetudinem habere exercitationis causa. *Maximus sermone 19.*

Vt nemo sentit, qua parte stringat calceus, nisi qui indutus est: Ita nemo nouit ingenium mulieris, nisi qui duxit vxorem. *Plutarchus in Moralibus.*

Sponsæ quæ statim offensæ moribus virorum, eos deserunt: perinde faciunt, ac si quis ictus ab apibus, mel relinquat. *Ibidem.*

Vt inutile speculum est, auro gemmisque adornatum, nisi repræsentet similem imaginem: Ita inutilis vxor, quantumuis opulenta, si viro mœsto sit hilaris, hilari mœsta. *Ibidem.*

Diogenes colloquentes mulieres conspicatus, Aspis inquit, à vipera venenum mutuatur. *Maximus sermone 39.*

Pythagoras, in ignem & in mulierem æquale esse dicebat. *Ibidem.*

VIri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea. *Ephes. 5.*

Vos ô viri coniuges vestras diligite, etsi locis longinquis semoti in coniugij societatem conueneritis, naturæ vinculum legibus ac benedictione obstrictum vnio ac iugum distantium esto. Vipera genus serpentum omnium exitiosissimum murenæ marinæ nuptias expetit, & sibilo suam significat præsentiam, eámq; è gurgite vasto inuitat ad nuptiales complexus. Illa autem obtemperat & coit cum venenato. Quid hæc mea ratio vult? quid portédit? Siue asper est cuiusplam coniunx, siue ferus moribus, perferat illum vxor necesse est: nec vllam prorsus ob causam societatem vinculúmque dissoluere patiatur. Ferítne, verberatné, estq; percussor? At vir tamen est tuus. Temulentúsne? At tibi est natura coniunctus. Durúsne, morosus & implacidus? At mébrum iam tuum est & membrorum præstabilissimum. Audiat & ipse vir accommodatam séque decentem admonitionem. Vipera virus ob nuptiarum venerationem euomit. Tu duritiam animi, tu feritatem, tu crudelitatem ob vnionis reuerentiam non deponis. *Basilius hom. 7. Exameron.*

Vir muliebrem sequens appetitum, quam animæ curam geret? Sicut enim debilia nauigia, procellæ ac tempestates dispergunt atque inundant: Sic praui vxorum affectus, virorum debiles animas corrumpunt atque pessundant. *Idem hom. in diuites auaros.*

Seruis quidem licet mutare viuentes dominos, vxori autem viros minimè. Viro enim viuéte mulier serua est, & legi subdita, alligatáque, adulterij etiamsi millies repudij libellum det, lege alliganda. *Chrysost. sermone de libello repudij.*

Quemadmodum militibus inter se bene pacatis omnia prospere succedunt, & vicissim turbatis illis omnia sursum ac deorsum voluuntur: Ita sanè & hîc. *Vxores*, inquit, *proprijs viris subditæ sitis. Idem hom. 20. ad Ephes.*

Quemadmodum in militari duce est, quando exercitus bene compactus est, nusquam subingreditur hostis: ita sanè quando vir & vxor & liberi & domestici eodem studio tenentur, multa est domus illius concordia. *Ibidem.*

Vxorem tuam doce cum multa gratia, atque istud meum

& tuum pessimum ex animo eius extermina. Si dixerit, hæc mea sunt: respondè, quæ sunt ista quæ tua dicis? Neque enim noui: ego nihil proprij habeo. Quomodo ergo dicis, hæc mea sunt, cum omnia tua sint? Gratificaberis illi hoc verbo. Non vides quomodo istud erga pueros nostros facimus? quando nobis aliquid eripiunt eorum quæ possidemus, atque rursus & aliud accipere volunt, permittimus ac dicimus, etiam hoc tuum est & illud. Istud cum vxore faciamus. Est námque animus ipsius puerilior. Et si dixerit, hæc mea sunt, dic tu; omnia tua sunt, & ego quoque tuus sum. *Ibidem.*

Sicut quando gubernatores inter se dissident, etiã qui in naui feruntur, periclitantur ac timent ne nauis submergatur: Ita si discordes sint vir & mulier, verisimile est, omnes qui apud illos sunt, participes esse malorum. *Idem hom. 56. in Genesin.*

Rex quicquid aduersus regnũ suum putauerit, totum verum æstimat. Animus eius semper suspectus est, regni zelo repletus. Dum omnia timet, omnia suspicatur, facilè credit quicquid fuerit suspicatus. Sicut vir si zelet vxorẽ, aut vxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo, etsi non sit auditio digna, & idonea vt credatur, tamen fidem auditionis zelus commendat. *Idem hom. 2. operis imperf.*

Non habet aliquis cur excusẽt, quamobrem ea relicta alteri coniungatur, neque dicat, talis ac talis est. Non cernis, quod & in carne multa vitia habemus? Hic quidem claudus est, ille obtortos habet pedes, alius aridam manum, alij aliud contingit membrum ægrotare, neque tamen quisquam reperitur, qui propriam carnem oderit, sed fouet ac nutrit eã: non queritur, non amputat vitiosam partem, sed sanæ sæpe parti illam præfert. Neque iniuria, illius enim est. Eodem modo quantam quisque erga seipsum dilectionem habet, tantam oportet & virũ erga vxorem suam habere. Cum enim eandem participemus naturã multo tamen maxima fit vinculi accessio ob coniugium. *Isidorus clarius oratione tricesima quinta tomi primi.*

Vt rex musicæ studiosus cõplures reddit musicos, literarũ studiosus doctos, aleator aleatores, rapax rapaces: Ita vir cõptus similem efficit vxorẽ, voluptarius incontinentẽ, castus & sobrius, castam & sobriam, *Plutarchus in Mora'.*

Vt qui non ferunt vxores secum edere aut bibere, docēt eas ingurgitare, maritis absentibus: Ita qui non communicant lusus & iocos cum vxore, faciunt vt alibi quærant, insciis viris. *Ibidem.*

Imperium viri in vxorem non erit, cuiusmodi est Domini in rem possessam: sed cuiusmodi est animi in corpus: *Ibidem.*

Vt sinistrarum partium ictus redundant in dexteras: Ita virum oportet vxoris incommodis commodísque commoueri, & contrà. *Ibidem.*

Vt medici eas febres, quæ ab incertis causis paulatim collectis eueniunt, magis suspectas habent & timēt, quàm quæ manifestas magnásque causas habent: Sic latentes plerunque, paruæque & frequentes ac quotidianæ viri atque vxoris offensæ, magis eos disiungunt, & vitæ consortium labefactant. *Idem in nuptialibus præceptis.*

Vide Matrimonium.

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

LOCORVM COMMVNIVM.

FINIS.